*mo omnem ſibi aditum ad veniam præcluderet. Quod fecit inuerecundus adoleſcens, extenſo in aperto loco ſub cælo tabernaculo, vbi incæſtus ille concubitus ab omnibus ſpectari non difficile poſſet.*

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

1. CVmque Dauid tranſiſſet paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboſeth in occurſum eius, cum duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ paſſæ, & centum maſſis palatharum, & vtre veni.

2. Et dixit rex Sibæ: Quid ſibi volunt hæc? Reſpondítque Siba: Aſini, domeſticis regis, vt ſedeant: panes & palathæ, ad veſcẽdum pueris tuis: Vinum autem, vt bibat ſi quis defecerit in deſerto.

3. Et ait rex: Vbi eſt filius domini tui? Reſpondítque Siba regi: Remanſit in Ieruſalem, dicens: Hodie reſtituet mihi dominus Iſraël regnum patris mei.

4. Et ait rex Sibæ: Tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth. Dixítque Siba: Oro vt inueniam gratiam coram te Domine mi rex.

5. Venit ergo rex Dauid vſque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebátque egrediens, & maledicebat.

6. Mittebátque lapides contra Dauid, & contra vniuerſos ſeruos regis Dauid: omnis autem populus, & vniuerſi bellatores, à dextro & à ſiniſtro latere regis incedebant.

7. Ita autẽ loquebatur Semei cùm malediceret regi: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial.

8. Reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul: quoniam inuaſiſti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Abſalom filij tui: & ecce premunt te mala tua: quoniam vir ſanguinum es.

9. Dixit autem Abiſai filius Saruiæ, regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? Vadam, & amputabo caput eius.

10. Et ait rex: Quid mihi & vobis eſt filij Saruiæ? dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?

11. Et ait rex Abiſai, & vniuerſis ſeruis: Ecce filius meus, qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Iemini? dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini:

12. Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

13. Ambulabat itaque Dauid & ſocij eius per viam cum eo. Semei autem per iugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides aduerſum eum, terrámque ſpargens.

14. Venit itaque rex, & vniuerſus populus cum eo laſſus, & reforcillati ſunt ibi.

15. Abſalom autem & omnis populus eius ingreſſi ſunt Ieruſalem, ſed & Achitophel cum eo.

16. Cùm autem veniſſet Chuſai Arachites amicus Dauid ad Abſalom, locutus eſt ad eum: Saluе rex, ſaluе rex.

17. Ad quem Abſalom: Hæc eſt, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non iuiſti cum amico tuo?

18. Reſponditque Chuſai ad Abſalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuerſus Iſrael, & cum eo manebo.

19. Sed vt & hoc inferam, cui ego ſeruiturus ſum? nónne filio regis? ſicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.

20. Dixit autem Abſalom ad Achitophel: Inite conſilium quid agere debeamus.

21. Et ait Achitophel ad Abſalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum: vt cùm audierit omnis Iſrael quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.

22. Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſsúsque eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael.

23. Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Achitophel, & cùm eſſet cum Dauid, & cùm eſſet cum Abſalom.

IN

# IN CAP. XVI. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

## Vers.1. *Cumque Dauid transisset paululùm montis verticem, apparuit Siba.*

1. HIc Siba est ille, de quo cap.9. qui seruus fuit antè Ionathæ, nunc verò Miphiboseth. Qui cùm vellet aliquam à Rege gratiam inire, non putauit hanc occasionem omittendam. Quare aut egressus est ex vrbe, vbi tunc morabatur, cum cibo egentibus, aut iter agentibus opportuno; aut certè sumpsit ex proxima villa, in qua collectos ex agro fructus asseruabat. Illud prius placet magis, quia ipse Siba apertè docet se egressum ex vrbe, vbi ait domini sui filium esse relictum, hilarem, & exultantem, quod esset expulsus Dauid è regno, à quo auus eius exciderat. Illi porrò fructus, quibus duos onerauit asinos, illius regionis erant familiares, atque vernaculi; quales etiam obtulit Abigail, cùm eadem Regem necessitas vrgeret. Sed ibi plura alia sunt à prudentissima fœmina comparata, quæ antè pro Regio epulo, plurimísque conuiuis adornauerat.

2. Vers. 4. *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.*] Hoc agebat Siba, dum tam se in Regem officiosum ostendit, vt quæ data fuerant Miphiboseth prædia, Regis beneficio sibi vendicaret. Quod facilè à Rege benenolo, & grato consecutus est: cùm enim in Siba animum videret, saltem in specie, liberalem, & officiosum; in Miphiboseth autem insignis immemorem beneficij; quíque illius oblectaretur incommodis, qui Regia ipsum dignatus mensa fuerat, & non secùs ac filium amplectebatur: æquum existimauit illum ornare agris, & possessionibus propter grati animi, atque fidelis officium; hunc autem iisdem agris spoliare propter hostilis animi impudentem iniuriam.

3. *Oro vt inueniam gratiam coram te.*] Gratias agit pro tam liberali, ac Regia munificentia, quasi nihil aliud aut petat, aut cupiat, quàm illum habere gratum; modestè tamen, & astutè contendit, vt beneficium illud velit esse perpetuum, à quo beneficio nunquam excidet, nisi fortè à Regia gratia, atque benenolentia excidere contingat.

4. Vers. 5. *Et ecce egrediebatur vir de cognatione domus Saul nomine Semei.*] Ad cæteras vexationes, quæ sanè grauissimæ fuerunt, accessit alia, quæ excruciare Regium animum acerbissimè potuit. Vir enim quidam de cognatione Saulis, qui diu, vt apparet, metu inueteratum odium in Dauidem compresserat, vbi excidisse existimauit è regno, euomuit in illum quicquid fellis, & acerbitatis imbiberat. Neque solùm diris exagitauit conuitiis, sed etiam quo licuit modo, lapidibus appetiit, & fœdauit puluere. Quæ verba iactarit, nosse difficile non est. Illud hic obseruandum, hæc verba lib.3. cap.2. v.8. à Dauide vocari *maledictionem pessimam.* Sic enim ille moriturus ad Salomonem filium: *Habes quoque apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima.* Quo loco vbi Vulgatus, *pessima*, Hebraicè est נמרצת *nimreset.* Quam vocem Hebræi, vt in quæst. Hebraicis obseruauit Hieronymus, sic expendunt, vt in singulis literis contumelioſum aliquid latere putent. Quinque literis

*Quæ fuerit maledictio pessima Semei.*

A constat vox illa Hebraica, totidem in ea continentur opprobria. In נ *nun* intelligitur נאף *noeph.* id est, *adulter*; qua voce obiectum est Dauidi adulterij crimen. In מ *mem* continetur *Moabita*, quo nomine exprobratum est Dauidi, quod genus duceret ex Ruth, id est, ex aliena, atque ignobili Moabitarum stirpe. In ר *res* ריצח *roseach*, quæ homicidam sonat. In צ *sade* צרוע *Saruahh*, id est, leprosus; quia non aliter Dauid eiectus videbatur ab vrbe, quàm leprosus, cuius consortium horrent, & execrantur alij. In ת *tau* comprehenditur תועבה *toebah*, quod abominabile significat. Ex literis autem acrostichis, id est, initialibus, vocem aliquam componi, quæ multarum dictionum vim obtineat, probat illud Dan. 5. *Mane tekel Phares*, vbi nos ea de re pluribus, & in illis hæc eadem adduximus, quæ nunc de maledictione *Semei.*

REGVLA. *Ex acrostichis, id est, initialibus literis vox componi solita, qua instar multarum est.*

B Vers.6. *Mittebátque lapides contra Dauid.*] Licèt adigi lapis non posset ad illum locum, vbi erat Dauid, neque si posset, illum attingeret, quia totus populus, & vniuersi bellatores Regium latus vndecumque cingebant: erat tamen grauis iniuria, quia illudebat intentata saltem lapidatione Regi, & illum aliquid esse sordidum, & vile significabat, imò & lapidum supplicio dignum iudicabat, cùm alienum adulterino congressu torum violasset; cui sceleri indicta erat à lege lapidatio. Deut. cap.22. Quod nos pluribus ostendimus in cap. 13. Dan. n. 57. & super Ezechielem ad illud cap.23.v.45. & 47. *Iudicabunt eas iudicio adulterarum*, &c. *Et lapidentur lapidibus populorum.* Simile aliquid accidit Paulo Actor. cap. 22. v.23. aduersùs quem iactatus dicitur puluis, sed in aërem. *Proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem.* Vbi in nostris commentariis ad illum locum diximus, nobis videri eo signo ostendi, blasphemum esse Paulum, dignúmque iuxta legem, qui lapidationis supplicium subiret. Spargebant autem in illum puluerem Iudæi, quia lapides non erant in templo, quos sursùm iactarent; satis tamen significabant, quod vellent in Pauli caput supplicium decerni.

6. *Lapidatio adulterorũ supplicium.*

C Vers.9. *Dixit autem Abisai filius Saruiæ Regi:* 7. *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo Regi?*] Ferebat patienter Rex suorum peccatorum conscius, & pœnitens, maledicas voces; non tamen illi viri fortes, & regij nominis amantes, qui Dauidis latus hinc inde stipabant. Quorum vnus Abisai tam maledicæ, ac rusticæ loquacitatis impatiens, facultatem à Rege petiit, vt tanti sceleris, atque impudentiæ vindex petulantissimi hominis caput amputaret. Quem canem appellat mortuum, qui prouerbiali specie abiectissimum hominem, & odiosissimum indicat. Quid sit canis mortuus, aut caput canis, & quis illius nominis familiaris vsus, diximus ad illud lib.1. cap.24.v. 15. vbi hoc ipsum de se dixit Dauid ad Saulem: *Canem mortuum persequeris, & culicem vnum.* & suprà cap.9. Miphiboseth ad Dauid: *Respexisti super canem mortuum.*

D Vers.10. *Dimitte eum, vt maledicat: Dominus* 8. *enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et quis est, qui audeat*

*audeat dicere,quare sic fecerit.* ] Grauissimum hoc documentum est, & fortasse eo nullum potentius, ad sedandum animum, confirmandúmque contra omnes hominum iniurias, & quæcumque incommoda, siue à fortunæ aduersitate, siue ab imbecillitate naturæ,siue ab hominum insidiis,& improbitate proueniant; si consideramus illa non fortuitò, & casu, aut à mortalium perfidia fuisse profecta,sed potiùs à vidente,atque iubente, aut annuente Domino contigisse. Aduersùs quem velle quicquam moliri, & quam putamus iniuriam vindicari, eius esset,in quo neque pietas esset vlla,neque pudor,aut mens. Sic Ieremias Thren.3. v.4.ad Dominum pro populo,quem in captiuitatem abegerat: *Nos iniquè egimus,& ad iracundiam prouocauimus,idcircò tu inexorabilis es:operuisti in furore,& percussisti nos;occidisti, nec pepercisti.* Sic Iob percussum se dicit à Deo, & omnia bona ab illo fuisse sublata, cùm tamen illorum greges inuasissent,diripuisséntque Sabæorum, & Chaldæorum turmæ, quia sciebat nihil fieri posse, inscio, aut non permittente Deo. Hæc secum meditabatur prudens,& religiosus Princeps, quia se peccasse recordabatur, & illas secum recolebat minas, quas à Deo per Prophetam audierat.

*Patienter tolerantur mala,si à Deo prouenisse considerantur.*

9. Hic sanè affectus est eius, qui se peccati reum agnoscit, quémque peccati pœnitet, & expiari sustinendo cupit in se peccati labem. De hac Dauidis mansuetudine multa, & grauiter Patres, ex quibus nos nostro more pauca. Bernardus serm. 34. *Parum est cùm per seipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando & per alium hoc facit,sapiamus similiter. Quamobrem accipite huius rei mirabile documentum de sancto Dauid. Aliquando maledictum est illi, & à seruo; at ille ne cumulatam iniuriam sensit,quia præsensit gratiam. Quid mihi,ait, & vobis filij Saruiæ? O verè hominem secundùm cor Dei, qui se vlciscenti potius,quàm exprobranti succensendum putauit. Vnde & secura conscientia loquebatur: Si reddidi retribuentibus mihi mala,decidam meritò ab inimicis meis inanis. Vetuit ergo prohiberi maledicum conuitiantem,quæstum existimans maledicta. Et addit: Dominus misit illum ad maledicendum Dauid. Prorsus secundùm cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæuiebat lingua maledica,& ille intendebat,quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionem. Nunquid ore blasphemi Deus? Absit;sed eo vsus est ad humiliandum Dauid. Nec latuit Prophetam,quippe cui incerta,& occulta sapientiæ suæ manifestauerat Deus. Et ideo dicit: Bonum mihi,quia humiliasti me.* Idem penè Gregorius lib.31.Moral.cap. 17. qui cùm adduxisset illud: *Dimitte eum,vt maledicat iuxta præceptum Domini,si fortè respiciat Dominus afflictionem meam,& reddat mihi bonum pro maledictione hac.* subiecit: *Quibus profectò verbis indicat, quia pro perpetrato Bethsabee scelere,exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animam malum,quod perpetrauit,& æquanimiter pertulit quod audiuit, & contumeliosa verba non tam conuitia,quàm adiutoria credidit,quibus se purgari, sibique misereri posse iudicauit. Tunc enim illata conuitia benè toleramus,cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus.*

*Quomodo ferenda iniuria.*

10. *Et quis est,qui audeat dicere,quare sic fecerit?*] Impudens esset,& stuporis insignis, qui à Deo quæreret cum stomacho, quid negato imbre cœlesti, spem frugum ademerit,quid grandine protriuerit fruges,quid vrente vento spicæ sint exustæ, & arborum flores,cur de cœlo vibrata fulmina, deiectæ turres,& discissæ quercus. Eodem etiam modo excors esset, & stolidus, qui cùm ab homine, aut per homines potiùs infligantur mala, quæ à Deo nobis aut iubente,aut permittente aduenisse existimaret, indignemur tamen, & quæramus à Deo,cur ita faciat,cur nostra disperdat,atque enecet,cur nomini nostro ab inimicis,aut à petulante turba patiatur illudi. Hæc autem verba spectare videntur illud Abisai verbum minax, & vindictæ appetens: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo Regi?* Quasi dicat,à Deo non esse quærendum, quid ita faciat,qui Semei, vt Dauid hoc loco cogitat,iusserit vt Regi maledixerit.

11. Vers.11. *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Iemini.*] Indignatus fuerat, vt notauit suprà Bernardus, Dauid in Abisai vlciscendæ ignominiæ regiæ studiosum; & causam illudentis,& subsannantis susceperat, vsqueadeò non grauatè tulerat insurrantis iniuriam:nunc vt Semei quasi clientis sui patrocinium suscipiat, rationem aliam adducit,cur ab illo tunc non expediat exigere supplicium;idque hac ratione persuadet. Quia si filius, qui alter ipse debuit esse,cùm esset pars sui, vitæ suæ tam insidiatur hostiliter, quid mirum,si homo ex aliena familia, Sauli cognatus, non telo, sed lingua,non armis,sed voce petulanti lacessat? Porrò filium, aut virum Iemini, idem esse quod Beniaminitam, alibi à nobis sæpiùs probatum est.

12. Vers.14. *Et refocillati sunt ibi.*] Statuerat, vt suprà vidimus, Dauid subsistere in solitudine campestri, & ibi expectare quid facto opus esset. Eò igitur peruenit cum populo lassus ex itinere,cùm illud suis peragrasset pedibus, neque via esset expedita,& facilis;vbi omnes paululùm sunt à labore recreati,& refecti cibo.

13. Vers.15. *Absalom autem, & omnis populus eius ingressi sunt Ierusalem.* ] Eodem tempore,quo Dauid peruenit ad campestre desertum, ingressus est Absalom cum exercitu cõiurato Hierosolymam, & alia ex parte Chusai Arachites, vt in fine capitis præcedentis audiuimus. Quod reliquum est ad capitis vsque finem, apertum est,neque operam desiderat interpretis. Tantùm enim habemus, quomodo Chusai in Absalomis se gratiam insinuarit, quo meliùs explorare posset,atque dispicere illius consilia,& quo in statu esset res Solymitana. Et impium consilium de temerando paterno lecto datum ab Achitophel, & pari impudentia, atque impietate ab Absalome susceptum.

14. Vers.21. *Vt cùm audierit domus Israel, quòd fœdaueris patrem tuum,roborentur tecum manus eorum.*] Hîc nobis explorandum est, nam cætera explicatione non egent, quid vtilitatis afferre potuerit hoc Achitophelis consilium studiis, & votis Absalomis; nam tanti sceleris turpitudo abalienare potius debuit, quàm allicere populares animos. Hanc Iosephus in tam nefario scelere vtilitatem inuenit, cui Abulensis, Lyra,Dionysius,Historia Scholastica,& plures alij subscribunt. Cùm enim Absalom iuuenili quadam ambitione, atque æstu videri posset consilium illud occupandi regni suscepisse,neque rarò contingat, vt iuueniles impetus facilè,cùm aliquid inciderit difficile, frangantur,existimare poterant, qui tunc illius votis, atque studiis fauebant, mutaturum animum, & gratiam inuenturum apud patrem,quem exorabilem agnouerant, neque ad ignoscendum difficilem. Tunc autem ex ea coniuratione illum videbantur habituri successum, vt nihil in Absalome haberent præsidij,& magnam apud parentem Re-

*Achitophelis quale consilium.*

gem

gem offensionem, cùm aduersùs illius caput, & regnum infideles manus, & animos armassent. Quare vt spem omnem veniæ à parentis benignitate sibi præcideret Absalom, atque obstinatiùs negotium persequeretur inchoatum, ad illud scelus illum est adhortatus Achitophel, quo nullum excogitari poterat grauius; nullum, quod magis regium animum pudore, atque dolore compungeret; nullum indignius veniâ, vt populus inde prudentem caperet coniecturam, nunquam fore vt adolescens, licèt natura leuis, aut pudore, aut metu violati parentis, in suscepta cogitatione langueret. Et ideo addidit Achitophel, *vt roborentur tecum manus eorum.* quia illa suspicio de concilianda pace debilitaret animos, & arma prorsus è manibus excuteret. Quare consilium illud & Absalomem Regem constituere, & illius asseclas fortunatos reddere putabatur. Hæc mihi ratio omnium maximè placet, & quia aliena non est, & quia probatur pluribus.

15. Sed addam ego suspicionem meam, suspicionem, inquam, non opinionem, quæ aliquid hîc odoratur quasi in regnorum occupatione legitimum. Scimus vsurpatum aliquid à regio munere, aut persona, aut quod ad vnius Regis vsum, aut dignitatem pertinebat, auspicium fuisse, aut initium regni, veluti si quis in regio sederet solio, aut coronam sibi per iocum imponeret, si vestem assumeret regiam. Sanè, vt docet in Artoxerxe Plutarchus parum à principio, qui regiam vestem induisset, capitale censebatur admisisse crimen. Et Pompeius cùm in cruribus cretatam gestaret fasciam, quod imperatorium erat insigne, suspicionem apud aliquos mouit affectati imperij. Eius fortasse generis fuit cum regia siue coniuge, siue concubina, corpora miscere, quod vni tantùm Regi licebat; quod qui assecutus esset, magnum sibi videretur ad regnum aperuisse aditum. In eam ego cogitationem veni, quia hoc ipsum Salomon horruisse videtur, lib. 3. Reg. cap. 2. v. 22. Nam cùm Adonias vxorem sibi peteret Abisag Sunamitidem, quæ licèt nunquam à parente cognita fuisset, secus tamen à populo existimari poterat, respondit matri Bethsabee, quam eam ob rem Adonias ad Salomonem allegarat: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum, &c. & nunc viuit Dominus, &c. quia hodie occidetur Adonias.* Hæc mea suspicio est, scio non satis firmum habere fundamentum, alius fortasse inueniet. Interim prior mihi sententia potior est.

*Vti aliqua re, quæ ad regiam personam pertinet, signũ est affectati regni.*

16. Libet hîc de consiliario Achitophel, & de Absalomis improbitate aliquid ad extremum adiicere, de quibus multa Patres, & interpretes. Et primùm de Achitophel, qui tale adolescenti leuiculo, ac credulo consilium dedit, quale neque suggeri potuisse videbatur à diabolo. Quærit hîc Procopius, quomodo Dauid vir sanctus, & prudens vsus est tandiu viri vsque adeò scelerati consilio, & ita respondet: *Certum est Achitophelem se rebus præsentibus accommodasse, & pro vtriusque ingenio, & moribus consilium dedisse; erga bonum malitiam celans, erga prauum ostendens.* Sumpsit, opinor, ex Theodoreto, sicut alia plurima, qui eandem sententiam q. 33. magis amplificat. *Sceleratissimi*, inquit, *dæmones celant suam nequitiam, conuersantes cum bonis: sed si inuenerint aliquem, qui eorum delectetur studiis, eam aperiunt, & ea loquuntur, quæ conferunt audientibus. Iste quoque erat talis. Nam & diuino Dauidi eas adhibebat suasiones, & consilia, quæ optimo eius scopo conuenirent; & ea Absalomi consulebat, quæ eius congruebant moribus. Timens enim ne natura eos rursus coniungeret, deinde, si fieret reconciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illam suggerebat iniquitatem, vt reconciliationi nullus pateret aditus. Statim autem dedit pœnas illius impiæ, & nefariæ suasionis: & quoniam in patrem armauit filium, ipse rursus in se armauit manus, & iis laqueum collo iniiciens miserrimum sustinuit finem. Nam ad rerum finem præuidendum esset idoneus, non admissa eius suasione Dauidis futuram credidit victoriam; & timens proditionem, sua manu de se sumpsit supplicium.*

17. De Absalomis iam improbitate pauca; de qua Saluianus lib. 2. de prouidentia. *Iam*, inquit, *hinc iuxta verbum Dei inæstimabilis mali cumulus. Insidias diu pater à filio patitur, regno pellitur, & ne occidatur, profugus abscedit. Impurior nescias, an cruentior filius: quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu; & quidem incesti nefas per industriam accumulandi sceleris elato. Cùm vtique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publicè perpetraret: scilicet vt feralissimo crimine non pater tantùm absconsus deformaretur, cùm oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu.* De eadem re optimè, & elegantissimè Chrysostomus tom. 1. homil. de Absalome patrem persequente. *Quis te* (inquit, ô Absalom) *in hoc facinus prosilire, parricida teterrime, docuit? Quis te furor audere tam immane facinus prouocauit? Si offendit, pater est; si læsit, genitor. Quinimò neque offendit, nec læsit. Vincat timorem pietas, affectus insaniam superet, crudelitatem natura debellet. Aut nunquid te pater, quia non læsit, offendit; aut idcirco te offendit, quia non læsit? Qui forsitan non offenderet, si læsisset.* Et paulo pòst: *Bestiæ, & mutæ pecudes pietatis iura conseruant, & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. Innocentem perimere nefas est, patrem occidere scelus. Prophetam iugulare facinus inauditum, & ante hoc tempus mortalibus cunctis ignotum. Cessa iam ab isto scelere, cessa, cessa, inquam, ne te boni omnes semper exhorreant, ne audaces ex te, quod non nouerant, discant. Cessa, inquam, ne qui post te tantum facinus perpetrauerit, te vtatur auctore. Cur mundo nouum facinus tradis? Cur doces quod natura nõ nouit? Cur audes perficere, quod nouo supplicio cogatur Deus vindicare?* Lege reliqua, quæ planè admirabilia sunt, quæque ego inuitus omitto: sed longus esse nolo, neque hoc, vt ego censeo, interpretis opus est.

IN

# IN CAP. XVII. LIB. II. REGVM

## ARGVMENTVM.

*PETIT Achitophel duodecim virorum millia, quibus dicebat breui oppressum iri Dauidem, cùm nondum se ad resistendum comparasset, & vno die, atque congressu confectum iri bellum, quod aliter videbatur futurum iri longum. Placet omnibus Achitophelis ratio, & obtinuisset ille quod optabat, nisi dominus iniecisset in Absalomis mentem, vt Chusai quoque Arachitæ audire vellet in ea deliberatione sententiam, qui contrà statuit, quàm Achitopheli visum fuerat, eáque ratione illius quamtumuis vtile consilium dissipauit, quod magis Absalom, & qui illius partibus magis adhæsere, probarunt. Hæc porrò omnia per sacerdotes, eorúmque filios Ionatham, & Achimaam ad Dauidem perferenda curauit. Qui duo adolescentes, licèt maximam adhibuissent cautionem, tamen à puero quodam cogniti sunt, & ad Absalomem illicò delati. At illi rem odorati in puteum dimissi, cuius os mulier artificiosè celauerat, inquirentium oculos, & sollicitudinem eludunt, & inde egressi, cùm nullum esse periculum agnouerunt, Dauidem adeunt, docéntque quid hostes Hierosolymæ dixerint, decreuerintque, atque omnes tollendas esse moras, & quamprimùm traiiciendum esse Iordanem, quod vsque adeò factum est grauiter, vt omnes ante lucem ad vlteriorem ripam transmearint. Porrò Achitophel cùm videret spretum esse consilium suum, & rerum euentum præuideret, mortem occupat, & ignominiam, quam meritò timebat. Quare inserto faucibus laqueo, suspendio sibi vitam eripuit. Cúmque ad Castra (nomen est ciuitatis) venisset Dauid, subsidio illi fuerunt quamplurimi è vicinis locis, qui ad victus, vitæque commoda quidquid videbatur necessarium, attulerunt.*

### CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

A

1. DIxit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar Dauid hac nocte.

2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cúmque fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam regem desolatum.

3. Et reducam vniuersum populum, quomodo vnus homo reuerti solet: vnum enim virum tu quæris: & omnis populus erit in pace.

4. Placuítque sermo eius Absalom, & cunctis maioribus natu Israël.

B

5. Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachiten, & audiamus quid etiã dicat ipse.

6. Cúmque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Huiuscemodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus an non? quod das consilium?

7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.

8. Et rursum intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, & viros qui cum eo sunt, esse fortissimos & amaro animo, veluti si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.

9. Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit, loco: & cùm ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom.

10. Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur: scit enim omnis populus Israël fortem esse patrem tuum, & robustos omnes, qui cum eo sunt.

11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consiliũ: Cõgregetur ad te vniuersus Israel, à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum.

12. Et irruemus super eum in quocumque loco inuẽtus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram, & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem.

13. Quòd si vrbem aliquã fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eã in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea.

14. Dixítque Absalom, & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum.

15. Et ait Chusai Sadoc & Abiathar

sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israël: & ego tale & tale dedi consilium.

16. Nunc ergo mittite citò, & nunciate Dauid, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne fortè absorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo est.

17. Ionathas autem & Achimaas stabant iuxta Fontem rogel: abiit ancilla & nunciauit eis: & illi profecti sunt, vt referrent ad regem Dauid nuncium: non enim poterant videri, aut introire ciuitatem.

18. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom: illi verò concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum.

19. Tulit autem mulier & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: & sic latuit rex.

20. Cúmque venissent serui Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Vbi est Achimaas & Ionathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cùm non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem.

21. Cúmque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nunciauerunt regi Dauid, & dixerunt: Surgite, & transite citò fluuium: quoniam huiusce modi dedit consilium contra vos Achitophel.

22. Surrexit ergo Dauid, & omnis populus qui cum eo erat, & transierunt Iordanem, donec diluceseeret: & ne vnus quidem residuus fuit, qui non transisset fluuium.

23. Porrò Achitophel videns quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexítque & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam: & dispositis domo sua, suspendio interiit, & sepultus est in sepulchro patris sui.

24. Dauid autem venit in Castra, & Absalom transiuit Iordanem, ipse & omnes viri Israël cum eo.

25. Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Israël, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Saruiæ, quæ fuit mater Ioab.

26. Et castramentatus est Israël cum Absalom in terra Galaad.

27. Cúmque venisset Dauid in Castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machis filius Ammiel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim.

28. Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer,

29. Et mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos: dederúntque Dauid, & populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame & siti fatigari in deserto.

---

# IN CAP. XVII. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum.* ]

1. TOTVM hoc caput historicum est, & explicatu facile. Principio Achitophel maturandum esse dicit, & opprimendum Regem, dũ adhuc lassus est, & infirmus, neque res ad repugnandum disposita, antequam se & opportuno loco communiat, & ad illum nouæ conueniant copiæ, quibus vitam suam, & regnum tueatur. Quare ex illa multitudine, quam ex Hebrone secum Absalom attulerat, dari sibi postulat duodecim millia, quibus breui rem totam confectum iri promittit; & sublato Rege nihil præterea negotij futurum esse reliquum. Quod consiliũ cùm reliquæ multitudini placuisset, quia reuera illi rerum articulo admodum videbatur opportunum; Absalomi tamen visum est, vt ad illam etiam consultationem ascisceretur Chusai, quem & virum norat esse magni consilij, & sibi fidelem fore arbitrabatur. Qui, vt bene priùs coniectarat Dauid, consilium dissipauit Achitophelis, perfecítque vt nullum haberet successum vtilem illa coniuratio. Hinc iam apparet, quemadmodum plus valeant puræ apud Deum preces, humilitas, mansuetudo, & pœnitentis animi demissio, quàm currus, & equites, & magni alij bellorũ apparatus. Illa enim hostium peruerterunt consilia, in quibus plus est opis, quàm in militum armis, ad victoriam. Illa fecerũt, vt licèt Achitophelis verba instar essent oraculi, tamen in illis nõ satis acquiesceret, nisi etiã Chusai accederet auctoritas. Illa tantum Chusai verbis tribuerunt ponderis, vt Achitophelis consilia omnium iudicio damnarentur.

Consilium porrò Achitophelis fuisse ad illum tẽporis articulum opportunum probarẽt omnes, quotquot rei militaris essent non imperiti. Sic sanè docuit Vegetius lib. 3. c. 28. dum ait occasionẽ in bello plus interdum quàm virtutem iuuare. Quod documentum lib. 9. tradit etiam Polybius. Idem apud Lucanum Cæsar lib. 1. Pharsaliæ. 2. *Occasio non omittenda.*

*Dum trepidant nullo firmatæ robore partes,*
*Tolle moras, semper nocuit differre paratis.*

Vers. 7. *Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel.* ] Negat Chusai futurum esse vsui consiliũ Achitophelis, imò potiùs certã populo allaturum esse pernicie. Id verò probat ex eo, quod quotidiana docet experien- 3. *Achitophelis consiliũ dissipatum.*

perientia : fieri etenim quotidie videmus tam in bello, quàm in rebus aliis, vt in mercatura, & nauigatione, vt ex principiis futura coniectemus, & ex illis in nobis timor oriatur, & audacia. Dixit hoc optimè Tacitus lib.13. Annal.vbi in nouis cœptis validissimam dicit esse famam. & lib. 12. primis euentibus metum, aut fiduciam gigni. & rursus in Agricola instandum famæ, & prout prima cesserint, fore vniuersa. Quod verò quoduis malum in illo primo congressu timeri possit,ex eo probat, quia tam Dauid, quàm qui illi ex ciuibus adhæserunt, diu sunt in acie versati,& armis tractandis assueti; quare quiduis audebunt : quòd si eò fuerint adacti, vt de victoria, aut salute desperent, eo magis esse formidandos : est enim periculosa desperatio, vt dixit Abner capite 2.vers.26. lib.2.& nos ibi pluribus. Sunt autem Dauidis socij viri audaces, & soliti mortem,dum student gloriæ militari, contemnere : quare non minori rabie,atque auiditate contra insequentes hostes conuertentur,quàm vrsæ in illos,à quibus rapti sunt catuli. Quòd si tunc populus, qui nunc Absalome duce triumphare videtur, plagam aliquam accipiat, quod non videtur incredibile,cadent tunc aliorum animi,& aut castra deserent,& domos suas repetent, aut si manere velint sub signis, exiguam nauabunt, & inutilem operam. Deinde inutilem fore dicit illum conatum, cùm nemo sciat quem locum eo tempore Rex occupauerit; neque ex vsu fore lassari exercitum, incertúmque vagari, cùm sciat nemo,an in montibus consederit,vnde vis omnis hostilis arceri possit;aut certè latebras subierit,& foueas,vbi tunc lateat, sicut antea sæpe,cùm fugeret Saulem, cuius potentiam, cùm
4. minus haberet potestatis, effugit. Quod autem docuerat Achitophel facilè posse capi Regem, & occidi, & tunc rem totam videri transactam; id ostendit aut nullo posse modo fieri, aut non nisi difficilè. Neque enim tam est Rex inconsideratus, & excors, vt cùm odorari potuerit quamprimùm hostes in exercitum tenuem, & adhuc imparatum irrupturos, voluerint cum populo commorari, & non potiùs secesserit à turba in aliquem occultum locum, quem norit nemo, & se maturè exemerit à periculo. Illo autem incolumi, licèt gens illa magnam acceperit plagam, nihil actum est. Illud autem, *Sicut vrsa raptis catulis*, prouerbialem habet formam, qua significamus furorem, & sæuitiam, & impauidum animum, qui quiduis aggreditur, neque vllum habet impedimentum,à quo retardari queat. Sic Prouerb.17.vers.12. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus.*Et Oseæ capite 13. vers.8.*Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum.* Vide quæ nos in nostris commentariis super Oseam ad hunc locum, vbi causam adduximus, cur vrsa tantopere raptis catulis sæuiat.

*Prouerbiũ, Sicut vrsa raptis catulis.*

5. Vers. 11. *Congregetur ad te vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum.* ] Duo dixerat Achitophel; primum, vt sibi duodecim hominum millia tribuerentur; deinde vt ipse tanto exercitui præficeretur imperator. Vtraque confutat Chusai,& docet congregandum esse priùs totum Israelem,ne posset Dauid aut occultari, vt maximè cupiat, cùm innumeri futuri sint quasi venatici canes, qui omnibus illum vestigiis indagent; neque vis sit vlla aduersaria, quæ tanti exercitus impetum, & pondus sustinere possit. Deinde vt Rex ipse bellis interesit, cuius auspiciis administrentur omnia. Quod ad priorem partem attinet,à Dan vsque ad Bersabee conscribi copias iubet,& quàm maximè possit, copias armari. Sunt enim duæ istæ ciuitates, quæ omnia promissæ terræ spatia definiunt. Vnde in Scriptura frequens,*A Dan vsque Bersabee.* Hæc porrò multitudo variis in Scriptura modis explicari solet. Primò locustarum similitudine, qua Iudicum 6. vers. 7. hostium, & gregum multitudo significatur. *Ipsi enim,& vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum cuncta vastabant.* Et cap.7.vers.12. Madianitæ, & alij dicuntur iacere in terra fusi,*vt locustarum multitudo.* Explicatur etiam sumpta similitudine ab arena maris,vt hoc ipso in loco Iud.7.vers.12.& multis aliis. Altera sumpta à rore, qui è superiori loco cadit super herbam,quam opplet,& quodammodo subiicit. His duabus similitudinibus vtitur Chusai;à terra hoc loco, à rore v.12. *Operiamus eum sicut cadere solet ros super terram.* Qui dicendi modus etiam profanis familiaris est, qui copiosum exercitum nimbum, & nubem vocant. Sic Virgil.Æneid.7.

*In arena, rore, locusta multitudo significatur.*

*Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis*
*Agmina densantur campis.*

Et Silius lib. 12. *telorum nimbum*, & Claudianus *belli nubem* appellat.

6. Quod verò secundo loco dicit, magni momenti est. Neque enim milites admodùm curarent, quid Achitopheli placeret, à quo mercedis nihil essent accepturi pro re præclarè gesta;neque illius aspectus aut confirmaret languentes, & desperantes animos. Aut si diffluerent, quod sæpè solet, quando res subitò, & sine consilio geritur (quia tunc sicut citò excitatus est, sic etiam citò restinguitur animorum ardor) aut si transfugerent ad inimica castra, in officio posset, aut acie continere. Sanè magnum ab Imperatoris conspectu res bellicæ capiunt emolumentum,vt docent omnium gentium annales tam noui, quàm antiqui,qui magnas res produnt feliciter gestas præsente Rege, & illo absente miserè dissolutas. Eo certè nomine laudat Plinius in suo Panegyrico Traianum, & quid Imperatoris præsentia opis militibus attulerit,quantum iniecerit ardoris,eleganter exprimit,& ad rem præsentem accommodatum maximè. Ait enim apud milites admirationem,& amorem comparasse,idque hoc modo, vtar eius verbis. *Cùm tecum inediam, tecum ferrent sitim, cùm in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem, sudorémque miscerem*, &c. *Quid cùm solatium fessis, agris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria,nisi commilitonum antè lustrasses, nec requiem corpori nisi post omnes dare.* Quid? pro tam humano, atque beneuolo Principe nónne omnes quantumcumque timidi, hostili ferro latus opponerent, & in omne discrimen caput obiicerent? Quid, quod idem Imperator, teste Suida in Traiano, *Milites in prælio vulneratos curabat, cùm autem fasciæ,& volumina deficerent, nec suæ quidem vesti pepercit, sed eam totam in ligamenta discidit.* Extat Synesij elegans ad Imperatorem Arcadium exhortatio, qua monet, vt ipse bellis interesit, in qua rationes affert multas, & graues, quas hîc referre opus esset longum.Præcipuæ illę sunt,quas Onosander

*Imperatoris præsentia magno vsui est in exercitu.*

Strategicus adducit cap. 42. *Si quid*, inquit, *subitò confici optet Imperator, primus ipse manu operi adnota conspiciatur. Neque enim militum vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atque præstantium dignitate virorum exemplis verecundiam pulsantibus. Conspiciens enim aliquis ducem suum in re attrectanda omnium principem, festinandum esse animaduertit, cessare erubescit, imperatisque non parere veretur: nec iam vt seruus, aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque prouocatus accedit.*

7. Vers. 13. *Quòd si vrbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea.* ] Accommodat Chusai orationem suam ad adolescentis insani vanissimum ingenium, qui superbè de se cogitat, & nihil suæ felicitati, ac viribus non pollicetur. Duo loca sibi eligere posset ad resistendum Dauid; aut campestrem locum, qui nullis vallatur mœnibus; aut aggere munitam. Si locum, qui cœlo subest aperto, erit Absalomis exercitus sicut ros, qui patentem agrum sine vllo impedimento, ac mora humectat, & complet: si verò ad ciuitatis alicuius septa confugerit, tunc innumerabilis multitudo implicatam funibus ciuitatem non maiori difficultate à fundamentis conuulsam in torrentem præcipitem dabit, quasi truncus foret, aut ramus ab arbore decussus. Hoc esse reor prouerbiale, atque hyperbolicum dicendi genus, quo glorioſi, atque arrogantes milites tunc vtuntur, cùm suas venditant vires, & cœlum, vt aiunt, territant armis. Hoc videntur vsi, licèt paulo obscuriùs, Isaiæ cap. 7. Rex Samariæ, & Syriæ, cùm aduersùs Iudam exercitum valdè copiosum collegerunt, *Ascendamus*, inquiunt, *ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos.* Quasi dicerent, non erit opus ad opprimendam Iudæorum potentiam nostras explicare acies, & bellicis machinis muros verberare; satis erit nobis, si funibus circumuolutam vrbem deuoluamus ad nos; auellemus enim à fundamentis, procúlque ad nostros vsque fines adducemus. Hæc eadem Chusai arrogantissimo adolescenti persuasit, qui, quo erat spiritu insolenti, ac vano, non minora de sua fortuna meditabatur.

8 In illo quoque, *vt non reperiatur ne calculus quidem ex eo.* prouerbialis est, & hyperbolica figura, quæ sæpè occurrit in Scriptura sacra, cùm de ciuitatum excidio sermo est. Ezech. capite 26. de Tyro: *Radam puluerem eius de ea: & dabo eam in limpidissimam petram.* Isaiæ capite 14. de Babylone: *Et scopabo eam in scopa terens.* Lib. 3. Reg. cap. 14. *Mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum.* Hoc hyperbolico dicendi genere vsus est Christus, cùm de Ierusalem dixit Matth. cap. 24. *Non relinquetur lapis super lapidem.*

*Extremum excidium hyperbolica phrasi significatum.*

9. Chrysostomus magnam hîc Chusai prudentiam, & in eius oratione artificium considerat, & Absalomem notat stuporis ingentis. Sic autem ille in Psalm. 7. *Vocat etiam Chusai, qui ad ipsum transfugerat per simulationem, & eum facit eius, quod petebatur, consilij participem, quod non erat humanæ rationi consentaneum, vt eum, qui recenter venerat, tanto honore afficeret, & fide dignum existimaret, vt etiam de rebus eiusmodi eum esse vellet consiliarium: sed quando Deus est ductor, etiam quæ sunt difficilia, euadunt facilia. Quid verò Chusai? Nunquam, inquit, aberrauit Achitophel. Vides prudentiam viri? Non reprehendit statim eius sententiam, sed cum laude. Eum enim laudans, quòd opportunum antea consilium dedisset, ita præsentem vituperat sententiam. Quod autem dicit, tale est. Miror, quomodo nunc errauerit, non enim mihi esse videtur vtile consilium.*

Vers. 17. *Ionathas, & Achimaas stabant iuxta fontem Rogel.* ] Fecit Chusai, quod illi fuerat imperatum à Rege, capite 15. vers. 35. aperuítque Sadoc, & Abiathar sacerdotibus omnia, quæcumque essent in senatu disceptata; quæ ipsi per filios, qui extra ciuitatem parentum expectabant mandata, Dauidi renunciarunt. Illi autem stabant in eam curam, & expectationem intenti, iuxta fontem Rogel, qui, vt habes Iosue capite 15. est prope Ierusalem, & sortem Iuda à meridiana plaga à Beniamin funiculo distinguit, & est vtrique termino communis. Ad hunc igitur fontem ancilla quædam, quæ minùs Dauidis hostibus suspecta videri poterat, specie lauandi pannos, vt nonnulli putant, in quibus est Iosephus, & Hebræi, teste Hieronymo, egressa est, re tamen vera, vt quid gestum esset in vrbe, & in Absalomis transacto consilio, duobus adolescentibus aperiret. 10.

Vers. 18. *Vidit autem eos quidam puer.* ] Hic puer filius esse creditur illius ancillæ, quæ à duobus sacerdotibus ad duos illorum filios mandata pertulerat. ita Hebræi ex Hieronymo in traditionibus Hebraicis, qui cùm nesciret, quantum & matri, & aliis periculum astrueret; aut certè, quia aliquam gratiam inire ab Absalome voluit, ad illum retulit quid vidisset ad fontem. Tunc autem Absalom cursores misit veloces, & strenuos, qui captos retraherent à via. Illi autem cùm rem essent odorati, cùm peruenissent in Bohurim, ingressi sunt domum viri sibi vt apparet noti, & amici, vt ibi tamdiu laterent, donec nihil ab emissariis illis foret periculi. 11.

*Habebat puteum in vestibulo suo.* ] Cùm tota Palæstina paucis in locis aquas haberet iugiter manantes, frequens erat cisternarum, seu lacuum, qui etiam putei dicebantur, vsus; ex quibus pluuiales aquas ad potum, alióque domesticos vsus haurirent. Hi verò putei, seu cisternæ interdum erant siccæ, quia iam collectæ in illis aquæ defecerant; aut quia dissipatæ, atque rimosæ cisternæ collectam aquam continere non poterant. Talis erat cisterna, in quam Iosephus à fratribus demissus fuit Genes. capite 37. & lacus ille, in quem Ieremias coniectus est. Puteus ille occultandis iuuenibus commodissimus fuit, quia nemo existimaret in patenti loco latuisse illos, quorum vita ad certum discrimen vocabatur. 12.

Vers. 19. *Expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas.* ] Sic callidè mulier latebras illas occultauit, vt neque vllum in domus vestibulo putei vestigium appareret. Expandit enim supra illius os stragulum, in quo ptisanas posuit, quasi multò antea illas ad solem siccare voluisset. Vbi Vulgatus *ptisanas*, Hebræi ריפות *riphoth.* cuius significatio obscura est. Quidam hordeum decorticatum esse putant, alij frumentum, alij hæc non decorticata solùm, sed etiam contusa, & in farinam redacta, ex qua pultes fiant, siue polentæ. Translatio Hispanica reddit *trigo pilado*, Vulgatus *ptisanas*. Hæ verò sunt variorum seminum farinæ, 13.

seu

seu cremores. Horatius ptisanarum meminit ex oriza lib. 2. satyra 3.

*Quid cessas, agedum, sume hoc ptisanarium orizæ.*

Hunc igitur granorum cremorem, aut contusa grana siccare se simulabat solers illa mulier, quæ duos illos sacerdotum filios abscondit. Vnde nónulla coniectura sumitur, hæc sub æstatem contigisse: hæc enim macerari solent, vt ex illis cremor exprimatur, & siccari, quo tempore calor maximè viget.

Vers. 22. *Transierunt Iordanem, donec deluceſceret.*] 14. Accesserunt, vt apparet, adolescentes illi ad Dauidem, qui longiùs iam fuerat ab vrbe progressus, de nocte, imò fortasse alta iam nocte, qui vbi primùm de rerũ statu, præsentíque periculo cognouit, iussit vt omnes Iordanem traiicerent: in illa verò transmissione totum tẽpus, quod supererat noctis, ad diluculum vsque matutinum posuerunt. Cùm autem Iordanis terræ promissionis terminus esset, ex illa terra ad regionem Galaaditidem transgressus est, versùs illam partem, quam tenuerunt Ammonitæ, de quibus statim.

Vers. 23. *Porrò Achitophel videns quòd non esset factum consilium suum*, &c.] Impatiens Achitophel repulsæ, quam tulerat non ab Absalome solùm, sed etiam à toto populo, cùm reiectum, repudiatúmque esset consilium, quod ipse pro oraculo suscipiendum putabat; secessit statim à coniurata multitudine in domũ suam, quam vbi disposuit, prout illius temporis ratio postulabat, innexo faucibus laqueo, & incluso intra fauces spiritu, infelicem, & impuram animam exhalauit. Cur Achitophel suspendium elegerit, coniectare difficile non est, si statuas virum esse insignis arrogantiæ. Nam qui eiusmodi ingenij, seu insaniæ sunt, quiduis libentiùs subeunt, quàm ignominiam, & dedecus. Quam ob causam plurimos voluntariam oppetiisse mortem legimus, vt dolorem, qui est à turpitudine, declinarent. Sic sanè Brutus, & Cassius, ne in manus Augusti Cæsaris venirent, qui Iulij Cæsaris mortis vltor esse voluit, adacto in viscera mucrone, ignominiam redemerunt, quam ab hoste victore perferendam sibi apertè videbant. Sic Cato Vticensis ne seruiret Cæsari, cuius consiliis obstinatò restiterat, suis sibi manibus mortem conscíuit. Eandem ob causam Abimelec Iudicum cap. 9. & Saul 1. Reg. vltimo, vltrò sibi mortem accersierunt; alter, ne diceretur à fœmina peremptus; alter, ne foret ludibrio Philistinis. Hæc eadem causa adegit hominem superbissimum Achitophelem, vt nodo sibi frangeret gulam, ne Dauidi victori occurreret, cuius scelerato consilio filius fœdauerat domum, & omnium acerrimè vitam insectabatur. Ita fermè Theodoretus q. 53. *Dedit Achitophel pœnas illius impiæ & nefariæ suasionis. Et quoniam in patrem armauit filium, ipse rursus in se armauit manus, & iis laqueum collo iniiciens, miserrimum sustinuit finem. Nam cùm ad rerum finem præuidendum esset idoneus, non admissa eius suasione, Dauidis futuram credidit victoriam, & timens proditionem, sua manu de se sumpsit supplicium.* Eodem fermè modo Iosephus lib. 7. Ant. cap. 9. *Conuocatis*, inquit, *omnibus domesticis, exposuit eis, quæ Absalomo consuluerat, addens qua non persuasisset certò se breui fore periturum. Dauidem enim omnino superiorem hoc bello fore, & amissum regnum recepturum esse. Præstat igitur*, inquit, *magno animo, vt virum ingenuum decet, è vita exire, quàm Dauidi ob filio nauatam contra eum operam excarnificandum se præbere.* Hoc idem tenent Abulensis, & Lyra. Exemplum habent, quòd imitantur, non pauci nostro æuo, qui domui suæ, ac filiorum commoditati impensè inuigilant, immò & immoriuntur, & vt illis benè sit, omni ratione student, sibi verò nihil prouident, nisi laqueum, dedecus, & mortem sempiternam.

*Achitophel cur laqueũ elegerit.*

*Mortem aliqui eligũt, vt dolorem, dedecúsque declinent.*

Vbi Vulgatus, *suspendio interiit.* Hebraicè est 16. חנק *iechanac*, quod idem valet atque strangulatus, seu suffocatus est, & ita vertunt recentiores interpretes. Cùm autem strangulationis multa sint genera, nam multis modis spiritus præcluditur, & sublata respirandi facultate, illicò mors sequitur. Hinc aliqui existimarunt alio modo quàm inserto faucibus laqueo strangulatum fuisse Achitophelem. Accedit quòd verbum Hebraicum est in coniugatione passiua niphal; neque aliqua ostenditur persona, vel causa à qua strangulatus fuerit Achitophel. Et Septuaginta sine vlla persona, quæ ageret, ἀπήγξατο reddidere, quod idem valet atque *suffocatus est.* Quare strangulari potuit ab angina, ab immodica aqua, vt in flumine, à buccella, quæ hæsit in faucibus, nec transglutiri potuit; immò & à pilo in lacte hausto, & acini grano, nam eo modo aliqui strangulati dicuntur. Plinius lib. 7. cap. 7. *Anacreon poeta acino uuæ passæ; Fabius senator prætor in lactis hausto uno pilo strangulatus est.* Propter hoc quidam hauddubiè ex Hebræorum grege, quos citat, neque tamen nominat Elias in Tisbi in radice שכר *sacar.* angina putant strangulatum, non laqueo. Sic autem ibi Elias. *Sunt qui in hac significatione* (nempè ab angina strangulari) *exponunt illud 2. lib. Samuelis, cap. 17. de Achitophele. Et præcepta dans domui suæ strangulatus est. Vbi dicunt, quòd morbus iste inuaserit eum ob nimiam animi tristitiam, & dolorem, quo fuerit affectus, eo quòd non succesſisset consilium eius, & quòd perierit strangulatione. Hoc autem ideo dicunt, quòd putant absurdum esse dicere de viro sapiente, & prudente, qualis ipse Achitophel erat, quod seipsum suspenderit.*

*Suffocatio quot modis contingat.*

Sed est omninò tenenda vulgata translatio, 17. quam alij penè omnes sequuntur. Et quidem Pagninus verbum חנק *chanac* in coniugatione niphal, verbum docet esse reciprocum: sanè omnes Hebræi, quos mihi videre licuit, reciproco exponunt sensu. Sic Mardochai in radice חנק, sic Hispanica translatio, iampridem ab Hebræis ex Hebraicis codicibus expressa, ita vertunt, *e afogose.* quod multo antè dixit Iosephus. Neque Hebræorum ratio quicquam habet momenti. Neque enim viri, quorum antè meminimus, imprudentes erant, & tamen vt ignominiosam mortem euitarent, suis sibi manibus mortem attulerunt. Præsertim cùm hic non solùm ignominiam, & odium commune, sed etiam acerbissimam, & proditore dignam mortem timere potuerit. Ignominiam, & mortem timebant duo viri, & sua, & aliorum opinione prudentes, Herennius Siculus, & Licinius Macer, de quibus Valerius Maximus libro 9. capite 12. & tamen ille *cùm in carcerem deduceretur, in eius postem illiso capite in ipso ignominiæ aditu concidit:* hic verò *sudario, quod habebat in manibus, ore, & faucibus coarctatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit.*

Vers. 24. *Dauid autem venit in castra.*] Hebraicè 18.

*Mahanaim*, quomodo reliquerunt Septuaginta. Mahanaim autem castra significat: sed hîc est ciuitatis nomen impositum à Iacob Genes. cap. 32. v. 2. quando venerunt illi obuiam Angeli Dei. *Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra.* Elegit autem, opinor, Dauid locum illum, quia ibi Iacob, cùm fratrem timeret, Angelos habuit adiutores, & ipse idem contra filium non dissimile sperabat auxilium. Tum etiam, quia ciuitas illa iuxta nomen suum satis videbatur ad repugnandum munita.

19. *Et Absalom transiuit Iordanem.* ] Aliquot arbitror intercessisse dies inter appulsum Dauidis in castra, & aduentum Absalomis Iordane transmisso. Nam & ille iuxta consilium Chusai expectare tamdiu debuit, quando totum Israëlem congregaret, quod multorum dierum negotium fuit. Deinde quia ab his, qui Dauidi subsidio fuerunt, attulerúntque pro exercitu cibaria, longè aberant à castris, siue Mahanaim, quales fuerunt Ammonitæ; & tamen Dauidi ante Absalomis aduentum illa oblata sunt. Et est verisimile magnam hominum vim interea se coniunxisse cum Dauide, ex quibus tres acies conflari potuerunt; quas Dauid tantæ hostium multitudini prudens oppposuit.

20. Vers. 25. *Amasam verò constituit Absalõ pro Ioab.* ] Amasa cognatus erat Dauidis, & sororis filius; cognatus item Ioab, quia mater illius Abigail, huius matris Saruiæ soror erat; vtraque verò mater soror erat Dauidis, & filia Naas. Erat autẽ hic Naas binominis, dicebatur enim etiam Iesse, vel Isai, vt patet ex lib. 1. Reg. sæpe, & ex Isaia cap. 11. v. 1. qui etiam vocatur Naas. Quòd autem idem sit Naas, & Isai, constat, quia lib. 1. Paralip. cap. 2. v. 13. iidem filij, filiæ, atque nepotes tribuuntur Isai, qui hoc loco Naas. *Isai autem genuit primogenitum Eliab, &c. septimum Dauid. Quorum sorores fuerunt Saruia, & Abigail. Filij Saruiæ Abisai, Ioab, & Asael tres; Abigail autem genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ismaëlites.* Sed aliquid diuersum esse video. Nam qui dicitur *Iether* lib. 1. Paralip. & *Ismaëlites*, idem hoc loco dicitur *Iethra*, & *Iesraëli*. De *Iether* non laboro, quia eædem sunt literæ radicales, & pro regionum varietate, variæ etiã sunt dialecti; & qui alibi Iether, alibi appellari consueuit Iethra. De *Iesraeli*, & *Ismaëlites* magis est difficultatis; fortasse alicubi corruptum est nomen propter maximã similitudinem. Iesraëli, quod idẽ est atque Israëlita, Hebr. dicitur ישראלי. Ismaëlites ישמעאלי. Sed si mihi diuinare licet, potius existimarem Ismaëlitem esse, quàm Israëlitem: cur enim Israëlitem diceret, cùm nihil in eo nomine appareret noui? An nouum est Israëlitidem fœminam Israëlitæ viro nubere? Sed erat inusitatũ, & nouum coniugem habere Ismaëlitam. Sed credo habuisse duo nomina, & reuera fuisse Ismaëlitam genere, & Israëlitem religione. Erat enim, vt opinor, proselytus, qui cùm vxorem duxit Israëlitidem, mutauit patriam, & nomen: & qui in patria dicebatur Iethra, Ismaëlitide dialecto, factus iam Israëlita vocatus est Iether. Nisi mauis Ismaëlitam fuisse appellatum non nomine, sed cognomento, quia aliquando inter Ismaëlitas commoratus est; quomodo suprà diximus cap. 15. ad v. 18. sexcentos viros, qui fuerunt cum Dauid, & Obed Edom, appellatos esse Gethæos, quia aliquandiu fuerunt in Geth.

*Isai dictus etiam Naas.*

21. *Qui ingressus est ad Abigail filiam Naas.* ] Modus iste loquendi aliquid indicat non omninò legitimum. Quare aliqui existimant Amasam ex furtiuo concubitu fuisse susceptum. Qua de re nihil habemus certum, neque plurimi refert illud explorare.

22. Vers. 27. *Cúmque venisset Dauid in Castra, Sobi filius Naas de Naas de Rabbath filiorũ Ammõ.* ] Statim atque Dauid ingressus est castra, id est, ciuitatem Mahanaim, ex finitimis populis regiam conditionem miserati quamplurimi, tam Regi, quàm multitudini, quæ illum è Hierosolyma comitata fuerat, quæ vsui esse poterant, contulerunt, tum quæ ad victum, tum quæ ad alios corporis necessarios vsus pertinebant. In his fuerunt Sobi filius Naas Regis Ammonitarum, & frater Hanon, eius, qui Dauidis legatis turpissimam irrogauit ignominiã, quem Dauid loco fratris constituisse existimatur in regno; cuius ille beneficij memor, illa attulit vel subsidia vitæ, vel dignitatis ornamẽta, de quibus statim, nempe vasa, stratoria, frumentum, & si qua alia exigit naturæ necessitas. Fuit item Machir, & Bercellai, qui in sua gente, ac patria fuisse videntur locupletes, & nobiles. Quæ verò fuerint illa, quæ allata fuerunt, satis explicatè suppeditat textus; neque in his explicandis, aut commemorandis immemor; licèt non omnes eodem accipiant modo.

---

# IN CAP. XVIII. LIB. II. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*RECENSET Dauid populum, qui ad ipsum studiosè in castra conuenerat, illúmque iuxta bellicam disciplinam aptè dispositum in tres acies distribuit, quibus totidem duces, & magistros præfuit. Desiderabat cum aliis in aciem prodire; negat populus, sed magis censet futurum ex vsu, si in ciuitate maneat. Paret ille, & progressus ad portam ducibus commendat enixè, & dare, nequa vis afferatur durior Absalomi filio. Commissum est prælium, & variè dispersum in saltu Ephraim, in quo ex Absalomis exercitu viginti millia hominum ceciderunt. Cùm armis se quidquam facturum desperaret Absalom, fugæ se dedit. In qua, cùm caput arboris densæ ramis foret impeditum, equúsque, suspenso Absalome, vltra cursum extenderet, sessore vacuus, à Ioab tribus confossus spiculis interiit. Cũque ille iã esset extinctus, cuius causa susceptа*

*fuerat*

*fuerat concertatio, Ioab clangente buccina milites suos à cæde continuit. Absalom ex arbore suspendióque depositus in prealtam fossam coniectus est, & ibi à multitudine ingenti lapidum aceruo contectus, longè à tumulo, quem sibi egregio opere, atque artificio construxerat, vt qui careret filiis, saltem illud haberet sui nominis illustre monumentum. Certatim duo viri, quasi iucundum aliquid foret, Absalomis exitum infaustum ad patrem deferunt, qui extinctum filium miserabiliter luget, & importunis lacrymis tam aliis optatam turbat, incestátque victoriam.*

## CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

A

1. IGitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos & centuriones.

2. Et dedit populi tertiam partem sub manu Ioab,& tertiam partem sub manu Abisai filij Saruiæ fratris Ioab,& tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth: dixítque rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum.

3. Et respondit populus: Non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius est igitur vt sis nobis in vrbe præsidio.

4. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam: egrediebatúrque populus per turmas suas,centeni,& milleni.

5. Et præcepit rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom.

6. Itaque egressus est populus in campum contra Israel,& factum est prælium in saltu Ephraim.

7. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu Dauid,factáque est plaga magna in die illa, viginti millium.

8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quàm hi quos vorauerat gladius in die illa.

9. Accidit autem vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cúmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum & terram,mulus,cui insederat,pertransiuit.

10. Vidit autem hoc quispiam & nunciauit Ioab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu.

11. Et ait Ioab viro, qui nunciauerat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, & ego dedissem tibi decem argenti siclos & vnum balteum?

12. Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos,nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom.

13. Sed & si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex aduerso.

14. Et ait Ioab: Non sicut tu vis,sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua,& infixit eas in corde Absalom: cúmque adhuc palpitaret hærens in

B

quercu,

15. Cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.

16. Cecinit autem Ioab buccina,& retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel:volens parcere multitudini.

17. Et tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis:omnis autem Israel fugit in

C

tabernacula sua.

18. Porrò Absalom erexerat sibi,cùm adhuc viueret, titulum, qui est in Valle regis: dixerat enim:Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauítque titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalom,vsque ad hanc diem.

19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, & nunciabo regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius.

20. Ad quem Ioab dixit: Non eris nuncius in hac die, sed nunciabis in alia: hodie nolo te nunciare, filius enim regis est

D

mortuus.

21. Et ait Ioab Chusi: Vade, & nuncia regi quæ vidisti: Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit.

22. Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab: Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixítque ei Ioab: Quid vis currere fili mi? non eris boni nuncij baiulus.

23. Qui respondit: Quid enim si cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij, transiuit Chusi.

24. Dauid autem sedebat inter duas

portas: speculator verò, qui erat in fastigio portæ super murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem solum.

25. Et exclamans indicauit regi: dixítque rex: Si solus est, bonus est nuncius in ore eius. Properante autem illo, & accedente propiùs,

26. Vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens solus. Dixítque rex: Et iste bonus est nuncius.

27. Speculator autem, Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait rex: Vir bonus est: & nuncium portans bonum, venit.

28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salue rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui leuauerunt manus suas contra dominum meum regem.

29. Et ait rex: Estne pax puero Absalom? Dixítque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cùm mitteret Ioab seruus tuus, ô rex me seruum tuum: nescio aliud.

30. Ad quem rex, Transi, ait, & sta hîc. Cúmque ille transisset, & staret,

31. Apparuit Chusi: & veniens ait: Bonum apporto nuncium, domine mi rex: iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te.

32. Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi, Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, & vniuersi qui consurgunt aduersus eum in malum.

33. Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et sic loquebatur, vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

---

# IN CAPVT XVIII. LIB. II. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *Igitur considerato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos, &c.*]

1. QVOD dederat Absalomi consilium Achitophel, hoc sibi contra Absalomem suscepit Dauid, vt cùm primùm accederet Absalom, antequam se, & castra communiret, & ordinem bellatorum suo loco, stationeque digereret, illum aggrederetur. Cùm ergo primùm venit Absalom in regionem Galaaditidem, vbi pater confederat, considerauit Dauid, & expendit, quid haberet virium; & cùm se videret non omninò imparatum ad pugnam, tres ex suis copiis acies instruxit, in quibus cum tribunos, & centuriones designasset iuxta bellicam disciplinam, cuius ipse peritissimus erat, singulis suos duces præposuit: illi fuerunt Ioab militiæ princeps, & eius frater Abisai, & Ethai Gethæus. Iosephus lib. 7. cap. 9. habuisse dicit Regem quatuor bellatorum millia: vnde id collegerit, nô inuenio. Ego plura habuisse suspicor, neque pauciores arbitror excessisse cum illo Hierosolyma. Nam, vt habes cap. 15. v. 17. egressus dicitur cum Dauid vniuersus Israel, & vniuersi serui eius, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi sexcenti viri. Quis autem dubitet venisse postea plures alios, vt causam parentis optimi, déque re Israelitica perquam bellè meriti, contra impium, & flagitiosum filium tuerentur. Neque defuerũt è terra Galaaditide plurimi, qui se ad certaminis periculum socios offerrent, quando quæ ad victum, aliósque exercitus vsus pertinebant, liberali manu contulerunt. Neque præterea consequens est, vt à tam parua manu viginti militum millia ferro sublata sint, quòd in primo congressu ante initam fugam ceciderunt. Illud porrò v. 4. *Egrediebatur populus per turmas suas centeni, & milleni.* amplius aliquid indicat, quàm quod quater millenario numero continetur.

2. Vers. 2. *Dixítque Rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum.*] Norat Dauid quantam alacritatem, & ardorem in pugnando afferat Principis præsentia, neque præterea exors esse voluit communis periculi; atque ideo significat nolle se manere in castris, & spectator esse potiùs alieni periculi, quàm appetens sui. Neque tamen permiserunt socij in belli sese coniicere discrimina, quia in illius vita magna contineri momenta arbitrabantur; & cùm vnus ab omnibus ad mortem expeteretur Dauid, difficile videbatur incolumem se ab omnium telis, & insidiis præstare. Quibus acquieuit Rex, & emissis aliis ipse in vrbe remansit, vt suis, si quid aduersi contingeret, esset præsidio, quemadmodum ab illo postularant sui.

3. Vers. 5. *Et præcepit Rex Ioab, & Abisai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalom.*] Hîc Chrysostomus suo more fulminat, dum patris in filium parricidam clementiam, & filij in patrem immanem crudelitatem considerat. Sic autem ille tom. 1. homil. de Absalome patrem persequente: *Disponitur properè bellum, acies dirigitur, pugna paratur, cognatæ classes in semet ardescunt. Inde parricida exercitum contra patrem inflammat: hinc Dauid, vt parcant filio abeuntes duces exorat. Parcite,* inquit, *filio meo Absalom. Inde dementia contra genitorem exurgit: hinc clementia vt parricidæ parcatur, exposcit. Inde furor, hinc pietas operatur, inde insania, hinc misericordia interponitur, inde crudelitas, hinc bonitas ostentatur. Parricida non læsus insanit; Dauid læditur, & mitescit. Debellatur ab impietate pietas, nec mouetur; pietas patris nec gladio vincitur, nec terrore mutatur.* *3. Absalomis, Dauidisque discrimen ex Chrysostomo.*

4. Hoc etiam loco aliquid meditatur Ambrosius, quo maiorem in modum paterni animi bonitas in diram filij feritatem ostenditur, & quomodo Dauid secundùm Domini verbum rectè viuendi semitam tenuerit. Sic autem Ambrosius serm. 17. in Psal. 118. ad illud, *Gressus meos dirige secundùm* *4. Dauidis quantus amor in Absalomẽ.*

præcepta

*verbum tuum. Sciebat Abraham gressus suos secundùm præcepta Domini dirigentem,& appetito speciosæ vxoris pudore tentatum,sed non confusum,& in vnici immolatione filij postlata patriæ mentis pietate luctatum, sed coronatum: se quoque in furore Saul, incestu Ammon, Absalom parricidio, iniquitatis improbæ feralibus tentationibus appetitum hoc solo euasisse, quòd dirigens gressus suos secundùm pietatem Domini à paterno non recessisset affectu, intra se gemens crimen incesti,à se relegans odia parricidæ. Filius meus,* inquit, *Absalom, quis dabit mihi mortem pro te?memor naturæ pietas,offensæ immemor,de quo antè quæsiuit, puérne viuit? Et fortasse qua ratione antè puerum dixit,postea filium nominauit. Cur non in vtroque aut puerum dixit, aut filium?Si viueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem: non enim pietatis nomen accipere debebat,sed infirmitatis.Ideóque vir iustus,quod religionis fuit,tacuit, quod infirmitatis, aspexit. Vbi verò est mortuus, apud pium patrem personæ crimen defecit, naturæ nomen remansit.* Vbi optimè Ambrosius parentum in filios ingenium expressit, qui filiorum aut naturale vitium, aut personale coram alienis sic extenuant, aut remouent, vt nulla, aut certè leuis appareat turpitudo. Atque ideo commune esse dicunt naturæ vitium, non proprium personæ: aut certè filiorum deformitati nomen attribuunt, quod in illo genere honestum existimatur, & pulchrum. Dixit hoc optimè Horatius lib.1.Satyra 3.

*Parentibus filiorum vitia leuiora videntur.*

*At pater vt nati,sic nos debemus amici,*
*Si quod sit vitium non fastidire.Strabonem*
*Appellat pætum pater,& pullum,malè paruus*
*Si cui filius est.*

5. Quod multo antè dixerat Plato lib. 5. de Repub. & Cicero lib.1. de natura Deorum.Retinuit igitur Dauid paternum animum,qui filium errore lapsum dicit, cùm puerum vocat,& scelus eleuat. Cùm enim pueris consilium absit, & prudentia, inconsideratè potiùs, & imprudenter lapsus existimatur,quàm impiè,atque impudenter rem tentasse impietatis,& impudentię planè singularis.Si appellasset filium, cùm ducibus illius incolumitatem cõmendat,exaggerasset crimen; nam inauditum scelus est à filio parentem ad mortem quęri. Cùm puerum dicit, filij remouet impietatem, & nomen, & tantùm obiicit ignorantiam, & errorem, quibus à prudentibus indulgentia, & venia negari non solent.

6. Vers. 6. *Et factum est prælium in saltu Ephraim.*] Certum est commissum esse prælium vltra Iordanem,& extra funiculum Ephraim, in terra videlicet Galaaditide, vbi erat illa ciuitas, cui ab Angelorum cuneo datum est nomen castrorum, seu Mahanaim.Et ex illo manifestè liquet,quod trãsacto bello cap.19.v.15. rursus dicitur, vt ad Hierosolymam rediret,traiecisse Iordanem. Quærendum est igitur cur saltus iste, cùm ab Ephraimitide terra, immò à terra promissionis separatus sit, dicatur tamen saltus Ephraim. Multi multa fingunt,& dicunt; sed in illis aliquid inueniunt viri curiosi,quod non probent. Placet quod visum est Abulẽsi q.10.ideo appellatũ esse saltum Ephraim, quia ibi aliquid fecerunt olim Ephraimitæ, siue ad laudem, siue ad reprehensionem insigne, propter quod nomen illud ex suo nomine indidere saltui. Sic Siceleg cùm esset extra sortem Iudæ,in sortem tamen Iudæ contributa est, quia in illa Dauid ex tribu Iuda habitauit aliquandiu,& in ea facinus edidit illustre. Sic Ephrata vocata est Rachel, quia ibi Rachel sepulturam inuenit.Sic Genesis vltimo locus quidam, qui nullo modo ditionis erat Ægyptiæ, planctus tamen Ægyptiorum nominatus est, quia ibi ad Iacobi tumulum cum Iosepho filio planxerunt Ægyptij. Quid in eo saltu fecerint Ephraimitæ, ex Scriptura, quod ego viderim, non constat. Quare affirmare aliquid, immò suspicari, nisi diuinando, non possum.

*Multa loca ex aliquo facto nomen inuenerũt.*

Notum est ex cap.12.Iudic. Ephraimitas vltra Iordanem magnam accepisse cladem, eodem opinor loco, in quo hoc cum Absalome prælium commissum est, in quo Ephraimitarum quadraginta duo millia ceciderunt.Quæ clades satis habuit causæ,cur saltus ille,qui tot ex illa tribu sanguine commaduit, appellari potuerit saltus Ephraim; non quòd ibi aliquid insigne fecerint, sed aliquid inauspicatum, & acerbum subierint. Sed præstat audire hoc ipsum ex ipsis historiæ sacræ monumentis. Sic autem ex cap.12. Iudic.v.1. *Ecce autem in Ephraim orta est seditio; nam transeuntes contra Aquilonem* (transmisso nimirum Iordane) *dixerunt ad Iephthe* (qui erat in Galaad) *Quare vadens ad pugnandum contra filios Ammon, vocare nos noluisti,vt pergeremus tecum? Igitur incendemus domũ tuam.* (hæc autẽ domus erat in Galaad)Et v.4. *Iephthe vocatis ad se cunctis viris Galaad,pugnabat cõtra Ephraim: percusserúntque viri Galaad Ephraim.* Et v. 5. *Occupauerúntque Galaaditæ vada Iordanis, per quæ Ephraim reuersurus erat*; (vide quomodo relicta sua, in aliam regionem traiecto Iordane transierint) Et v.6. *Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.* Hæc carptim ex toto capite. Quæ satis ostendunt, si non omninò veram, at certè verisimilem causam,cur saltus ille vocari potuerit saltus Ephraim.

Vers. 8. *Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ.*] Hac dicendi forma nil opinor significari aliud, quàm statim turbatos esse ordines exercitus Absalomis, & hac atque illac pallabundos esse dissipatos, ita vt non vno in loco,sed in variis,non vnum bellum,sed multa fuerint collata.Neque sanè id mirum, etiamsi humana hæc tantùm cogitatione consideres. Erant enim cum Absalome plurimi,sed sine duce,quibus ipsa multitudo erat impedimento. Neque Dauid satis illis spatij dedit, vt ex disciplina militari,si qua in illo exercitu militaris esset disciplina, aciem disponerent.Quare cùm Dauidis esset acies ordinata, facilè à paucis turbari multi potuere, & congressu primo super faciem vniuersæ terræ pauidi,& sine vllo aut suo, aut imperatoris consilio latè dispergi. 8.

*Et multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo,quàm hi,quos vorauerat gladius.*] Illi dicuntur à saltu consumpti, qui extra certaminis locum pallantes,& fusi in fuga ceciderunt, siue fessi immodico labore,siue fame,& siti,siue, quod potiùs reor, insequentium confecti ferro. Est autem in omni idiomate vsitatum, & frequens, vt ab aliquo loco id factum dicatur, quod in loco ab aliis perfectum est.Sic dicimus, plorare, aut esurire ciuitatem,quando illi,qui in ciuitate sunt,esuriunt,& plorant. Sic Numer. cap.13.v.33.terra promissionis dicitur habitatores suos deuorare, quia ibi se habitatores intestinis bellis assiduè conficiunt; aut quia locus insalubris, in illa diu vitam producere non sinunt. Quæ omnia viri timidi fingebãt vt alios ab illius regionis studio deterrerent. Quare iuxta exploratorum mentem non deuorabat terra suos indigenas, sed vel mutuus gladius, vel insalubris aër, vel illius loci pestilens natura. Quidam dicunt in eo saltu plurimos esse consumptos, quia ibi plurima erant ferarum latibula,ex 9.

quibus

quibus egreſſę homines de via laſſos,& exanimes, quíque illarum ſæuitiam declinare non poterant, deuorabant. Ita Hebræi, vt tradit Hieronymus in tradit. Hebr. & hiſtoria Scholaſtica. Sed illud,vt dixi,certum eſt extra palæſtram in fuga plurimos hoſtili ferro corruiſſe.

10. Verſ. 9. *Accidit autem, vt occurreret Abſalom ſeruis Dauid ſedens mulo.*]Videtur Abſalom ſpectaſſe potiùs pugnantes ex ſecreto aliquo, & ſecuro loco, quàm in acie cum ſuis aduersùs hoſtilem manum dimicaſſe:ſi enim in acie verſaretur, non diceret Scriptura caſu occurriſſe ſeruis Dauid;neque enim caſu occurrit hoſtibus, qui illorum telis aduerſum obiicit pectus. Aut certè caſu occurrit, quia illa turbatis iam ordinibus, & fuſis ſociis, fugam intendit, vbi non putabat futuros hoſtes, qui ipſum occiderent, aut à fuga retractum vinctum deducerent ad parentem. At contrà accidit;incurrit enim in ſeruos Dauid inſidens mulo, quos cùm vellet veloci fuga declinare, in condenſam ingreſſus ſyluam impietatis ſuæ pœnas dedit,vt mox dicemus.Quærit Abulenſis cap. 13. q.18. quomodo filij Iſrael habere potuerint mixtum genus, prolémque biformem, cùm id Deus Leuit.cap.19.v.19.ſeuerè prohibuerit.*Iumẽta non facies coire cum alterius generis animantibus.* At ex ſimili coitu muli naſcuntur. Reſpondet Abulenſis ibi prohiberi quidem Hebræis diuerſorum generum admiſſuram,non tamen illis vti animalibus, quæ ex eiuſmodi coniunctione naſcuntur. Sic cap.13. filij Regis ex Abſalomis conuiuio conſcenſis mulabus fugiſſe dicuntur. & lib. 3.Reg.cap.1.Salomon vectus eſſe traditur parentis mula, quo tempore Rex à patre renunciatus, & eo nomine à populo ſalutatus eſt. Sed eſt fortaſſe verius, illud mulorũ genus,quod fuit Iſraelitis familiare, non eſſe mixtum, atque biforme, ideſt,ex equo, atque aſinæ cõmixtione conceptũ. Sed eſſe genus quoddam vnum,& ſimplex, quod quia alteri biformi quàm ſimillimum eſt, in illo commune nomẽ habet.Quod mihi veriſimile facit Ariſtotelis in eo genere non vulgaris auctoritas,qui lib.1.hiſtor. anim.c.6. ait in Syria(ad quã pertinet Palæſtina,& tota Terra promiſſionis)eſſe mulas, quæ cùm idem nomen habeant cum illis, quæ ex equo, ac aſina confuſo ſemine generãtur, non tamen eiuſdem sũt generis. Nam muli in eo genere,& mulæ coeunt, & generant ſimilem ſibi prolem. & idem repetit lib.7.c.24.

*Muli quomodo in vſu Hebræis, cũ mixtũ genus illis eſſet prohibitum.*

*Quæ mula in Syria ſi-nilem generant prolem.*

11. *Adhæſit caput eius quercui.*]Non auſi fuere Dauidis ſerui Abſalomem perſequi, quia Regis audierant verba,quibus edixerat ducibus, vt manus à filio cruentas abſtinerent. Sed cõprehendit quercus, diuini furoris adminiſtra, illum,cui homines pepercerãt. Qua de re audi Chryſoſtomum tom. 1. homil. de Abſalome perſequente patrem. *Reſpice*,inquit,*iam ſceleſtiſſime hoſtis, ac nefande iam reſpice parricida;reſpice,inquam, vſquequaque in te cuncta conuerti.Reſpice cõtra te ab ipſa natura repugnari, & quamuis contra te dimicet cælum, moueatur terra, exercitus pugnet,tamen aliud te ignotum,& inopinatum ſuſtinet bellum,aliud vbi iam paratum prælium eſt,quod fugientem excipiat,properantem interimat,feſtinantem occidat. Adeſt, inquam, arbor in campo ramorum telis ornata,quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris iniuriam in parricidã defendat. Adeſt, inquam, arbor, quæ nec patrem,vt tibi parcatur, audiuit,& iuſſa Dei inſtanter implere contendit.*

*Peccatum Abſalomis quomode punitum.*

12. Mirum hoc eſt,& ſingulare, aliquem ex capillitio potuiſſe ſuſpendi, ſícque implexam arboris ramis eſſe cæſariem,vt non extricari potuerit pẽduli corporis non exiguo pondere. Legimus in profana hiſtoria Theutonicas fœminas ex ſuis crinibus texuiſſe reſtes, quibus eliſis faucibus vitam amiſere.Quòd ſanè mirandum non eſt,cùm in reſtes contorti, ac complicati crines maiora etiam pondera ſuſpendere,ac ſuſtinere poſſint. Legimus in annalibus ſacris fœminas à tyrannis ſuis capillis è ſublimi loco fuiſſe ſuſpenſas. At ſingulares crines, nec illos,vt apparet, multos ſuſtinere pondus armati viri,neque illos ab incitato quadrupedis impetu fuiſſe diſciſſos, illud eſt mirabile. Et multo magis capillos ſic momento temporis fuiſſe implicatos, vt inter cælum, & terram pendentem reliquerint. Deinde ſic eſſe conglobatos, aut quaſi in funem, cirróſque collectos, cùm à vento potiùs diſſipati eſſent, atque diffuſi, vt ramis implexi pondus ſuſtinerent. Neque capillorum plexus in faſces coacti implicari ſolent; ſed illi fortaſſe,qui diffuſi ſunt,& ſingulares. Adde,quòd capilli paulo longiores cùm in equeſtri,aut pedeſtri curſu diffunduntur, non erìguntur ſurſum, vt ſeſe ramis intricent, vti experientia docet, ſed reiiciuntur ad tergum. Quare hìc aliquid ſine dubio fuit ab vltrici Domini prouidentia,quod non facilè ſperari poterat à rerum natura, aut hominum conſuetudine.

*Mirum ex capillis Abſalomem potuiſſe ſuſpẽdi.*

13. Hìc tu pauliſper immorare,& attentè conſidera,quemadmodum illa, quæ hominum vulgus exiſtimat maxima aut ornamenta fortunæ, aut naturæ beneficia,eſſe hominibus inſidioſum malum, & ab illis extremam prouenire perniciem. Exẽpla ſunt plurima:ex hoc libro habemus tria ſatis illuſtria,& valdè ad hanc cogitationem accommodata. Cap.2. v.18. pedum velocitas, qua plurimùm excellebat, & gloriabatur Aſael, illi fraudi fuit: neque enim tam pertinaci ſtudio inſequeretur Abner, qui fugiebat eques, niſi pedeſtri curſu illum ſe aſſecuturum eſſe confideret. *Porrò Aſael curſor velociſſimus fuit,quaſi vnus de capris, quæ morantur in ſyluis.* Magni vir conſilij cenſebatur Achitophel, ſed ſingularis illum prudentia, & ingenij ſagacitas ad ſuſpendium adegit. Erat Abſalomi aurea verè cæſaries, quæ magno ab aliis comparabatur pretio, quam ille ſic amabat, vt nunquam deponeret, niſi cùm illius pondere grauaretur caput; ſed ab illa tandem ſuſpenſus inimicorum ludibriis,ac vulneribus patuit.

*Quæ hominibus videntur inſtrumenta gloriæ, ſunt mortis inſtrumenta.*

14. Illud item hìc pro re morali obſeruatione dignum,quæ in otio,& pace homini in amore fuerunt,& deliciis, illa in ſummo etiam diſcrimine non omitti. Quod plus quàm vellemus, quotidiana docemur experientia. Cupiebat Abſalom haberi, atque videri pulcher, atque ideo comam alebat ſolaribus radiis non diſſimilem.Hanc oſtẽtabat in iuuenum,puellarúmque conuentibus, vt dum ad ſe aliorum oculos, & animos non ſemper pudentiſſimos raperet,de aliis aut nihili, aut modicè curabat. Hoc idem ſtudium illius fuit, cùm illud omiſſum maximè oportuit. Magis ſanè ad durum illud certamen opportuna eſſet galea,quæ petitiones exciperet hoſtiles, quàm prolixa cæſaries,quam diffunderet ventus, & quæ commilitonum oculos oblectaret;ſed galea in illo rerum articulo comam premere noluit,quam ſolutam, & liberam, & à ſole radiantem in deliciis attulerat. Sic certè in extremo vitæ certamine agentes iam animam,rebus ſtudent inanibus, qui inanium rerum ſtudiis, cùm integris eſſent viribus, & corpore ſano, capiebantur. Eſt planè verum, quod in materia non diſſimili, falsò tamen, commentus eſt Virgilius lib. 6. Æneid. dum ſepul-

*Quæ nobis ad voluptatem ſtudio ſunt,in ſũmo etiã periculo non omittuntur.*

tis

tis hominibus illa adhuc placere dicit, quæ in vita placuerunt.

*Arma procul, currúsque virum mirantur inanes,*
*Stant terræ defixæ hastæ, passimque soluti*
*Per campos pascuntur equi. Quæ gratia currûm,*
*Armorúmque fuit vivis, quæ cura nitentes*
*Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.*

15. Vers. 10. *Vidit autem hoc quispiam, & nunciauit Ioab.*] Hinc constat aliquãdiu Absalomem è quercu pependisse, quando de illo miles retulit ad Ioab, qui non videbatur esse propè; deinde nonnihil in colloquio non breui positum est moræ; toto illo tempore ad necem vsque inter quercum & terram medius pependit. Increpuit autem militem Ioab, quòd non illum statim gladio confecisset. Ex qua vel inertia, vel misericordia id consecutus est, vt balteum vnum, & decem siclos amiserit argenteos, quibus ipse illius fortunam illico muneràsset. At miles, qui Regis voluntatem nouerat, & illam satis commendatam ducibus audierat, vile existimauit omne præmium præ Regis mandato, & præ illo dolore, quem ex filij interitu erat accepturus. Neque enim Regem lateret, à quo esset occisus; & si alij testes, aut accusatores abessent, Ioab ipse, quem nunc habebat hortatorem, postea haberet accusatorem, cùm omnem culpam à se in interfectorem fili deriuaret. Quàm porrò balteus haberetur in pretio, & quomodo in eo excolendo magni fierent sumptus, docuimus lib. 1. cap. 18. v. 4. vbi Ionathas dicitur balteum suum Dauidi fuisse largitus.

16. Vers. 14. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom.*] Hoc loco *cor* non est quod propriè sonat, sed, quod alibi millies, idem est quod *medium*. Exemplorum abundè est, sed satis erit nobis locus iste, quem nunc versamus. Vbi enim Vulgatus habet stantem, *hærens in quercu*, Hebr. est בלב האלה *be leb haelah.* id est, *in corde quercus*, quod nihil est aliud, quàm in medio quercus, aut in quercu. Quare hîc nil significatur aliud, quàm in medio Absalomis, id est, in thorace, aut pectore tres hastas hæsisse. Neque enim tres hastæ in vno hominis cordè infigi poterant; & sanè si cor esset vel ab vna tantùm lancea percussum, non potuisset postea retinere vitam, quæ nunquam durat sauciato corde: at post tres lanceas vixit, & cùm adhuc palpitaret, à decem armigeris Ioab interfectus est.

*Tres lanceæ quomodo infixæ in corde Absalõ.*

17. Hîc ego duo apud auctores inuenio, quæ non facilè cum ipso textu Scripturæ concilio. Alterum est, quod historia refert, & probat Scholastica, Absalomem non tribus lanceis, sed tribus sagittis esse confixum; quod minus conuenit cum militiæ principe, cui alia arma magis sunt accommodata, quàm arcus. Neque vox Hebraica סבט *sebet* vnquam sagittam valet, sed id, quod vibratur aut tenetur manu. Magis miror, quod ait Chrysostomus homilia citata de Absalome persequente patrem, vbi docet non esse confixum à Ioab, sed in arbore fuisse suffocatum. *Paratam*, inquit, *propere festinat ad arborem, cui est traditus, & ictu violento immissus, animali subducto, & subter in campos elapso, inseritur ramis, obligatur lignis, transfixus gutture colligatus. Pendens iam mortuus ab hominibus inuenitur, quem iam nec cœlum potuit conspicere viuum, nec terra vlteriùs sustinere.* Vbi etiam negare videtur crinibus ex arbore fuisse suspensum, sed trãsfixo gutture ab aliquo arboris acuto ramo interiisse. Ego quid hîc dicam honestè non inuenio; nã lapsum existimari Chrysostomum durum est: Chrysostomi sensus ex Scripturæ textu informari, nulla, vt arbitror, ratione potest. Quid ergo? Duo hîc video contra quàm alij communiter sentiunt; nempè Absalomem non fuisse suspensum ex capillorum plexu; & eundem à Ioab, & ab aliis inuentum iam esse mortuum. Illud priùs etiam dictum est à Theodoreto q. 25. *De illo*, inquit, *scelerato Deus sumpsit pœnas. Effecit etenim vt in querceto equitans veniret sub arborem, quæ ramos habebat inclinatos, vt qui obliquè germinarant, non multum inter se distantes. Illic cùm venisset mulus, inter ramos quidem infixum est caput eius, pependit autem totus.* Et sanè ex textu tam Hebraico, quàm Latino vulgato nihil conuinci potest in oppositum. Tantùm enim ex vtroque habemus adhæsisse caput quercui, & illum fuisse suspensum inter cælum, & terrram. Vtrumque verò contingere potuit, siue implexis crinibus arborum ramis, siue inserto collo inter ramos, vt vult Theodoretus; aut transfixo gutture, vt dicit Chrysostomus; ad quamlibet enim harum cogitationum patet textus.

18. *An Absalõ suspensus ex crinibus: aut inserto capite inter ramos arboris.*

Chrysostomus quid senserit de morte Absalomis.

Illud difficilius, quod Chrysostomus dicit, inuentum esse mortuum Absalomem. Quod omninò pugnat cum textu tam vulgato, quàm Hebraico. Quid ego hîc afferam pro Chrysostomo, nihil habeo. Fortasse locus corruptus est, & aliter scriptus à Chrysostomo, aliter per tot manus ad nostra sæcula deductus, vt sæpe obseruarunt, qui antiquam consuluerunt librorum fidem, & recentissimos quosque codices cum antiquissimis quibusque componunt. Aut certè accidit Chrysostomo, quod multis aliis viris æquè sanctis, ac doctis, qui, vt erant in Scriptura versatissimi, memoriter potius retulerunt aliqua, quàm exemplari consulto; qui tamen vbi in illa loca iamiam interpretes inciderunt, expenderúntque attẽtiùs, aliter existimarunt. Vnus nobis Hieronymus, & qualis vir aliquot suppeditat exempla. Nam super Matth. cap. 11. ad illud, *Venite ad me omnes.* & in illud Ezech. 22. *Et factum est verbum Domini.* dicit iniquitatem, de qua Zacharias cap. 5. sedisse supra talentum plumbi. At in illius loci commẽtariis affirmat, vt necesse est, sedisse mulierem in amphora, & deinde aduenisse plumbeum talentum. Et idem in epistola ad Paulinum, septem lucernas vidit in candelabro Zachariæ; vbi propiùs candelabrũ considerauit, & attentiùs, octo deprehendit. Sic puto accidisse Chrysostomo: nam quid ipse de Absalomis exitio senserit, satis explicuit in commentariis Psal. 7. qui nunc primùm prodierunt, cùm adhuc vsque tempus latuissent. Vbi apertè docet ex crinibus fuisse suspensum Absalomem, & à Ioab occisum. Sic ibi Chrysostomus ad illud, *Conuertetur dolor eius in caput eius. Absalom cùm sub arborem veniisset, & coma esset suspensus, illic longo tempore pependit.* Et paulo pòst: *Capilli, & lignum eum alligarunt, & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit.* Et statim: *Et quod est admirabilius, qui patrẽ ei conciliauit* (nempe Ioab) *is ipsum interfecit.* Quare vehementer suspicor illam homiliam de Absalome persequente, quasi adulterinũ partum pro genuino suppositam esse Chrysostomo. Sanè ex hac editione postrema expuncta est. Sed dici etiam potest inuentum esse Absalomem mortuum, non à Ioab, & illius armigeris, qui illũ occiderunt; sed ab aliis, qui eò conuenerunt postea vt horribile illud spectaculum viderent: neque enim verisimile est venisse paucos, qui illum tribus lanceis transfixum aspexerunt. Et hoc fortasse Chrysostomus voluit; neque enim fas est tanto Doctori errorem illum infantilem impingere. Sed sanè etiamsi maximè cupiam tantum patrem hoc

*Magni patres aliquãdo memoria lapsi.*

loco

loco excusare, non possum ab aliqua saltem incogitantia. Nam statim addit: *O nefandum meritum parricidæ! Iniuriam patris non pugnantis gladius, non hostilis manus, non iaculantis ictus defendit* (id est, vlciscitur) *sed vindicant ligna, arbor vlciscitur, rami defendunt.*

20. Vers. 16. *Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel.*] Cùm Absalome sublato, cessasse viderentur inimicorum consilia, & extincta coniurationis semina, visum est Ioab non futurum ex vsu tam regni, quàm Regis, si ferrum fratres in cognata viscera distringerent. Quare cùm conseruare mallet, quàm perdere viros Israelitas, receptui cecinit, & ab insequentibus hostibus reuocauit.

21. Vers. 17. *Et tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum.*] Non maiori honore sepultus est Absalom à tota multitudine, quàm canis mortuus, aut asinus, aut quodlibet animal odiosum, & vile, quod terra tegimus, non ad honorem funeris, sed vt spectaculum fœdum subtrahamus oculis, & grauem summoueamus anhelitum, quem ad hominum molestiam aspiraret. Quare proiecerunt impurum illud, & execrabile cadauer in foueam, illúdque congestis magno cumulo saxis oppleuerunt; vt quotquot illac transirent, haberent potius quid execrarentur, quàm cui quietem precarentur, & pacem. Manet ad hoc vsque tempus cumulus ille lapidum, vt referunt, qui Terræ sanctæ nobis prodiderunt topographiam: quem sic horrent propter impium, & crudele facinus ipsi etiam Mahometani, qui terram illam incolunt, vt cum execratione eò lapides mittant, dicentes: *Maledictus sit parricida Absalom, & quicunque iniustè parentes suos persequuntur, maledicti sunt in æternum.* In sepulchrum autem Absalomis coniecti sunt lapides, quia Deut. cap. 21. filius contumax iubetur à populo lapidari: cùm autem iam esset telo transfossus, obrutus est in fouea lapidibus, quos, si viueret, experiri debuit à populari manu. Ita putant Hebræi, vt in eorum traditionibus refert Hieronymus. *Proiectum*, inquit, *eum in saltum Hebræi dicunt, eo quòd gladio peremptus lapidibus obrui deberet: quippe qui sceleratissimus erat, & geminæ neci obnoxius; scilicet quia & patrem contra legis præceptum valde dehonorauerit, & turpitudinem eius reuelauerit.*

22. Hîc multa Hebræi suo more fingunt, quæ licèt meta sint somnia, & fabulosæ nugæ; lubet tamen eorum aliqua commemorare breuiter. Quærunt Hebræi, quod etiam quærit Abulensis q. 12. quomodo Absalom non se extricauit è quercu, cùm liberas haberet manus, & posset aut ramos abscindere, quibus illigarat crines, aut crines ipsos resecare, cùm in eo articulo illi defuisse gladium verisimile non sit. Hîc ego nullam aliam rationem neque inuenio, neque quæro, quàm illum vrgeri tunc à diuino iudicio, quod solet sapientibus eripere consilium, ac tandem facere, vt nihil præstare, ac cogitare sanum possint ij, quos tam sibi infensos persequitur Deus. Sed dicit Rab. Salomon, Absalomem voluisse sibi resecare crines, vidisse tamen subter se ingentem patere hiatum ad gehennam vsque; in quem ne solutus ab arbore decideret, pendere maluit, & hostile ferrum expectare.

23. *Absalom sui nominis monumentum excitat.* Vers. 18. *Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui est in valle Regis.*] Titulus monumentum aliquod est memoriæ causa ab iis excitatum, qui apud posteros memoriam sui interire nolunt, qualis est columna, statua, aut quæcunque artificiosa moles, quæ auctoris sui loco suffecta est. Huius porrò tituli ideo videtur hic inductus sermo, vt ostendatur quàm aliter Absalomi contigerit, quàm ipse secum antea meditabatur. Excitarat credo sibi vanissimus adolescens operosam molem, mausolæum aliquod, arbitror, vbi regio more conderetur cadauer, vt quando nullos suscepisset filios, qui parentis memoriam conseruarent, saltē lapides illi muti signis notati hieroglyphicis de Absalomis vita, rebúsque gestis ad posteros loquerentur. Dicitur autem excitatus titulus in valle Regis. Quæ porrò fuerit hæc vallis, obscurum est. Iosephus dicit duobus stadiis distare à Hierosolyma, sed ad quod spectet ciuitatis latus, nihil dicit. Mihi videbatur esse in Topheth, seu gehenna, quæ aliter dicitur vallis Regis Iosaphath; sed Absalomis tempore nondum illud acceperat nomen, quia Iosaphath, qui multis abhinc annis vixit, dedit valli nomen. Vtcumque sit, puto illustrem fuisse locum, neque procul ab vrbe regia.

24. *Absalom an filios susceperit.* Illud difficile, quomodo dicatur Absalom nullos suscepisse filios, cùm cap. 14. v. 27. nati dicantur illi tres filij, & vna filia. Quidam dicunt illos filios iam fuisse mortuos, aut certè fuisse eo ingenio, vt ab illis nihil magni expectari potuerit. Sanè filia mortua non erat, quæ postea nupsit Salomonis filio Roboam, à qua susceptus Abias, qui Roboamo mortuo regnum obtinuit. Ego sic puto, longè ante hoc tempus excitatum ab Absalome titulum, cùm filium haberet nullum, & omnem fortasse spem abiecisset futuræ prolis; sub hæc autem tempora auctum iam esse filiis, quorum Scriptura postea non meminit, sicut neque aliorum, qui ex aliis Dauidis filiis propagati sunt.

25. Manus *pro opere.* *Vocauitque titulum nomine suo, & appellauit manus Absalom.*] Quia manus operum penè omnium artifex est, fitvt pro ipso sumatur opere: quomodo imaginem manum esse dicimus statuarij; sanè hoc modo sæpe quodcumque opus, aut artificium nominatur. Vnus modò sufficiat nobis Martialis, qui vas ab opifice elaboratum manum vocat opificis. Sic autem ille lib. 8. epigr. 51.

*Quis labor in phiala docti cælauit Myos, anne Myronis*
*Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua?*

Manus verò dicitur Absalomis, quia licèt ad huius tituli constructionem non admouerit suas, admouit tamen artificium manus mercede conductas. Eodē modo in sui memoriam alium quoque titulum constituit Saul lib. 1. Reg. cap. 15. v. 12. Nam vbi Vulgatus legit, *Et erexisset sibi fornicem triumphalem.* Hebr. est מציב לו יד *matsib lo iad.* id est, *statuit sibi manum.*

26. Quid de hoc titulo fabulentur Hebræi, in eorum traditionibus scribit Hieronymus, qui non vident, quàm id malè cum Scriptura sacra concilient. *Tradunt*, inquit Hieronymus, *Hebræi, quòd depositus de quercu petierit sibi inducias, antequam perimeretur, vt faceret sibi titulum ob memoriam sui, eò quòd non haberet filium talem, qui regno dignus esset. Putabat enim filios suos non solùm regno indignos, sed etiam ob peccatum suum, quod in patrem gesserat, præsenti vita indignos. In quo titulo manus dicitur defixisse, & figuram manus suæ expressisse, & ob hoc titulum hoc modo vocari.* O præclarum cerebrum! Hunc titulum Iosephus lib. 7. cap. 9. marmoream dicit fuisse columnam cum inscriptione; quod mihi verisimile est.

Vers. 19. *Achimaas autem filius Sadoc ait: Curram,*

*ram,& nunciabo Regi.*]Ex hoc loco ad versum 24. nihil occurrit, quod lucem desideret interpretis.

27. Vers. 24. *Dauid autem sedebat inter duas portas.*] Duas portas ego accipio, quæ sunt in murorum parte maximè munita. Satis constat in portis esse præcipua vrbiũ propugnacula,in quibus cùm turres essent,quas esse latas, & crassas ad firmitatem oportet,necesse est duas habere portas, alterã extrorsus, introrsus alteram; quales etiam nostris tẽporibus ciuitates habent, in quibus est diligens & accurata custodia.In medio igitur duarum portarũ,id est,in ipso turris sinu,vbi priùs constiterat quando ducibus suis Absalomis salutem commẽdabat,sedebat Rex,neque fortasse à matutina luce inde discessit,donec accepit nuncium de confecto prælio,& Absalome mortuo,vt si quid in acie accideret aduersi,cõmodiùs suos, quo possit modo, consilio, aut subsidio iuuaret.Sicut duces ipsi dixerant supra v.3. *Melius est,vt sis nobis in vrbe præsidio,*

28. Vers. 25. *Si solus est,bonus est nuncius in ore eius.*] In eo,quod reliquũ est capitis,nihil fermè est obseruatione dignum. Tantũ enim habemus profectos esse nuncios ex castris ad Dauidẽ, & ab illis accepisse Regem,quemadmodum cõcisus partim, & partim fugatus fuerit inimicorũ exercitus,& filius occisus. Sunt tamẽ nonnulla nobis obseruanda.Primũ,prudenter coniectasse Dauidẽ rem à suis feliciter gestã, quia vnus homo cõcitato cursu ad vrbem properaret.Cùm enim multi turmatim,atque confusè veniũt, apertè docent se ab hoste victore vrgeri à tergo,neque sibi licere disciplinam, & ordinẽ militarem seruare. At cùm vnus venit cursu velociùs concitato, suspicionem remouet acceptæ cladis,cùm homo solitarius redire nõ soleat, vbi malè geritur, maximè cùm ad locum properat,vbi profligatis, & perditis,aliquod se ostentat in desperatione perfugium, qualis erat ciuitas, vbi tunc cum aliis commilitonibus subsiterat Dauid.

29. Vers. 29. *Est-ne pax puero Absalom?*] Absalom idem valet,quod *patris pax.*Ad quam significationem alludisse videtur Dauid,dum rogat, an Absalomi sit pax. Quasi dicat,si Absalomi pax est, pax erit etiam mihi, qui pater illius sum: sin autem illi pax non est, id est, si quicquam accidit aduersum(id enim valet, non esse alicui pacem) neque mihi pax erit;si mortuus est ille,de me quoque actum esse putate.

30. *Benedictus Dominus Deus tuus,qui conclusit homines,qui leuauerunt manus suas.*] Quid est,quòd cùm tam nuncio,quam aliis omnibus,qui Dauidi aderant in ciuitate,aut cum hoste pugnabant in saltu communis sit Deus,communis religio,tamen Dauidis solius nunc appellat Deum. Sanè Dauidis nunc appellatur Deus eam ob causam, quia Dauidis videtur suscepisse causam, & pro illo contra perduelles, & infidos dimicasse. Sic vulgò communiter dicimus,meus est populus, noster est senatus,quia ille suffragiis,hic iudiciis causæ nostræ fauet,& pro illius felici expeditione laborat.Cõcludere,idem est, quod in angustias redigere, ita vt iam liberè vagari non audeat; sed perinde ac feræ à venatoribus concluduntur,& compinguntur in retia,sic etiam hostes eò videntur coacti,atque concluſi, vnde incolumes nequeant emergere.Vbi Vulgatus *conclusit*,Hebr.est סגר *sigar*, quod etiam *tradere* significat, quomodo reddidit Chaldæus. Quòd si vtramque significationẽ cõiungas, sensus erit cõmodissimus; nẽpe hostes à Deo tra-

*Cur Deus Dauidis esse dicitur.*

A ditos esse Dauidi constrictos, ita vt illos superare non fuerit maioris negotij,quàm hostes conficere ita ligatos,vt neque armorum,neque manuum,ac pedum vllus esset vsus.Sanè si Leonẽ,aut Rhinocerotem ita constrictos tradas aut imbecillo puero, aut teneræ virgini,illos sine vllo periculo, aut labore confodient.

Vers. 31. *Iudicauit enim pro te Dominus de manu omnium,qui surrexerunt contra te.*]*Iudico* verbum est ambiguum, quod modò fauorem, & beneuolentiam,modò aliquid significat aduersum,& ab animi offensione profectum.Sed hîc illud *pro te*,satis ostendit beneuolè à Deo de Dauidis causa sumptum esse iudicium. 31.

Vers. 33. *Contristatus itaque Rex ascendit ad cæ-* 32.
B *naculum portæ.*]Hinc constat, quod paulò antè dicebamus,in porta fuisse turrem,& in eas duas esse portas, quæ laxum in ipso turris sinu spatium relinquerent: nunc apparet excelsã fuisse turrem, & plures habuisse contignationes, quando in porta, id est,in turre, dicitur fuisse cœnaculum,ad quod vt liberiùs ploraret, sese à suorum oculis abdidit Dauid. Est autem cœnaculum pars extrema domus,& tecto propior,quæ pars,quia rudior est, & minùs ad habitandum idonea, à pauperibus plerumque conducitur, aut vilioris turbæ habitationi destinatur. Sic sanè Iuuenalis Satyra 3. qui diuitibus, & lautis inferiora, suprema pauperibus assignat.

*Cœnaculum quid.*

*Quem*(pauperem)*tegula sola tuetur*
C *A pluuia,molles vbi reddunt ona Columbæ.*

*Absalom fili mi,fili mi Absalom.*]Hæc vocum ite- 33.
ratio magnam habet epitasim; id enim, quod in corde altiùs infixum est,& in eo efferuescit ardentiùs,frequentiùs ebullit,& erumpit foras.Sic porrò filium amabat, vt cùm esset omnium filiorum aduersus patrem sceleratissimus, & contra ipsius caput proximè manus eleuasset armatas, tamen suam vitam non grauatè profunderet,vt filij redimeret. *Quis*,inquit,*mihi tribuat,vt ego moriar pro te.*

Multa hîc dicunt patres,& interpretes,dum hãc 34.
Dauidis mansuetudinem,& in filium clementiam admirantur.Quæ non video præterire posse,quia & grauissima sunt, & maximè faciunt ad mores. *Dauidis de filij morte quantus dolor,& cur.*
D Primo loco pono Augustinum lib.3. de doctrina Christiana c.21. *Rex Dauid cùm hoc ab impio, atque immani filio passus esset,nõ solum ferociẽtẽ tolerauit,sed etiam planxit extinctũ.Non enim carnali zelo irretitus tenebatur,quẽ nullo modo iniuriæ suæ,sed peccata filij cõmouebãt.Nã ideo,si vinceretur,eum occidi prohibuerat, vt edomito seruaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem doluit in eius interitu, sed quia nouerat,in quales pœnas tam impie adultera,& parricidalis anima pateretur. Nam qui alio priùs filio,qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur,moriente lætatus est.*Hoc idem contra Faustum Manichæum lib. 22.c.66.Non longè ab hoc abit. Ambrosius de õbitu Valentiniani,vbi docet ideo Dauidem luxisse Ammonem,& Absalomem mortuos,non autem E cùm puerulus ex adulterio susceptus mortuus est: hic enim consecutus videbatur vitam æternam, neque egebat longiori spiritu, vt pœnitentiam ageret: illis autem, de quorum peccatis optimus pater non dubitabat, diuturnior vita necessaria fuit, vt meliùs se, placato per pœnitentiam Deo, ad futuræ vitæ felicitatem compararent. Idem Theodoretus q.26. *Tanquam pius luxit eum, qui non poterat ampliùs curari per pœnitentiam. Nam post mortem pœna peccatis est immedicabilis.*

*Cur de paruuli morte minus doluit.*

*Cur adolescentis lugenda mors.*

# IN CAP. XIX. LIB. II. REGVM

## ARGVMENTVM.

AVDIVIT Ioab quo sensu, atque animo filij mortem accepisset Dauid, & quo modo populus non secus mœreret, & Regium aspectum subire recusaret, ac si belli exitum habuisset aduersum. Quare ingressus ad Regem, illius nimiam in filium indulgentiam reprehendit, parumque gratum animum in populum tam de ipsius honore, & vita fideliter meritum accusat, minatur que nisi vultum explicet, & hilarem se ostendat, futurum, vt omnes eodem excedant die, alij aliò dilapsi, & maius ex eo consequatur malum, quam antea nunquam. Qua oratione persuasus Dauid hilarem se populo, & gratum ostendit, quem lætus etiam populus salutauit. Ex eo die conuersus fuit omnium animus, qui se ipsos hortantur mutuò vt Regem in suam sedem cum honore, & maiestate deducant. Hæc aliæ tribus; quod vt idem faceret Iuda maximè cupiebat Dauid, quare hortatur duos sacerdotes Sadoc, & Abiathar, qui in vrbe remanserant, & Amasam, quem Absalom exercitui præfecerat loco Ioab, vt tribum illam exacuant ad promptum, & fidelem occursum, quod non difficile impetrarunt à Iuda, quæ statim occurrit ad Galgala, vt inde Regem transmisso Iordane in vrbem deducerent. Ad illum locum adfuit Semei, qui paulò antea in Regem maledicta iactauerat, veniam, & pacem orans, quam lubens concessit Dauid, etiamsi contrà obstreperat Abisai, adfuit quóque Miphiboseth, quem seruus Siba affectati imperij, & infidelis animi apud Regem arguerat, qui obiecta sibi crimina depellit, causatus pedum infirmitatem, quæ fecit ne excedentem Regem subsequeretur, qua sceleris depulsione id obtinuit à Regis iam placato magis, vt dimidium illorum bonorum impetraret, quæ iam ante Sibæ fuerant adscripta. Optabat Rex Bercellai Galaaditem secum retinere, vt gratè remetiretur officia, quæ ab illius acceperat liberali manu. Negat ille sibi in ætate grandi in Principum aula aliquid posse audire iucundum. Quare orat sibi vt liceat vt quod reliquum est ætatis in patria exigat: & quidquid ipsi indulgere velit in filium transcribat. Ad extremum cùm omnis Iuda Regem traduxisset, & ex aliis tribubus pars tantùm interfuisset dimidia, hoc sibi iniurium esse reliquæ tribus conquestæ sunt, & varij vtrinque sermones cum iurgio commutati.

## CAPVT DECIMVMNONVM.

1. NVnciatum est autẽ Ioab quod rex fleret & lugeret filium suum.

2. Et versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audiuit enim populus in die illa dici: Dolet rex super filio suo.

3. Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare solet populus versus & fugiens de prælio.

4. Porrò rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi.

5. Ingressus ergo Ioab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerũt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorũ tuarum, & animam concubinarum tuarũ.

6. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de seruis tuis: & verè cognoui modo, quia si Absalõ viueret, & omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi.

7. Nunc igitur surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quòd si nõ exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & peius erit hoc tibi: quàm omnia mala quæ venerunt super te ab adolescentia tua vsque in præsens.

8. Surrexit ergo rex, & sedit in porta: & omni populo nunciatum est quòd rex sederet in porta: venítque vniuersa multitudo coram rege: Israel autem fugit in tabernacula sua.

9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens: Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse saluauit nos de manu Philisthinorum: & nunc fugit de terra propter Absalom.

10. Absalom autem, quem vnximus super nos, mortuus est in bello: vsquequò siletis, & non reducitis regem?

11. Rex verò Dauid misit ad Sadoc & Abiathar sacerdotes, dicẽs: Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes: Cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suã? (Sermo autem omnis Israel peruenerat ad regem in domo eius.)

12. Fra

12. Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, quare nouissimi reducitis regem?

13. Et Amasæ dicite? Nónne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.

14. Et inclinauit cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnius: misérúntque ad regem, dicentes: Reuertere tu, & omnes serui tui.

15. Et reuersus est rex: & venit vsque ad Iordanem, & omnis Iuda venit vsque in Galgalam, vt occurreret regi, & traduceret eum Iordanem.

16. Festinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum regis Dauid.

17. Cum mille viris de Benjamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filij eius, ac viginti serui erant cum eo: & irrumpentes Iordanem ante regem.

18. Transierunt vada, vt traducerent domum regis, & facerent iuxta iussionem eius: Semei autem filius Gera postratus coram rege, cùm iam transisset Iordanem.

19. Dixit ad eũ: Ne reputes mihi domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui in die qua egressus es, domine mi rex, de Ierusalem, neque ponas rex in corde tuo.

20. Agnosco enim seruus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei regis.

21. Respondens verò Abisai filius Saruiæ, dixit: Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini?

22. Et ait Dauid: Quid mihi, & vobis filij Saruiæ; cur efficimini mihi hodie in Satan? ergóne hodie interficietur vir in Israel? an ignoro hodie me factum regem super Israel?

23. Et ait rex Semei: Non morieris. Iurauítque ei.

24. Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis illotis pedibus, & intonsa barba: vestésque suas non lauerat à die qua egressus fuerat rex, vsque ad diem reuersionis eius in pace.

25. Cúmque Ierusalem occurrisset regi, dixit ei rex: quare non venisti mecum Miphiboseth?

26. Et respondens ait: Domine mi rex, seruus meus contempsit me: dixítque ei ego famulus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege: claudus enim sum seruus tuus.

27. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum regem: tu autem domine mi rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi.

28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mẽsæ tuę: quid ergo habeo iustæ querelę? aut quid possum vltrà vociferari ad regẽ?

29. Ait ergo ei rex: Quid vltrà loqueris? fixum est quod locutus sum: tu & Siba diuidite possessiones.

30. Respondítque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reuersus est dominus meus rex pacificè in domũ suam.

31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Iordanem: paratus etiam vltra fluuiũ prosequi eũ.

32. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cùm moraretur in Castris: fuit quippe vir dies nimis.

33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, vt requiescas securus mecum in Ierusalem.

34. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum rege in Ierusalem?

35. Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltrà vocem cantorum, atque cantatricũ? quare seruus tuus sit oneri domino meo regi?

36. Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum: non indigeo hac vicissitudine.

37. Sed obsecro vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.

38. Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris à me, impetrabis.

39. Cúmque transisset vniuersus populus & rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai & benedixit eis & ille reuersus est in locum suum.

40. Transiuit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo, omnis autem populus Iuda traduxerat regem, & media tantùm pars affuerat de populo Israel.

41. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem & domum eius Iordanem, omnésque viros Dauid cum eo?

42. Et

42. Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel: Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? nunquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt?

43. Et respondit vir Israel ad viros Iuda A & ait: Decem partibus maior ego sum apud regem magisque ad me pertinet Dauid quàm ad te: cur feciſti mihi iniuriam, & non mihi nunciatum est priori, vt reducerem regem meum? Duriùs autem responderunt viri Iuda viris Israel.

# IN CAPVT XIX. LIB. II. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *Nunciatum est autem Ioab, quòd Rex fleret.*

1. ACCIDERVNT Regis & preces, & lacrymæ toti populo perquam molestæ; adeò vt non tam exultaret de parta victoria quàm de Regis dolore, & gemitu doleret: victum putares populum, non victorem, cùm neque Regis sui vultum subire sine pudore auderet, quasi ab illo res foret infeliciter gesta, & proditæ patriæ, aut læsæ maiestatis reus ageretur. Rex etenim, quod fieri in mœrore solet, operuit caput suum, & suum illud funebre lamentum iterabat, *Absalom fili mi.*

2. Vers. 5. *Ingressus ergo Ioab ad Regem in domum suam, dixit.*] Tulit permolestè militiæ princeps Ioab, quod Rex maiorem doloris significationem dederit de filij morte, quàm lætitiæ de comparata tam feliciter, ac breui de hoste victoria: & quos ornare debuerat pro opera fortiter, felicitérque nauata regia liberalitate, contracto vultu, & stillantibus oculis, & flebili voce acerbè confuderit. Quare vt populum solaretur, ad Regem ingreditur, illúmque oratione pro tempore grauissima ad æquitatem traducere conatur, vt saltem si à seipso impetrare non potest, vt hilari sit animo, at saltem lætitiam vultu simulet, & alto in pectore dolorem premat. Sumit autem ad persuadendum argumentum ab honesto, & vtili: ab honesto quidem, quia turpe videbatur, aut certè parum grati, atque ingenui animi, illorum vultum tacita quadam reprehensione fœdare, qui suorum laterum oppositu regium caput ab hostili petitione defenderant; per quos id esset illius diei certamine consecutus, he regnum amitteret; & non vnum lugeret sceleratum filium, sed omnes filios, ac filias, & quicquid vxorum habuit, aut concubinarum. Qua in re non obscurè docuit, odio se habere eos, qui ipsius saluti, & dignitati seruiunt, quémque sic amant ardenter, atque constanter, vt pro ipsius salute non dubitarint sanguinem, ac vitam profundere: illos autem diligat, qui sanguinem ipsius sitiant, & eò aspirent, vt hanc communem lucem, & spiritum adimant. Neque hac significatione vlli fore dubium, quin maluerit Absalomem viuere, quàm illos, à quibus regnum nunc accepit, & vitam: neque curaturum, aut aliquid habiturum pensi, an omnes, qui ipsius causa in apertum se coniecêre periculum intereant, dummodò in saluo filio sceleratissimo contingat. Hoc argumentum est ab honesto, quod sanè apud honestos, & ingenuos animos potentissimum est. Illud ab vtili, quod iuramento euenturum esse confirmat illo ipso die, nisi egrediatur ad populum, illíque se gratum, & beneuolum ostenter, futurum esse neminem, qui cum ipso velit viuere A diutius, & illius nomen, & dignitatem tueri; quo illi neque accidit vnquam, neque accidere potuit quicquam acerbius.

Vers. 8. *Surrexit ergo Rex, & sedit in porta.*] Ascenderat ante Rex, vt nuper vidimus, in cœnaculum, vt in illo secessu abductus à popularium oculis liberiùs lugeret filium, & absque arbitris,, qua posset ratione, saltem impensis lacrymis parentaret. Persuasus tamen à Ioab descendit ad portam, sedítque eodem quo proximè loco, antequam de filij morte nuncium accepisset. Quod vbi vniuersus populus agnouit, ad illum, lætus, & alacer conuolauit: cæteri autem, qui ex coniuratione supererant, in sua quique tabernacula redierunt. 3.

Vers. 9. *Omnis quoque populus certabat.*] Mortuo Absalome, qui auctor fuerat illius coniurationis, non putauit populus, qui illius partes, & studia fouebat, ab illo Rege esse deficiendum, à quo tot extabant in rem Israeliticam merita, & à quo plura sperare poterat ornamenta pacis, & belli subsidia. Quare omnes se mutuò cohortantur, vt Regem quamprimùm in suum locum, & ordinem restituant. 4.

Hîc duo obseruanda. Alterum est, Absalomem vnctum esse Regem; quod populus apertè fatetur dum ait v. 9. *Absalom autem, quem vnximus super nos, mortuus est.* Quando verò, aut à quo vnctus fuerit, non constat. Neque huic cogitationi quicquam incommodat quòd duo sacerdotes, qui putantur fuisse summi, Sadoc, & Abiathar, nunquam fuerunt cum Absalome: nam, vt lib. 2. cap. 2. diximus, ab aliis quàm à Sacerdote summo inungi potuêre Reges. Nisi dicamus vnctionem sumi pro designatione, aut acclamatione, qualis fuit illa, de qua cap. 15. v. 10. *Regnauit Absalom.* Sæpè enim vsu venit, vt cæremonia, quæ communiter adhiberi solet, etiamsi aliquando prætermitti contingat, sumatur pro eo, quod ea cæremonia designatur. Quomodo de B. Virgine dicitur illud Isaiæ 45. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* cùm tamen purissima illa terra in Christi natiuitate aperta non sit, cùm Christus, integro virginitatis claustro, natus fuerit; quia id plerumque in fœminarum puerperio contingit. Hanc regulam nos ad illum Isaiæ locum adduximus, & confirmauimus exemplis. 5.

Alterum est *silere* idem interdum esse quod cessare, aut quietum esse. Quod nos pluribus ostendimus ad illud Isaiæ 7. *Vide vt sileas, noli timere.* Iob cap. 3. *Nunc dormiens silerem.* id est, quiescerem. Et in Psalmis audimus: *Domine ne* 6. Sileo, idem quod, cesso.

*ſileas à me.* Et Marci 4.v.39.cùm magnus eſſet motus, atque turbatio in mari,iuſſit Chriſtus obmuteſcere illud, & tacere, & ſtatim quieto mari ceſſauit tempeſtas.Quare cùm filij Iſrael meliori iam mente ſibi mutuò dicunt,*vſquequò ſiletis*, ceſſationis ſe, & tarditatis incuſant, quia quam primùm Regem in ſolium,à quo excidiſſe videbatur, non reducunt.

7. Verſ. 11. *Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes:Cur venitis nouiſſimi ad reducendum Regem?* ] In cauſa Abſalomis videntur omnium maximè peccaſſe viri Iuda, quia cùm apud ſe illum frequentiùs habuiſſent,vſúmque cum illo haberent familiarem, facilè pellacis adoleſcentis ſeductis blanditiis in illius vota,atque conſilia iurarunt:atque ideo meritò timere poterant Regis offenſionem. Hæc,arbitror,ratio continuit domi homines,quos perfidiæ,ſceleríſque conſcientia damnabat. Cùm ergo Rex illius tarditatis cauſam agnoſceret, per Sacerdotes ſummos,qui, vt ſuprà vidimus, manſerunt Hieroſolymæ, conciliare ſibi voluit gentem illam,&, ſi quis eſſet, ex illorum animis, metum detergere. Quaſi enim contribules ſuos videre cuperet, quorum deſiderium ferre non poſſet, de illorum tarditate, ac ceſſatione queritur. Quod amoris eximij non vulgare exiſtimatur argumentum:& qui benè de amoris natura ſentiũt, huiuſmodi accuſationem adeò non ferunt moleſtè,vt etiam ament. Quod dixit Cicero, qui amicitiæ ingenium optimè nouit, lib.2. epiſt. famil. epiſt.1.*Non tam moleſtum mihi fuit accuſari abs te officium meum, quàm iucundum requiri.* Et quia Amaſa princeps fuerat in Abſalomis exercitu, eáque de cauſa,aut pudore,aut metu,à congreſſu Regis deterreri poterat,ideo ſpeciatim illum accerſit, locumque in exercitu principem promittit pro Ioab quod ſanè obtinuiſſet, niſi à Ioab per inſidias foret occiſus,qui Dauidis conſilium grauiter accepit.De quo ſtatim cap.20.v.9.

8. Verſ.14. *Et inclinauit cor omnium virorum Iuda.*] Timebat, credo, Dauid, ne viri Iuda ipſum ab vrbe excluderent regia, quam pro Abſalome firmo occupauerant præſidio, atque ideo tanto ſibi ſtudio per Sacerdotes conciliare voluit,& exercitus principem, oblato militum imperio, ſibi demereri. Neque ſua Regem coniectura fefellit: nã ſtatim Amaſa rem totam compoſuit,eóque adduxit viros Iuda, vt, quod aliæ tribus ante fecerant, legatos miſerint; ac ſignificarent poſſe illum in ciuitatem ſuam, & regiam ſedem tutò remigrare. Id enim valet mandatum illud, quod datum eſt legatis: *Reuertere tu,& omnes ſerui tui.* Neque, vt apparet, ante hæc mandata omninò erat expeditus in Hieroſolymam reditus. Nam ſtatim mouit ex vrbe, in qua aliquandiu conſederat in terra Galaaditide, & peruenit ad ripas vſque Iordanis. Cui occurrit omnis Iuda ad Galgala, quæ erant prope fluuium,vt Regem, quem antè ignominioſè expulerant,in regiam vrbem cum dignitate reducerent.

9. Verſ.16. *Feſtinauit autem Semei.*]Hic eſt ille Semei,de quo ſuprà cap.16. qui cùm videret Regem ſubacto hoſte ad priſtinum gradum cum plauſu, & maieſtate reuerti, & ſcelerum illum conſcius animus grauiter argueret, aliquo obſequio deliniendum ſibi putauit regium animum. Quare ipſe occurrit cum tota familia, quam habebat copioſam, & lautam, cum videlicet filiis, & ſeruis viginti;& collegit præterea ex ſua tribu mille viros,quo reditus Regis eſſet ornatior. Reliqua ad



A v.24.aperta ſunt: tantùm enim continent ſupplices Semei preces, & Regis in illum clementiam ſingularem,obnitente contrà Abiſai,qui illum indignum iudicabat.Illud tantùm obſeruandum v. 20. populum, ſeu domum Iſrael appellari domũ Ioſeph.*Primus veni de omni domo Ioſeph.* Quod aliis ſæpè locis inuenitur, vt diximus ad illud Zachariæ cap.10. *Et domum Ioſeph ſaluabo.* Sic Pſal.79.v. 2.*Qui regis Iſrael, intende,qui deducis velut ouem Ioſeph.*Et Pſal.80.v.7. *Quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium Deo Iacob, teſtimonium in Ioſeph poſuit illud.*Et Pſal.76.*Redemiſti in brachio tuo populum tuũ, filios Iacob,& Ioſeph.* Vbi per epexegeſim eadem in ſingulis membris iteratur ſententia. Cur autem Ioſeph pro Iſraele toto capiatur, ea ratio eſt,quia B in Ægypto fratribus ſuis pro parente fuit; tum etiam quia loco Ruben nactus eſt primogenij dignitatem. 1.Paralip. cap.5. *Ruben fuit primogenitus eius* Iſrael;) *ſed cùm violaſſet thorum patris ſui, data ſunt primogenita eius filij Ioſeph.* Hæc mihi explicatio potiſſima eſt. Caietanus aliam adducit, ita vt Semei anteuerterit in cauſa Regis duas tribus, quæ Ioſeph interdum appellantur, quia à Ioſeph propagatæ; cùm tamen illæ, quæ propiores Iordani ſunt, occurrere Regi priùs debuiſſent. Vatablus putat tribum Benjamin vocari tribum Ioſeph, quia ſub vexillo Ephraim, quæ pertinebat ad Ioſeph, duæ etiam aliæ tribus militabant, nempe Manaſſes, & Beniamin. Illa porrò legio, quæ tribus conſtabat familiis, C Ioſeph dicebatur, quia illi præerat aliquis de ſtirpe Ioſeph. Ait ergo Semei ex ſua legione priùs occurriſſe neminem. Quomodo ſub quatuor vexillis duodecim tribus aut militauerint, aut progreſſæ fuerint, vide Abulenſem in cap. 40. Exod.q.12.

10. *Ioſeph interdum ſumitur pro toto Iſraële.*

Verſ. 23. *Et ait Rex Semei: Non morieris, iuraſtique ei.*]Hîc nonnulli in hac Dauidis promiſſione fidem deſiderant. Nam poſt lib.3. Reg. cap.2. Salomoni filio commendauit, ne pateretur illius impudentiam abire impunitam. *Deduces*, inquit, *canos eius cum ſanguine ad inferos.* Agit hac de re Abulenſis latè q.26. & refutatis ſolutionibus aliis non paucis tandem dicit, licèt verba Dauidis aliter à Semei forent accepta, immò & iuxta com- D munem acceptionem aliter ſonarent; tamen ſenſum iuramenti iuxta Dauidis mentem eſſe; neque illo die,neque ſua manu,aut dum ipſe viueret,occidendum eſſe Semei. De illo die ex eo coniectura ſumitur non obſcura, quia cùm Abiſai Regem ad ſumendum capitale ſupplicium inſtimularet, reſpondit;*Ergóne hodie interficietur vir in Iſrael?* Et concludit: *Quod ergo Dauid iuraret ambiguè, & interpretaretur iuramentum ſuum in quocunque caſu vellet, non præiudicabat ipſi Semei,quia etiam non iurando potuiſſet illum occidere, quandocumque vellet.* Hæc Abulenſis; quæ mihi ſententia potior eſt quàm Caietani in cap.2. lib.3.Reg. vbi dicit non violatum à Dauide iuſiurandum, *quia non mandauit occidi Semei abſolutè,ſed ex nouo peccato; ad inueniendũ* E *ſiquidem nouam cauſam iuſtam. Quia vir ſapiens es,& ſcies quid facies ei.* Quam ſolutionem iam antè ſuprà confutarat Abulenſis,ad ſolutionem huic ſimilem, quam adduxit Lyra: quia quamcunque honeſtam ſpeciem huic veniæ iuratæ prætexerat Dauid,& ex illius conſilio Salomon filius, tamen mortis cauſa maledictio fuit, quam Semei priùs in Dauidẽ intorſerat.Sic autem ad Salomonẽ Dauid: *Habes quoque apud te,&c.qui maledixit mihi, tu noli pati eũ eſſe innoxiũ*, &c. Maledictio illa mortis

11. *Dauid quomodo impleuit iuramẽtum de non occidendo Semei.*

fuit;aliter enim licèt millies transiisset torrentem Cedron, nunquam sustinuisset capitale supplicium. Quare hæc solutio Regem à violato iuramento non liberat.

12. Vers. 24. *Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum Regis illotis pedibus, & intonsa barba, vestesque suas non lauerat.* ] Hic fuit Miphiboseth filius Ionathæ,de quo suprà c.9. quem suæ mensæ Dauid paternæ amicitiæ memor participem fecit.Dicitur autem filius Saulis Hebræorum more, qui vt parentes vocant maiores, quocunque gradu à posteris recesserint; sic minores illorum appellat filios, quantumcumque ab illis ordine distantes. Venit autem eo habitu, quem gestare solent illi,qui in luctu, atque dolore sunt, quem habuit ex quo Rex coactus est ignominiosè ab vrbe recedere exauctoratus, nudis pedibus, & eodem propè habitu, ac specie, quam Dauid iam propè non Rex, sed Regis informe quoddam simulacrum attulerat. Ex quo apparet Sibam illius famulum egregiè fuisse mentitum, cùm dixit Miphiboseth in Dauidis fuga triumphasse, exultasseque vehementer, quòd ea ratione ad paternam hæreditatem reditus pateret. Illa porrò quæ secum attulisse dicitur,signa sunt doloris, & luctus, illis familiaria,qui aut suam fortunam lugent, aut condolent alienæ. Quibus familiares sunt sordes,& squalor: vnde sordidati, dicuntur, qui mœrent,& lugent.

13. *Illotis pedibus.* ] Erat nimis familiare Hebræis pedes lauare, vt in conuiuiis, & in aliis deliciis, quęcumque illę forent.In conuiuiis sanè sæpe audimus lotos esse pedes; quod officium Angelis præstare voluit ex gentium consuetudine Abraham Genes.18. v.4. & Iosephus fratribus cap.43. v.24.& Cant.5. sponsa lauisse se dicit pedes suos. & cùm Christus Lucæ cap.7. Pharisæo obiecit quòd pedes non lauerit, aliquod officium prætermissum queritur, quòd hospitibus, aut conuiuis solitum esset impendi. Ideo verò lauari solent Hebræorum pedes perquam frequenter,quia illis naturalis est quędam graue-olentia;sicut etiam nunc graue aliquid halant Arabes, & hircino simile. Sanè Iudæis naturalis est quidam fœtor, tam communis,& notus,vt ab eo nomen vulgare traxerint,& vocati fuerint *fœtentes*. Martialis quidem inter res maximè fœtentes, & odiosas, halitum numerat Iudæorum lib.4. epigr.4. vbi illos Sabbatarios appellat. Audi Ammianum lib.2. de Imperatore Marco.*Cùm Palæstinam transiret, Ægyptum petens,fœtentium Iudæorum,& tumultuantium sæpè tædio percitus dolenter dicitur exclamasse.O Marcomani,ô Quadi,ô Sarmatæ,tandem alios vobis deteriores inueni.* Vt ergo fœtorem illum, qui ex sudore plerumque prouenit, detergerent Hebræi, sæpe aut publicis, aut priuatis balneis vtebantur.Quare non leue sui doloris documentum dedit Miphiboseth, cùm à balneis abstinuit, neque à suis pedibus, quorum sudor aliquid molestũ exhalat, sordes absterserit. Illotos autem apparere pedes aliorum oculis difficile non fuit, cùm Hebræis nullus esset tibialium vsus; & sandalia, quæ illis pro calceis sunt,quæquę non omninò pedes contegunt,non subducunt oculis, si quid est in pedibus aut illotum, aut lautum. Sic puto exponi posse illud Thren. cap.1. v.9. de Hierosolyma captiua.*Sordes eius in pedibus eius.* qui habitus ancillarem,& sordidam conditionem ostendunt.

*Pedes Hebræi lauare soliti frequenter.*

14. Vbi Vulgatus *illotis pedibus*, Hebr. est. לא עשה *lo asah*.id est,*non fecit pedes*.Hebræi dicunt Miphiboseth fecisse sibi ligneos pedes,quibus pro veris, ac suis vteretur, ea fortasse de causa, quia erat claudus, vt vel ea ratione debilium crurum fœditatem celaret. Quod si ita esset,vt in tradit.Hebr. refert Hieronymus, & ex eo Angelomus, & Hist. Schol. eo consilio infectis, id est, non factis pedibus egressus est Miphiboseth,vt claudus, & reptans, & habitus omnibus ludibrio, suam aliis deformitatem ostentaret, & ea specie doceret alios, quàm non gauderet Dauidis vexatione, ac fuga,cùm illud deposuerit & leuamentum naturæ,& turpitudinis fucum.Vide quàm aptè lugenti,ac squalido Regi sese attemperarit Miphiboseth,cùm tam longè fuerit,vt à fuco,ac lenocinio pulchritudinem accersierit, vt naturale neglexerit ornamentum, cùm barbam promiserit, & comam,& quæ & ipsi,& aliis familiaria sunt,vt pedum,vestimentorúmque munditiem abiecerit, & reptare maluerit indecorè, quàm ligneis pedibus attolli,& incessu ingredi minùs turpi.Documentum sanè optimum illis,qui Christi causa lugent, cùm illius crucis renouatur memoria; & tamen ita elegantiæ studeant, vt omnium oculis placere velint.

Sed nostra translatio omninò melior. Neque illud *non fecit*,quicquam incommodat. Nam verbum *facio* apud Hebræos, sicut etiam interdum apud Latinos,ad naturam,& exigentiam nominis significationem accommodat. Quomodo Virgilius Eclog.3.dixit,

*Cùm faciam vitula,pro frugibus ipse venito.*

Vbi *facio* sacrificare est, accommodatè ad *vitulam pro frugibus*. Hinc fit,vt nullum fermè nomen sit, quod verbo *facio* non adiungas. Hebræi eodem fermè modo omnia enunciant per verbum אשה *asah*. Sanè inter alia etiam significat aptare,& cõcinnare, vt Deuter.21.v.12.vbi Vulgatus,*circumcidit vngues*, Hebr. est ועשתה *ve asethah*. id est, *faciet*.Sed longiùs exemplum petendum non est. Nam statim vbi Vulgatus,*intonsa barba*, Hebr.est, *non fecit barbam*. vtroque loco aptare, & concinnare valet,resecare nempe vngues, & barbam tõdere, quomodo viri vrbani solent, & elegantes. Sic etiam *facere pedes*, idem erit quod aptare ad munditiam,& elegantiam. 14.

Septuaginta aliquid præterea addunt, scilicet neque vngues resecuisse, in manibus videlicet, & pedibus, cùm ita vertunt in Sixtiano codice:*Non curauerat pedes suos, neque fecerat vngues*. Græcè ὀδὲ ὠνυχίσατο,significant enim non præsecuisse vngues,existimatur munditiæ,& elegantię.Vnde qui in luctu sunt,vt comam gerunt,& barbam intonsam, sic etiam excrescere patiuntur vngues. Vtrumque opus erat tonsorum, & eodem vtrumque tempore præstabant:& pro barba, capillis, & in quibus diuersa secum portabant ferramenta. Sic sanè Martialis lib.14. epigr.36. cuius titulus est,*ferramenta tonsoria*.

*Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis;*
*Vt quibus hæc longis, vtilis illa genis.*

Significatur igitur Miphiboseth nullum siue ad munditiem,siue ad speciem, seu leuamentum toto illo tempore admisisse tonsoris officium.

*Quis habitus lugubris.*

*Et intonsa barba.* ] Quicquid alienum est ab hominum frequenti, atque honesto vsu,id ad luctum, & mærorem adhiberi solet: quale est capillos habere aut nimiùm prolixos, aut ad cutem detonsos, aut barbam rasam, aut eandem hirsutam, & profundè defluentem. Sanè in funere, aut dolore radi caput, & barbam, satis liquet ex Leuit. cap.21. v.5. vbi prohibetur Sacerdos in suorum funere caput,& barbam radere. 15.

Et

Et cùm ageret Isaias de vastitate Moab, cap. 15. ait, *In cunctis capitibus eius calluitum, & omnis barba rasdetur.* Et Ierem. cap. 41. v. 5. quidam vt lugerent Ierusalem euersam à Chaldæis, *venerunt rasi barba, & scissis vestibus, & sequalentes.* Sed idem est, si nimis capilli defluant, aut barba sit intonsa, atque hispida. Qui enim dolere se vehementer simulant, aut etiam verè dolent, omnem contemnunt cultum, neque faciem lauant, neque vestes, neglectos defluere capillos sinunt, & barbam, & amant quod est inelegans, & horridum. Apud Romanos, vt inquit Liuius Decad. 1. lib. 6. solemne fuit in aliis luctibus, quàm funerum, capillos, barbámque promittere. & Decad. 3. lib. 7. sic de Marco Lucio: *Erat veste obsoleta, capillóque, ac barba promissa, præferens in vultu, habitúque insignem memoriam ignominiæ acceptæ.* Frontinus lib. 4. *Strategem.* cap. 5. tradit Varronem, qui Cannensis cladis causa fuit, post illam capillum, barbámque summisisse. Cùm ergo tam hæc, quàm illa ab eleganti, & lauta hominum consuetudine abhorreant, vtraque in mœrore, & luctu, tam apud Hebræos, quàm apud nationes alias adhibentur. Ex hac Miphiboseth intonsa, atque prolixa barba colligo non paucos dies intercessisse inter Dauidis fugam, & triúphalem reditum; neque enim paucis diebus fieri potuit intonsæ barbæ tanta prolixitas.

*Barba, aut caput, aut intonsa, aut rasa doloris signum.*

*Inter fugã Dauid, & reditum in Ierusalem non parum temporis.*

16. Vbi Vulgatus *barba*, Hebr. est שפם *sephamo*, id est, *pilus supra labium*, qui à Græcis μύσαξ appellatur, ab Hispanis *boço*. & ita reddit Hispanica translatio. Neque Vulgata contra facit, quæ tantùm significat intonsam esse barbam; barba autem dicitur quicquid in superiori labro pilorum est. Fortasse in eo labio tondendo, seu radendo aliquid apud Hebræos erat dignitatis; sicut contrà in labio hirto, & ex arte contorto alicubi gentium plurimùm esse censetur elegantiæ. Sanè pars illa villosa plurimùm habet impedimenti, & quia naso subiecta est, qui non semper emunctus esse solet, & siccus, non multùm facit ad mundiciem. Omnes, vno Vulgato excepto, labrum superius transferunt, Septuaginta μύσακα, quod Hispanus ab origine Græca *mostachos* vocat.

17. *Vestésque suas non lauerat.* ] Interulas intellige, & lineas; nam quæ ex lana fiunt, quæque carni adhærere non consueuêre, lauari non solent. Hoc etiam in luctu familiare est, hodiéque multis in locis quasi solenne. Ex hac sanè consuetudine Ouidius in Epist. Laodamiæ illam squallentem inducit, & ab omni cultu alienam, dum vir abest.

*Nec mihi pectendos cura est præbere capillos,*
*Nec libet aurata corpora veste tegi.*
*Quo possum squallore tuos imitata labores*
*Dicar, & hæc belli tempora tristis agam.*

18. Vers. 25. *Cúmque Ierusalem occurrisset Regi, dixit ei.*] Effusa est Regi obuia tota Ierusalem, venit autem, inter primos, vt est verisimile, cùm vir esset nobilis, & ex regio sanguine Miphiboseth, ad quem Rex seueriùs ingratitudinem exprobrat, quòd cum aliis ipsius discessum non esset comitatus; cùm illum ad regiæ mensæ honorem, & delicias admisisset. Manserat videlicet, vt apparet, altè in mente repostum, quod audierat à Siba cap. 16. v. 3. Nam cùm quæsiisset Dauid vbinam esset illius dominus Miphiboseth, respondit: *Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei.* Quæ verba licèt omninò falsa à mendaci, & infideli seruo grauiter exulcerarunt Regis animum. Atque ideo statim atque illũ obuium habuit, his verbis est aggressus: *Quare non venisti mecum?* Mirum est, quòd cùm tã in alios mitis fuerit Dauid, & tam omnibus facilè, & clementer ignouerit, in vnum tamen Miphiboseth quo nullam acceperat contumeliam, & plagam, tam se difficilem, & seuerum ostenderit. Nimirum illum existimarat ingratum; ingratitudo autem eius generis est, vt omnem exhauriat clementiam, omnem impediat liberalitatem. Qua de re optimè Bernardus serm. 51. super Cant. *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutũ dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Si verum esset crimen, quod à Siba obiectum fuit Miphiboseth, non miror in tam abundanti, & liberali pectore exhaustum esse fontem, quem alij etiam magnorum scelerum rei supereffluentem inuenerunt.

*Graue ingratitudinis crimen.*

Vers. 26. *Seruus meus contempsit me.*] Excusat se Miphiboseth ab impossibili, cùm etiam, si maximè cuperet, non tamen posset comitari Dauidẽ, cùm ex vrbe profugus excederet. Neque enim aliud videtur in illo desideraſse Dauid, cùm claudus, & debilis nulli potuerit vsui esse aut præliaturo, aut fugitiuo Regi. Ait ergo se præcepisse seruo, vt asinum sterneret, pedibus enim iter ingredi ipsa pedum infirmitas prohibebat. Qui domini sui præcepta contemsit, & qui in causa fuerat ne officium illud obseruantiæ, & gratitudinis obiret; idem dominum suum affectati imperij & impietatis apud Regem accersit. Sed tantam rem expendendam Regi, & iudicandam permittit; neque videtur de æquitate iudicij dubitare, cùm Regem Angelo quamsimillimum appellat, qui acutus est ad explorandam causam, & ad iudicandam integer, & æquus. Porrò cùm aliquem in aliquo genere magnum esse significare volumus, cum Angelo illum comparamus. Cuius rei exempla non desunt, & habemus nonnulla in hac Regum historia. lib. 2. cap. 14. v. 20. dixit Thecuitis fœmina: *Sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Vide quæ nos ibi. 19.

Vers. 28. *Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia domino meo Regi.* ] Non queritur Miphiboseth de iniusto, aut seuero nimis Regis iudicio, quo à paternis bonis deiectus est, quæ, regio decreto, adiit callidus, & infidelis seruus Siba, cùm loco beneficij ponat, quòd viuat, cùm tota Saulis domus obnoxia morti fuerit apud Dauidem, quem varijs modis innoxium, immò valde de Saulis honore, & capite, & de re tota Israëlitica meritum, odio quodam obstinatissimo insectatus est. Nihilo tamen minus sic paternas iniurias vltus est, vt pro supplicio nouo, & verè regio beneficio prosecutus fuerit, cùm assiduum esse voluerit regiæ mensæ. Quare concludit sibi nefas esse queri de Regis decreto, neque sibi ad clamandum reliquum esse spiritum, ac vocem, cùm plura acceperit quàm à regia liberalitate sperare debuerit. 20.

Vers. 29. *Fixum est quod locutus sum: Tu, & Siba diuidite possessiones.*] Cognouit, vt apparet, Dauid in Miphiboseth nullam hæsisse culpam; quod facilè ex eius illuuie, & sordibus intelligere potuit; ille enim habitus non tam suspicionem mouebat affectati imperij, quàm ex regia calamitate dolorẽ. Tum etiam, quia cùm præsens esset Siba, vt constat ex versu 17. nihil tamen ad obiecta respondit. Quare ne videretur ingratus Sibæ, à quo prope *Bahurim* benignè fuerat acceptus, non omninò mutauit sententiam, sed ex æquo inter vtrumque possessionem diuisit, quod sibi molestum nõ fuisse sermone significauit ingenio Miphiboseth. Ait 21.

nim sibi nihil accidere posse molestum,cùm Rex deuictis hostibus, lætus, & glorioſus in ſolium, ex quo excidiſſe videbatur, redierit. An aliquid Dauid addiderit eorum loco,quæ ex alienis bonis Sibæ conceſſerat, non conſtat;mihi,cùm Dauidis ingenium,& fidelitatem, tum etiam liberalẽ animum intueor,veriſimile eſt,iacturam illam alia ex parte liberali manu compenſaſſe: nam illum admiſiſſe innocentis hominis excuſationem, mihi dubium non eſt.Quod ſi ita eſt, non erit cur quiſquam accuſet Dauidem violati fœderis cum Ionatha percuſſi; quem aliis modis alij defendũt ab hoc ſcelere. Vide Abulenſem q.31. qui tamen q. 29. non liberat Dauidem à peccato, quia iniuſtè iudicauit;ſuſpicatur tamen q.30.alio modo à Dauide fuiſſe compenſatam iacturam illam.

22. Hebræi, vt in eorum traditionibus refert Hieronymus, ideo putant regnum Iſraeliticum fuiſſe diuiſum,& maiorem partem è familia Dauidis excidiſſe, quia Dauid fœdus iuramento firmatum violauit quod cum Ionatha Miphiboſeth parente percuſſit lib.1. cap.20. v.16. & lib.2.cap.23. v.18. Sed hoc eſt omninò falſum; alia enim fuerunt peccata,propter quæ diuiſum eſt regnum; immò quòd regnum totum non abierit à familia Dauid, illius merita fecerunt.3.Reg.cap.11.v.32.Qua de re ſuo loco longiùs diſputandi ſuccurret occaſio.

23. Verſ.31. *Bercellai quoque Galaadites*,&c.] Tota hiſtoria huius Bercellai, quæ ad numerum vſque 40.producitur, aperta eſt, neque luce indiget interpretis. Fuit autem hic homo diues,de quo cap. 17.v.17.qui Dauidi,dum eſſet in caſtris, ad militum ſubſidium magno vſui fuit; cui cùm gratiam referre vellet Dauid,illúmque ſecum familiarem, & neceſſarium habere, ille aulicas delicias contempſit, quia erat ea ætate, in qua omnes hebeſcunt voluptarij ſenſus, neque ex aulicorum, aut Regis conſuetudine aliquod haberet leuamentum, aut grauis,aut ingraueſcentis ætatis, & aliis poterat eſſe moleſtus. Tamen petiit, vt ſuum ſecum Rex haberet filium, cuius ætas his rebus magis erat idonea, ad quem transferret illam, quam parenti pollicebatur,regiam humanitatẽ.

24. Verſ.40. *Tranſiuit ergo Rex in Galgalam.*] Cùm Bercellai in domum ſuam eſſet reuerſus, perſecutus eſt Rex inſtitutũ iter, & traiecto Iordane peruenit in Ieruſalem, quem comitabatur virorum Iuda contribulium ſuorum magnus numerus,duplo maior, quàm aliarum omnium tribuũ Iſrael. Quod tulerunt grauiter aliæ familiæ,& quòd ad illum regium,& triumphalem ingreſſum non eſſent aſcitæ; & quòd tribus Iuda tam ſe in reducendo Rege ſtrenuam, atque lubentem oſtentaſſet. Quare apud Regem contra tribum illam ſtomachabundi hanc querelam,& accuſationem inſtituunt.

25. Verſ.41. *Quare te furati ſunt fratres noſtri viri Iuda?*]*Furari,furtum*, & ſimilia aliquid ſignificant occultum,& callidum,quod inſciis aliis fit; quomodo dicimus furtum Veneris,furtiua conſilia;& quicquid inſidioſum eſt, & callidum,hoc nomine ſignificare ſolemus. Cùm verò hæc aptè cadant in tribum Iuda,qua,quæ callidè,atque furtiuè hãc reſtituti Regis gloriam præripuiſſe ſibi viſa eſt; tamen credo hoc loco *furari* in ſignificatione propria eſſe ſumendum, quæ vendicatum aliquid alienum,aut commune ad priuatum vſum,& commoditatem importat. Quod feciſſe videntur viri Iuda, quia cùm Rex ad omnes pertineret tribus Iſrael, vt ab omnibus electus, & qui præfuiſſet omnibus; illi tamen hoc officio demereri ſibi voluerunt Regem, & quaſi ad ſe pertineret, ſibi ex omnibus totum vendicare.Quam tribus aliæ magnam ſibi irrogatam iniuriam interpretabantur, & de hac apud Regem cum ſtomacho, & penè cum conuitio querebantur.Quibus viri Iuda cum aliqua etiam animorum offenſione reſponderunt.

Verſ. 42. *Quia mihi propior eſt Rex.*] Propior dicitur,qui quouis modo cum altero coniunctus eſt,aut ſanguine,aut loco,aut etiam morũ ſtudiorúmque ſimilitudine.Cùm igitur cognatione, & genere magis eſſet coniunctus Dauid cum viris Iuda,vtpote illis contribulis, ſimul etiam illis eo nomine propior appellari potuit. Deinde quia propior etiam loco, quia Ieruſalem,ad quam Rex triumphalem moliebatur inceſſum, erat in tribu Iuda, atque ideo ex ea familia commodius obuiã prodire potuerunt, quàm qui diſtabant longiùs. Et hæc cauſa grauiſſima viſa eſt, vt inuidiam leuaret,& offenſionem, ſi qua ex occurſu illo feſtinato naſceretur. 26.

*Nunquid comedimus aliquid ex Rege, aut munera nobis data ſunt?*] Quod ex beneuolentia naſcitur, aut ex aliqua generis,aut ſocietatis coniunctione, honeſtam habet cauſam,quam nemo ſanus reprehendere,nemo improbare iure poſſit:ſecus eſſet ſi auaritiæ ſtudium,ambitionis æſtus,aut aliqua priuata commoditas impelleret.At neque ad victum quicquam ſumpſerunt ex regio fiſco, neque munera à regia liberalitate acceperunt, ſperántve, neque in eo officio, atque obſeruantia aliquid aliud ſibi propoſuêre,quàm oſtendere Regi, quo in illum ſint ſtudio,& quantam ex illius ſecundo euentu,reditúque felici conceperint animo lætitiam. 27.

Verſ.43. *Decem partibus maior ego ſum.*]Rationibus virorum Iuda eam reliquæ tribus rationem opponunt,quòd multò plures ſint, decem nimirum partibus;dicerent,opinor,*vndecim*,niſi tribus Leui omnibus eſſet intermixta, & multò plures eſſent in tribu Iuda,propter tabernaculum, & arcam,quàm in qualibet aliarum tribuum.Multitudinem itaque propinquitati tam loci, quàm ſanguinis obtendunt. 28.

*Duriùs autem reſponderunt viri Iuda viris Iſrael.*] Quid reſponderint viri Iuda,non habemus è textu, hoc vnum habemus reſpondiſſe duriùs; quæ reſponſio parùm fuit in illum rerum articulum opportuna. Ex illa enim grauis quædam orta eſt ſeditio, de qua ſequenti capite. Hîc tu obſerua nihil eſſe tam dulce,ac lætum,cui non ſit admixtũ aliquid amari; & verè appellari poteſt, quod lætum eſt in rebus,quantumcumque illud videatur ex omni parte fortunatum, γλυκύπικρον,id eſt, aliquid ex dulci, amaróque compoſitum. In ipſis etiam ſacris, religioſíſque conuentibus, in communibus precibus,proh dolor,& pudor! contentio eſt de loco,de ordine, & de rebus prudentium iudicio omninò vaniſſimis.Accidit aliquid ſimile Iudic.cap.12. Nam cùm Iephthe deuictis Ammonitis rediret lætus, & triumphans, Ephraimitæ, quòd ad illud bellum inuitati non eſſent,ſeditionem excitarunt, quæ reddidit cruentam illam victoriam, & ex Ephraimitide tribu multa hominum millia deleuit. 29. *Ambitio pacem, & lætitiam turbat.*

IN

# IN CAP. XX. LIB. II. REGVM

## ARGVMENTVM.

*EX ea contentione inter Iudam, reliquásque tribus facta est discessio totius Israëlis à Dauide, & Iuda, cuius autor fuit Seba filius Bochri, qui clangente buccina à Dauidis studio populum tumultuantem auertit. Cùm autem primùm Rex domum est ingressus, decem concubinas, quas incesto concubitu violarat Absalom, in custodiam concluſit, vbi illis de vitæ necessariis honestè prouidit. Deinde vt consiliis occurreret Sebæ, & seditionem tunc primùm erumpentem comprimeret, Amasæ mandat vt è Iuda delectus habeat militares, quos aduersariis viribus opponat, qui cùm diutiùs moraretur, quàm rei ipsius vsus exigebat, iubet Abisai vt bellatores, qui tunc erant ad manum, socios assumat, & Sebam, antequam se aduocato milite confirmet, insequatur. Occurrit in via Amasa, quem pacis, amicitiæque simulatione incautum interficit Ioab; qui cùm audisset Sebam, ad Abelam vsque penetrasse, ciuitatem obsidet, & premit, cuius ardorem, & studium subuertendorum mœnium remittit primùm oratione prudenti Abellana mulier, deinde omnino sedat proiecto ex muro illius capite, qui seditionis autor fuerat, & hoc modo illud, quod iam vires assumebat incendium, compressum est.*

## CAPVT VIGESIMVM.

1. ACcidit quoque vt ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Iemineus: & cecinit buccina, & ait, Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai: reuertere in tabernacula tua Israël.

2. Et separatus est omnis Israël à Dauid, secutúsque est Seba filium Bochri: viri autem Iuda adhæserunt regi suo à Iordane vsque Ierusalem.

3. Cúmque venisset rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: & non est ingressus ad eas, sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ in viduitate viuentes.

4. Dixit autem rex Amasæ: Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adesto præsens.

5. Abiit ergo Amasa vt conuocaret Iudam, & moratus est extra placitum quod ei constituerat rex.

6. Ait autem Dauid ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quàm Absalom: tolle igitur seruos domini tui: & persequere eum, ne fortè inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos.

7. Egressi sunt ergo cum eo viri Ioab, Cerethi quoque & Phelethi: & omnes robusti exierunt de Ierusalem ad persequendum Seba filium Bochri.

8. Cúmque illi essent iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniēs occurrit eis. Porrò Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia, in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere.

9. Dixit itaque Ioab ad Amasam: Salue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.

10. Porrò Amasa non obseruauit gladium quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est, Ioab autem, & Abisai frater eius persecuti sunt Seba filium Bochri.

11. Interea quidam viri, cùm stetissent iuxta cadauer Amasæ, de sociis Ioab, dixerunt. Ecce qui esse voluit pro Ioab comes Dauid.

12. Amasa autem conspersus sanguine, iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amouit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.

13. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab ad persequendum Seba filium Bochri.

14. Porrò ille transierat per omnes tribus Israël in Abelam, & Bethmaacha: omnésque viri electi congregati fuerant ad eum.

15. Venerunt itaque & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circundederunt munitionibus ciuitatem, & obsessa est vrbs: omnis autem turba, quæ erat

cum

cum Ioab,moliebatur deſtruere muros.

16. Et exclamauit mulier ſapiens de ciuitate: Audite, dicite Ioab: Appropinqua huc,& loquar tecum.

17. Qui cùm acceſſiſſet ad eam, ait illi: Tu es Ioab? Et ille reſpondit: Ego. Ad quem ſic locuta eſt: Audi ſermones ancillæ tuæ. Qui reſpondit: Audio.

18. Rurſumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri prouerbio: Qui interrogant, interrogent in Abela: & ſic perficiebant.

19. Nónne ego ſum quæ reſpondeo veritatem in Iſraël, & tu quæris ſubuertere ciuitatem, & euertere matrem in Iſrael? Quare præcipitas hæreditatem Domini?

20. Reſpondénſque Ioab, ait: Abſit, abſit hoc à me: non præcipito, neque demolior.

21. Non ſic habet res, ſed homo de A monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, leuauit manum ſuam contra regem Dauid: tradite illum ſolum, & recedemus à ciuitate. Et ait mulier ad Ioab: Ecce caput eius mittetur ad te per murum.

22. Ingreſſa eſt ergo ad omnem populum, & locuta eſt eis ſapienter: qui abſciſſum caput Seba filij Bochri proiecerunt ad Ioab: & ille cecinit tuba, & receſſerunt ab vrbe, vnuſquiſque in tabernacula ſua: B Ioab autem reuerſus eſt Ieruſalem ad regem.

23. Fuit ergo Ioab ſuper omnem exercitum Iſrael: Banaias autem filius Ioiadæ ſuper Cerethæos & Phelethæos.

24. Aduram verò ſuper tributa: porrò Ioſaphat filius Ahilud, à commentariis.

25. Siua autem, ſcriba: Sadoc verò & Abiathar, Sacerdotes.

26. Ita autē Iairites erat ſacerdos Dauid.

---

# IN CAP. XX. LIB. II. REGVM

## COMMENTARII.

### Verſ. 1. *Accidit quoque vt ibi eſſet vir Belial.*]

1. INTER illos, quos cum viris Iuda iurgatos eſſe diximus, fuit Seba, qui, vt apparet, in Abſalomis exercitu vnus erat è Principibus, & fortaſſe, vno excepto Amaſa, omnium primus. Qui omnium ægerrimè tulit illam, quam ipſe interpretabatur, iniuriam. Accedebat ad hanc offenſionem, quòd vir erat Ieminæus, id eſt, de tribu Beniamin, quæ propter Saulem è ſolio depulſum, minùs in Dauidem afficiebatur æquè. Ille ergo inſonuit buccina, quod proprium eſt eius, qui cum poteſtate eſt in militari republica, & à Dauidis ſtudio populum tumultuantem auertit.

2. *Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai.*] Hæc verba ſunt eius, qui ſtatuit cum altero nihil futurum eſſe negotij; & puto formam habere prouerbialem, quia hæc duo in ſimili deliberatione, atque conſilio ſæpè coniunguntur. Sed antequam exempla ad hanc cogitationem idonea produco, obſeruo, vbi Vulgatus *hæreditas* Græcè eſſe κλῆρος, quæ vox tam hæreditatem, quàm ſortem ſignificat, quam noſter interpres modò ſortem, modò hæreditatem conuertit. Sic ſanè Actorum 8. Petrus ad Simonem Magum, *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto.* Quibus verbis Petrus Simonem à fidelium communione abſcidit. Quod valde probabile cenſet noſter Turrianus lib. 1. cap. 11. Conſtit. Apoſt. Quod docuiſſe videtur Petrus ipſe in Canonibus Apoſtolicis can. 28. *Si quis*, inquit, *Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, &c. à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à me Petro abſciſſus eſt.* Aſſiduitatem, & frequentem vſum earum rerum, quæ voluptarios permulcent ſenſus, ſignificabant illi, qui Sap. 2. v. 9. *Nemo noſtrûm exors ſit luxuria noſtra: vbique relin-*

*Non eſſe alicui cum aliquo partem, ſortem, hæreditatem eſt non eſſe aliquid cum illo cõmune.*

C *quamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.* Hanc ego ſolennem eſſe arbitror, & legitimam formam, qua quis negat ſibi cum aliquo futurum eſſe commercium, ſiue conſortium, aut in negotiorum, aut gerendarum rerum ſocietate, ſiue in coniugali nexu, ſiue etiam in familia, ac genere, à quo ſe quiſpiam totum alienat. Quare ſi filius genus abiuret, diſcedereque velit à parente, cuius ingenium durum ferre non poteſt, aut quia impedimento eſt, ne Deo in religione ſeruiat, ſic, opinor, cum patre ageret: *Non eſt mihi pars, neque ſors, aut hæreditas in te.* Sic vir, qui dato libello vxorem repudiat, licèt nihil ab Scriptura ſacra certum habeamus, dixiſſe hæc eadem verba videri poteſt, cùm vxorem ex thoro, ac domo excedere iubet. Quomodo Romani legitima forma vxori in ſolenni repudio dicebant: *Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito.* Aut quomodo dixit Apuleius li. 5. de Aſino: *Confeſtim thoro meo diuorte, tibique res tuas habeto.* Seu quomodo Plautus in Amphitruo Act. 3. ſcen. 2. *Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.* Idem credo ſibi voluiſſe illos, qui à Dauide receſſerunt, quaſi nihil voluerint habere commune cum illo, neque vt ſubditi tributa dependere, neque ab eius liberalitate expectare quicquam. Idem omninò dixerunt iidem Iſraelitæ, cùm à Roboam Salomonis filio defecerunt, cuius imperio neque ſubeſſe voluêre, neque ab eo in minima quaque regula pendêre. Ad quem legati totius populi nomine lib. 3. Reg. cap. 12. v. 16. *Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſai? Vade in tabernacula tua Iſrael; nunc vide domum tuam Dauid.*

*Repudium ſub quibus verbis.*

Verſ. 2. *Et ſeparatus eſt omnis Iſrael à Dauid, ſecutúſque eſt Seba.*] Non difficile fuit perſuadere diſceſſionem populo, quem ambitionis æſtus, & 4.

iactata

iactata vtrinque conuitia ad seditionem inflammabant. Quare omnes, quotquot ad illum vsque locum Regem deduxerant, in sua quique tabernacula profecti sunt. Qui sanè non videntur fuisse pauci, quando & Seba voluit se Regi tunc aduersarium ostendere; quod sanè non fecisset, nisi satis se videret contra aliorum multitudinem à copiis instructum. Et quidem Dauid graue aliquid ex illa discessione timuit, quando dixit v.6. *Num magis afflicturus est nos Seba filius Bochri, quàm Absalom.*

Vers.3. *Tulit decem mulieres concubinas*, &c. *& tradidit eas in custodiam.*] Rediit Dauid stipatus viris Iuda, qui illi ex tanto hominum conuentu fideles adhæserant, & statim expiare voluit, quicquid domus regia ex violatis ab Absalome concubinis sordium contraxerat. Concubinis primùm ampliùs consuescere noluit, quia execrabili modo filius incesto concubitu fecerat suas: neque præterea regiam dignitatem decebat; vt quas fœdasset lasciuus, & petulans filius, illæ postea in thalamum patris, complexúmque redirent. Deinde quia à regio cubili ad aliorum nuptias descendere parùm erat decorum: neque sperabat Rex prudens, & cautus, vsqueadeò pudicas fore, & suæ famæ studiosas concubinas vt si dimissæ forent, & suo sibi iuri, ac voluntati relictæ, petulantium hominum libidini non succumberent: neque dubitabat futuros esse quamplurimos, qui illarum nuptias, aut consuetudinem ambirent. Ergo conclusit illas, non quasi captiuas, & reluctantes, in carcerem, qui magni sceleris reos coërcet, & punit, sed voluntarias, illásque de honesta, ac regia alimonia prouidit, quia satis norat eas vim illatam ab impudenti filio, licèt maximè reluctarentur animo, viribus tamen repellere non potuisse. Aluit itaque non aliter, opinor, quàm apud nos hodie aluntur in secessu, & claustro, Deo dicatæ virgines, aut certè quæ sub hæc tempora, cum honore, &, vt est verisimile, non inuitæ in Salomonis templo, in destinato parthenone morabantur virgines.

5. *De concubinis ab Absalome violatis quid statuerit Dauid.*

6. Vers.4. *Dixit autem Rex Amasæ: Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium.*] Nullus videbatur aptior ad conuocandum viros ex tribu Iuda, quàm Amasa; tum quia ille erat ex ea tribu, atque ideo apud suos contribules aliquid habebat auctoritatis, & gratiæ; tum quia cùm viueret, & floreret Absalom, cui ex ea tribu adhæserunt non pauci, ipse princeps erat militiæ, quo tempore seditiosorum animos demereri potuit. Iussus est ad diem tertium redire, sed cùm res plus haberet difficultatis, quàm principio videbatur, pluscu-lum moræ in euocando populo ponendum fuit. Cùm autem Rex maturandum esse censeret, vt hostem opprimeret, aut serpentem coniurationem præcideret, aduocauit Abisai, edixítque vt quamprimùm ex parato, atque domestico milite exercitum cogeret; quos hîc appellat *seruos domini sui.* Hic porrò dominus est Dauid, cui aderant viri Cerethæi, & Phelethæi, tum præterea sexcenti viri, qui Gethæi vocantur, quia cum Dauide quondam morati sunt in Geth. Quibus sese socios adiunxerunt plures alij, qui erant in Ierusalem viri robusti. Neque facta est leuis accessio ex his, quos secum princeps exercitus adducebat Ioab.

7. Vers.8. *Cúmque illi essent iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon.*] Lapis iste non est excisus è saxeo colle, sed collis ipse saxeus præaltus, ille, in quo erectum erat altare, & in quo fuerunt sæpe immolatæ victimæ; quod dicebatur excelsum Gabaon, de quo lib.3.Reg.cap.3.v.4. *Abiit itaque (Salomon) in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippè erat excelsum maximum.* Cùm ergo veniisset exercitus ad illam rupem, occurrit Amasa, cùm iam regia mandata complcuisset, & viros Iuda ad opprimendum nouum illum hostem euocasset.

8. *Amasa à Ioab occisus.*

*Porrò Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere.*] Hunc locum difficilem reddunt variæ translationes, quas hîc primùm adducam, deinde vulgatam translationem, & sensum, quàm potuero diligenter, expendam. Septuaginta sic reddunt: *Ioab indutus mantelum vestimentum suum, & super illud accinctus gladio coniuncto super lumbum suum in vagina eius. Et gladius exiuit, & ipse exiuit, & irruit.* Paulò aliter habent Complutenses codices. Pagninus iuxta codices Hebræos, *Ioab autem erat accinctus tunica vestimenti sui, & super eam cingulum gladij adhærentis lumbis eius in vagina sua, cúmque egressus esset, tunc cecidit.* Tigurina: *Erat Ioab accinctus tunica sua, qua erat indutus, super quam succinctus erat gladio, qui in vagina iugi in modum ad lumbos eius pendebat, sic vt facilè exiret, & excideret.* Caietanus ex Hebræi translatione, cuius opera vsus fuit: *Ioab autem cinctus panno vestimenti sui, & super eum cingulum gladij applicati super lumbos eius in vagina sua: & ipse exiuit, & cecidit.* Chaldaica Paraphrasis: *Et Ioab erat accinctus zona super vestimenta sua, & super eum erat balteus, & gladio erat accinctus super lumbos suos, in vagina sua, & ipse ibat, & gradiebatur.* Hispanica translatio: *è Ioab venia armado sobre su vestimento, y encima cenia vna espada aguda de amas partes sobre sus lomos en su bayna, e el salio, y cayo se el espada.* Expendere, atque explicare, quid quæque translatio sibi velit, longum esset opus, neque admodùm necessarium. Tantùm expendam vulgatam translationem, quæ vna instar omnium, & supra omnes est.

9. *Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui.*] Ioab statuerat, cùm obuium habuit Amasam, illum occidere, deposuit paludamentum, si quod erat, imperatoris insigne, vt à lacinia, & pondere vestimentorum expeditus non aggrederetur, perficerétque commodiùs. Sanè dum dicit strictam esse tunicam, aliquid indicat in Ioab, & in imperatore minùs vsitatum.

10. *Et desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia in vagina.*] Supra tunicam, & non subtus gestabat gladium, vt illum magis haberet ad manum, quam in complexu simulato, & callido habiturus videbatur impeditam. Gladius porrò ideo dicitur ad ilia dependere, quia, vt est verisimile, Hebræi milites sic accingebantur, vt non demitteretur gladius ad ilia, seu lumbos vsque, sed altiùs, puta sub axillam, aut supra pectus, vt nonnulli gestant nostro tempore, aut certè infrà supra femur, vt alij nostra ætate communiter ferunt; & hoc verius, quia sæpè in sacris literis audimus gladium esse super femur. Psal.44. *Accingere gladium tuum super femur tuum potentissime.* Et Cant.3. *Vniuscuiusque ensis super femur suum.* Si in femore gladium habuisset Ioab, non commodè amplexatus Amasam, illum è vagina potuisset eximere.

11. *Qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere.*] Accedebat aliquod præterea artificium, quo leui motu gladius eximeretur, immò & sponte egrederetur è vagina, & leui, atque occulto impetu aduersarium perfoderet. Quódnam fuerit hoc artificium,

artificium, non assequor; certum tamen est aut ipsum sine manu, aut impetu stringi, immò & percutere posse aduersarium, quod non videtur esse difficile,& probat,quia ex eo loco pendebat, vnde ad latus Amasæ, id est, vt Hebræus habet textus,ad quintam costam, adigi potuerit; ex ilibus enim Ioab directo spectabat gladius ad Amasæ latus,id est,ilia,aut certè non ab ilibus procul. Sed credo manu eductum esse gladium à Ioab; quod licèt non omninò conuincat,indicat tamen quod sequitur v.10.*Porrò Amasa non obseruauit gladium,quem habebat Ioab,qui percussit eum in latere.* & Hebræus legit,*Non obseruauit gladium,qui in manu Ioab.*

12. Iosephus lib.7.cap.10.Ant.refert venisse Amasam cum exercitu magno (quod fortasse verum) deinde in hunc modum Amasæ cædem describit. *Ioabus thorace munitus,accinctúsque gladio, accedente ad complectendum Amasam, de industria gladium sibi à vagina elabi passus est:eóque mox à terra sublato, & altera manu barba Amasæ ceu deosculandi prehensa, improuiso ictu ventrem ei perfodit, hominémque confecit.* Cum Iosepho sentiunt Hebræorum aliqui; de qua sententia,& de re tota vide Abul.q.16.vbi tenet Ioab manu, & non artificioso motu gladij occubuisse Amasam, quod & nobis suprà visum est.Addo ad extremum eodem modo videri Septuaginta reddidisse hunc locum, quo Vulgatum. Nam quod dixit Vulgatus:*Qui fabricatus leui motu egredi poterat,& percutere.* in quo alij fermè dissentiunt, Septuaginta legunt: *Et ipse exiuit,& irruit.* Cuius sensus est (vt notant Scholia ad hunc locum in translatione Septuaginta,nunc proximè à Sixto correcta, quæ etiam dicunt translationem illam à vulgata non videri diuersam) *tantam esse gladij agilitatem, vt simul egrederetur, & feriret.*

13. *Tangere alicuius barbam, aut maxillam olim in salutationibus vsitatum.*

Vers.9. *Et tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum.*] Cur Amasæ mentum,seu barbam apprehenderit Ioab,obscurum est.Abulensis q.16.ideo putat ne Amasa fugeret. Mihi hoc visum est durum, neque admodum ad Ioab consilium fraudulentum: facilè enim Amasa, si in ea menti apprehensione vis aliqua esset, aut metus hostilis,caueret sibi ab eo, quem propter ablatam dignitatem aut norat, aut suspicabatur infensum. Ego id puto vsitatum Hebræis,vt sicut se mutuis excipiebant osculis, neque id putabatur indecorum, aut inurbanum; sic etiam aut genas tangerent,aut barbam illorum, quorum se profitebantur familiares,& amicos.Hoc verò tam aberat olim vt censeretur rusticum, & fatuum, vt potiùs qui contra faceret,parùm videretur officiosus, & vrbanus. Homerus lib. 1. Iliad. sub finem, iuxta illam consuetudinem, quæ sub illa tempora vigebat, inducit Thetim, quæ supplicatura Ioui, eius mentum dextra manu prehendit.

Δεξιτερὴ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἐλοῦσα
Λισσομένη προσέειπε Δία.

14. *Dexterâ apprehendit mentum, & supplex allocuta est Iouem.* Similia apud eundem Poëtam occurrunt non rarò. Vt autem virorum etiam Principum supplices, aut etiam venerabundi mentum attingebant; sic fœminarum nobilium, quales sunt Heroides,aut Reginæ,tangebant genas.Quod fecit Vlysses, cùm deprehensus est simulato habitu à Troiana Regina.Quod docuit Euripides in Hecuba,quam his verbis cum Vlysse agentem inducit, ἅψῳ τῆς γεραιᾶς προσπίλνων παρηίδος,*tetigisti supplex hanc anilem genam.* Quod etiam cum Vlysse mutata iam fortuna fecisset eadem,si Vlysses permisisset. Nam cùm dixisset, *Supplex anilem hanc contigisti genam.*addit idem omninò supplex factura.*Nunc hæc vicissim prona contingo tui.*Et aliquantò postea de eodem queritur Polyxena supplex: *Video te Vlysse ora vertentem retrò tetigisse malam,ne mihi sit fas tuam.* Et quidem Plinius lib. 11. cap. 45. hanc esse olim apud Græcos consuetudinem dicit. *Antiquis*, inquit, *Græcis in supplicando mentum attingere mos erat.* Eandem ego reor consuetudinem fuisse inter Hebræos, cùm occurrerent illi, quibuscum sanguinis erat, aut animorum aliqua coniunctio.

15. *Ioab autem, & Abisai frater eius persecuti sunt Seba.*]Si verum est, quod suprà dicebamus ex Iosepho, attulisse nimirum Amasam secum vim hominum maximam, quam ex contribulibus suis euocauerat;illud quicquid erat,secum adduxerunt Ioab,& Abisai.Sed mirum est,illos,qui ducem Amasam secuti fuerant,non conuertisse arma, quæ in coniurationis auctorem assumserant,in illum, à quo per scelus,& fraudem Amasam interfectum esse cognouerant.Quæ res dubiam mihi facit Iosephi fidem, & facit vt putem euocatos quidem esse plurimos, & illis certum diem,& locum esse conictum; non tamen simul cum Amasa fuisse profectos.

16. *Principum casus valde subditis noxius.*

Vers.11. *Interea quidam viri cùm stetissent iuxta cadauer*, &c. ] Hæc ad versum vsque 18. aperta sunt;tantùm enim habemus ad aspectum cadaueris,quod iacebat in via,substitisse omnes tanti viri tam acerbum casum, & ducis Ioab fraudulentam audaciam admiratos.Cùm autem tam crudelis species omnium ordinum fregisset animos, summouit quidam illum de via, & impedimento sublato, alij quam ingressi fuerant viam,persecuti sunt. Vbi nota pro re morali, quantum afferat impedimenti populari turbæ Principum lapsus, quo illorum,qui in eodem studio sunt,debilitantur vires,& studia frigent. Quare eodem vulnere, quo cecidit Amasa, alij quoque cecidisse videri possunt.

17. Vers.18. *Sermo dicebatur in veteri prouerbio:Qui interrogant,interrogent in Abela, & sic perficiebant.*] Obsederat Ioab Abelam, in quam se receperat Seba,vrgebátque obsidionem vehementer,admotóque ariete, muralibúsque machinis subruendis, euertendísque mœnibus constans dabatur, & acris opera. Et certè vrbs illa grauem accepisset ruinam,& plagam,nisi prudentis fœminæ sedulitas occumbenti patriæ maturum adhibuisset remedium.Quæ cùm ascendisset murum,principem aduocat exercitus, & rationem ostendit, qua victoriam imperator habeat incruentam, nempe vt vnius hominis interitus,in quo tota hærebat culpa, omnium ciuium redimat commune periculum. Verba porrò, quæ Abelana fœmina locuta est ad Ioab, obscura sunt,quæque interpretum diu,ac multùm vexarunt ingenia.

18. *Sermo dicebatur in veteri prouerbio.* Aliquid fine dubio præcipuum erat in hac ciuitate, vnde natum est hoc prouerbium;quid illud fuerit, nobis explorandum.Sed priùs nobis illa explicatio reiicienda,quæ ideo, vt puto, aliquibus placuit,quia nulla illis occurrebat solutior, quàm sumpserunt ex Hebræorum traditionibus,qui,vt in illis refert Hieronymus, existimant allusum esse ad illud Deut. cap. 20. vbi præceptum est à Domino, vt quando ingressuri terram Chanaam essent, & gentes deleturi,primùm pacem offerrent,& si pax ab eis reciperetur, pacem recipientes tributarij eorum efficerentur,sin secùs delerentur. Hæc ergo

go Abelana fœmina monet Ioab,vt in Abelæ obsidione seruet illam legem, quam in aliis alienigenarum ciuitatibus seruare iubentur,qui exercitibus præsunt. Hæc probant viri non pauci; sed sanè huic expositioni non adeò fauent, quæ sequuntur, quæ omnia non tam à lege illa Deuteronomij videntur accepisse vim, quàm ab alia ciuitatis Abelæ commendatione, vt constat, quia non aptè cum communi illa lege videntur posse componi.

19. *Abela bonorum ingeniorum ferax, aut literarum altrix.*

Alij, vt opinor, meliùs Abelam ciuitatem esse credunt aut bonorum ingeniorum feracem, aut bonarum literarum altricem, quales sunt Academiæ. Quare hæc fœmina iuxta horum authorum cogitationem admonet Ioab, ne temerè aliquid aggrediatur,sed consilium accipiat ab ea ciuitate, vtpotè bonarum artium, & disciplinarum magistra,quam alij consulere consueuêre, didiceréque ex ipso rerum exitu prudens ab illa datum esse consilium. Quòd verò loca fuerint in Israelitide terra,in quibus doctrina traderetur philosophica, siue quæ ad mores, & religionem pertinet, nonnulla apparent in Scriptura vestigia. Certè Iosue cap.15.v.15.ciuitas fuisse dicitur, quæ tunc vocabatur Dabor,quæ priùs appellata fuerat Carioth-sepher,id est,ciuitas literarum,quia ibi Chananæi habuisse videntur Gymnasia, & communia omnium disciplinarum emporia.De qua vide in eum locum Abulensem. Ex illis ergo Academiis vna fuit Abela, & omnium, vt apparet, nobilissima, qualis fuit olim inter Græcos Athenæ, in Gallia Lutetia, in Hispania Salmantica, aut Complutum.

*Schola apud Hebræos.*

20. *Abela ciuitas merita.*

Mihi omnium maximè placet Abulensis q.25. à quo non longè abit Caietanus, & Angelomus in priori explicatione: nam statim adducit sententiam Hebræorum,& illam anteponit; qui putant ab illa fœmina prudentissima proponi insignia ciuitatis merita, quæ arcere poterant inimicorum arma, & quantumcumque furentes animos sedare.Natura enim rerum fert, vt inuiti feramur in ea,ex quibus aliquem non vulgarem vsum cepimus, aut quæ vtilia fore videntur rationibus publicis, aut quæ aliquid habent eximium, quod venerari,aut admirari debeamus. Hæc verò ciuitatis illius in omnem gentem Israelitidem promerita sunt. Quia in ea fuit commune quoddam,& celebre totius Israelis oraculum; si quid enim dubium incideret, de quo esset instituenda deliberatio, si qua de religione controuersia, si quis denique nodus,qui non posset ab aliis facilè dissolui, res tota deferebatur ad Abelam. Quemadmodum aliis in locis ad Academias, sapientiúmve cœtus adducuntur illa, quæ magnorum ingeniorum illustrationem desiderant. Quare sicut prouerbiali specie, si quis occurrit nodus explicatu difficilis, dici vulgò solet, *soluat Oedipus*, aut *interroga Oedipum*;sic etiam,opinor, dicebatur in Israel, *Adi Abelam*, seu *interroga in Abela*. Ait ergo fœmina illa prudentissima nefas esse ciuitatem illam excindi, cuius tot essent merita in rem communem,neque ex vsu fore Gentis Israelitidis deleri oraculum illud familiare Hebræis, & in rebus dubiis commune perfugium. Sanè imperatores appetentes victoriæ, & furore in aliquod hominum genus inflammati, ab hominum sapientium,beneque de re communi meritorum ædibus abstinuerunt, cùm cætera incendio, ferróque vastarent Alexander cùm Thebas euerteret, & in omnes sine discrimine sæuiret,à Pindari ramen ædibus,tanquam à re sacra,victorem, & insolentem militem abstinere iussit.

*Et sic perficiebant.*] Cùm edocti essent ab Abelanis,qui consilij gratia ad illos accesserant, quid facto opus esset, rem aggrediebantur ex illorum sententia, perficiebántque quod illis ex vsu, aut religione futurum esse videbatur. Aut certè sic perficiebant,id est, assequebantur,quod suis proposuerant aut votis, aut studiis;aliter excidissent ab eo,ad quod eorum studia ferebantur: vel perficiebant,nempè interrogare alios, quia satis habebant sibi,si modò ab Abelanis responsum accepissent,quod instar obtinebat,& pondus oraculi. 21.

Vers.19. *Nónne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israël?* ] Hîc Hebræi suo more perquam bellè nugantur, & de hac muliere prodigiosa referunt, cum magno,opinor, suorum auditorum stupore, & plausu, qui non minus erant ad credendum, quàm illi ad fingendum faciles. Dicunt enim, vt tradit Hieronymus in traditionibus Hebraicis,& pluribus Abul.quæst.27. ex Rab. Salomon, hanc mulierem fuisse Saram filiam Aser, de qua Genes. 46.v.17.eámque spiritu afflatam esse prophetico; dixíque Iacob filium eius viuere, & esse fortunatum in terra Ægypti; & ostendisse Moysi quo loco essent ossa Ioseph, cùm illa ex Ægypto ad promissam terram transferri oporteret. Quod ideo sibi miselli persuaserunt, quia ipsa hoc loco de se affirmat, *Ego sum, quæ respondeo veritatem in Israel.* En quàm graue fundamentum, vt tam immane mendacium sustineat! Sed dicendum est hanc mulierem personam sustinere ciuitatis Abelæ, & eius nomine agere cum exercitus principe de patriæ libertate, vt declarat totus penè contextus.Nam primùm non dicit mulier se ab Israele consuli,sed Abelam; neque ideo probaret parcendum esse ciuitati,quia vna esset mulier maturi iudicij,& acutæ mentis, quæ idoneè posset interrogántibus respondere. Licèt enim eam ob causam indigna non esset optata venia; at certè ideo tota ciuitas digna non esset,cui ignosceretur. Agit igitur publicam, id est, ciuitatis personam,& in se repræsentat,quod in illo doctorum, doctrinarúmque domicilio commendari videt. 22. *Fabula Hebræorum de fœmina Abelana.*

Hebraicè,*Ego pacificans fideles Israel.* seu, vt legunt Septuaginta; *Ego sum pacifica de firmamentis Israel.* ] Quorum sensus est Abelam componere consueuisse controuersias sua prudentia, atque integro, fidelíque iudicio, & animos conciliare diffidentes; aut certè se nunquam excitare solitam seditiones, & motus. Quare qui Abelam euerteret, magnum in Israelitide terra conseruandæ pacis momentum eriperet. Et ideo subiicit. 23.

*Et tu quæris subuertere ciuitatem, & euertere matrem in Israel?* ] Quasi dicat, egregie tot ciuitatis huius merita compensas, præclaram refers gratiam illi,quæ,quod mater filiis,Israeli toti beneficium, & indulgentiam præstitit, dum illam excindere contendis,quæ pacem aluit,& seditionum semina sapienter elisit. Qua præcipitata Israelem totum eodem impetu præcipitas. Id enim valet,*Præcipitas hæreditatem Domini.* hæreditas enim est totus Israel. 24.

Vers.21. *Sed homo de monte Ephraim Seba.*] Reliqua ad vers.23.interprete non egent. Ait enim Ioab sibi nihil esse cum illa ciuitate negotij, sed esse seditiosum hominem nomine Seba,qui cótra Regem infidelem armauit manum,& magnos inter fratres excitauit motus;quo sublato, nihil fo- 25.

re præterea,quod perſequatur bello. Quod facilè A obtinuit mulier à ciuitate tota , cui viſum eſt expedire , vt vnius hominis capite præſens redimeretur populi,& commune periculum. Occiditur itaque Seba communi conſenſu , & illius caput per muros ciuitatis in caſtra proiicitur , & ſtatim clangente buccina reuocatus eſt populus , & obſidio ſoluta.

16. Illud hîc videndum , quomodo cùm Ieminæus eſſe dicatur Seba ſuprà v.1. id eſt, de filiis Beniamin,nunc dicatur à Ioab eſſe de monte Ephraim. qua de re Abul.q.28.Ego duas cauſas illius nominis inuenio;& primùm ſtatuo illum montem;qui dicitur Ephraim,eſſe in tribu Beniamin; neque enim ex Hebræorum conſuetudine licebat quemquam habitare extra funiculum ſuæ tribui deſtinatum. Puto autem aut montem illum appellari B Ephraim,quia aliquid ibi accidit Ephraimitis,ſiue aduerſum,ſiue proſperum , cuius memoriam retinuerunt poſteri:quomodo ſuprà cap.18.locus vbi commiſſum eſt prælium contra Abſalomem,cùm ſit in regione Galaaditide , vocatur tamen ſaltus Ephraim , propter euentum,quem eo loco adduximus. Aut cùm mons ille oriretur in ſorte Ephraim , ab Ephraim compellationem accepit,licèt latè ſe ad aliarum tribuum terminos porrigeret. Atque ideo pars illa montis; quæ ſpatium aliquod occupabat ſortis Beniamin , appellata fuit mons Ephraim. In illo porrò ſpatio habitaſſe videri potuit iſte Seba. Niſi mauis aliquam partem illius tribus hoc notari nomine,quia vergebat ad montem Ephraim. Quomodo magnæ ciuitates, C aut illuſtria loca nomen attribuunt portis ciuitatum,quæ ad illas aut ducunt,aut ſpectant. Sic in hoc ipſo loco , vbi hæc ſcribimus , porta dicitur *Matriti*, & *Caracæ* , & *fluminis*,quia regiones illas habent aduerſas. Quælibet harum rationum ſatis eſt grauis,vt ciuitas,quæ eſt in Beniamitide, in Ephraimitide tribu fuiſſe dicatur. Quæ harum ſit vera,incertum nihil eſt.

17. Verſ. 23. *Fuit ergo Ioab ſuper omnem exercitum Iſrael.* ] Cùm iam extinctus eſſet Amaſa , quem pro Ioab Rex conſtituerat ſuper exercitum,rediit Ioab ad illum locum,& ordinem,vnde paulò antè deciderat.

18. *Banaias autem filius Ioiadæ ſuper Phelethæos,& Cerethæos.* ] Qui ſint hi Phelethæi,&c.diximus ſuprà cap.15.v.18. Sunt autem regij corporis cuſtodes, & vigiles,qui à Latinis Prætoriani milites appellantur.

Verſ.24. *Aduran verò ſuper tributa,* &c. ] Hic quæſtor erat regius,qui fiſco præerat. Videtur autem Dauid aliter atque antea diſpoſuiſſe tam quæ ad regnum,quàm quæ ad ipſius familiam pertinebant:nam aliqui in ea conſpiratione non ſatis fidem ſuam Regi probauerant. Quamuis,quod ad hæc miniſteria pertinet;nihil mutatum eſt, vt ſatis conſtat ſupra cap.8. ad finem , vbi hæc eadem munera,atque perſonæ numerantur;vno excepto Ira Iairite, qui ſacerdos fuiſſe dicitur Dauid.Vide quæ à nobis ibi dicta ſunt , quæ hîc repetere neceſſarium non eſt.

Verſ.26. *Ira autem Iairites erat ſacerdos Dauid.*] Lib.2. cap. 8. ad finem, filij Dauid fuiſſe dicuntur 29. ſacerdotes,qui tamen tales eſſe non poterant,quia non erant ex ordine Leuitico.Quo verò ſenſu ſacerdotes eſſe potuerint , ibi à nobis oſtenſum eſt. Hîc nobis inueſtigandum, cur loco filiorum Dauid,ponatur iſte Ira Iairites.Si verum eſt,quod putat Lyra,ſacerdotis nomine nihil ſignificari ſacrũ, vt [illegible]ximus de filiis Dauid , & illorum loco *Iram* [illegible]ſe ſuffectum,haud dubiè hoc nomen eã dignitatem,& neceſſitudinem ſignificat,quam habẽt,qui aſſidui ſunt Principibus, & plurimùm apud ipſos gratiâ,& auctoritate valent.Atque ideo hîc de Ira nil aliud affirmatur,quàm Regi fuiſſe charum,familiarem,& aſſiduum. Suſpicor autem illos filios Dauid,qui dicuntur ſacerdotes,fuiſſe non omnes, ſed duos , Abſalomem , & Ammonem , qui Regi chariſſimi erant.De Ammone liquet ex c.13.v.21. vbi ſic de Dauid , poſtquam nouit quid Ammon contra ſororem admiſiſſet. *Noluit contriſtare ſpiritum Ammon filij ſui,quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat.*De Abſalome ſatis graue documentum dedit in illius morte.Cùm ergo hoc tempore duo iſti,qui ſacerdotes antè fuerant,deceſſiſſent, eorum loco ſucceſſit Ira Iairites.

Hæc explicatio mihi non videtur aliena , ſed 30 neque fortaſſe illa eſt, quã adducit Theodoretus, & ex eo Abulenſis q. 32. vbi docet fuiſſe quidem Sadoc,& Abiathar,ſacerdores magnos,qui Iſraeli toti in ſuo ordine , & ſacro miniſterio præerant. At Iairitem iſtum eſſe ſacerdotem Dauidis,qui illi aderat,& pro eo ſæpe ſacris operabatur.Quomodo nunc viri principes , licèt Epiſcopos habeant, tamen domeſticos,& familiares ſacerdotes , quos Capellanos dicimus,qui pro illis ſacrificant,& orant. Quod eo tempore Dauidi accidere potuit commodiùs,cùm apud ſe arcam haberet, & vacare quotidie poſſet ſacrificiis.

---

# IN CAP. XXI. LIB. II. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*EVIT triennali ſpatio,regnante Dauide grauis fames in populo , cuius cauſam conſultus Deus eſſe reſpondit iniuriam à Saule Gabaonitis irrogatam , qui illorum interfecit plurimos contra fidem quondam obligatam à Joſue.Qui rogati à Dauide quam vellent accipere ſatisfactionem violatæ fidei ? reſpondent non aliter expiandum eſſe peccatũ,quàm ſanguine,& morte illorũ,qui à Saule tanti ſceleris autore propagati ſunt: Qui cùm priùs omnẽ illius poſteritatem delendã eſſe ducerent;poſt tamẽ minas illas ad ſeptẽ capita tantùm contraxerunt. Tradidit ergo Gabaonitis Dauid duos filios Reſphæ concubinæ Saulis,& quinque Merob,quos ſoror illius Michol prorſus aluerat , adoptauerátque,quos Gabaonitæ in excelſo loco,vt ſpectari poſſent ab omnibus , in crucem ſuſtulerunt, quos Reſpha cilicino ſtragulo prope crucẽ ſubſtrato ab auiũ,belluarũque laceratione tutata eſt.*

Qua

*Quæ corpora inde sublata, & cum hostibus Saulis, ac filiorum, quæ antea viri Iabes Galaad è Palæstinorum regione sustulerant, coniuncta adduci iussit Dauid in Gabaa, & in paterno sepulcro honestè tumulari. Et eo modo placatus est Deus, & famem illam lõgam, & duram ciborum abundantia consequuta est. Post hæc ad finem vsque capitis varia referuntur bella, quæ variis temporibus contra Philistinos gesta sunt. In primo Dauid iam senectute grauis occisus fuisset ab homine vastæ, & giganteæ molis, nisi opportunè subuenisset Abisai, qui interfecto gigante Dauidem liberauit. In altero bello Sabacha fratrem illius gigantis, giganteæ item proceritatis occcidit. In tertio bello Adeodatus gigantem alium interfecit, qui & vastitate corporis, & bellica virtute cum Goliath, qui occisus quondam fuerat à Dauide, comparari poterat. In quarto alius item gigas interiit, qui in manibus ac pedibus senos habebat digitos, qui tam suis fidebat viribus, ac Genio, vt blasphemam linguam in verum Israelis Deum impiè procuderet. Hi porrò qui Dauidis & seruorum manu ceciderunt, fratres fuerunt ex Arapha prognati.*

## CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

1. FActa est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & [illegible] suluit Dauid oraculum Domini. Dixítque Dominus: propter Saul, & domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas.

2. Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad eos. (Porrò Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorũ; filij quippe Israel iurauerant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel & Iuda.)

3. Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum: vt bænedicatis hæreditati Domini?

4. Dixerúntque ei Gabaonitæ: Non est nobis super argento & auro quæstio, sed contra Saul, & contra domum eius: neque volumus, vt interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis vt faciam vobis?

5. Qui dixerunt regi: Virum, qui attriuit nos & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel.

6. Dentur nobis septem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo.

7. Pepercítque rex Miphiboseth filio Ionathæ filij Saul, propter iusiurandum Domini, quod fuerat inter Dauid, & inter Ionatham filium Saul.

8. Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Axia, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboseth; & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi,

9. Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei.

10. Tollens autem Respha filia Axia cilicium, substrauit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: & non dimisit aues lacerare eos per diẽ, neque bestias per noctem.

11. Et nunciata sunt Dauid quæ fecerat Respha filia Aia, concubina Saul.

12. Et abiit Dauid, & tulit ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius, à viris Iabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim cùm interfecissent Saul in Gelboe.

13. Et asportauit inde ossa Saul, & ossa Ionathæ filij eius: & colligentes ossa eorum qui affixi fuerant:

14. Sepelierunt ea cum ossibus Saul & Ionathæ filij eius in Terra Benjamin, in latere, in sepulchro Cis patris eius: fecerúntque omnia, quæ præceperat rex, & repropitiatus est Deus terræ post hæc.

15. Factum est autem rursum prælium Philistinorum aduersum Israel, & descendit Dauid, & serui eius cum eo, & pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem Dauid,

16. Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastæ trecentas vncias appendebat: & accinctus erat ense nouo, nisus est percutere Dauid.

17. Præsidióque ei fuit Abisai filius Saruiæ, & percussum Philisthæum interfecit. Tunc iurauerunt viri Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.

18. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philisthæos: tunc percussit Sobochai de Husati, Saph de stirpe Arapha de genere Gigantum.

19. Tertium quoque fuit bellũ in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethleemites Goliath Gethæum, cuius hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium.

20. Quartũ bellũ fuit in Geth: in quo vir fuit excelsus, qui senos in manib. pedibúsq; habebat

habebat digitos, id est, viginti quatuor, & erat de origine Arapha.

21. Et blasphemauit Israel: percussit autem eum Ionathan filius Samaa fratris A Dauid.

22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid & seruorum eius.

# IN CAP. XXI. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & consuluit Dauid oraculum Domini.*]

1. QVOTO anno cæperit hæc fames, non A constat; est tamen verisimile non longè post tempora, de quibus proximè, contigisse, licèt aliter non rarò contingat, eodem tamen ordine narrari res solent, quo gestæ sunt. Et ita placet Abulensi q. 1. qui tamen non grauatè admittit illam sententiam, quæ ante hoc tempus famem illam contigisse dicit; quod mihi difficile non est. Nam sicut in secunda parte capitis, vt nõnulli putant colligit historicus sacer bella, quæ contra Philistinos gessit Dauid, quia nihil iam bellorum supererat, quod historiæ mandaret; sic etiam quia calamitates numerarat, quæ Dauidi contigerunt post violatum Vriæ thalamum, hanc etiam attexere voluit, licèt non suo loco, quia alius non occurrebat opportunior, ne supplicia, quibus Deus Dauidis adulteri, atque homicidæ scelus castigauerat, interrupta obscuram redderent narrationem. Sed nihil hîc certum video, vtrumque satis apparet verisimile, & illud prius magis, nimirum vt narrationis ordo ordinem sequatur rerum gestarum.

2. *Consuluit Dauid oraculum Domini.*] Quomodo consultus Deus oraculum Dauidi, atque aliis reddere consueuerit, diximus suprà lib. 1. cap. 23. & quidem consultum à Dauide fuisse Dominum sæpiùs legimus, quia bonus Rex nihil inconsulto Deo felicem exitum habiturum putabat. Dubitat Abulensis q. 3. cur cùm tribus annis fames vexarit Israelitas, ad tertium vsque consultationem distulerit. Et postquam aliorum rationes confutauit, dicit videri sibi à Dauide Dominum esse consultum duobus annis prioribus, non tamen respondisse; vel quia aliquod in populo peccatum interuenerat, quod diuinum impediret oraculum, sicut B accidit Saulis tempore, c. 14. & iterum cap. 28. vbi Deus respondere ad interrogata noluit, quia peccatum in castris reclamabat: vel certè cùm Deus tribus annis punire populum fame statuisset, respondere noluit, quia neque vindicem manum ab infligẽda plaga cohibere voluit. Sed sanè, licèt nõ abs re, & sine coniectura aliqua probabili, diuinat tamen Abulensis. Fortasse non subiit Dauidis mẽtem, famem illam immissam esse propter peccatũ, cùm absque vlla causa, quæ tamen hominibus nota fuerit, famem populi dicitur nam, & grauẽ passi fuerint. Quare primo anno suspicari potuit Rex non imprudens, famẽ illam ex naturali causa prouenisse, quod de secundo anno existimari potuit. At cùm triennalis fames iã vrgeret, cogitare cœpit, an ex naturæ quasi fatali necessitate, vel à diuina offẽsione illa agrorum sitis, & panis indigentia prouenisset, atque ideo de tantæ vexationis causa scisciatus est.

3. *Dixitque Dominus propter Saul, & domũ eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas.* [Promiserat Iosue c. 9. v. 15. pacem Gabaonitis, idque interposito iureiurãdo firmauerat; in cuius verba, atque promissa iurarunt etiam aliqui populi principes, totius populi vtique nomine. Sed aut iuramenti immemor, aut nihil habens pensi, quam sibi necessitatẽ in Gabaonitarum causa imposuisset Israel, in illos [illegible] Israelitici nominis hostes, forent, ferrũ [illegible]it. Quando id acciderit, ex sacris literis nõ habemus; accidisse tamen dubitare nefas, cùm illud ex hoc loco expressum habeamus. Nam v. 1. domus Saul, domus vocatur sanguinum, id est, sanguinaria, quia sanguinem effudit, & statim declarat Gabaonitarum esse sanguinem. *Quia occidit Gabaonitas.* Iosephus ait Gabaonitas deceptos à Saule præter ius & fas occisos esse. *Iuramenti violati pœna.*

Cur Saul Gabaonitas de vita, aut de Israelitarum medio tollere voluerit, obscurè admodum C dicit Scriptura. *Voluit*, inquit, *Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel, & Iuda.* Quidam Hebræorum, vt refert hîc Lyra, & Abul. q. 16. hanc causam existimat habuisse Saulem, quæ speciem videtur præse tulisse zeli. Quia Gabaonitæ quatuor habuêre ciuitates copiosas, & lautas, quæ ad Israelẽ potius quàm ad externos, & Chananæos incolas pertinebãt, quas ad vsum Israelitarum traducere pium videbatur, & iustum. Illæ verò fuêre Gabaon, Caphira, Beroth, & Cariathjarim, de quibus Iosue c. 9. Has Saul à Gabaonjtis sibi, ac suis vendicare voluit, maximè quia tres illarum, vt ex Iosue c. 18. perspicuum est, ad Beniaminicam tribum pertinebant. Has igitur non iudicio, ac lege, sed ferro, & vi ad legitimos possessores, nempe Israelitas, quibus à Deo terra Chanaan concessa fuerat, transcribendas duxit. Quam explicationem multis cõfutat Abul. q. 16. & adducit aliam, quã magis probat; sed ipse, quod in re adeò obscura necessarium est, incertis ducitur coniecturis, & planè cùm aliis diuinat, prudenter tamen. *Dicendum*, inquit, *est quòd Saul motus est quodam zelo pro filiis Iuda, & Ierusalẽ, scilicet tanquam supplens id, quod illi omiserãt. Putabat enim Saul quòd Israelitæ non potuerãt dimittere viuẽtes Gabaonitas, & quòd Iosue, & omnes Principes populi, qui erant tempore illo, peccauerunt; & omnes, qui postea permittebant Gabaonitas viuere, peccabant. Ideo vt ipse excusaret tam filios Israel, quàm Iuda à peccato, quasi motus zelo illorum voluit occidere Gabaonitas.* Hæc Abulensis, qui ibidem refellit nonnullorum sententiam, qui Saulis zelum inflammatum esse dicunt ex eo ministerio, quod in templo obierunt Gabaonitæ, quasi illis à sacro loco aliquid etiam sacrum adhæreret; quod etiam hîc Lyra non admittit. Nam munus illud ignobilium potiùs seruorum est, quàm illorum, in quibus aliquid est honestum, & ingenuum. Quid enim tanti est ligna cædere, comportare aquam, quæ vt subirent Gabaonitæ, supplicij loco imposita fuerũt à Iosue c. 9. 4. *Gabaonitæ cur à Saule occisi.* 5. *Gabaonitarum quod ministerium in templo.*

Neque

Neque illis iniunctum fuit,vt altari solùm,& tabernaculo seruirent,sed etiam toti populo.Quare ministerium illud sacrum non erat, cùm obiri posset, etiamsi illorum nemo tabernaculum, aut templum ingrederetur. Neque erat cur illos zelo Israelitarum extinctos vellet Saul, quasi Israelitæ illa commoditate priuarentur. Quæ enim commoditas esset alligari tam duro ministerio,& alienæ semper voluntati parere?Nemo,credo, Israelitarum in vacuum illud ministerium succederet, quia neque honestum erat, vt patet, neque magnum sperari poterat ex illo tanto, támque assiduo labore compendium.

6. *Cur omnes habitatores terræ promissionis dicti Amorrhæi.*

Vers. 2. *Porrò Gabaonitæ non erant è filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum.* ] De his satis Iosue cap. 5. Illud difficile, quomodo Amorrhæorum reliquiæ vocari potuerint Gabaonitæ, cùm potiùs fuerint ex Heuæorum genere.Iosue cap.11. v.18. *Non fuit ciuitas, quæ se non traderet filiis Israel præter Heuæum,qui habitabat in Gabaon;omnes enim bellando cepit.*Mihi illud hîc placet,quod in simili casu visum est in commentariis in Acta ad illud cap.7. v.16.*A filiis Hemor filij Sichem.* Vbi diximus,quomodo Hemor,qui reuerà erat Heuæus,vt constat Gen.cap.34.v.2.illum tamen Iacob cap.48.in fine Amorrhæum appellat; & ideo Amorrhæos aliis nationibus suum indidisse nomen, quia omnium habitatorum terræ promissionis erant potentissimi. Quare cùm de illius terræ habitatoribus sermo est,quæ à multis nationibus tenebatur,omnes dicuntur Amorrhæi. Genes.15. *Nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum.*Amos cap.2. *Ego ante te exterminaui Amorrhæum.* Et infrà, *Eduxi vos in deserto quadraginta annis,vt possideretis terram Amorrhæi.* Plura in hanc sententiam diximus ad locum nuper citatum ex cap.2.Amos,vbi alias etiam rationes adduximus.

7. *Misericordia in pauperes,& iniuria clamant,illa veniã, hæc vindictam.*

Vers.3. *Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas: Quid faciam vobis?* ] Vbi triennalis famis causam agnouit Dauid, & expiandam esse didicit Gabaonitarum iniuriam,illos quamprimùm accersit,& expiationis genus, & modum interrogat. Neque videtur morari,quam à se postulent satisfactionis formã, dummodò à dura illa vexatione populum expediat. Quod verò additur, *vt benedicatis hæreditati Domini.* idem est ac si dicat,ne efficiatis,vt diuina nobis maledictio exitio sit, sed potiùs orate Deũ, quem vestræ vexationis vindicem habetis, vt cohibeat vltricem manum ab inferenda plaga. Est enim benè alicui dicere, idem quod benè optare, aut precari.Pauperes enim etiamsi nihil loquantur,aut optent, dum vim ab aliis,aut iniuriam sustinent, vltorem Deum implorant; & licèt nihil ipsi de iniuria cogitent, taciti tamen clamant, & diuinam iustitiam ad iniuriæ vindictam assiduè sollicitant.Vt enim misericordia, & eleemosyna, licèt pauper taceat,clamant ad Dominum, & largitori veniam, & secunda omnia precantur, de quo est illud Eccli.29.v.15.*Conclude eleemosinam in corde pauperis,& hæc pro te exorabit ab omni malo.*Sic etiam vis,& iniuria irrogata infirmiori,& pauperi,vindictam à Deo petunt, & exorant.Iacob cap. 5.v.4.*Ecce merces operariorum, qui messuerunt regionem vestram, quæ fraudata est à vobis,clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

8. *Magnus dolor,& iniuria nullis à muneribus consolationẽ capiunt.*

Vers.4. *Non est nobis super argento, & auro quæstio sed contra Saul,& contra domum eius.*]Magnopere commotos, & exulceratos fuisse oportet Gabaonitas propter acceptam iniuriam à Saul,quando neque leniri dolor, neque sedari furor potuit argento,atque auro,neque vlla alia re earum,quæ numerantur in bonis, sed filiorum Saulis expetitur sanguis, & ad illorum cædem aspiratur. Hoc eodem orationis genere explicatur Medorum furor ab Isaia cap.13. v.17. contra Babylonios. *Ecce ego suscitabo super eos Medos,qui argentum non quærant,nec aurum velint;sed sagittis paruulos interficient, & lactentibus uteri non miserebuntur.* Quod etiam orationis genus ad explicandum hominum furorem,& inflammatum odium adhibent profani.Sic Claudianus de bello Getico.

*Inuisum miles cupiens haurire cruorem,*
*Per varias vestes,oneratasque plaustra metallo*
*Transit,& argenti cumulos,& cædis auarus*
*Contemptas proculcat opes:pretiosior auro*
*Sanguis erat,passim neglecti prodiga lucri*
*Ira furens strictis odium mucronibus explet.*

Et non longè pòst idem:

*Raptaque flagranti spirantia signa Corintho*
*Callidus ante pedes venientibus obiicit hostis*
*Incassum.Neque enim feralis præda moratur,*
*Sed iustos præbent stimulos monimenta doloris.*

Hoc idem de zelo legimus Prouerb.capite 6.vers. 34. Est autem zelus, de quo ibi, furor quidam ex iniuria violati thalami conceptus, appetensque vindictæ; qualis erat hic Gabaonitarum dolens, & instimulatus furor. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, neque acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

9. Vers.6.*Dentur nobis septem viri de filiis eius.*] Mirum est quod qui proximè dixerant non sibi iri satisfactum, nisi tota Saulis deleretur posteritas, nunc tantùm de illa obstinatione, furoreque remittant,vt satis habere se dicant, si septem tãtùm capitibus de Saulis stirpe res agatur. Ego hîc primùm naturam agnosco exulcerati, atque furentis animi,qui primos habet impetus acres,& ad omnia proiectos, quantumcúmque à ratione, atque consilio procul abhorrentia.Vbi autem primus ille compressus est,& sedatus impetus, saniora cogitat, & illa moderatur, & corrigit,in quæ præceps consilium,& efferuescens furor priùs eruperat.Quare qui ad totius familiæ cædem nuper aspirabant,iidem ardore nonnihil refrigescente,septem tantùm capitibus contenti, nil præterea requirunt.Rabbini tam de hoc numero,quàm de inflammato Gabaonitarum furore multa dicunt, sed suo more sine fundamento, quæ tu vide apud Abulensem q.20.& 21. Abulensis q.21. aliam adducit causam; putat enim ex tota Saulis posteritate nouem tantùm fuisse superstites, ex quibus duobus Miphiboseth,& Michæ pepercerunt propter Dauidem, aut quia ita Dauid petierat; aut quia cùm scirent Miphiboseth,& Micham, illius filium gratos esse Dauidi, hoc Dauidis voluntati, ac voto concesserunt, vt à communi cæde duos illos exciperent.

10. *Locus plurimùm facit ad ignominiam & gloriam.*

*Vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul.* ] Plurimùm ad ignominiam facit locus, in quo quis aut honore cumulatur, & gloriâ, aut supplicio afficitur, & ignominia. Miserum autem putatur, & ignominiosum magis ibi aliquem pati, vbi priùs cum magistratu, & splendore vixerat. Quomodo Aman non tam miserè pateretur, & turpiter, si alio quouis loco pateretur, & non domi suæ, & ex alio quouis ligno, quàm quod Mardochæo priùs excitauerat, foret suspensus. Regnarat Saul in Israel,

sed habitabat sæpiùs in Gabaa, vtpote natali solo: eum locum delegerunt Gabaonitæ suspendio filiorum Saulis, vt quod glorioſi temporis, & splendoris regij fuerat, idem suspendij, id est, infensæ, atque execrandæ mortis fieret theatrum. Maledictum porrò esse illum, qui actus esset in crucem, probat illud Deut. 21. quod ad Galat. 3. adducit Apostolus. *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.*

11. Vers. 7. *Pepercitque Rex Miphiboseth.*] Pepercisse Rex dicitur huic Ionathæ filio, propter pactum initum antè cum Ionatha, de quo lib. 1. cap. 20. seu quia cùm Gabaonitæ septem tantùm petierint, illũ exemit è septenario numero; seu quia suis precibus, aut auctoritate obtinuit à Gabaonitis, ne supra septem, qui in crucem acti sunt, alium è Saulis domo ad crucem exposcerent. Ille autem pepercisse alteri dicitur, qui, vt alij parcerent, impetrauit; sicut is perfecisse existimatur illa, quæ vt fierent, imperio, seu auctoritate perfecit.

12. Vers. 8. *Tulit itaque Rex duos filios Respha.*] Hæc fuit Saulis concubina, ad quam suprà cap. 3. ingressus esse dicitur Abner, quæ causa fuit vt Abner ab Isboseth, cuius partibus fauerat, ad Dauidem deficeret, & decem tribus ad illum vltrò traduceret.

13. *Michol non proprios habuit, sed adoptatos filios.*

*Et quinque filios Michol filiæ Saul.*] Quidam Michol ex alio viro concepisse putant quinque hos filios; nam post Dauidis à Saulis cõsuetudine, seu potiùs insidioso congressu; abductam à Dauide filiam alij viro locauit. lib. 1. cap. 25. *Saul dedit Michol filiam suam, vxorem Dauid, Phalti filio Lais.* Sed est communis, veraque sententia, quinque illos filios non esse Michol, sed sororis illius Merob. Quod ex eo facilè constat, quia hîc horum pater expressè nominatur Hadriel filius Bercellai, qui fuit de Molethi, cui nupsit non Michol, sed soror eius Merob, lib. 1. cap. 18. v. 19. Dicuntur autem hi filij Michol, quia Merob aut iam decesserat, aut à priori fortuna ceciderat; & ideo soror orbatos à matre filios, seu à rebus destitutos necessariis sibi adoptauit. Eiusmodi autem adoptati filij, parentibus etiam viuis, eorum esse dicuntur, in quorum familiam, & tutelam venerunt. Quo modo Genes. 48. v. 5. Iacob sic adoptauit duos filios Ioseph, vt suos sibi diceret filios, Iosephi negaret. *Duo*, inquit, *filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt, Ephraim, & Manasses sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem, quos genueris post eos, tui erunt.* Caietanus hunc locum corruptum esse putat, & pro Merob suppositam esse Michol. Sed non est cur irrepsisse vitium existimemus, quando omnes omninò consentiunt codices. Neque Caietani ratio admodum vrget, quia hîc non tantùm dicuntur filij Michol, sed etiam ab illa geniti. *Quos genuerat*, inquit, *Hadrieli.* Nam vt filij dicuntur Michol, figurata locutione, vbi subauditur similitudinis forma, *sicut, quasi*, vt alibi millies, quia filij non erant, sed quasi filij, amore, & cura; sic etiam ab illa, eadem figura, vocari possunt geniti, id est, quasi geniti, quia non aliter ab illa suscepti sunt, atque tractati, quàm si ab illa concepti forent, & in lucem editi. Abulensis q. 29. illud *genuit*, ad Merob putat esse referendum; quod item facit Glossa ordinaria, & Historia scholastica. Sed sanè, vt dixi, necessarium non est.

14. *In aliquo loco id fieri dicitur quòd proximè fit.*

Vers. 9. *Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.*] Paulò anteà crucifigendi dicuntur in Gabaa, nunc autem in monte. Vtrumque autem est verum, nam mons ille erat prope Gabaa, & ex vsu Scripturæ id in aliquo loco fieri dicitur, quod in loco illi proximo fit. Quomodo Ioan. cap. 1. baptizasse dicitur in Bethania, cùm tamen in ipsa vrbe non baptizaret, sed proximè. Et Lucæ cap. 13. cùm Christus de sua morte ageret, inquit: *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* cùm tamen extrà passus fuerit, vt obseruauit Paulus ad Hebr. 13. Sic etiam nunc in Gabaa dicuntur cruci affigi, qui in monte ciuitati proximo suspensi sunt.

15. REGVLA. *Actio aliqua celebris, & nota pro tempore, & loco sumitur, in quo exercetur.*

*Incipiente messione hordei.*] Satis est notum actionem aliquam celebrem, & notam vsurpari solitam pro tempore, ac loco, vbi communiter, & quasi legitimè fit. Sic *oratio*, seu προσευχὴ pro templo ponitur, quia ille est destinatus orationi locus. Sic *Ecclesia* dicitur, quia in ea fiunt hominum conuentus. Neque minùs id frequens in temporis notatione; quia vindemia in Autumno fit, *vindemia* idem interdum valet quod Autumnus. Sic *messis hordeacea*, pro eo tempore, quod propè abest ab æquinoctio vernali; & triticea à vernali solstitio. Sic *gallicinium, conticinium, prima fax, aura post meridiem, sacrificium matutinum*, aut *vespertinum*, certa indicant temporum spatia. Quare dum crucifixi dicuntur Saulis filij incipiente messione hordei, nihil significatur aliud, quàm suspendium incidisse in azymorum tempus, aut vernale æquinoctium.

16. Vers. 10. *Tollens autem Respha filia Aia cilicium, substrauit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua.*] Quantum temporis maternas illas, & assiduas excubias egerit Respha, ex Scriptura non constat; quia neque certò cognoscitur, quo tempore stillare cœperit pluuia cœlestis. Ad illud namque tempus suspensa fuêre cadauera, quæ cœlos aperirent ad pluuiam, quos Saulis infidelis acerbitas obstruxerat. De quibus ita Theodoretus quæst. 34. *Sumpto de eis supplicio placatus fuit Dominus, & effecit vt nubes parturientes parerent, & iussit terræ, vt more solito produceret fructus.* Quidam ex Rabbinis, & Historia scholastica putant non fuisse corpora de cruce deposita ad Calendas vsque Septembris, quia eo tempore defluit imber, nempe serotinus, qui terram humectat, & disponit ad satus. Si hoc posterius esset verum, neque alio tempore pluuia decideret cœlestis, non esset coniectura admodum infirma, iuxta ea, quæ modò diximus: ponitur enim certa, atque familiaris nota pro tempore, in quo solet plerumque contingere. Sed quia Saulis peccatum prohibebat pluuiam, credibile est, postquam primùm filiorum morte expiatum est, non diu pòst datam esse pluuiam antea negatam. Neque necesse fuisset Respha ad Calendas vsque Septembris custodire corpora à belluarum, volucrúmque laniena; cùm post sex menses nihil esset in ligno reliquum, quod syluestres feræ, & volucres expeterent.

17. *Materni amoris exemplum mirabile.*

Amplificat hîc Abulensis quæst. 30. tum incredibilem Respha amorem in suos, tum in laboribus perferendis supra muliebrem modum, naturámque, constantiam. Sed sanè charitas potens est, & qui amat, nihil non audet, nihil non deuorat, quantumcúmque durum, & amarum. Iacebat concubina regia, in deliciis antea, & in mollibus stratis enutrita, supra petram, quam cilicio instrauerat, id est, vili, atque duro stragulo, neque ibi quietos habuit, atque securos somnos, cùm necesse foret nocte feras, & die inuolantes volucres abigere. Quod vt præstare commodiùs posset, necesse erat, vt non procul absisteret, alio-

qui

qui quem haberent vsum assiduæ illæ, vigiléſque cuſtodiæ? At ex ſeptem corporibus, ſanie, tabóque fluentibus ſole ſub ardenti, non poterant non habere grauiſſimos anhelitus, quos perferre delicatę fœminæ, ac regium in modum educatæ, quantus labor? Deinde aggredi belluas, illáſque à prędа fameſcentes arcêre, non fœmineæ eſt, ſed maſculæ virtutis. Sed ſanè verùm eſt inſeri ab amore audaces, & intrepidos animos; qui facit, ne fœminæ leonum horreant fremitus, & occurſus, de quibus dixit quidam de fœmina, quam amor abduxerat in ſyluas, & denique adegit ad mortem, *Audacem faciebat amor.* De hac amoris audacia plura nos ad illud Cantic. 5. *inuenerunt me cuſtodes.*

18. Sed quærat hîc aliquis, cur nihil eiuſmodi factum eſſe dicitur à Michol, cuius eodem tempore è cruce quinque pendebant filij. Ratio eſt non difficilis; aut enim hoc tempore iam deceſſerat, & hoc mihi veriſimilius, alioqui illa pro filiorum ſuorum ſalute, & pro regia auctoritate certaret. Neque parùm poſſet apud Dauidem coniugem, qui quicquid fortaſſe vellet, à Gabaonitis impetraret, aut donis, aut gratia. Aut quia illi adoptati erant, non nati filij, non ita aliena, atque cognata, quàm ſi materna forent viſcera, torquebantur. Neque etiamſi cuperet exemplo Reſphæ ad lignum excubare, pateretur Dauid, cùm è ſua dignitate non putaret regiam coniugem in publico, ac ſubdiali loco & videri interdiu, & pernoctare noctu.

19. *Et non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.*] Locutus eſt hiſtoricus ſacer iuxta rerum naturã, neque enim volucres noctu ſuas agitant prędas, aut feræ interdiu. De quibus Pſal. 3. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ: catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt.* Ex hoc loco fuit probabile, licèt aliquando prælatæ fuerint erectæ cruces, vt patet in ea, quam ad Mardochæi ſuſpendium excitauit Aman, non tamen illud eſſe perpetuum, tunc præſertim, quando multi ſimul agebantur in crucem, vbi moleſtæ eſſet, & difficilis operæ prælatas fabricare, & in illas agere multitudinem. Quomodo enim cadauera laniarent feræ, puta canes, & lupi, niſi proxima terræ cadauera penderent? Ita putat Lipſius lib. 2. de cruce cap. 13. Sed quod ibi adduxit exemplum, ſi auctorem conſulas, vnde ipſe ſumpſit, parùm eſt ad rem. Minùs abs re videtur, quod in Amphitheatro epigr. 7. Martialis adducit de Laureolo, quem, cùm eſſet in cruce, lacerarunt feræ.

*Cruces aliquando non altæ.*

*Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus*
*Aſſiduam nudo pectore pauit auem.*
*Nuda Caledonio ſic pectora præbuit Vrſo*
*Non falſa pendens in cruce Laureolus.*

Sanè in cruce lacerari ſolitos eſſe Martyres, ex ſacris Annalibus conſtat. Euſebius lib. 5. c. 1. Blandinam affixam cruci incurrentium ferarum eſcam, & prædam factam eſſe dicit.

20. Certum eſt apud Gentes in cruce damnatorum corpora relinqui; vnde apud illos frequens, in cruce paſcere Vultures, aut Coruos. Horatius lib. 1. epiſt. 16.

*Non paſces in cruce Coruos.*

Iuuenalis Satyr.

*Vultur iumento, & canibus, crucibúſque relictis,*
*Ad fœtus properat, partémque cadaueris affert.*

Putreſcere autem in cruce membra, & ſole, pluuiáque tabeſcere, docuit exemplo Polycratis Valerius lib. 6. cap. 9. & Tertullianus de anima. *Polycrati*, inquit, *Samio filia crucem proſpicit de Solis vnguine, & lauacro Iouis.* Hoc ipſum probat cuſtodia cruci affixis appoſita, ne quis inde reorum corpora ſublata ſepulturæ mandaret, vt de Cleomene tradit in eius vita Plutarchus. At apud Hebræos alia ratio eſt, quibus à Deo Deuter. c. 21. præcipitur, vt eadem die damnatorum corpora tollantur è cruce. Neque ab hac lege excipiebantur aut qui ſibi ipſis violentas attuliſſent manus, quod non fecêre Gentiles, neque hoſtes, ſi quando tollerẽtur in crucem. Ita Ioſephus lib. 3. de bello c. 14. *Si qui*, inquit, *ſe occiderint apud nos, vſque ad Solis occaſum inſepultos abiici decretum eſt, cùm etiam hoſtes ſepeliri fas eſſe ducamus.* Quod fecit Ioſue cap. 8. cum Rege Hai; & cap. 10. cum quinque Regibus quos cùm egiſſet in patibulum, ad veſperam depoſuit.

*Chriſtus cur obtenta à Pilato facultate, de cruce ſublatus.*

Sed dices, ſi Iudæi eodem die deponũtur à cruce, cur neceſſe fuit à Pilato facultatem pati, vt Chriſtus deponeretur è cruce, quando aliter ſalua lege fieri non poterat. Reſpondeo non à Iudæis Chriſtum, ſed à Gentilibus fuiſſe crucifixum, qui Iudæorum non ſeruabant leges, ſed patrias, quæ crucifixos diu in cruce relinquebant.

Quare explorandum, cur Hebræorum corpora tamdiu contra conſuetudinem illorum, & legem, ex infelici, atque execrabili arbore pependerint. Alij aliter, & variè. Rabbini, vt ſolent, ſine fundamento dicunt id factum inconſulto, immò & inſcio Dauide. Quod quidem veriſimile non eſt; cùm Gabaa non procul eſſet à Hieroſolyma, & res eſſet eiuſmodi propter crucifixorum numerum, & genus illuſtre, vt latêre non poſſet. Abulenſis q. 31. ideo putat Dauidi placuiſſe, vt ſuſpenſa corpora manerent in cruce, donec imber demitteretur è cœlo, vt eo ſigno ſibi omnes perſuaderent Deum eſſe placatum illo filiorum Saulis aſpectu miſerando, cùm iam aſpectabile offenſionis ſignum non appareret, nempe agrorum ſitis à longo pluuiarum defectu. Addit tamen Abulenſis ibi in ea mora aliquid interueniſſe myſterij, quo videlicet minùs actum videretur contra morem, & legem; quod tamen illud ſit, non dicit. Lyra exiſtimat id à Deo mandatum eſſe per Natham, ne Iudæorum ritu ſuſpenſa cadauera tollerentur è cruce. Cuius ille finis eſſe potuit, vt omnes eo cognoſcerent exemplo, quàm Deo eſſet inuiſum ſcelus iuratæ priùs, & deinde à poſteris violatæ fidei. Quòd ſi Deus, qui legum eſt lator, contra latam à ſe legem aliquid præcipiat, ſicut ille in præcipiendo eſt à peccato liber, ſic etiam in obſequendo Dauid, & quos ille habuit illius expiatoriæ crucis adminiſtros. 21.

Vtraque mihi tam Abulenſis, quàm Lyræ coniectura non diſplicet. Sed quia illius aut nullum eſt, aut non niſi leue fundamentum ea ſaltem ex cauſa aliquantùm laborat. Ego duo hîc video, quæ Dauidem, reliquóſque ex Hebræorum genere à violatæ legis ſcelere tuentur. Alterum eſt, quia lex ipſa, vt patet, non de omnibus loquitur, qui aguntur in crucem, ſed de illis tantùm, qui peccatum admiſerunt, non contraxerunt ab aliis, propter quod digni ſunt, qui ſuſpendantur è cruce. Hi iubentur è ligno deponi, ne contaminent terram; de aliis, qui aliena tantùm culpa plectuntur, non loquitur lex. Audi legis verba Deut. 21. v. 22. *Quando peccauerit homo, quòd morte plectendum eſt; & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno ſed in eadem die ſepelietur,* 22.

*quia maledictus est, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam.* Quod optimè paraphra-
Matth.27. stice in eum locum expoſuit Chaldæus. *Quando autem fuerit in viro peccatum iudicij occiſionis, & occiſus fuerit, & ſuſpenderis eum in patibulo, non manebit cadauer eius in patibulo, ſed ſepelies eum in die illa, quia pro eo, quod peccauit coram Domino, ſuſpenſus eſt.* Hanc ego arbitror cauſam non alienam. Quare iuxta hanc legem poſſet Chriſtus eodem die à cruce non deponi, etiamſi à Iudæis foret in crucem actus: quia nihil admiſerat, cur crucifigi debuerit. Niſi quia eo nomine crucem ſubierat, quia
23. eo ſupplicio dignus putabatur.

Aliam hîc ego non magis ab inſtituto alienam inuenio, quia iudicium iſtud non tam Dauid Hebræus, quàm Gabaonitæ exercuêre Gentiles, qui lege, & conſuetudine Hebræorum non tenebantur: nam illis. Rex videtur totam permiſiſſe cauſam, vt de illa ſuo arbitratu ſtatuerent, & quam vellent de illis viris ſeptem pœnam, & pœnæ modum exigerent. Sic enim ipſi petierunt, cùm dixerunt v.6. *Dentur nobis ſeptem filij de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa.* Et ſtatim v.9. *Et dedit eos in manus Gabaonitarum.* Actum itaque eſt non ritu Iſraelitico, ſed Gabaonitico, quando res tota Gabaonitarum iudicio, ac voluntati permiſſa eſt, qui diu in patibulo voluerunt eſſe ſuſpenſos. Quo modo quia Chriſtus vt paulò ante diximus, & latrones duo, qui cum illo crucifixi ſunt, non à Iudæo iudice, ſed à Romano, id eſt, à Pilato damnati ſunt, non eſſent iuxta Iudæorum legem è cruce depoſiti, niſi id Iudæi, & Ioſephus ab Arimathia precibus impetraſſent. Illi eam adduxerunt rationem, quia magnus erat dies ille ſabati, omnium videlicet ſabbatorum & primus, & maximus. Ioan.19.v.31. *Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora ſabbato, erat enim magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Et ſpeciatim de Chriſto v.38. *Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathia, vt tolleret corpus Ieſu; & permiſit Pilatus.* Non itaque aliter eſſent illo die depoſiti, etiamſi grauiter eſſet de illa depoſitione cautum à lege. Sic ergo ad Gabaonitarum imperium diu in cruce cadauera, & deinde non tam Dauidis imperio, quàm precibus fuerunt è patibulo ſublata. Cur verò tamdiu in patibulo, atque ſublimi in loco Gabaonitæ voluerint pendêre cadauera, ea videtur eſſe cauſa, quia cùm viderent Iſraelitis ſe eſſe ſubiectos, timebãt grauia ab illis, & quotidiana ſubituros ſe incommoda, eo maximè tempore, cùm ſumma apud vnum eſſet poteſtas, mutata priſtina gubernandi ratione. Vt ergo probarent ipſorum Deum ſuſcepiſſe cauſam, & illatas à Rege iniurias vindicaſſe, & eo modo aliorum Regum manus arcerent ab iniuria, publicum illud documentum eſſe voluerunt.

24. Verſ. 11. *Et nunciata ſunt Dauid, quæ fecerat Reſpha.*] Hæc ad verſum vſque 15. aperta ſunt; tantùm enim habemus Dauidem, poſtquam demiſſa pluuia Deum placatum eſſe nouit, annuentibus nempe, & concedentibus Gabaonitis, ſuſtuliſſe de cruce quod reliquum erat è cadaueribus regiis, & illud quicquid erat, cum oſſibus Saulis, & Ionathæ, & aliorum ex illo genere, qui in montibus Gelboe iam antè ceciderant, in paternum ſepulcrum intuliſſe.

25. Verſ. 15. *Factum eſt autem rurſum prælium Philiſthinorum aduersùm Iſrael.*] Numerantur hîc prælia quatuor, quæ contra Philiſtæos inierunt Hebræi. In quibus illud eſt obſcurum, quia neque conſtat ex Scriptura, quæ horum præliorum occaſio fuerit, & quo tempore, aut ordine ſuſcepta, niſi confusè admodum, & obſcurè. Quidam hæc prælia longè ante hæc tempora ſuſcepta fuiſſe, & hîc tãtùm enumerationem eſſe putant, & quaſi geſtorum cõtra Philiſthinos epilogum, ea ratione perſuaſi, quia hîc referri vident prælium, quod omniũ primũ geſſit Dauid, cùm adhuc eſſet adoleſcens, & in quo Iſraele toto glorioſum ſibi peperit nomen. Dicitur enim tertio bello ſuperatum eſſe Goliath; & ne quis putaret aliũ eſſe ſuperiori cognominẽ, aliũ nimirum Goliath ab illo ſuperiori diuerſum, illæ adhibentur notæ, quæ eum ab aliis eiuſdem nominis facilè diſtinguunt. Dicitur enim Gethæus, & illius haſta, quaſi liciatorium texentium, quæ omnia habes lib.1.c.17.v.4.& 7. Et facit ad hęc, quod quatuor iſti Gigantes filij Arapha v.22. interfecti narrantur à Dauide, & ab illius ſeruis: at niſi dicamus illum Goliath occiſum à Dauide, nullus apparebit alius, qui occiſus ab illo videri poſſit. Adde quòd Par.lib.1.c.20. tria tãtùm bella geſta traduntur à Dauide ſub hæc tempora. Quare illud de Goliath ad tempus aliud videtur eſſe referendum. Abulenſis q.35.36.& 37. nullum putat hîc ordinem videri, aut rerum à Dauide geſtarum conſequentiam; ſed numerari hoc loco bella longè antè confecta, neque in illis eſſe aliquem ordinem, cùm illud bellum, quod tertium eſſe dicitur, longè ante alia omnia peractum ſit: nam primum ſuſceptum eſt à Dauide ſene, poſt quod aciem ſuorum rogatu non vidit ampliùs; tertium verò tunc geſſit, cùm primùm aſſumptus è gregibus rem bellicam adoleſcens meditari cœpit. Quod verò hîc Goliath idem ſit, qui lib. 1. peremptus fuiſſe traditur à Dauide, communis eſt omnium fermè interpretum opinio. Ita tenent Lyra, Dionyſius, Hugo, Angelomus, Gloſſa, qui omnes videntur ex Hieronymo ſumpſiſſe, qui in traditionibus Hebraicis hanc fuiſſe indicat Hebræorum ſententiam.

Ego ita veneror, amplectórque communem hãc 26.
antiquámque, ſententiam, vt non tamen in illam totus abeam, ſed magis ſim pronus in contrariam. Quod etiam faciunt Vatablus, Serarius, Caietanus. Eſt enim durum omnia fermè, quæ in hoc extremo capite dicuntur, ad ſuperiorem illam cogitationem contorquêre, & quodammodo trahere renitentia. Si enim aliquis textum mediocriter attentus conſideret, inueniet hæc bella poſt reditum Dauidis in patriam contigiſſe. Hoc enim indicat apertè illud, *Factum eſt autem rurſus prælium Philiſthinorũ aduerſus Iſrael.* Illud *rurſus* repetitum indicat bellum, & renouata Palæſthinorum odia. Deinde ſatis explicatè, atque diſtinctè ponitur præliorum ordo, dum dicitur, quod illorum primum, quod ſecundum, quod fuerit tertium, quod quartum; ponitur autem tertium, in quo à Deo dato occiſus eſſe traditur Goliath.

Sed quia tota ratio, quæ contrariam ſuadet, firmátque ſententiam, ex Goliath ſumitur, aliæ enim nullum exhibent meæ cogitationi negotium, hãc expendamus priùs, & quod erit non omninò difficilè, confutemus. Et primùm ille, qui Adeodatus dicitur, & filius ſaltus, non erat Dauid, vt ſtatim ſuo loco dicemus. Neque Goliath, quem Adeodatus occidit, ille fuit, qui in valle Terebinthi cecidit à Dauide percuſſus, ſed alius, qui in Gob. Neque obſtat, quòd Gethæus ſit, & eius haſta quaſi texẽtium liciatorij molem habuiſſe dicatur. Quid enim prohibet alium eſſe, qui æquale poſſit cum
27. *Qui dicitur Adeodatus non eſt Danid.*
Goliath

*Goliath, de quo cap.21. non fuit quem Dauid percussit.*

Goliath hastæ pondus vibrare. Sanè Iisbibanob hastam ferebat,cuius ferrum trecentarum vnciarum pondus habebat; totidem habuit ferrum, quod habebat in hasta prior Goliath, quod pondus liciatorij texentium magnitudinem exigebat. Neque minus credo fuisse pondus in hasta, quam Goliath alter ferebat liciatorio similem. Argumenta reliqua suo tempore commodiùs expendemus.

28. Si ad argumenta omnia responderem hîc similitudinis notam subaudiri, nihil dicerem inusitatum,aut nouum tum in sacra,tum in profana literatura.In hunc sensum.Ille,quem occidit Adeodatus, erat quasi Goliath Gethæus, cuius erat hasta quasi liciatorium.Aut occidit alterum Goliath,id est, Gigantem,qui priori neque magnitudine,neque virtute militari cederet. Quomodo si quis cũ callido, furacíque contendat, aut qui cum forti, domitoreque ferarum, ille optimè diceret, cum Mercurio, atque Hercule mihi res est; aut, alterum video Mercurium, alterum Herculem. Et fortasse ille cùm alio esset nomine notatus, dicebatur Goliath à vulgo, qui illius admirabatur molem, & robur. Hoc loquendi genere vsus est Virgilius lib.9. vbi sic Pandarum alloquitur Turnus:

*Incipe,si qua animo virtus, & consere dextram:*
*Hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem.*

Id est, inuenies alterum, quo non sit Achilles virtute, & robore præstantior. In hunc modum explicant Varablus,& Serarius.

REGVLA. *Nomen aliquis ab eo accipit, cuius est similis.*

29. Sed est alia longè grauior, quæ negat Adeodatum esse Dauidem, & hunc Goliath esse illum, quem Dauid adolescens occidit in valle Terebinthi,sumpta ex lib.1.Par.c.20. vbi hæc eadem prælia,vno tantùm excepto,narrantur; vbi sic de hoc Adeodato,& Goliath v.5. *Aliud quoque bellum gestũ est aduersus Philistæos,in quo percussit Adeodatus filius saltus Bethleemites fratrem Goliath Gethæi,cuius hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium.*En vides hũc Goliath ab illo superiore diuersum, cùm illum fratrem vocat Gethæi, illius videlicet, cuius erat nomẽ in Palæsthina celebre, & penè prouerbiale. Quocumque modo nomen *fratris* accipias, siue quia ex eodem,quo Goliath,vtero natus est,quod propriè sonat *fratris* appellatio;siue quia *frater* ex vsu Scripturæ similitudinem quandam importat, quia inter fratres propter generis, ac sanguinis communionem, maior esse solet similitudo. Prouerb.c.18.v.9. *Qui mollis,& dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.*id est,similis, vt nemo non videt.Et hoc posterius magis mihi probatur; neque enim puto alium Goliath Arapha esse filiũ; tum quia de illius genere, atque natalibus nihil audimus; tum maximè quia Arapha hoc loco quatuor dicitur suscepisse filios, qui ibidem nominantur, & tamen ab hoc numero, vt vidimus, alter ille Goliath excluditur. Est igitur *frater Goliath*, similis Goliath, de cuius nomine aliquid habemus in loco citato ex Paralipomeno, vbi illius nomen, nisi Hebræum textum dicamus parùm esse sincerum, est לחמי *lachmi*, de quo statim pluribus.

*Frater similitudinẽ quandam importat.*

30. Vers. 16. *Deficiente autem Dauid, Iesbibenoth,* &c.] Cùm diu,vt apparet, certatum est, & anceps videretur exercitus vtriusque conditio, defessúsque iam esset Dauid, vel quia pugnarat diu, vel quia grauior ætas, & fracta laboribus, debilitarat vires, aggressus est illum vir quidam Giganteæ molis ex genere Arapha, cuius hastæ ferrum trecentas appendebat vncias, quot hasta prioris Goliath, qui nisus est percutere Dauidem, quem in eo deficientis senilis corporis languore aut oppressisset omninò, aut saltem adduxisset in angustum, nisi illi Abisai opportuno fuisset subsidio, qui Gigantem occidit,& à Regis capite periculum auertit.

*Ensis nouus, quo quis primũ accinctus est.*

31. *Et accinctus erat ense nouo.*] In Hebræo non est *ense*,sed tantùm חדשה *chadasah.* sed noster interpres addidit *ense*, vt clarior esset, atque perfectus sensus.Tunc autem ego non tam puto ensem esse nouum, id est, recentem,& eo tempore incude elaboratum,aut ab artifice ferrario politum,quàm recenter tunc gladio licèt vsu iam trito Gigantem illum fuisse succinctum,id est,illius latori nouiter appensum esse gladium. Quasi diceret, primo die,quo bellum est aggressus,periisse, & dum Regi conatur vitam eripere, vt ex regia cæde honorem sibi pareret immortalem,suam amisisse.Et illud valet, meo iudicio, חדשה quæ in terminatione fœminea vsum habet interdum aduerbij. Simile aliquid habes apud Virgilium de Pallante lib.10.cui idem dies initium attulit pugnæ,& vitæ finem.De quo ibi Maro,

*O dolor,atque decus magnum redituræ parenti:*
*Hæc te prima dies bello dedit,hæc eadem aufert.*

32. Vers.17. *Tunc iurauerunt viri Dauid,dicentes:Iã non egredièris nobiscum in bellum,ne extinguas lucernã Israel.*]Cùm animaduerterent,qui consilio erant, & auctoritate Principes in exercitu, in Dauidis capite ad communem salutem multum esse momenti, iurisiurandi religioso nexu seipsos obligarunt,ne vnquã Regem in aciem prodire,& simile oppetere discrimen paterentur.Illud porrò *extinguere lucernam*, nihil est aliud quàm perire illud, quod erat regni totius lux, & splendor; quo sublato sic maneret populus deformatus,& mæstus quomodo facies oculis effossis, aut mundus Sole de cælo sublato;vtrumque enim appellatur lucerna. Et quidem Dauid, si quis alius in republica Princeps,omnium meritò lucerna potuit appellari, qui & populo maximum ornamentum fuit, qui sicut viua quædam lex,quæ etiam appellatur lucerna, præiuit omnes & vitæ exemplo, & zelo iustitiæ. Quare sicut sine sole mundus iaceret in tenebris, sine oculis homo erraret cæcus proximus ruinæ,sine lege neque pacem haberet, neque viuendi modum securum,& rectum, sed omninò sensuum suorum obsecutus vanitati, rationes cõmunes,& publicas peruerteret; sic Dauide sublato,in tenebris videretur iacêre populus,& à recta virtutis semita deuius,& effrænis in præceps ruere voluntarius.

*Cur Dauid dictus lucerna Israël.*

33. Vers. 18. *Secundum quoque bellum fuit in Gob.*] De hoc bello nihil habemus certum, nisi quod hoc loco sacer prodit historicus,& lib.1.Par.c.20. vbi nihil habemus aliud quàm à Sabachi Saph de stirpe Arapha,id est,de genere Gigantũm,interfectum fuisse.

34. Vers.19. *Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos,in quo percussit Adeotatus,* &c. ] De hoc suprà satis, dum probauimus neque Adeodatum esse Dauidem, neque hunc Goliath esse illum, de quo lib.1.Reg.c.17. Nunc videndum,quis sit iste Adeodatus,filius saltus,&c. Hieronymus in trad. Hebr.vnde sumpserunt alij plures,dicit ex Hebræorum sententia, hunc esse Dauidem,cuius nomen & genus,præsens,antiquaque conditio his tot nominibus exprimitur. *Adeodatus*,inquit, *ipse est Dauid.Idcirco dicitur Adeodatus,quia à Deo est electus in regnum.Filius saltus,quia de saltu vbi oues pascebat,est eductus*

*Adeodatus quis,*

*eductus. Polymitarias, quia de genere Beſelael mater eius fuit. Bethleemites, quia Noemi, & Ruth tempore vbertatis reuerſæ ſunt in Bethleem.* Hæc Hebræi, qui in fingendis rerum cauſis nimis ſunt audaces, & quãtum volunt, ſibi aſſumunt licentiæ. Mihi placet quod Caietano, & aliis penè omnibus, qui hæc tranſtulerunt, præter Vulgatum, qui propria hîc adhibuêre vocabula, non appellatiua, nempe *Elhanam filius Iaere Orgim Bethleemites.* Ita Septuaginta, Pagninus, Tigurina, Iſidorus, Caietanus, & Hiſpanica antiquiſſima tranſlatio. Et puto hæc eſſe nomina non appellatiua, ſed propria, & à noſtro interprete, quod alibi fecit millies, nominum ſignificationes pro ipſis adhiberi nominibus. Quod nos multis exemplis confirmauimus ad illud Cant. 6. *Suauis, & decora, ſicut Ieruſalem.* Lib. 1. Par. c. 4. pro quatuor nominibus propriis eorum adhibetur ſignificatio. *Qui ſtare fecit Solem, virique mendacij, ſecurus, & incendens.* pro *Iochim, Choceba, Ioas, & Saraph.* Quare non eſt cur de horum nominum ſignificatione laboremus, maximè quia, vt dixi, nihil hîc habemus, quod ad Dauidem pertineat.

*Pro nominibus propriis eorum ſæpe adhibita ſignificationes.*

35. Illud hîc obſeruandum, vbi lib. 1. Par. citato dicitur ille, qui Goliath iſtum occidit, eſſe Bethleemites, Hebraicè eſſe את לחמי *eth lachmi.* quod ſane ſi corruptus non eſſet textus, eſſet in accuſatiuo; & tunc illud *lachmi* nomen eſſet proprium Gigantis, & illius loci hæc eſſet ſententia: Percuſſit Elhanam Lachmi fratrem Goliath. & ita Septuaginta reddunt, & alij fermè omnes à Vulgato. Sed puto textum Hebræum fuiſſe corruptum, & noſtrum interpretem legiſſe aliter, nempè בית לחמי id eſt, Bethleemitem, pro את לחמי *eth lachmi* cum articulo accuſatiui. Eſt tamen hoc argumentum non leue, vt exiſtimemus, quod ſupra dicebamus Goliath non eſſe proprium nomen illius Gigantis, de quo in præſentia, quando hîc proprium illius in Hebraico textu nomen inuenitur.

36. Verſ. 20. *Quartum bellum fuit in Geth.* ] De hoc bello nihil habemus aliud, quàm hominem Gigãteæ vaſtitatis, & molis, qui in ſingulis pedibus, ac manibus ſenos haberet digitos, quique contra Deum Iſrael impiam exeruit linguam, à Ionatha filio Sameæ fratris Dauidis interemptum fuiſſe. Neque quid hîc video, quod maiorem ab interprete lucem deſideret.

37. Verſ. 22. *Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth.*] Hîc nos tantis perhæreamus oportet, expendamúſque, quænam ſit hęc Arapha, de qua varij ſunt interpretum, & Rabbinorũ explicandi modi. Rabbini quidam Arapham, quam Goliath matrem eſſe putant, quod nos ſuprà falſum eſſe diximus, eãdem eſſe putant cum Orpha nuru Noemi. Quod tenet Pſeudophilo in Antiquitatibus Biblicis; qua de re nos ſupra ad c. 17. vbi egimus de Dauidis & Goliath ſingulari congreſſu. Quod approbaſſe videtur Prudentius in Hamartigenia ad finem, vbi ſic de Orpha, qui relicta ſocru Noemi maluit Gentilicis adhærere ſacris.

*Arapha nõ eſt Orpha.*

*—Sed priſtinus Orphæ*
*Fanorum ritus præputia barbara ſuaſit*
*Malle, & ſemiferi ſtirpem nutrire Goliæ.*

Sed hanc Rabbinorum ineptam eſſe cogitationem multa probant. Primùm, quia apud Hebræos longè diuerſum eſt nomen Orphæ ab Arapha, licèt in Latina forma aliqua apparet ſimilitudo cũ modico diſcrimine. At in Hebræo maximum in radicalibus literis diſcrimen apparet. Orpha enim de qua in libro Ruth, dicitur ערפה *Orpha*: at quatuor iſtorum Gigantum mater hoc loco dicitur הרפה. Deinde, quia ad hoc vſque tempus Orpha vitam producere non potuit: niſi dicamus tot annos vixiſſe, quot eo tempore nemo vixiſſe reperitur. Ad hoc namque tempus interceſſêre primùm anni, quos ipſa vixerat, quando cùm ſocru Noemi migrare in Iſraelitidem terram cogitauit. Deinde anni Obed, quem ex Ruth Moabitide ſuſcepit Booz; & Iſai, & tandem Dauidis, qui hoc tempore nõ longè aberat à ſexagenario. Quòd ſi demus ad illud perueniſſe tempus, quam vim habere potuit tam grandis fœmina; vt illa tot robuſta hominum monſtra conciperet? Præterea hæc Gethæa fuit, illa verò Moabitis genere, & Moabitidis regionis habitatrix. Faceſſant igitur Rabbini cum ſuis ſiue ſomniis, ſiue nugis; neque nobis perſuadere ſtudeant, quòd tam abeſt procul ab humana fide.

Illud mihi magis videtur veriſimile, ab hac Arapha, quæ ex genere videtur fuiſſe Gigantũ, deductum eſſe nomen iam commune, quod datũ eſt illis, qui coloſſæam habent molem, & gigantæum pondus: hi enim vocantur Raphaim, quaſi Raphah, ſiue Arapha filij. Sicut ab Enac, qui vaſtam habuit, & gigantæam magnitudinem, Gigantes vocantur Enacim. Et quidem qui hîc dicuntur filij הרפה *Arapha*, ijdem lib. 1. Par. c. 20. vocantur filij רפאים *Raphaim.* Neque refert, quod priori loco ſit, ה *he* hoc poſteriori א *Aleph.* quia, vt norunt, qui mediocriter ſunt in Hebraicis verſati, duæ hæ literæ Aleph, & He, permutabiles ſunt. Hęc mihi de Arapha videntur affirmari poſſe probabiliter. 38.

Verſ. 22. *Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid, & ſeruorũ eius.*] Hoc erat argumentum præcipuum, quo alij ſibi perſuaſerunt hoc loco iterari certamen illud ſingulare, quo à Dauide percuſſus eſt, & occiſus Goliath; quia alioqui non apparebat, quomodo horũ quatuor aliquis ceciderit in manu Dauid. Sed non nimis vrget hæc ratio eos, qui familiarem loquendi modum, tam in ſacra, quàm in profana ſcriptura cognouerunt. Nam vt demus horum quatuor neminem à Dauide percuſſum, quod non puto; quis enim dubitet in eo articulo, in quo de ſanguine, & vita certamen erat, etiamſi langueret, atque deficeret Dauid, non tamẽ ſimul cum Abiſai ad Gigantis interitum concurriſſe? Quod ſi ita eſt, occiſus ille vocari potuit à Dauide, quia aliquid opis ab eo in illius interitum collatum eſt. Sed vt nihil ille Gigantis mortem operæ contulerit, tamen quia in primo certamine dux erat, & aciem ipſe inſtruxit, & moderatus eſt, quicquid in eo bello geſtum eſt feliciter, ab illo factum cenſeri debet. Aſcribitur enim imperatori, quod illius exercitus aut conſecutus eſt boni, aut paſſus mali. Sic à Cæſare multa dicuntur cæſa hominum millia, ſubuerſas vrbes, ſubiugatas prouincias, quia illo imperatore, ac duce peracta ſunt. Sanè Reges, vt eſt in prouerbio, plurimas habent, & longas manus; quare quæ ſuorum manibus, eadem manibus Regum adminiſtrari cenſentur. 39.

# IN CAP. XXII. LIB. II. REGVM

## ARGVMENTVM.

*CVM iam Dauid tum à domesticis, quàm ab externis hostibus esset expeditus, & liber, sub extremum videlicet ætatis suæ tempus, canticum hoc, in quo singulare quoddam apparet artificium, cecinit. In quo primùm Deum salutis suæ prædicat auctorem, & vindicem. Cuius singulari beneficio consecutus est, ne quid magnum pateretur ab hostili manu, quia Deus contra suæ salutis inimicos non aliter pugnauit quàm cùm populum suum aut exemit ab Ægyptio iugo, aut deuictis Chananæis in promissam terram introduxit. Vbi tempestatem quandam, tonitru, grandine, ac fulmine horribilem elegantissimè describit; quæ Deus sic in hostiles acies destinauit, vt hostes confecerit, & Dauidem ab illorum impetu præstiterit incolumem. Quòd verò ipse à Deo beneuolo salutem; alij verò ab eodem offenso cladem acceperint ingentem, eam affirmat esse causam, quia Deus talem se hominibus præstat, aut mitem, aut iratum, quales illi se in alios, aut in Deum ipsum præstitére; mitem videlicet in mites; seuerum in eos, quorum animus ferinum in modum in alios bacchatus est. Ad extremum auspice, atque fauente Deo, nihil sibi à quoquam formidandum prædicat, cùm reipsa iam fuerit non semel expertus, non domesticos solùm, sed etiam externos aut occubuisse in acie, aut accessisse supplices ad pedes, quo sibi placarent, quem antea contempserant, & ab illo vel eo modo vsqueadeò seruili, & humili, veniam impetrarent. Propter quod in diuinas laudes perpetuò incumbendum sibi esse profitetur.*

## CAPVT XXII.

1. LOcutus est autem Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul, & ait:

2. Dominus petra mea, & robur meum, saluator meus.

3. Deus fortis meus sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ: eleuator meus, & refugium meum: saluator meus, de iniquitate liberabis me.

4. Laudabilem inuocabo Dominum: & ab inimicis meis saluus ero.

5. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me.

6. Funes

## PARAPHRASIS.

A 1. *IN die, qua liberatus est Dauid ab omnibus inimicis, & à Saule præcipuè, qui ipsum diutius, quàm alij, atque obstinatius insecutus est, hoc cecinit in salutis suæ custodem, & vindicem, gratulatorium canticum, dixítque.*

2. *Dominus mihi perfugium est multò securius, atque sublimius, quàm quod in saxorum latebris parare sibi solent, quos hostium insectatur obstinata crudelitas. Ille mihi robur est, & secura salus, à quo id habeo, vt robustus fuerim, & ab inimicorum armatis insidiis incolumis euaserim.*

3. *Spes tota mihi in Deo collocata est, quia illam tantùm fortitudinem habeo, quam Deus*
B *mihi propitius largitus est. Ille mihi ad repellenda inimicorum tela clypeus; ille mihi ad pugnandum inuicta fortitudo, & victoriarum auctor; ille me à periculis seruat, ille me in tribulatione supplicem patronus excipit non grauatè; ille me cadentem, & deficientem erigit; ille me ab his, quos iniquitas instigat, & odium, & ab omni liberat infortunio, quod improborum meditatur inuidia.*

4. *Inuocabo igitur, laudabóque Dominum, æterna commendatione dignum, quia ab omnium*
C *me inimicorum aut manifestis armis, aut occultis insidiis præstitit incolumem.*

5. *Fuit tempus cùm sic eram ab hoste ab omni latere anguste conclusus, vt nihil esset propius, quàm vt mortem subirem; cùm hostes qui diuinũ aut ignorarent, aut à ceruicibus excussissent iugũ, instar torrentis, qui præcipiti decurrit impetu, in vouum exitium raperentur.*

6. *Sicut*

6. Funes inferni circumdederunt me: A
præuenerunt me laquei mortis.

6. *Sicut à venatore feris funes obtenduntur, in quos vbi se primùm induerint, conficiuntur venabulo: sic ab hostibus parati sunt laquei, & insidiæ quoquo versùs instructæ, ex quibus à morte nullum apparebat effugium.*

7. In tribulatione mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo suo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius.

7. *Quare cùm tam propitium habuerim à Domino, & paratum auxilium, supplices ad illum preces effundam, & clamores spiritus, atque spei plenos, si quando casus incurrerit angustior, qui dolendi materiam, & lugendi afferat: & exaudiet, sat scio, de cælo supplicantis vocem, neque clamoribus de tribulatione sollicitis, aut aures negabit faciles, aut beneuolum animum.*

8. Commota est & contremuit terra: fũdamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis. B

8. *Sicut olim in AEgypto cùm parentes nostri durum Pharaonis paterentur imperium, & postea cùm in solitudine morarentur, toto illo tractu, & deinde cum expulsis Chananæis Israelitidem gẽtem in promissæ terræ possessionem induxit, sic cõmouit, atque concussit terram, vt montes ab ipsis fundamentis conuelli viderentur (quæ sanè magna fuerunt, & prouerbialem in modum vsurpata prodigia) sic etiam cùm in hostes meos, quos sic intueri, tanquam in Chananæos, & AEgyptios videbare, commouisti terram, & in eorum exitium sublunarem plagam cælo miscuisti.*

9. Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo. C

9. *Eo in hostes Deus inuectus est furore, vt ex naribus efflari fumus, & ex ore, atque oculis voraces emicare flammæ viderentur. Neque aliter hostes ab hoc incendio metaphorico consumpti sũt, quàm à vero, & proprio arida materies, quæ in carbones, & cineres redacta est.*

10. Inclinauit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus eius.

10. *Eam vim fulminum in hostes Deus eiaculatus est, sic tonuit horribiliter, sic increbrescente fulgure scintillauit è nubibus, vt totum interram cælum inclinare, atque adeò deuoluere videri potuerit. Cuius pedibus caliginosa suberat nubes, ex qua tot illa diuini furoris tela in hostile caput emicabant.*

11. Et ascendit super Cherubim, & volauit, & lapsus est super pennas venti. D

11. *Quemadmodum in tabernaculo Deus super Cherubinos sedere existimatur, sic etiam in nubibus, quasi in regio vehiculo innixus super ventorum pennas omnes latè regiones momento temporis percurrit, & lustrat.*

12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubibus cælorũ.

12. *Sicut ex suo prætorio castrense negotiũ duces moderantur, & militum curas, stationésque disponũt; sic Deus nubium tenebris, quasi latibulo quodam circumfusus, ex suo veluti prætorio ad varias expeditiones, ac pugnas suos emittit milites, fulmina videlicet, grandinem, & fulgura, magnam denique vim aquarum, quæ non aliter ex nubibus cadunt, quàm excussa grana, quæ labuntur è cribro.*

13. Præ fulgore in conspectu eius, succensi sunt carbones ignis. E

13. *In conspectu Domini, & ab eius imperio, quasi bellatorum ordinatum agmen, grandines, & fulmina, quæ non aliter scintillabant, quàm ardentes prunæ, disciderunt nubes in quarum sinu inuita claudebantur, & inde cum fragore, ac strepitu in peccatorum exitium eruperunt.*

14. Tonabit de cœlo Dominus: & excelsus

14. *Intonuit enim de cælo Dominus, quasi classi*

ſus dabit vocem ſuam.

15. Miſit ſagittas,& diſſipauit eos;fulgur, & conſumpſit eos.

16. Et apparuerunt effuſiones maris, & reuelata ſunt fundamenta Orbis ,ab increpatione Domini,ab inſpiratione ſpiritus furoris eius.

17. Miſit de excelſo,& aſſumpſit me : & extraxit me de aquis multis.

18. Liberauit me ab inimico meo potentiſſimo,& ab his qui oderant me : quoniam robuſtiores me erant.

19. Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus eſt Dominus firmamentum meũ.

20. Et eduxit me in latitudinem : liberauit me,quia complacui ei.

21. Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam : & ſecundùm munditiam manuum mearum reddet mihi.

22. Quia cuſtodiui vias Domini, & non egi impiè à Deo meo.

23. Omnia enim iudicia eius in cõſpectu

A *claſsicum caneret militare , emisítque vocẽ ſuam tonitru videlicet , quod ciet nubes à fulmine diuiſa.*

15. *Miſit ſagittam in modum tanquam à bene curuato arcu,emiſsiones fulgetrarum,fulminum, & cometarum diſcurrentia iacula , quibus aduerſantium inimicorum acies diſsipauit , & perdidit.*

16. *In illa autem inimicorum meorum vaſtatione,& clade, interueniſſe videntur inundantes aquarum moles , quæ antiquis Noe ſæculis oppleuerunt , & euerterunt terram. Nam ex quadam abyſſo metaphorica , ſeu immenſa terrarum vora-*

B *gine ea vis aquarum erupit , vt mare quoddam vaſtum in latum hunc mundum videretur effuſum. Vt autem tunc fundamenta terræ , ad quæ depreſſus erat , abyſsi illius profundiſsimus ſinus, qui non longè aberat à centro , reuelata ſunt ab irato Deo , cùm ad illud vſque tempus in abditis terræ viſceribus latuiſſent:ſic nunc à diuini furoris inflammato ſpiritu , inimici mei inundatione non diſsimili perierunt.*

17. *Longè aliter accidit mihi à diuina benignitate , quæ me in omnibus amanter amplexa eſt. Cùm enim in meum exitium omnia coniuraſſe viderentur , non paſſus eſt me ab immani-*

C *bus illis aquarum inundationibus abſorberi: porrexit enim de cælo paternam manum , quæ me à tot ingruentibus periculis eripuit.*

18. *Liberauit me primùm à Saule hoſte potẽtiſsimo,qui diu me,& obſtinato inſectabatur animo ; & ab aliis non paucis , quorum maius erat robur,atque potentia,quàm vt à me ſuſtineri,nedum ſuperari commodè potuerint.*

19. *Præuenit me priùs maturo conſilio hoſtis importunus,armis,odiíſque terribilis,vt me ſecurum,& imparatum opprimeret. Sed cùm ego,vtpote infirmus,& tot copiis , & viribus longè im-*

D *par , ex obiectis vndique periculis expediri non poſſem;à Deo tamen, qui mihi auxilio, ac firmamento fuit,liberatus ſum.*

20. *Sed cùm arctè premerer ab hoſte, qui ſanguinem meum exorbère cupiebat,& in anguſtum locum eſſem adductus , in latitudinem tamen ex anguſtiis emerſi, cùm liberum iam ſpiritum haurire potui,& lucem intueri ſine metu.Eius tamen beneuolentiæ,ſi qua poteſt aſsignari cauſa,illa eſt, quia Deus in me ſibi complacuit , eò quòd nihil habui aut maius , aut prius , quàm vt me totum ad illius voluntatem attemperarem.*

E 21. *Atque ideo Deus reddidit mihi , quod mea mihi iuſtitia , & manuũ explorata puritas exigebat, quæ a iuſtitiæ legibus non abhorruerũt, quas ſeruaui nudas à rapinis,& ab omnium ſcelerum fœditate continui.*

22. *Quia exactè quæ tradita ſunt à Deo mãdata ſeruaui , neque religione prodita per impietatem à Domino receſsi.*

23. *Obuerſabantur enim ante oculos meos*

meo: & præcepta eius non amoui à me.

A *diuina iudicia, quorum obliuiſci neque volui, neque poteram, neque me ab illius præceptorum obſeruantia ſubduxi.*

24. Et ero perfectus cum eo: & cuſtodiam me ab iniquitate mea.

24. *Et habui Deum vbique præſentem, & ad illius oculos omnia ſtudiorum meorum momenta compoſui, atque ideo oculos nunquam ab illius præceptorum cuſtodia dimoui.*

25. Et reſtituet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam: & ſecundùm munditiam manuum mearum, in conſpectu oculorum ſuorum.

25. *Hac Deus liberalitate, hac tã paterna prouidentia compenſauit iuſtitiam, quam ego ſemper incorruptam colui; & manus, quibus nihil adhæſit à rapina; atque oculos, à quibus Deus nunquam abfuit, in cuius conſpectu omnia mea ſtudia, atque conſilia moderatus ſum.*

26. Cum ſancto ſanctus eris: & cum robuſto perfectus.

B 26. *Longo iam, ô Domine, experimento cognoui, talem eſſe te in homines, quales homines ſe ad te, tuaque mandata præſtiterint. Sanctis sãctitatem, veneratiónémque concilias, quam negas irreligioſis, & profanis: & cum his, qui in alios clementi fuerint, ac benefico animo, beneficum te exhibes, & miſericordem. Et ſiquis in benefaciẽdo conſtans inuentus fuerit, & robuſtus, conſtantem quoque te inueniet in miſericordia, donec opus ſuum ad exitum vſque, perfectionémque deducat.*

27. Cum electo electus eris: & cum peruerſo peruertêris.

27. *In præſtantes homines, qui ſupra cæteros excellunt, excellentem quoque, ô Deus, menſuram habebis, quâ illorum electo, atque præcipuo modo*
C *merita compenſes. Quòd ſi quis rationis, atque naturæ legem, ordinémque peruertat, Deus quoque in ipſum aliquo etiam modo peruertetur, dũ à ſeipſo quodammodo deficit, & ingenium mutat, quod cùm pronum ſit ad miſericordiam, ad ſumendam tamen vindictam inflammatur.*

28. Et populum pauperem ſaluum facies: oculiſque tuis excelſos humiliabis.

28. *Atque ideo populum inopem, à quo abeſſe non ſolet humilitas, ſeruas, & extollis; illum verò, qui ſuperbos alit ſpiritus, vel vno tantùm oculorum coniectu deprimis, & humilias.*

29. Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas.

29. *Tu Domine lucernam meam, quam inimi-*
D *corum obſtinata crudelitas penè iam extinxerat, accẽdiſti, reddidiſtique vitam, quæ inſtar obtinebat mortis, verè vitalem; & quid in rebus dubiis mihi futurum eſſet ex vſu, quaſi prælatâ face docuiſti.*

30. In te enim curram accinctus: in Deo meo tranſiliam murum.

30. *Quare, ô Domine, cùm te fauente, atque auſpice, infirma ſit, & futilis humana omnis, & aduerſaria poteſtas; neque vlla ſit tanta infirmitas, quæ diuino confirmata robore non expugnet, quæ minimè conuelli ab humana potentia videbantur; accingam me armis, & (quod in re bellica difficillimum eſt) per muros aſſultu ſuperatos, & per medios inimicorum cuneos ad intima*
E *ciuitatis loca penetrabo.*

31. Deus immaculata via eius, eloquium Domini igne examinatum: ſcutum eſt omnium ſperantium in ſe.

31. *Et cur non audeam quiduis auctore, atque aſpirante Deo? cùm Deus fidelis ſit, & conſtans in promiſsis, cuius agendi modus immaculatus eſt, quique nihil habet ſimulatum, & fallax. Cuius verbum ſiue promittat,*

32. Quis *ſiue*

A *siue præcipiat aliquid, purum est, & sine vllo simulationis fuco; sicut in auro examinato septies nihil ab omni terrena concretione relinquitur. Et quidem verbum istud tam fidele, ac potens, instar est scuti illis, qui spem suam in Dei tam secura, ac firma promissione collocarunt.*

32. Quis est Deus præter Dominum: & quis fortis præter Deum nostrum?

32. *Hic vnus verus est Deus, in quo fidelis est promissio, & potens facultas, vt homines à periculis expediat. Illi verò, quos illusa colit Gentilitas, qui nihil horum præstare possunt, quam longissimè absunt à diuino nomine.*

33. Deus qui accinxit me fortitudine: & complanauit perfectam viam meam.

33. *Hic, inquam, verus est Deus, qui animum confirmat, armátque virtute, & corpus aduersùs*
B *inimicorum iacula communit; quia complanata iam via, omnia prorsus submouet impedimenta.*

34. Coæquans pedes meos Ceruis, & super excelsa mea statuens me.

34. *Hic mihi pedes dedit vsqueadeò veloces, ac leues, vt cum Ceruorum pernicitate conferri possint. Ad loca denique excelsa securum sustulit, ad quæ neque ascendere, neque aspirare solet, aut potest inimica vis.*

35. Docens manus meas ad prælium, & componens qui arcum æreum brachia mea.

35. *Ille me disciplinam docuit militarem, ne manus haberem indoctas, aut inertes in militari congressu; & tantam dedit brachio firmitatem, & robur ad torquendam hastam, aut lapidem ex fũ-*
C *da, quantam habet arcus formatus è chalybe ad sagittarum emissiones.*

36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ: & mansuetudo tua multiplicauit me.

36. *A te, Domine, tanquam à salutari clypeo salutem obtinui, quod non tam meis meritis, quã mansuetudini tuæ totum ascribo; quæ mihi vitam multiplicauit, & regnum, cùm iure perquam optimo vtrumque propter peccatum meum amittere potuerim.*

37. Dilatabis gressus meos subtus me: & non deficient tali mei.

37. *Cùm in locis agerem præruptis, & angustis, in quibus neque liberè, neque tutò, vt maximè cuperem, spatiari possem, tu tamen fecisti, vt hoste summoto ex angustis illis spatiis securus contege-*
D *rem, & in illis incessu facili deambularem locis, in quibus neque offenderent, neque lassarentur pedes.*

38. Persequar inimicos meos, & conteram: & non conuertar, donec consumam eos.

38. *Persequar igitur inimicos meos, hoc adiutore, atque auspice, neque ab illorum insectatione quiescam, donec omnes ad vnum denique conficiam.*

39. Consumam eos & confringam, vt nõ consurgant: cadent sub pedibus meis.

39. *Conficiam eos, atque ita confringam, & conteram, vt illorum nullo modo possit instaurari ruina; qui ita ad pedes meos collisi cadent, vt illorum ceruices impactis impunè pedibus conculcẽ.*

40. Accinxisti me fortitudine ad prælium: incuruasti resistentes mihi subtus me.

E 40. *Id verò ideo mihi spe firmâ, ac certa futurum esse polliceor, quia abs te accepi arma, vtique victricia, quibus mihi dexteram inuictam, & fortitudinem ad bella tribuisti. Auget autem hanc mihi confidentiã, quia video eos, qui mihi priùs pertinaci bello repugnarunt, demisso iam capite, & inflexâ ceruice, ad pedes meos supplices accidisse.*

41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum: odien

41. *Subiecisti mihi Domine inimicorũ meorũ*

odientes me,& diſperdam eos.

42.Clamabunt,& non erit qui ſaluet: ad Dominum & non exaudiet eos.

43.Delebo eos vt puluerem terræ: quaſi lutum platearum comminuam eos, atque confringam.

44. Saluabis me à contradictionibus populi mei: cuſtodies me in caput Gentium: populus,quem ignoro,ſeruiet mihi.

45.Filij alieni reſiſtent mihi,auditu auris obedient mihi.

46.Filij alieni defluxerunt,& contrahentur in anguſtiis ſuis.

47.Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltabitur Deus fortis ſalutis meæ.

48.Deus qui das vindictas mihi, & deiicis populos ſub me.

49. Qui educis me ab inimicis meis, & à reſiſtentibus mihi eleuas me:à viro iniquo liberabis me.

50.Propterea confitebor tibi Domine in gentibus:& nomini tuo cantabo.

51. Magnificans ſalutes regis, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid,& ſemini eius in ſempiternum.

A *incuruata,atque ſubſtrata dorſa,quæ pro meo arbitratu aut onerarem ſarcinis,aut cæderem flagellis. Quare omnes, qui odio me proſequuntur hoſtili, facili negotio diſperdam.*

42. *Tunc illi, qui ex Iſraelitide Gente perſequuti me fuerunt, clamauerunt ad te, ſed planè fruſtrà; nec enim illorum preces miſeratus exaudiſti, neque vllus fuit illis ſubſidio, qui aliquid afferret opis ad ſalutem.*

43. *Quid igitur impedit, cùm diuinus à me ſtet fauor, quia inimicos meos ita deleam, vt in pulueris ſimilitudinem comminuam, & ita iaceant illorum vilia, & inhumata cadaucra, ſicut*
B *lutum, quod ab hominum frequenti conuentu calcatur,atque ſubigitur in plateis,*

44. *Sumpſerunt quidem arma contra me ex meo populo, ac genere copiæ non infrequentes, à quibus me incolumem, imò & ſuperiorem præſtitiſti; & cùm bellum externis, Gentilicíſque populis inferrem,non ſolùm perfeciſti, vt nihil ab illis paterer ſaluti, dignitatíque contrarium, ſed vt illos ditioni meæ,voluntatíque ſubmitterem.*

45. *Qui licèt alieni à me non erant generis communione,toti tamen ſtudiis, & caſtris aberãt à me, & inteſtinis me bellis inſequebantur: ſed tamen iidem eò adducti ſunt,vt poſtea mihi om-*
C *ni ſtudio,& alacritate lubentes obſequantur.*

46.*Illi viri non tam alieni, quàm alienati à me.Iam fracti & animo,& viribus, & in anguſtias redacti,ex quibus, vt ipſis erat in votis, emergere non poterant,contraxerunt,depoſuerúntque ſpiritus ante minaces,quos inani oſtentatione iactauerant.*

47. *Exaltabitur à me in æternum Deus, qui viuus eſt(non ſicut illi,quos deluſa fingit,colítque Gentilitas,qui neque ſpirant,neque ſentiunt)quíque æterna eſt laude,ac benedictione dignus,à cuius beneuola,atque fauente fortitudine habeo,vt*
D *ſaluus,& felix cum gaudio,& dignitate viuam.*

48. *Exaltaberis à me in æternum Deus, qui mihi virtutem inſeris, & audaciam, vt populos ſternam,meæque ſubiiciam poteſtati, & vltricem cum illis conſeram dexteram cum ſucceſſu fortunato,ac facili.*

49.*Qui non ſolùm me ab hoſtibus,viríſq; peruerſis incolumem, ſed etiam ſuperiorẽ præſtitiſti.*

50.*Propterea enitar,quoad maximè potero,vt concinnandis, pangendíſque carminibus Gẽtes etiam externæ diuinæ maieſtatis gloriã agnoſcant.*

51.*Quid mirum,ſi in diuinas laudes me totũ*
E *impendam,quando ille tot mihi, quem ſuum ſibi Regem eſſe voluit,ab hoſtibus victorias conceſſit, tot me beneficiis ab animo miſericorde profectis proſecutus eſt,quem priùs legitima quadam vnctione Iſraelitico populo præpoſuit, quod nomen Dauidico generi voluit eſſe perpetuum.*

IN

# IN CAP. XXII. LIB. II. REGVM COMMENTARII.

Vers.1. *Locutus est autem Dauid Domino verba carminis huius in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul.*]

1. HVNC Psalmum Videtur cecinisse Dauid postquam bella vbicumque terrarum consederunt. Quod non obscurè indicat titulus Psalmo præfixus. Est autem verisimile, cùm nactus esset quietem & otium, totum illud tempus, quod in adornando exercitu, & conscribendo milite posuerat, ad diuinas Laudes & componendos Psalmos transtulisse. Editos esse ante hoc tempus non paucos, tituli ipsi Psalmorum non obscurè docent. Sed esse plerosque editos cùm à bellis, & aliis reipub. componendæ studiis cessatum fuit, nonnullum argumentum est, quòd hic Psalmus in Psalterio Decimumseptimum obtinet locum. Dixi nonnullum hoc argumentum esse, quia non admodum vrget; Videmus enim aliquot Psalmos, qui post hunc sequuntur de rebus antè gestis titulos habere præfixos; Quales sunt, 28. 29.33.50.51.52.55.56.59.62. fieri tamen potuit vt quæ priùs gesta fuerant, posteriùs fuerint à Dauide conscripta, & mandata Psalmis, quod faciunt sæpe Prophetæ, & vnus Ieremias plus satis nobis exemplorum suppeditat, nihil deest. Quare fieri etiam potuit, vt quæ ab hoc Psalmo ad finem vsque Psalterij continentur, ab hoc tempore, in extrema nimirum Dauidis ætate, conscripta sint. Hoc certum est ex titulo, iam ab hoste vicino nullum Dauidi instructum esse prælium; dicitur enim hoc à Dauide compositum esse carmen, quando ab omnibus inimicis liberatus est.

2. REGVLA. *Quod in aliquo genere excellit, seorsum ponitur post communem notam,*

In hoc titulo aliquid occurrit obseruatione dignum; nam cùm inimicorum omnium Dauidis præcessisset manus, frustrà videbatur deinde Saulis additum esse nomen, cùm illud priùs in illo vniuersali signo foret inclusum. Sed est hoc tam in sacris, quàm in profanis scriptoribus vsitatum, vt si quid in aliquo genere plurimùm excellat, seorsum post communem notam nominetur. Sic Actor. 1. Beata Virgo seorsum ab aliis numeratur cùm etiam esset vniuersali signo cum aliis comprehensa. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu.* Marci 19. *Discipulis eius, & Petro.* & 1. Cor. 9. *Numquid non habemus potestatem mulierculam sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Vtroque loco Petrus communi cum discipulis, & Apostolis nomine comprehensus erat, & quia in eo aliquid supra cæteros erat præcipuum, seorsum nominatur, ex quo Petri apparet supra Apostolos alios excellentia. Hoc idem fecit Virgilius lib. 1. Æneid. qui Achillem è Danaorum genere separatim addidit post commune nomen.

*Troas reliquias Danaum, & immitis Achillis.*

Sic etiam hoc loco Saul separatim nominatur ab aliis, qui Dauidis aut delere vitam, aut extenuare nomen conati sunt, quia ille potentissimus erat, eóque ardore insequebatur Dauidem, vt neque locorum difficultate, neque vllis officiis abduci potuerit ab amore, studióque vindictæ, quominùs illum ad mortem vsque, & rabidum furorem insectaretur. Adde, quòd tunc priuatus erat, & inops homo Dauid, qui in inimici sui finibus errabat, cui hostis potentissimus multis in locis moliebatur insidias, quas euitare magni negotij fuit, & beneficij planè diuini.

3. Hic obiter notandum, quod faciunt nunc viri sancti, & fecerunt antè Christus, & Apostoli, nempe vt in citandis testaméti veteris testimoniis, nó verba numerarent, aut verbú exprimerent de verbo, sed sentétias expenderent, quas si ex citatis verbis essent assecuti, nihil præterea putabát esse quærendum. Qua de re non semel sacri Doctores, & interpretes. Quod itaque sæpè in Testamento nouo faciunt Apostoli, hoc idem fecerunt iam olim in Testamento veteri scriptores sacri, dum ex eodem Testamento aliquid aut explicant, aut conuertunt. Lege narrationes plurimas ab hominibus fidei digniſſimis repetitas, & videbis seruari quidem in oratione repetita sentétiarum exactissimè vim, & pondus; verba tamen, & sermonum ordinem mutari. Exempla sunt obuia, vnum adducá, quia proximum est, ex c. lib. 3. Regum, vbi v. 37. *Quacumque die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Cui respondisse traditur Semei v. 38. *Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus Rex, sic faciet seruus tuus.* Hęc eadem Salomon repetit v. 42. & in libris Par. repetũtur plurima, quæ in libris Regum, aliis tamen verbis, & verborum figuris. In Testamento nouo plurima sunt, & notissima exempla. Cùm enim quatuor Euágelistæ sermones, quos habuit Christus, quàm sæpissimè narrent, & in sententia eorum omninò consentiant, tamen in verbis sæpè, figuráque sermonis dissentire solent, & multa ab aliis sunt addita, quæ ab aliis fuerunt omissa. Sic planè hic accidit, & in alio Psalmo lib. 1. Par. c. 16. qui deinde in Psalterium siue ab ipso Dauide, siue ab aliquo alio collati sunt. Ille ordine est 17. hic 104. vbi multa mutata, detracta alia, neque eadem in Hebraico textu verba reperiuntur. Huius rei causam illam esse arbitror, quia sicut in verbis dierum Regum Iuda, & Israel, multa videntur minùs accuratè descripta, ex quibus libri postea Regum compacti sunt, vbi illa eadem habemus limata magis, & aliter disposita; sic etiam cùm hæc Dauid in Psalterium cõgesserit, musicísque cantanda præscripserit, limauit hæc diligenter, quæ antea stylo rudiore, & calamo properante cõposuerat; & ideo multa in duobus hisce Psalmis mutata sunt, alia sublata, neque tamen ideo mutata est sententia.

4. Vers. 2. *Dominus petra mea, & robur meũ, & saluator meus.* In Ps. 17. addita est totius Psalmi extrema cõclusio, quæ ex tot officiis, quot in hoc cãtico gratulatorio connumerantur, infert dignum esse Deũ qui ametur ab omnibus, sibi certè dicit esse diligẽdũ. *Diligam,* inquit, *te Domine fortitudo mea.* Ostẽdit autem id, quod statim in primo, grauissimóq; certamine professus est, cùm ad singulare certamẽ adhuc imperitus militaris negotij cũ Gigãte descẽdit

vbi his sibi verbis felicem illius certaminis euentum promittebat: *Tu venis ad me in gladio, & hasta & clypeo; ego autẽ venio ad te in nomine Domini exercituum,* &c. *& dabit te Dominus in manu mea.* Vt autem Dominus tunc Dauidem à Gigante prostrato seruauit incolumem; sic etiam ab hominibus aliis quos ad hunc vsque articulum maleuolos habuit, & infensos hostes; idque in hoc gratulatorio carmine profitetur. Et primùm variis metaphoris Dei in se fidelem protectionem amplificat, & inuictum robur. Cætera sunt aperta; duo tantùm explicanda, *petra,* & *cornu.* Petra dicitur Deus, quia illa solida est, & firma, si vllum aliud naturale, solidúmque perfugium. Aut quia arces, quæ sitæ sũt in petris, aut arduis scopulis, magis sunt expugnatu difficiles, vt apparet in arce Sion, quam habitatores Iebusæi à claudis, & cęcis existimabant posse defendi. Seu certè, quia in Palæstina speluncæ sunt in prærupibus, ad quas homines, quando sibi præclusam esse vident ad salutem viam, in extrema desperatione confugiunt. De quibus nos super Isaiam c. 2. n. 15. & docet Iosephus lib. 1. de bello c. 12. Sanè Idumæi, vt diximus super Abdiã, tutos se in petrarum cauernis fore arbitrabantur. Meminit, opinor petræ Dauid, quia ipse sæpe vrgente, & in venatici canis morem indagante Saule, in petrarum concaua ingressus Saulis rabiem, & studium elusit. Quasi dicat, non me petra, cuius antra subij, sed Dei fidelis prouidentia à Saule defendit. Quare cùm me Saul militum vndequaque corona cingeret, Deus mihi petra fuit.

*Petra pro perfugio, & quare.*

Vers. 3. *Et cornu salutis meæ.*] Quomodo cornu potentiam, roburque significet, diximus lib. c. 2. ad illud v. 2. *Exaltatum est cornu meum.*

6. *De iniquitate liberabis me.*] Hæc in Psal. 17. non sunt. Cùm multa significet iniquitas, hîc tamen aliquid significat aduersum: quare vt peccatum interdùm idem valet, quod peccati supplicium; sic etiam iniquitas idem est sæpè quod iniquitatis pœna. Sed fortasse hîc iniquitas per metonymiam pro iniquo ponitur, sicut inuidia pro inuido. Quasi dicas, liberasti me de homine iniquo, seu quod idem est, de illo, quem ad meum exitium instimulabat iniquitas, & inuidia.

7. Vers. 4. *Laudabilem inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.*] In Ps. 17. Septuaginta legũt *laudans.* Hebraicè eadẽ est vox מהלל *mehulal.* quæ variè notata, *laudans, laudabilemque* significat. Septuaginta videntur legisse מְחֻלָּל *mehalèl*, actiuè; quasi dicai, laudans, siue cum laude inuocabo Dominum. Hieronymus autem מְהֻלָּל *mehulal*, passiuè quod laudabilem, seu laudatum valet; sed est sensus idem. Iuxta Septuaginta translationem in Ps. 17. *Laudando inuocabo Dominum.* Oratio enim plerumque cum laude fit; laudamus enim priùs Dominum, deinde illius auxilium imploramus Vnde laus sæpè pro oratione sumitur, vt obseruauimus ad illud Ierem. 7. *Neque assumas pro eis laudem, & orationem.* Cùm autem à laude orationem ordiamur, optimè Hieronymus *laudabilem* transtulit; sicut hoc etiam loco Septuaginta, qui reddiderũt ἀινετὸν id est, *laudatum,* quia laudato priùs Domino, orationem ordimur. Quòd si Deum eo, quem diximus modo, oret, præcedente laude, quæ Domini sibi promeretur beneuolentiam, sperat in posterum Dauid, futurum, vt ab inimicis suis salutem iterùm ac sæpiùs, & victoriam obtineat.

*Laus pro oratione.*

Vers. 5. *Quia circumdederunt me contritiones mortis,*
8. *torrentes Belial terruerunt me.*] In Psal. 17. *dolores mortis.* Incipit iam laudare Deum, dum ostendit quàm fuerit ab inimicis grauiter, atque diu vexatus, & quomodo à rebus angustis, quæque nullum videbantur ad salutem exitum habituræ, non solùm incolumis, sed etiam superior, & victor semper emerserit. Contritiones, seu dolores mortis illæ dicuntur, ex quibus à morte nullum sese ostentabat expeditum effugium; qui aliis in locis dicuntur laquei mortis, laquei venantium, tauri pingues, vituli multi. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Hæc, vt reor, Saulis persecutiones indicant; nam ab illo aliquando sic est tanquam à venatore obiectis vndecumque retibus conclusus, vt non videretur nisi assumptis pennis euadere potuisse. Atque ideò audiebat sæpè siue ab amicis, qui hortabãtur beneuolè, siue ab hostibus, qui omnia minabãtur extrema, vt pennas sumeret, alioqui obtentas ab hoste potentiore casses non euasurus. Psal. 10. v. 1. *Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer.* Spectat autem tempus illud, cùm sese in vastos montium sinus, & cauernas abdidit; neque aberat longè Saulis exercitus, qui auido, sagaci, atque anhelato spiritu occultas mõtium scrutabatur latebras. Cúmque graue à Saule timeret infortunium, cùm esset in speluncis Engaddi, lib. 1. Reg. c. 24. & apud Ziphæos c. 26. in colle Achilæ, sed præsertim cùm in deserto Maon in coronæ modum cingebatur à Saulis exercitu, ex quo nullum videbat ab humano consilio mortis effugium; illum tamen Deus ab ipsis mortis faucibus expediit subito quodam nuncio perturbationis pleno, qui Saulem ad alia quædam curanda festinum euocauit.

*Torrentes Belial terruerunt me.*] In torrentibus, seu fluminibus significari exercitus, docuimus in nostris commentariis super Ieremiam ad illud c. 46. v. 7. *Quis est iste, qui quasi flumen ascendit?* Sic Isaiæ c. 8. *Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis.* & c. 30. *Spiritus eius velut torrens inundans.* Est autem hæc ad subitos bellorum, & præcipites appulsus accommodata translatio; maximè ea, quæ à torrente sumitur, qui subitò pluuiales colligit aquas, illáque cum magno strepitu, atque impetu præcipitat. Hac sanè Maro lib. 2. Æn. id. Græcorum exprimit repentinum impetum, qui vrbem strauit luculentam, & optimè munitam.

9. *In flumine, & torrente significatus exercitus.*

——*Aut rapidus montano flumine torrens*
*Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,*
*Præcipitéque trahit syluas.*

Et Sylius Italicus l. 4.

*Vt torrens celsi præceps è vertice Pindi*
*Cum sonitu ruit in campos, magnóque fragore*
*Auulsum montis voluit latus, obuia passim*
*Armenta, immanésque feræ, syluæque trahuntur.*
*Spumea saxosis clamat conuallibus vnda.*

10. Sumitur autem hîc torrens pro impetu, Belial autem pro homine, aut Gentili, qui nunquam subiit legis iugũ, quales fuerunt Palæstini, Idumæi, Ammonitę, aut qui cùm accepissent, excussérunt à ceruicibus postea, cùm non tam ducuntur è lege, quàm ab inuidia, aut ambitione, aut ab aliis immoderatis animorum affectibus abducũtur. Qualis fuit Absalom, Achitophel, & àlij, qui cum pudore, ac fide, quam præstare integram Regi debuêre, humanitatẽ omnẽ abiecêre. Quid sit Belial diximus ad illud l. 1. c. 2. *Porrò filij Heli filij Belial.*

11. Vers. 6. *Funes inferni circumdederunt me, præuenerunt me laquei mortis.*] Sententia eadem, sed diuerso dicendi modo per epexegesim variata: iidem

iidem enim sunt *funes inferni*, quod *mortis laquei*; notum est enim *infernum* interdum valere sepulturam,& mortem. Dicuntur autem *funes*, siue *laquei mortis*, aut, sicut habet Psalmus 17. *dolores inferni*,dolores sic acerbi, aut laquei ita frequenter, & artificiosè dispositi,vt ad mortem,sepulturámque deducant. Hunc fortasse locum,aut alium similem intuebatur Petrus Actor. c.2.v.24. cùm de Christo dixit, *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni*.id est,doloribus,qui tantũ habuerunt acerbitatis, vt Christum ad mortem, sepulturámque deduxerint. Nam quòd pœnas damnatorum subierit, quod impiè hæreticorum nonnulli blasphemant,non probat locus ille Petri, nisi fortasse illis,qui ad impietatem simul etiam Hebraici sermonis vsus,& proprietatis ignorationem addiderunt. Porrò illud,*solutis doloribus*, bellè facit cum funium,laqueorúmque vocabulo; hæc enim constringi dicuntur,innodari,& solui.

*Infernus aliquando idem quod sepultura, & mors.*

12. Vers.7. *In tribulatione mea inuocabo Dominum*, &c.]In Psalmo 17.hæc in tempore ponuntur iam præterito.In Hebræo vtroque loco est קראתי *ecra*, quæ vox temporis est futuri; atque ideo accommodatè ad textum dixit Hieronymus, *Inuocabo, clamabo,exaudiet*. In Psalmo verò 70. *Inuocaui,clamaui, exaudiui*. Sed reuera idem est sensus,quem spectarunt Septuaginta magis quàm verba.Quam ad rem obserue *Si*, conditionalem particulam apud Hebræos sæpè subaudiri, quod docuimus ad illud Abacuc 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat; ego autem gaudebo*, &c. Cuius sensum esse diximus. *Si ingrediatur putredo*, &c. *ego nihilominùs gaudebo*. Et in illud Psalm.69. *Infirmata est,tu verò perfecisti eam*. Id est, si infirmata fuerit,tu perfecisti. In vtroque loco exemplorum à nobis productum est satis. Sic etiam hoc loco conditionalem particulam intelligo in hunc sensum. Si in tribulatione mea inuocauero Dominum,& ad Deum meum clamauero, & ipse exaudiet vocem meam. Quasi dicat, experientiâ didici, auditurum esse Deum vocem meam; cùm clamauero,quia sæpè in tribulatione mea clamaui,& exaudiuit me, neque aliter futurum spero, quàm factum esse video.

*Si, sæpe subaudiitur.*

13. *Et exaudiet de templo sancto suo vocem meam*.] Cùm hæc à Dauide aut scriberentur, aut cantarentur, nondum erat Deo alicubi terrarum templum erectum; primum enim, quod scimus illi fuisse constructum, Salomonium fuit. Sed templum dicitur domus quæcumque fuerit religioni, ac Deo cõsecrata,maximè si paulò sit ornatior,& illustrior.Sanè apud Latinos templum locum significat augustum,humanis etiam, atque profanis actionibus destinatum, licèt plerumque aliquid sonet religiosum,& sacrum;quod etiam valet Hebraica vox היכל *hechal*, quæ licèt templum, & sacras ædes plerúmque significet, interdum tamen aliquid valet profanis etiam, & negotiis popularibus commune. Qualis est curia, vbi consessus fiunt populares, & de rebus non sacris consultationes.Virgilius lib.7.Æneid.

*Templum locum significat augustum, siue profanis, siue sacris vsibus destinatum.*

*——Hoc illis curia templum,*
*Hæ sacris sedes epulis,hic ariete cæsi*
*Perpetuis soliti patres considere mensis.*

Est præterea templum quicumque locus inauguratus, & sacer: sicut cœlum à Cicerone dicitur templum,quia in eo Iouis à Gentilibus credebatur esse sedes.Ita Ennius,

*Item quemcumque locum inauguratum & sacrum ité locum vbi sepulcrum est.*

*Contremuit templum magnum Iouis altitonantis.*

Imò & locus vbi sepulchrum est,templum appellatur.Sic Virgil.lib.5.Æneid.

*Præterea fuit in tectis de marmore templum*
*Coniugis antiqui,miro quod honore colebat,*
*Velleribus niueis,& festa fronde reuinctum.*

Quia ergo tabernaculum consecratum erat Deo, iure vocari templum potuit, vbi Dei in terris præcipua sedes est, & familiare domicilium. De quo loqui videtur Dauid, quando in Psalmis aut templi meminit, aut domus Domini. Ex Græcis Patribus quidam in templo cœlum intelligunt, Basilius,Theodoretus,Euthymius,Eusebius;quod non displicet.Et quidem,vt diximus nuper, nonnulli cœlum templum appellant,vt Ennius suprà, & Terentius in Eunucho,& plures alij.Vide Macrobium in somnio Scipionis.

*In templo cœlum intelligitur à Patribus Græcis.*

Vers.7. *Commota est,& contremuit terra*.] Quæ sequuntur ad versum vsque 17. elegantissimam continent hypotyposim eorum, quæ Deus in defendendo populo suo, siue olim cùm illum euocaret ex Ægypto,aut per solitudinem traduceret; siue cum Chananæis expulsis in terram introduceret promissionis; siue cùm Samuelis tempore strauit Philisthæos ostensis admirandis de cœlo prodigiis. An hæc Deus,quo tempore cum hoste tam domestico, quàm externo confligeret Dauid, ediderit prodigia, armatámque inimicorum potentiam suo diffiauerit spiritu, ac virtute contuderit,incertum est, quia alibi aut nihil hac de re, aut exiguum tantùm aliquid audimus. Quod argumentum licèt non omninò conuincat in oppositum, quia multa videmus suis omissa temporibus, quando proprius videbatur narrationi locus, quæ tamẽ alieniori loco per occasionem esse facta narrantur; vt quòd Oziæ tempore grauis terræ motus contigerit, quod refert Amos cap.1. *Ante duos annos terræ motus*. Quod item refert Zacharias cap.14.vbi nos hac de re pluribus:& plurima,quæ sequenti capite de fortibus,qui fuerunt in Dauidis exercitu,commemorantur,quæ suo loco narrata non sunt. Vide quæ diximus suprà lib. 1.cap.2.n.93. Verùm hæc tot,& tanta, quæ planè admirabilia sunt,in bellis à Dauide susceptis, vbi alia ponuntur multa leuiora; non videbantur omittenda.

*Multa suis locis omissa, & alibi per occasionem narrata.*

Ego ita sentio,primùm si minùs omnia, aliqua tamen horum contigisse in Dauidis causa, cui Deus, vt canit hoc loco Psaltes ipse Dauid, impensè fauit.Certè aliquid audimus eiusmodi cap. 5. v. 24. vbi sic Deus ad Dauidem. *Cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam,vt percutiat castra Philistiim*. Quomodo Deus tunc egressus fuerit, castraque deleuerit hostilia, nihil habemus eo loco, vero tamen est simile, egressum esse sicut âlibi sæpe, & proximè Samuelis tempore cap.7.v.10.lib.1. *Factum est autem cùm Samuel offerret holocaustum, Philistim inière prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistim,& exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel*. Sic fortasse accidit, neque id semel Dauidis tempore, qui multa bella gessit secunda, & breui terram non solùm Israelitidem, & suam, sed etiam alienam sui nominis gloria, & admiratione compleuit. Quòd si admiranda hæc edidit prodigia iudicante Samuele populum, & regnante Saule, vt liquet lib.1. cap. 14. à v.15. sanè hæc eadem Dauide regnante contigisse non est improbabile. Atqui, dices,cur hæc à sacro historico hîc,& in libro Paralipomenôn omissa?Responderem ego non fuisse intermissa prorsus, quando-

quidem ab historico sacro in præsenti cantico narrantur. Quia hæc verba historici sunt, & historice ab ipso narrata, qui Dauidis verbis, quæ ipsius tempore contigerunt, explicuit. Quæ Dauid ipse postea, cùm in Psalterium retulit, nonnihil addidit, detraxit, aut mutauit; ita tamen, vt nihil fuerit de sententia, aut verborum pondere mutatum.

16. Sed etiamsi, dum gesta commemorantur Dauidis, hæc ab historico prætermissa videantur, ideo, vt paulo antè diximus, negandum non est, hæc historico, ac literali sensu sub Dauidis tempora contigisse. Plurima enim facta fuisse negaremus in Ægypto, atque deserto, quæ neque in Exodo, neque in numeris habentur, si illa in Psalmis, aut in libris Iosue, ac Iudicum, in Prophetis, atque Sapientia non legeremus. Quis vnquam in suis locis audiuit, quæ sequenti proximè capite traduntur egregia de fortibus Dauid?

17. *Prodigiosa multa contigerunt Dauide regnante.* Nihilominùs eò magis inclinat animus, vt credam contigisse quidem magna, atque admirabilia toto tempore, quo regnauit, & pugnauit Dauid; quod indicat satis & textus ipse, dicendique modus huius cantici, & Dauidis causa tantopere Deo commendata, & perpetuus quidam victoriarum cursus. Non tamen contigisse illa omnia prodigia, quæ hîc ab historico, & Psalte proponuntur: sed quia hæc antiqua admirabilia fuerunt, & omnibus nota, abierunt iam apud Hebræos in commune prouerbium. Quare cùm aliquod proponitur magnum, & admirabile beneficium, ex magnis illis prodigiis nomen assumitur, vtique ex alieno loco, cum aliqua tamen prouerbiali specie, ac similitudine translatum. Probauimus hæc nos multis in nostris commentariis in Isaiam, ad illud cap. 43. *Ponam in deserto viam.* & ad illud cap. 48. *Non sitierunt in deserto.* Quo loco sermo est de reditu Iudæorum è Babylone, in quo quidem magna à diuina manu apparuerunt beneficia, quæ beneficiorum illorum explicantur nominibus, quæ in eundem populum contulit Deus, aut cùm euocaretur ex Ægypto, aut cùm liberiam per desertum incederet, aut cùm illum in terram promissionis induceret; cùm tamen in eo reditu Babylonico nihil eorum, quæ ibi commemorantur, acciderit. Sic autem Deus cap. 43. v. 19. *Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, & in inuio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.* Et cap. 48. v. 20. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annunciate. Dicite, redemit Dominus seruum suum Iacob. Non sitierunt in deserto, cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis,* 18. *& scidit petram, & fluxerunt aquæ.* Ad hunc modum cùm Dauid magna Dei, ac multis modis illustria vellet prædicare beneficia, prouerbialem in modum illa enumerat, quæ maximè olim censebantur illustria. Qualia Ægyptia fuerunt, & alia plurima sub illud tempus, quo florere cœpit, atque regnare gens Israelitica. Quomodo si quis amplificare velit hominem fortem, & rebus arduis, atque præclarè gestis egregium, & ab Herculis certaminibus sumpta similitudine dicat, ab illo Lernæam Hydram fuisse superatam, Leonem occisum, extractum ab inferis Cerberum, & reliqua, quæ de illius fortitudine nugantur Poëtæ. Hæc mihi sententia potior. Plura nos in hanc sententiam diximus ad illud Zachariæ cap. 10. v. 11. *Et erit via reliquo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israel in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.* Vbi aperiendum dicit esse mare; quod nihil significat aliud, quàm tollendum esse magnũ aliquod impedimentum. Neque enim inter Babylonem, & Iudæam, ad quam exulibus remigrandum fuit, vllum intercedebat mare, quod aperiri oporteret. Vide quæ nos ibi.

*Adprodigia temporis Ægyptij frequenter alluſum.*

Vers. 8. *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis.* ] Quando olim commota terra fuerit, incertum est; sed fuisse verè, & non tantùm metaphoricè commotam, mihi non dubium. Ducor ea ratione, quia sæpè montes, & colles dicuntur commoti; liquefacti, aut talia passi, quæ sine conuulsione, ac motu fieri non solent. Iob cap. 9. v. 5. *Qui transtulit montes.* Psal. 96. v. 5. *Commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* Et Psal. 67. v. 8. *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est.* Idem iterum audimus Psal. 113. in quo idem tractatur argumentum, & eadem propè repetuntur verba. Cùm autem ibi propria, & non figurata locutione mare retrò fugisse, & Iordanis abiisse retrorsum, & petra in aquarum stagna conuersa esse dicantur, terra dicenda est mota fuisse, & exultasse montes sicut arietes. Exultare autem hoc loco non est lætari, sed ex suis sedibus conuelli, & salire in alium locum, quomodo dixit Virgilius lib. 3 Æneid.

19. *Terra verè, & propriè commota sub egressu populi de Ægypto.*

*Exultántque vada, atque æstu miscentur arenæ.*

His penè verbis vsus est Isaias, cùm Dominum in Babylonios furentem inducit, & illorum subuertentem vrbem, cap. 13. v. 13. *Super hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius.*

Sed est difficile, quando Dominus iratus inimicis populi sui terram graui conuellerit motu, & à fundamentis vsque concusserit. Mihi id modò placet, quod placuit antè in expositione Psal. 67. reuera montes esse diuisos, cùm populus Israeliticus ingressurus esset terram promissionis, & per loca scopulosa apertam esse expeditam viam; quemadmodum apertum est mare rubrum, & sicco vestigio ab Hebræorum populo transmissum. Quod non obscurè colligitur ex Numer. cap. 21. v. 13. *Castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi; siquidem Arnon terminus est Moab diuidens Moabitas, & Amorrhæos. Vnde dicitur in libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.* Idem videtur esse traditum lib. Iudic. cap. 5. v. 4. *Domine cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est.* Ita sentit Abulensis in hunc locum, cuius verba huc aduocare libuit. *Terra*, inquit, *mota est, cùm Deus exiuit de regione Seir, quia realiter sic factum est. Nam quando Israelitæ intrare debuerunt in terram duorum Regum Amorrhæorum per angustum introitum inter duos scopulos. Erant multi Amorrhæi latentes in cauernositatibus scopulorum, vt occiderent omnes Israelitas transeuntes, & prohiberent transitum. Deus autem inclinauit scopulos vsque ad terram, & oppressi sunt ibi omnes Amorrhæi, vt patet Numer. 21. cùm dicitur: Vnde dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari rubro, ita faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum. Istud miraculum de terræ motu accidit, quando exierunt Israelitæ de terra Seir. Nam parùm post exitum de terra Seir venerunt ad torrentem*

20. *Terra quã. commota.*

*torrentem Arnon, vbi hoc fuit, qua ista vicina sunt.* Hoc idem refert Historia scholastica in lib. Numer. cap.29. & ex ea Dionysius, & Lyra, quæ videntur approbare. Vide in hanc sententiam plura in nostra explicatione ad illud Psal. 67. *Cùm pertransires in deserto, terra mota est.*

21. Vers.9. *Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo.*] Sicut superiora illa fecit Dominus hostibus infensus, sic etiam quæ hac metaphorâ fumi, atque ignis significantur. Neque ego hac dicendi formâ, quæ sanè furorem magnum, atque offensionem præ se fert, aliud significari puto, quàm Deum in hoc hominum genus inflammatum esse grauiter, & quod in illud conceperat acerbitatis virus vomuisse. Quod Psal. 17. explicuêre Septuaginta; dum reddunt, *Ascendit fumus in ira eius.* Fumare nasum tam apud profanos, quàm apud sacros, furoris est naturale signum, de quo est illud Isaiæ cap.2.v.22. *Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.* Et vulgus Hispanorum in fumante naso magnam intelligit, & effervescentem iram, quæ foras erumpit, & suiipsius apertum præbet documentum. Sumitur, vt credo, metaphora ab Equo, & Vrso, aut ab aliis belluis, quarum in ardore ferocientis iræ fumant nares, maximè cùm ab eo cohibentur impetu, ad quem incitato studio rapiuntur. Sic sanè de Vrso Martialis lib.6. Epigr. 63. vbi admonet quendam ne hominem lacessat, etiam cùm placatum videat, quia fieri potest, vt irritatus tumeat, & fumet nasus, sicut in Vrso videmus.

*Fumus de naribus, & ignis de ore pro magno furore.*

*Vir nasus in furore fumat.*

*Sed miserere tui, rabido nec perditus ore*
*Fumantem nasi in viui tantaueris Vrsi,*
*Sit placidus licèt, & lambat digitósque, manúsque:*
*Si dolor, & bilis, si iusta coëgerit ira,*
*Vrsus erit.*

22. De quo equo id nos quotidie videmus, qui dum ardet ad pugnam, & clangente lituo incitatur ad cursum, maximè si adductis habenis gestientem erumpere coërceas, non fumum solum, sed etiam ignem ex naribus emittit. Sic sanè Poëtæ & varij, & sæpè. Virgilius lib.3. Georg.

*Item equi nasus.*

*---- Si qua sonum procul arma dedêre,*
*Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,*
*Collectúmque premens voluit sub naribus ignem.*

Claudianus de 4. Consul. Honorij:

*Vtque tuis primùm sonipes calcaribus arsit,*
*Ignescunt patulæ nares.*

Silius Italicus lib.6.

*----Frenóque teneri*
*Impatiens crebros expirat naribus ignes.*

Statius Papinius 1. Sylua.

*Bistonius portat sonipes, magnóque superbit*
*Pondere, nec tardo raptus prope flumina cursu*
*Fumat.*

Quod etiam habemus ex Iob cap.39.v.20. *Gloria narium eius terror.* Vt ergo equo, & Vrso in furore, ardoréque pugnandi fumat nasus; sic etiam dum è Domini naribus efflari dicitur fumus, furor illius in sui populi inimicos ostenditur.

23. *Et ignis de ore eius vorabit.*] In Psal.17. *Ignis à facie eius exarsit.* Hæc etiam metaphora ardorem significat ingentem, & æstuantem iram: neque quicquam est tam in sacra, quàm in profana literatura frequentius. Dicitur autem Deus ex ore spirare flammas, quia illæ plana sunt indicia ardentis animi; sicut flammæ, quæ ex ore clibani erumpunt, & emicant, ardere intùs ligna significant.

*Ignis ex ore, pro furore magno.*

Sanè cùm Daniel iudicem intueba tur Deum, & peccatorum vindicem, simili illum spectabat facie. cap.7.v.10. *Thronus eius rotæ ignis: rotæ eius ignis accensus: fluuius igneus, rapidúsque egrediebatur à facie eius.* Idem penè spectabat Ioannes Apoc. cap. 1.v.14. Neque minùs sæpè profani. Virgil. lib.12. Æneid.

*His igitur furiis totóque ardentis ab ore*
*Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.*

Vide Senecam lib.1. de ira cap.1. Basil. oratione contra iracscentes.

*Carbones succensi sunt ab eo.*] Id est, ille fuit ardor, seu metaphoricus ignis, vt ab illo igneiscere potuerint ligna non arida solùm, sed etiam virentia. Hi porrò peccatores sunt, & Dei inimici, in quos ignis ille grassatur, & sæuit. Sed dicat hìc aliquis non videri satis ad rẽ accommodatè dici, ab illo igne succensos esse carbones, cùm iam ignis peruasisse videatur illa ligna, quæ in carbones, aut cineres esse conuersa opus est ignis: neque in hoc dicendi genere, quod miseram, & extremam conditionem hominum malè vexatorum importat, supra carbonem aliquid sperari posse videtur aut illustre minùs, aut magis miserandum. Sanè Deus grauissimam calamitatem, & ærumnosam vitæ conditionem Iesu Sacerdotis expressit, cùm dixit Zachar.cap.3. *Nunquid non iste torris est ereptus de incendio?* Et Amos cap.4. *Facti estis quasi torris raptus ab incendio.* Cuius difficultatis non est difficilis solutio ab illa regula, quam adduximus suprà cap. 10. ad illud v.4. *Præcidit vestes eorum medias.* Vbi diximus rem interdum denominari non ab eo, quod in illo statu est, sed à fine, aut ab eo, quod ex illo futurum est. Quomodo Isai. cap.47. v.2. dicitur, *Tolle molam, & mole farinam.* non farina molitur, sed granum, vnde farina fit. Sic etiam nunc non succenditur carbo, sed ligna, ex quibus ab incendio carbones relinquuntur.

24. *Carbo, & torris pro magna ærumna.*

REGVLA. *Aliquid interdum ab eo quod futurum est nomen accipit.*

Vers.10. *Inclinauit cœlos, & descendit.*] Hæc, quæ nunc regius Psaltes subdit, tempestates indicant, & horribilia, quæ procellosum cœlorum statum comitari solent; vt sunt fulgura, tonitrua, fulmina, quibus interdum Dominus pro telis vtitur, quæ in peccatorum execrandum caput eiaculatur. Et fortasse ad hæc respexit Psaltes, dum proximè ignis, & fumi meminit. Nam fulgura scintillantia, & fumantia fulmina perinde in Deo censeri possunt, atque in homine grauiter infenso in oculis scintillæ, aut in naso fumus. Dicitur autem Deus inclinare cœlos, quia dum vibrat fulmina, & discurrentia fulgura, & crinitos ignes (quæ vulgus hominum imperitum cœli partes, & ab eo diuulsas esse putat) cœlum ipsum in terram deuoluere videtur. Quare iuxta hanc cogitationem cœli sæpe dicuntur liquescere, aut diffluere, quia in pluuiam, & grandinem, in cometas, & fulmina dissolui existimantur. Inclinato hoc modo cœlo, Deus cum illo descendisse dicitur, quia pugnaturus descendit, atque ideo cum his armis, quibus suam in homines potentiam manifestare, & expromere vult. Quòd autem hæc arma sint Dei, sæpè audimus in Scriptura sacra. Sic sanè Iob cap. 38. v. 22. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ, & belli?* Talia Deus exprompsisse dicitur, & exterruisse, ac deiecisse hostes. Vide quæ diximus ad illud Nahum cap. 1. v.3. *Dominus in tempestate, & turbine viæ eius.* & in illud Habacuc cap.3. *In luce sagittarum tuarum ibũt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* vbi in hanc sententiam pluribus. Illud non omittendum, etiam

25. *Cœli, cur liquescere, fervere, & cadere, seu inclinari dicuntur.*

26.

Gentiles

Gentiles in sua,qualiscumque est, Theologia existimasse, hæc meteora, quæ terrificant, & sternunt homines,arma esse Iouis, quem illi Deorum omnium maximum fatentur; atque ideo illi fulmen affingunt,quo duras à fontibus expetit pœnas. De quo est illud Horatianum lib. 1. Ode 2.

*Meteora impressiones arma dicuntur Dei.*

*Iam satis terris niuis,atque diræ*
*Grandinis misit pater,& rubente*
*Dexterâ sacras iaculatus arces*
*Terruit vrbem.*

27. *Et caligo sub pedibus eius.* ] Videmus fulgura,audimus tonitrua,grandines,& fulmina patimur, & ab his sterni fata,boúmque labores, discindi saxa, & syluarum incendia nonnunquam intuemur:illum tamen,qui è nubibus iaculatur fulmina, ciet tonitrua,& emittit ventos,non videmus. Humano loquimur modo, sicut sæpè facit Scriptura, dum se hominum cogitationibus, ac sensibus attemperat. Non itaque videmus Deum desuper cientem hos motus,& torquentem iacula meteora,quia mediam sese nubes opponit, cui Deus videtur pedes imposuisse, tanquam scabello, quæ illius nobis faciem eripit,& armatam manum.Sic sanè homines cogitant, qui de Deo non aliter, quàm de sui similibus hominibus sentiunt. Vt enim cùm se crassa quædam nebula; aut nubes interponit,impedimento nobis est,quominùs obiectum corpus cernere possimus;sic etiam putant ab opposita nube impediri oculos, ne ad Deum vsque visio nostra perueniat. Sic sanè ad hominum sensus attemperatè dicebat Ieremias Thren. cap.3. v.44. *Opposuisti nubem tibi,ne transeat oratio.* quasi interposita nubes non sineret ad diuinas aures orationem accedere. Huiusmodi igitur nubes fingitur esse sub diuinis pedibus, quo tempore Deus è superiori loco eiaculatur fulmina,& illa, quæ supra citimam nubium partem siue ex vaporibus, siue ex terræ exhalationibus in sublimi concrescunt,& durantur.Illæ porrò caligo dicuntur,quia obscuræ sunt, & caliginosæ nubes, quæ fulmina,& nimbos iaculantur,& continent. Sanè cùm profani procellam, nimbúmque describunt, nigras appellant nubes, à quibus aliquid semper metuunt horribile. Exempla occurrent non quæsita : tu pauca accipe, & ex illis reliqua coniecta. Virgilius duo adducit, quibus expressisse videtur tempestatem illam, quam nunc præ manibus habemus. Alterum est lib. 5. Æneid.

*Deus cur nubibus tegi dicatur.*

28.

*Vix hæc ediderat,cùm effusis imbribus atra*
*Tempestas sine more furit,tonitrúque tremiscunt*
*Ardua terrarum,& campi,ruit æthere toto.*
*Turbidus imber aqua, densisque nigerrimus Austris.*

Idem lib.1.Æneid.

*Eripiunt subitò nubes cœlúmque,diémque*
*Teucrorum ex oculis.Ponto nox incubat atra,*
*Intonuêre poli,& crebris micat ignibus æther,*
*Præsentémque viris intentant omnia mortem.*

Silius Italicus lib.6.

*Sic vbi nigrantem torquens stridentibus Austris*
*Portat turbo globum,piceáque è nube ruinam*
*Pendentem terris pariter,pontóque minatur.*

29. Hæc dixerim, vt explicem, quomodo per caliginem nubes intelligatur procellosa,qualis Deo tela administrare solet, quæ ipse ad hominum punienda scelera è nubibus intorquet. Sed hîc addam duo,quæ futura non videntur abs re, neque fortasse à veritate.Audimus sæpè Deum habitare in caligine, aut in eius circuitu circumfusas esse

*Deus cur dicatur habitare in caligine.*

A tenebras. Psal.96. *Nubes,& caligo in circuitu eius.* Licet alij aliter explicent, & bene; tamen eam etiam ob causam puto Deum à caligine, & nebula existimari circumfusum,quia in nubibus habitare creditur,& inde humana prospicere,& communibus prouidere rationibus,& commodis. Sic sanè homines cogitant, quorum sensibus in loquendo spiritus se diuinus accommodat.Hinc fit,vt Deus ascendere,seu equitare dicatur in nubibus, & super ventorum pennas ambulare:eodem autem loco sunt venti,quo nubes,& à ventis quasi à curu libus equis nubes impelluntur.Psal.103. v.3. *Qui ponis nubem ascensum tuum;qui ambulas super pennas ventorum.*Quod statim etiam dicitur v.11. *Lapsus est super pennas ventorum.*Zacharias cap.9.v.14. *Videt in turbine Austri.* Nubem porrò Chrysostomus homil.2. in Acta, diuinum dicit esse vehiculum: ideo enim ait è cœlo missam nubem,in qua Christus ad cœlum sublimis ascenderet, vt ostenderetur Rex esse cœlorum.

*Nubes Dei sedes, atque vehiculum.*

B

Alterum, quod mihi etiam non videbatur abs re,est in nube intelligi etiam posse puluerem, qui ex præcipiti equitum, ac etiam peditum incessu, ab exercitu copioso excitari solet, in quo densæ cuiusdam nubis species apparet. Quod ex eo non videtur mihi prorsus abs re, quia id video penè expressum Nahum cap. 1. v.3. vbi Deus pugnaturus describitur,venturúsque in tempestate,& turbine; & tandem additur, *Et nebulæ puluis pedum eius.* Puluis certè,vt nos ad illum locum Nahum in nostris commentariis ostendimus, interdum nubes appellari solet.Sic Maro lib.8. Æneid. cùm de incitato equitum ingressu loqueretur,ait:

30.

C

*Stant pauidæ in muris matres, oculisque sequuntur.*
*Pulueream nubem,& fulgentes ære cateruas.*

Et idem lib. 9. magis accommodatè ad hunc locum,vbi ex puluere excitatam nubem nigram appellat,& caliginosam.

*Hîc subitam nigro glomerari puluere nubem*
*Prospiciunt Troës,ac tenebras insurgere campis.*
*Primus ab aduersa conclamat mole Caicus:*
*Quis globus, ô ciues,caligine voluitur atra,*
*Hostis adest.*

Hunc locum quidam ex Patribus mysticè de Verbi incarnatione capiunt, quasi cœlos secum in terram deuoluerit, & tantum mysterium caligine quadam circumfuderit,ne à dæmonibus,& curiosis Philosophorum ingeniis agnosceretur.Sic fermè Euthymius in Psalm.17. & Gregorius lib.17. Moral.cap.13. Fortasse dici posset Deum tectum esse caligine, vt quasi obtenso humanitatis velo, & temperato ad nostrorum oculorum aciem splendore,videri posset.Quomodo Moyses splendentem faciem velabat, cùm acturus esset cum populo. Exod.24.33. quia in eius faciem populus aliter intueri non poterat.2.Cor.3.v.7.

31.

D

Vers.11. *Et ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum.* ] Allusum est hîc sine dubio ad duos Cherubinos, qui erant arcæ antiqui fœderis affixi, inter quos multis Scripturæ sacræ locis sedere dicitur Deus. Hoc autem habitu diuina significatur maiestas; & dum ambulare dicitur super ventorum pennas,ingens celeritas, qua omnia momento temporis percurrit, & lustrat. Quomodo Deus habitare dicatur in nubibus,& à ventis moueri, sicut ab equis quadrigæ mouentur, diximus nuper;nisi dicamus Deum à Cherubinis alatis vehi(nam alati erant Cherubini, qui in tabernaculo spectabantur ad arcam) eâ celeritate,vt eorum comparatione videri tardæ possent,

32.

E

&

& nimiùm lentæ ventorum pennæ. Quasi dicas, volauit non in pennis, sed præ pennis ventorum, id est, illis multò velociùs. Sed licet Latinum idioma posteriorem hanc explicationem admittat, quia *super* comparationis habet frequentem vsum: at vox Hebraica עַל *al*, illum vsum non habet, & plerumque illud valet, quod communiter sonat.

33. Ventis attributa penna. Porrò ventis pennæ non solùm à sacris, sed etiam à profanis scriptoribus tribuuntur ad eorum velocitatem significandam. De his ventorum alis nonnihil nos diximus ad illud Oseæ cap. 4. *Ligauit eum spiritus in alis suis.* & quemadmodũ hoc loco, iisdem penè verbis Psal. 103. alati dicuntur esse venti. *Qui ambulas super pennas ventorum.* Profani multò sæpiùs de quibus Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 5. *Pictorum*, inquit, *licentia pennæ Angelis dantur, sicut & iuxta fabulas Poëtarum venti pennas habere dicuntur propter velocitatem.* Ouidius li. 6. Metam. de Borea:

*Excussit pennas, quarum iactatibus omnis*
*Afflata est tellus, latúmque perhorruit æquor.*

Et Epist. 11. Heroid. de Æolo:

*Imperat, & pennis, Eure proterue tuis.*

Et lib. 1. Metamor.

*Emittitque Notum, madidis Notus euolat alis.*

Vers. 12. *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum.*] 34. Paulò aliter Psal. 17. eodem tamen sensu. *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius.* Hæc magis nostræ cogitationi fauent, quæ Deum nubibus, quasi tabernaculo, circumfundit: vnde quæ in ipso nubium complexu concrescunt, & durantur, in homines sibi minùs obsequentes iaculatur. Latibulum idem est quod tabernaculum, quod ex nubibus sibi, atque in nubibus Dominus circumdedit. Sicut imperator in castris tabernaculum habet, seu prætorium, ex quo rem dispensat, & moderatur bellicam. Ex illo itaque tabernaculo emittit Dominus quæ in nubibus formantur, & conduntur tela, quæ præparauit Deus in diem pugnæ, & belli.

Latibulum quid.

35. *Cribrans aquas de nubibus cœlorum.*] In Psal. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Iuxta posteriorem hanc lectionem, quæ est Septuaginta, hoc hemistichium epexegesis videtur esse prioris: explicat enim quænam sint illæ tenebræ, quę Deo in aërea regione præbuêre latibulum, & quoddam quasi tabernaculum cõstruxêre. Sunt autem nubes concretæ ex aquis, & ipsis grauidatæ, quæ dum graui illo fœtu solutæ non sunt, sed adhuc crassum illum, & concretum humorem continent, nigræ sunt, illæ præsertim, quæ nimbos minantur, & procellas. In hunc igitur sensum hæc accipio, quæ in Psalmo lego 17. *Circumdedit sibi Dominus tenebrosum tabernaculum, aquas nimirum nigricantes, quæ in aëreis nubibus continentur.* Quæ sententia ex Hebraico textu non difficilè sumitur, qui sic habet, vt vertit Pagninus. *Et posuit tenebras in circuitu suo tabernacula: colligantia aquarum, nubes cœlorum.* Est autem aquarum colligantia nubes ipsa, quæ ligat, & cohibet in complexu suo aquas, quas deinde eliquat, & demittit in terras. Et quidem Iob cap. 26. v. 8. aquæ dicuntur in nubibus ligatæ, antequam dissoluantur in pluuiam. Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum.

36. Sed hoc loco paulò aliter habet textus tam Latinus, quàm Hebraicus; habet enim, *Cribrans aquas de nubibus.* quæ explicatio perquàm bellè cõgruit cum Hebraico textu, vt est in Psalm. 17. vbi aquæ dicuntur in nubibus colligatæ, nempe ne simul cadant cum impetu, alieno tempore, ac loco. Quod opus solius Dei est, vt de illo prædicat Iob cap. 29. v. 8. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Quasi dicat, qui non magnam aquarum molem conglobatam demittit, sed redactas in stillas, & guttas, quæ molliter cadunt, & non tam agros populantur, quàm rigant, & fœcundant: id enim est aquas cribrare, id est, per cribri foramina transmittere. Quæ verò sic cadunt, per partes cadunt, eásque pertenues, non verò simul, vt accidit in torrente, qui ex montium cacumine per decliuia decurrit. Aut eo modo labuntur è cœlo, quo olim Genes. 7. diluuij tempore, apertis cœli cataractis, seu fenestris, obruerunt potiùs terram, quàm rigarunt. Quâ admirabili Dei aquarum dispensatione fit, vt neque terra sitiat, & arescant fruges, neque illæ pereant oppletâ præter modum terrâ aquarum inundatione. Quod meditabatur Iob cap. 12. v. 15. cùm ait, *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram.*

*Dei prouidentia in aquarum è nubibus dispensatione.*

Sed credo hoc loco non tam esse sermonem de pluuialibus aquis, quatenus terram irrigant, reddúntque fœcundam, quàm quatenus aqua illa telum quoddam est Dei, sicut fulgur, & fulmen, qua Deus, si tempore miserit alieno, perdit omninò, atque corrumpit segetes, aut obruit, & euertit ciuitates, sicut euertisse existimatur Niniuem. Nam cœlestis imber in omnem partem potentissimus est: qui verò aquas colligatas dissoluit, aut, quod idem est, cribrat, ille in sua potestate continet pluuiales aquas, & suo arbitratu dispensat, siue vt fœcundet, & exhilaret agros, siue vt sternat, & vastet. Sanè aquas diluuij quasi tela vibrauit Deus in humanum genus, & quotidie experimur multa, quæ magnum nobis prouentum ostentabant, aquarum abundantiâ corrumpi. 37.

*Aquæ pluuiales tela sunt Dei.*

Vers. 11. *Præ fulgore in conspectu eius succensi sunt carbones ignis.*] In Psalm. 17. paulò aliter: *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando, & carbones ignis.* In re non video multùm esse discriminis; est tamen aliquid in dicendi modo. Pro illo, *Præ fulgore.* Hebr. est מנגה *minnogah.* quod pro varia significatione præpositionis מן *min*, variè etiã explicari potest. Ego quia video præpositionem illam significare aliquando *cum*, aliquando causam, à qua aliquid prouenit; quo modo Latini dicunt aliquid ab ira tumêre; aut furere, id est, vehementer esse iratum. Quod etiam Latini sæpè explicant hac præpositione *præ.* vt, *Præ iracundia vix sum compos mei: præ amore pereo.* Sic puto huius loci hanc esse sententiam, grandinem, & fulmina, seu fulgura, quæ prunis ardentibus quam simillima sunt, à fulgore scintillante erupisse. Tunc autem illud *nubes* in casu quarto statuo, & ita vt nubes, quæ fœtæ videri possunt fulmine, fulgure, & grandine rumpantur, sicut à fœtu puerperæ viscera rumpi solent. Tunc autem verbum *transeo* actiuè significare existimo, sicut alibi sæpè. Sic sanè Ouid. Epist. 3. Heroid. 38.

*Transeo, aliquando actiuum.*

*Dij melius, validóque precor vibrata lacerto*
*Transeat Hectoreum Pelias hasta latus.*

Et in eadem materia dixit hoc ipsum de fulmine Seneca in Agamemnone:

*Libratur aliud fulmen, hoc toto impetu*
*Certum reducta Pallas excussit manu*
*Imitata patrem: transit Aiacem, & ratem.*

Ex his hunc ego sensum informo. In conspectu Domini, qui præsens aderat, & desuper in hostes è nubibus iacula vibrabat, grandines, & fulmina, quæ non aliter scintillabant, quàm ardentes 39.

prunæ,

prunæ, discíderunt nubes, in quarum sinu inuita claudebantur, & inde cum fragore, ac tonitru in sceleratorum caput eruperunt. Hic porrò dicendi modus apud Latinos vsitatissimus est, qui *rumpi, defringi, discindi* nubes dicunt à fulmine, aut ab aliqua vi ignea, quæ concrescit in aëre. Virgilius lib. 3. Æneid.

*Inuoluêre diem nimbi, & nox humida cœlum*
*Abstulit, ingeminant abruptis nubibus ignes.*

Silius Italicus lib. 1.

*Heu quænam subitis horrescit turbida nimbis*
*Tempestas, ruptóque polo micat igneus æther.*

Hæc mihi maximè videntur probabilia; si tamen ita interpretêre, vt à Deo quasi ab imperatore mittantur, & ab eius conspectu; atque imperio transeant, quasi bellatorum agmina, nubes, grando, tonitrua, fulmina, non repugno. Et quidem res est difficilis, quæque ad varias explicationes patet; & harum vtralibet non videtur aliena.

40. In nostra traslatione minùs est obscurus, & impeditus sensus, si in carbonibus notam similitudinis subaudias, in hunc modum. In conspectu Dei, quem nubes quasi tabernaculum quoddam circumdabat, fulgentes, & scintillantes fulgetræ, ac fulmina carbonum in modum emicabant.

41. Vers. 14. *Tonabit de cœlo Dominus, & excelsus dedit vocem suam.*] In Psalmo 17. *Intonuit de cœlo Dominus.* Vbi tempus præteritum ponitur. Sed si Hebræorum consuetudinem spectes, nihil hîc inuenies, aut certè perquam modicè diuersum. Vt enim satis, vt reor, abundè probauimus ad illud Isaiæ cap. 41. *Dabit in conspectu eius Gentes, & Reges obtinebit.* Vox futuri temporis aliquando præteritam, aut præsentem significat actionem, si vox præsentis, aut præteriti temporis anteceſſit; vbi exemplorum satis. Duo hîc, aut tria afferam; tu plura inde pete. Primum est hoc ipsum, quod ex Isaia produxi, vbi vox illa in terminatione futuri, aliquid omninò præteritum Valet. Et Isaias cap. 6. v. 2. vbi Vulgatus, *Duabus velabant*, & statim, *duabus volabant.* Hebraicè est in terminatione futuri יכסה *iecaseh* יעופף *ieopheps.* quæ tamen per præteritum conuertuntur, quia tempus anteceſſit in eodem filo, non futurum. Vide Pagninum lib. 3. instit. cap. 12. Et quidem cum יתן *iten* in futuri sit terminatione, noster tamen interpres per præteritum reddidit, dixítque, non *dabit*, sed *dedit vocem suam.* Cùm ergo tempora eodem filo præceſſerint, subsequanturque cum terminatione præteriti, quid mirum, si tempus hoc futurum actionem aliquam præteritam importet. Neque inusitatum est nostro interpreti, vt terminationem interdum sequatur originalis linguæ, & idioma seruet Hebraicum, sicut fecit in loco citato priùs ex Isaia. Quare reliqui fermè interpretes, *tonuit*, legunt, non *tonabit.* Septuaginta, Pagninus, Tigurina, Hispanica translatio. Et hoc ipso Psalmo omnia penè verba à v. 16. ad 19. cùm sint futuræ terminationis, per præteritum tamen explicantur, quia verba eodem filo præcedunt, sequuntúrque præteriti temporis; vox autem Dei tonitru est. Sic sanè sæpè sumitur Psal. 28.

42. Vers. 15. *Misit sagittas, & dissipauit eos: fulgura, & consumpsit eos.*] Hæc omnia satis constat accidisse, cùm ex Ægyptia seruitute emerserunt Hebræi. De quibus est illud Exod. 9. v. 23. *Extenditque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua,*

REGVLA. *Vox futuri temporis aliquando præteritum aut præsentem significat actionẽ, si vox præsentis, aut præteriti anteceſſit.*

A *& grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: Pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Hæc porrò arma esse Dei constat ex lib. Sap. cap. 5. à vers. 22. *Ibunt directæ emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines: excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.* Hæc fermè omnia hoc etiam loco enumerantur, quibus Deus sceleratorum hominum euertit commoda, & vexauit vitam. Quæ hîc appellantur sagittæ, fulmina sunt, & fulgura, & discurrentes flammæ, quas vulgus hominum, cuius opinioni in loquendo sacer se spiritus accommodat, stellas vocat, cùm reuera Cometæ sint, qui momento temporis dissipantur,
B & vanescunt. De quibus nos plura in nostris commentariis ad illud cap. 3. Habacuc, *In luce sagittarum tuarum ibunt.* Hæc autem omnia, vt dixi, aut contigerunt in præliis Dauidis, aut fuerunt eiusmodi, vt talia prouerbiali figurâ existimari, atque vocari potuerint. Contigisse verò, quando pugnatum est contra Sisaram, constat ex Cantico Debboræ Iud. 5. v. 20. *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersùs Sisaram pugnauerunt.*

Vers. 16. *Et apparuerunt effusiones maris, & reuelata sunt fundamenta Orbis.* ] Mare ex vsu Scripturæ dicitur aquarum congregatio, siue aquæ 43. *Mare quid ex vsu Scripturæ.*
in stagno, ac lacu conclusæ sint, & stagnantes, siue etiam in magno aliquo vase contineantur.
C Quo modo labrum æneum, in quo lauantur sacerdotes, mare dicitur æneum; & locus, vbi Iordanis alueum laxat, & latè se diffundit, mare vocatur Tiberiadis. Sed de quo hîc mari sit sermo, aut quæ fuerint effusiones istæ, nimis est obscurum. Quidam aliquid hîc meditantur à beneuolentia profectum: quale est apparuisse repentè fontes, aut aquarum scatebras, cùm amicus Dei populus siti laboraret; vt cum percussâ petrâ largas effudit aquas, Exod. 17. & Psalm. 77. vers. 20. *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Magna illius fontis ponderatio, à quo torrentes dicuntur redundasse: sed multò maior, quam idem adduxit Psaltes ibidem
D vers. 15. *Interrupit petram in eremo, & adaptauit eos velut in abysso multa: & eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.* En quomodo excusso de petra fonti nomen abyssi, id est, maris, Psaltes attribuit. Et rursus Numer. cap. 21. v. 16. cùm iterum populus siti deficeret, puteus apparuit. De his scatebris videri posset hic inductus sermo, quæ effusiones maris vocari possent, quia aquæ fuerunt abundantes, quantæ numeroso illi populo sufficerent.

Sed credo in his maris effusionibus nihil sig- 44.
nificari beneuolum, cùm hîc de Domini telis tantùm videatur institutus sermo, quibus sui nominis, ac populi vexauit inimicos. Alluſum autem videri potest vel ad mare mortuum, quod
E Deus in quinque ciuitates induxit, quas pestilentibus oppleuit fluctibus, & vallem quondam Paradiso Dei quam simillimam abominabilem reddidit, & vsqueadeò fœtidam, vt grauem illius anhelitum nemo ferre posset. Sed non benè in mortuum istud mare, euersásque quondam amœnitatis eximiæ ciuitates conuenit, quod statim adiungitur, *& reuelata sunt fundamẽta Orbis terrarum.* Quare minus cogitaret abs re, qui referret ad mare rubrum, cuius aquæ, quæ hinc inde ingenti mole suspensa constiterant, obruerunt Ægyptios,

gyptios,cùm ab illa ſublimi mole deuolutæ ſunt, cùm iam Hebræi ad vlteriorem ripam euaſiſſent. Tunc autem reuelata videntur fuiſſe fundamenta terræ, quia in medio mari aridus apparuit alueus,per quem ſicco, ſolidóque veſtigio mare illud tranſmiſerunt Hebræi: pars autem illa vocari potuit fundamentum orbis. Sed non video quinam fontes tunc apparuerint, cùm apertum eſt mare:at Pſal.17. vbi hoc loco apparuiſſe dicuntur effuſiones maris, legimus apparuiſſe, aut, quod idem eſt,erupiſſe fontes aquarum.

45. Mihi maximè placet ſpectaſſe regium Pſaltem illud vniuerſale diluuium, quod Noëtico ſæculo inundauit totum,atque vaſtauit mundum. In quo omnia inuenio,quæ tam hoc loco, quàm Pſalmo 17.à Dauide legimus.Nam primùm,vt habes Geneſ.7.v.11.apparuerunt fontes,ſeu emiſſiones, aut effuſiones maris, id eſt, quæ efficere potuerunt maria, id eſt, ingentes aquarum congregationes. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ,& cataractæ cœli apertæ ſunt.* En tibi fontes, ſeu effuſiones maris. Fundamenta verò tum reuelata ſunt, quando ex abyſſo magna,quæ erat in terræ viſceribus,ingens aquarum moles erupit. Abyſſus autem illa optimè fundamentum terræ vocari potuit,quia terræ centro,quod terram ſuſpendit, & continet, vicina eſt. Hæc verò omnia ab offenſo, atque irato Deo proueniſſe, & à dextra peccatorum vindice, docet quod ſequitur,*Ab inſpiratione ſpiritus furoris eius.*

46. Verſ.17. *Miſit de excelſo,& aſſumpſit me, & liberauit me de aquis multis.* ] Hîc ſe prodit manifeſtè horum verborum tantùm non expreſſa ſententia, & quomodo hæc ſit prouerbialis allegoriæ vſitata forma.Illa omnia,quæ hactenus ex antiquo ſæculo produximus,ſiue ex cœlo vibrata,ſiue è terra ad hominum ſupplicium erumpentia, grauiſſima ſunt,& pro maximis laboribus, atque periculis vſurpari ſolita. Qualia videri potuerunt, quæ Dauid adiit, cùm bellum iniit cum hoſte tam externo, quàm domeſtico periculoſum, & frequens. Quod illi perinde fuit,atque ſi fulgura, & fulmina torquerentur è cœlo, aut aquarum ingens è terræ viſceribus moles erumperet. Ex illis tamen omnibus liberatum ſe dicit à diuina manu, quæ ipſum apprehendit de cœlo,ſuſtulítque ab his tot incommodis incolumen, neque paſſa eſt in vaſto aquarum gurgite demergi.

47. Verſ.18. *Liberauit me ab inimico meo potentiſſimo, & ab his, qui oderant me, quoniam robuſtiores me erant.* ] In Pſalmo 17. paulo aliter. *Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis.* Meminiſſe oportet, quod ſuprà ad huius Pſalmi titulum notabamus, ſeorſum Saulem ab aliis hoſtibus fuiſſe nominatum, quia omnium acerrimè, ac diutiſſimè Dauidem perſecutus eſt. Agit primùm de Saule,quem potentiſſimum appellat inimicum, quia Rex erat Iſraël, & magnum poterat exercitum cogere; quem inſtigabat malus ſpiritus, à quo obſidebatur, & exagitabatur interiùs; quem neque labor, qui in ſyluis non poterat eſſe non moleſtus, neque prærupti ſcopuli, & ſolùm Ibicibus peruij, ab inſequendo Dauide retardare potuerunt. Ab hoc igitur dicit ſe diuinitùs eſſe liberatum. Neque enim videbatur euaſurus mortem, quæ omni in loco ante oculos obuerſabatur, niſi altior aliqua interueniſſet virtus; quæ omnem humanam virtutem, atque ſolertiam eluderet, & frangeret. Cur cùm hoc loco dixerit in ſingulari numero, *Ab inimico meo fortiſſimo*, Pſalmo 17. dicat *ab inimicis* in plurali, ea fortaſſe cauſa eſt, quia cùm poſtea Pſalmum iſtum in Pſalterium referret, quod cantando iterari frequenter, & legitimè voluit, noluit Saulis toties audiri, & obſcurari nomen, cùm fieri non poſſet ſine regij nominis infamia.

*Et ab his, qui oderunt me, quoniam robuſtiores me erant.* ] Erant alij, quibuſcum Dauid aut ſingulares conſeruit, aut vniuerſas ſociorum vires, illo maiori ex parte fortiores; vt cohortes ex fortiſſimis quibuſque à Saule conſcriptæ, quæ non ſolùm numero, ſed virtute, ac robore præſtarent, cùm eſſent è viris electi viri. De quibus libro 1.capite 26.verſiculo 2. *Surrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria millia virorum ex electis Iſrael,vt quæreret Dauid.* Alij præterea erant Dauide, ac ſociis robuſtiores multò, vt Achis Rex Geth, cuius vt effugeret manus, ſtuporem ſimulauit, & amentiam. Sed & alij, quibuſcum ſingulari certamine congreſſus eſt, fortiores etiam fuere, vt Goliath,aduersùs quem illi Deus virtutem inſpirauit, & audaciam, ac denique, quod ſperabat nemo,victoriam conceſſit. De poſtremo verò conflictu,de quo capite 51. verſiculo 16.nemo dubitat, qui cùm iam labore, ſenectuteque deficeret,hoſti potentiori ſuccubuiſſet, niſi maturè illi ſubueniſſet Abiſai. Quòd ſi Dauid diuina virtute confirmatus eſſet aliis robuſtior, quia tamen illud quicquid erat roboris, alienum putabat,& à ſeipſo habere nihil niſi infirmitatem arbitrabatur, & merum nihil, meritò aliis omnibus pluſquam ſibiipſi tribuebat facultatis, ac virium.

Verſ. 19. *Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus eſt Dominus firmamentum meum.* ] De Saule loquitur hîc, vt apparet; Pſalmo verò 17.de aliis etiam hoſtibus à Saule.Quomodo Saul præuenerit, & ſecurum, atque imparatum occupauerit Dauidem, conſtat primùm, cùm capite 19.ſatellites miſit, qui Dauidem aut caperent, aut opprimerent; quod feciſſent facilè, niſi Michol illum paternis ſubduxiſſet inſidiis. Præuenit item,cùm Ziphæis edixit, vt locum,in quo lateret,obſeruarent, vt eò ipſe cùm delecta manu quamprimùm aduolaret. Et quod callidè tentauit Saul,idem etiam fecit Abſalom, qui præuenire voluit parentis exceſſum è Hieroſolyma; & Achitophel, qui immittendum dicebat contra Dauidem exercitũ, antequam collectis auxiliaribus copiis ſeſe ad repugnandum confirmaret.Illud autem tempus totum fuit afflictionis Dauidis, quia aut ſolus errabat,aut ita ſtipatus in ſolitudine,vbi rebus ad vitã neceſſariis indigebat, vt præ hoſtium ſuorũ multitudine non procul abeſſet à ſolitario.

Abulenſis illud *præuenit*,ſeu,vt habet Pſalm.17. *præuenerunt*,ſic interpretatur,vt excuſet ſe Dauid, quòd cũ domeſticis,atque Iſraelitis bella geſſerit, quod aliquis improbare poterat,quia neque id in patriã,aut in cognatum ſanguinẽ charitas permittebat,& debilitatis per ciuile, atque inteſtinũ bellũ Iſraelis viribus,externorum bellis, & victoriis patebat à domeſtico milite ſpoliata reſpublica. Ait ergo Dauid ſe nõ vltrò cognato ſanguini bellũ intuliſſe, ſed laceſſitum armis, aut prouocatum iniuriis. Intulit bellum Iſboſeth Saulis filio, quia ille, auctore, ac duce Abner, bonam regni partem abſtulerat. Intulit Abſalomi filio, quia ipſe ſecurum parentem impiis armis inuaſerat. Intulit Sebæ, quia contra Regis caput, & nomen ſeditionem excitauit in populo. Quare illi aggreſſi ſunt Regem præueniente bello;ille verò illatum ab aliis neceſſariò repulit.

In hunc fermè modum Abulensis,cuius sententia ideo mihi placet minùs,quia hîc Dauid suam tantùm videtur ærumnosam, & infirmam conditionem proponere, & hostium vires,& callidas insidias, quibus superandis imparem se prorsus arbitrabatur, neque illas effugisset, nisi cœlitùs sibi datum esset auxilium.

51. Vers.20.*Et eduxit me in latitudinem:liberauit me, quia complacui ei.*]In angustiis esse, aut in angustũ redactus dicitur ille, qui in arctum ab hostibus coactus est,vnde nisi Deus singulari aliqua ratione prouideat,incolumis euadere non potest: aut cùm vitam agit ærumnosam, & tristem:Cùm autem *latum* opponatur *angusto*, & *angustiæ,latitudo*, educi in latitudinem nil aliud est profectò, quàm ex periculis, aut ærumnosæ vitæ quotidianis incommodis emergere.Sanè in angusto erat Dauid, cùm occultabatur in speluncis; cùm dare se in hominum conspectum, & societatem non audebat; cùm cibos ab aliis aut emendicabat supplex, aut necessariò accipiebat oblatos.In latitudinem eductus est, cùm liberum iam spiritum haurire potuit,& lucem intueri sine metu,& rebus abundauit,non solùm ad vsum,sed etiam ad dignitatem necessariis. Cur autem Deus tam in ipsum fuerit liberalis,&beneuolus,eam adducit rationem,quia sibi Deus in ipso complacuit, quia nihil habuit aut prius, aut maius, quàm vt diuino obsequeretur imperio, & totum se ad illius voluntatem attemperaret,& fingeret.

52. Vers.21.*Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiã meam.*]Si tempus hoc rem futuram significat, sperare se dicit regius Psaltes secunda omnia à diuina manu,quia ipsius,& animus,& studia à iustitiæ legibus non abhorruerunt,& manus suas mundas seruauit à rapinis, & ab omni scelere continuit. Quod si illud, *retribuet*, significationem habeat præteriti temporis; quod iuxta illa, quæ paulò antè dicebamus, satis est verisimile, cùm eodem filo verba præcesserint temporis præteriti; sensus est,edictum fuisse iam Regem in latitudinẽ,quia manus habuit puras ab iniuria, neque à diuina voluntate, & ab illius mandatorum semita declinauit. In quam ego cogitationem magis inclino, quia quo tempore hæc à Dauide dicebantur, iam cessarant bella, quod in senectute maximè videbatur optabile;iam in regno sedebat; sedatis tam externis,quàm intestinis motibus;neque si humana spectes commoda,in eo temporis, atque ætatis articulo quicquam iam ampliùs apparebat optabile.Et quidem hæc, atque alia,quæ tam hoc loco,quàm in Psalmo 17.ad v.25.in futuro legimus, Pagninus, & Tigurina; & Hispanica translatio, imò & Hieronymus in Psalmo 17.per præteritum reddunt. Quos etiam nos sequemur ad vers.25. si quando tempus inciderit futurum.

53. *Cur Dauid, qui aliquãdo peccauit, dicit se omnia Dei præcepta seruasse.* Quærit hîc Abulensis,quomodo Dauid dixerit omnia præcepta Domini à se fuisse seruata, cùm tamen non semel,neque leuiter aliquando peccauerit,vt docet Vriæ cædes,& eius vxoris violatus pudor.Respondet,non hîc de qualibet materia,in qua peccari potest, esse sermonem, sed de bellis aut susceptis, aut gestis, in quibus nihil tentauit iniustum, nihil gessit crudele, vt apparet in Saule,quem cùm posset aliquando tollere de medio,pepercit tamen, eo tempore quo maximè ipsius sanguinem sitiebat.Pepercit Semei,à quo indignissimis fuerat vexatus contumeliis. Orauit ne quis Absalomem,in quo grauissimæ erant causæ mortis, opprimeret. Amasam, qui Absalomis ductabat exercitum,non solùm non occidit, cùm iustissimè posset, sed etiam nouis ornauit titulis, cùm in castris Principem esse voluit pro Ioab. Quia ergo iustum se,& mitem in hostes præbuerat,ab hostibus illius Dominus præstitit incolumem.

*Dauid mitis, & liberalis in hostes suos.*

Vers.24.*Et ero perfectus cum eo, & custodiam me ab iniquitate mea.*] Hæc per præteritum explico, iuxta ea,quæ nuper dixi.Esse perfectum cum Domino,est omninò verè,ac seriò, & non tantùm simulatam habere sanctitatis speciem: habere Deũ vbique præsentem, & ad illius oculos omnia vitæ,actionúmque momenta componere; non obsequi hominum opinionibus, aut ab illis captare laudem omninò vanam,sed ab vnius Dei iudicio, voluntateque pendere.Eo sanè sensu dixit Dominus populo,Deut.18.v.13.*Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.* 54. *Perfectum esse cũ Domino quid.*

Vers.25.*Et restituet mihi Dominus secundùm iustitiam meam.*] Hic versus idem penè est cum v.21. neque est aliquid, quod additum hîc esse magni referat.

Vers.26. *Cum sancto sanctus eris,& cũ robusto perfectus.*] Ostenderat Psaltes quot à Deo accepisset, & quàm opportuna subsidia contra inimicos tam acres,tam pertinaces,tam denique ad omnem militarem impetum instructos.Et huius rei ratione proximè dederat, quia ipse à Dei mandatis nunquam aliorsum declinauit.Ex his omnibus deducit homo sapiens,& longo edoctus experimento, talem esse Deum in homines, quales se homines in Deum exhibere voluerint.Conuersus igitur ad Deum, cuius commendat in bene de se merendo constantiam, his illum sermonibus alloqnitur, *Cum sancto*,ô Domine, *sanctus eris*,noui ingenium tuum,hominum te moribus,& meritis accommodas,cum sanctis agis sanctè,id est, in illo sanctitatem commendas,& ornas, facísque vt illi ab aliis ille tribuatur honor, qui sanctitati, ac religioni debetur.Vt enim templis,sacrísque religioni locis ille honor impenditur, qui profanis negatur, & communibus: sic etiam sanctis illa à Deo conciliatur religio, ille exhibetur honor, quem neque assequuntur, neque merentur profani. Expertus hæc loquitur, & prædicat Dauid. Vbi Vulgatus, *Cum sancto, sanctus eris.* Hebraicus textus habet, *Cum misericorde,misericors eris.* Quod sanè benè cadit in Dauidis mores,& ingenium;quàm fuerit etiam in hostes misericors,exempla docent superiùs adducta,& ipse docuit Psal.7.v.5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Quam misericordiam, & mansuetudinem obtendit Dauid Psal.131.vt à Deo, cuius ingeniũ nouerat,misericordiam extorqueat. Quod docuit Christus,cùm Matth.5.dixit,*Beati misericordes,quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 55. *Talis Deus in homines quales homines in Deum.*

*Et cum robusto perfectus.*]In Psalm.17. *Cum innocente innocens eris.*Si verba hæc spectes, sensus erit. Non nocebis illi,qui non nocuit; parces illi, qui pepercit; neque gladium habebis,qui pungat, & laceret illum qui nunquam gladium aliorũ sanguine cruentauit. At in *robusto*, atque *perfecto*, vt hoc loco reddidit Hieronymus,constantia significatur,& consummatum opus.Quare qui in beneficiendo,aut præclaro aliquo opere constans fuerit, & susceptum virtutis opus exactè perfecerit, constantem etiam experietur Dominum, qui munificam non continebit manum,donec opus suum ad exitum vsque perducat. 56.

Vers.27. *Cum electo electus eris.*]Electus ille dicitur, qui in aliquo genere princeps est,& ideo cũ de eligẽdo aliquo deliberatur,ille ex multis ad designatum 57. *Electus quis.*

designatum opus, aut ministerium assumitur. Quare sensus erit, in præstantes homines, qui supra cæteros excellunt, eam mensuram habiturum in ornando, atque benè merendo Deum, qua illi mensura, ac modo in virtutum studio cæteris præstiterint: quòd si electi fuerint ex omnibus, electam supra omnes diuinam experientur largitatem.

58. *Et quòd peruersus.*

*Et cum peruerso peruerteris.* ] Peruersus ille dicitur, qui vitæ inuertit ordinem, & contrà facit, quàm factum oportuit. Vt si quis sacrum, ac religiosum viuendi modum sit exorsus, deinde ad profana, aut etiam Gentilica instituta declinet, ille peruersum quoque experietur Deum, id est, longè alium, vt ita loquar, ab eo, quem, dum rectè vixit, & ad suum institutum accommodatè, expertus fuit liberalem, & placidum. Peruerti autem dicitur Deus, dum à suo ingenio, & quodammodo à seipso videtur alienus. Dei proprium est misereri, ac parcere, & largis homines, & assiduis ornare beneficiis. Mutare autem videtur ingenium, & à seipso deficere, cùm iudicis cogitur assumere personam; & deposita virga, quæ decor appellatur, Zachar. cap. 11. qua molliter pascit commissum sibi gregem, assumere illam, quæ funiculus dicitur, qua frangit, & terret, & conterit deuium, & morosum pecus. Hoc planè peruerti est, sicut peruersus vocari posset pastor, qui priùs amanter, & indulgenter pasceret, deinde crudeliter per aridos scopulos ageret, indeque elumbum deiiceret, & macilentum gregem. Hæc sententia in sacris literis non semel occurrit, quæ Deum dicit ingenium suum aliorum attemperare moribus, ac studiis. In hoc argumento totum penè caput 26. Leuitici consumitur, vbi hæc sententia sæpiùs iteratur. vt versiculo 23. *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam.* Idem Dauid, à quo isthæc audimus, dixit Salomoni inter alia administrandi regni documenta. 1. Paralipomenôn 28. versiculo 6. *Si quæsieris eum, inuenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum.* Et Christus Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Sunt in hanc sententiam non pauca Latinorum prouerbia, quibus significatur aut par relata gratia, aut studia paribus studiis opposita. Qualia sunt illa, *Malo nodo, malus cuneus: cum vulpe vulpinandum: cretizandum cum Crete: cum Care carizandum.*

*Peruertitur quodã modo Deus, quãdo irascitur.*

59. *Deus hominibus variè tractat pro variis illorũ moribus.*

Spectabat, credo, Dauid, dum ista diceret, quid suis temporibus accidisset, quæ nos tam primo, quàm secundo libro Regum fusiùs explicuimus. Viderat Heli, cum suum moderatè, ac rectè ministerium obiret, à Domino cum honore, & pace fuisse tractatum; deinde cum illius vecordia, & nimiùm dissoluta in filios indulgentia; religionem, & sacrificandi leges non tam à sacerdotibus seruari, quàm prodi, atque corrumpi videret, mutauit animum, & quos priùs fuerat molliter amplexus, eosdem priuauit non sacerdotio solùm, sed etiam vita. Hoc ipsum proximè obseruarat in Saule, in quem, cùm esset innocens, & sanctus, sanctus quoque Deus, & innocens fuit, & claris illum nobilitauit triumphis: sed postquam suo magis arbitratu, quàm diuina voluntate rationes publicas moderari voluit, cum homine iam suo malo peruerso, se quoque Deus illicò peruertit; exagitauit illum à malo spiritu, nullum habuit pacatum, aut vacuum à dolore, aut sollicitudine diem, donec tandem sibiipsi attulit in extrema desperatione manus; & deinde tota fermè familia propter ipsius peccatum in crucem est acta. Hæc itaque meditabatur hoc tempore Dauid, & ideo de Deo quàm verissimè cecinit, *Cum peruerso peruerteris.*

60. *Peruerti in cõspectu Dei qui.*

Vers. 28. *Et populum pauperem saluum facies, oculisque tuis excelsos humiliabis.* ] In Psalm. 17. *& oculos superborum humiliabis.* Hîc, vt opinor, explicatur, quinam sint illi, qui in cõspectu Domini possint, ac debeant appellari peruersi; illi nempè, qui superbos alunt spiritus, qui sublimia cogitant, qui oculos attollunt ad excelsa. Horum Deus oculos superbos vel vno tantùm oculorum coniectu deprimit, & humiliat. Sic enim expono, vt vtramque lectionem aptè componam. *Oculis tuis excelsos oculos humiliabis.* In paupere populo humilem agnosco, qui nihil de se magnificè cogitat. Et quidem vox Hebraica עני *ani* non magis pauperem, quàm humilem significat. Et quidem à paupere abesse non solet humilitas, cum illis careat, quæ inflatos gignunt, & attollunt spiritus.

61. *Lux & tenebra quid denotent.*

Vers. 29. *Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas.* ] Tam in luce, quàm in tenebris duæ notissimæ inueniuntur metaphoræ. In luce enim doctrina significatur, quæ ignorantiam, cuius symbolum sunt tenebræ, ex hominum mentibus expellit. Significat præterea fortunam bonam, conditionem pacatam, & illustrem; sicut tenebræ contrà vitam indicant infelicem, in qua nihil sit quod probes, aut ames. Hæc duo fatetur Dauid se habuisse à Domino cumulatè, dum illum suam sibi lucernam fuisse prædicat. Docuit enim illum in rebus dubiis quid facto opus esset; tũ per internam illuminationem, qua certam viã in periculis ad salutem, & victoriam ostendit; tum per oracula, ex quibus exterioribus signis apertè cognouit, quod rei tam priuatæ, quàm publicæ futurum esset vsui. Notũ est enim quàm sæpè ab Abiathar per Ephod diuinam voluntatem agnouerit; quot ab illo consilia ad rerum præclaros exitus acceperit. Hoc planè fuit, Dauidi Dominũ, clarã, & familiarem fuisse lucernam. Fuit item lucerna, quia Dauidẽ è tenebris, id est, è vita tenebricosa, ac misera, cui obuersabatur quotidie vmbra quædam impendentis exitij, ad lucem, id est, ad libertatem, & securã pacem euocauit. Quare agnoscit, & profitetur habere se à Deo, vt norit, quid facere, quid declinare debeat, & quòd vitã ducat verè vitalem, quam videri poterat ante perdidisse. In hac posteriori acceptione sumpsit lucernam Iob, cùm dixit cap. 29. v. 3. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, &c. quando splendebat lucerna super caput meum, &c. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.*

62.

Hîc porrò duo obseruo. Primum, tempus illud futurum *illuminabis*, iuxta prædicta explicari posse per præteritum. Certè in Psal. 17. verbũ futuri per præsens redditur à Septuaginta. Hebraicè האיר *tahir, illuminabis.* Septuaginta, *quoniam tu illuminas.* Et cùm illa omnia, quæ sub hæc cõmemorantur, acciderint, optimè quæ postea subiiciuntur, ad tẽpus illud præteritum aptantur. Veruntamen, quia non incommodè eadem in futura tempora conueniũt, per futurum exponi possunt in hũc sensum. Quia experientia didici nihil in vita mea fuisse caliginosum, quod non illuminaueris; nihil ita miserum, quod tua clementia non reddideris fortunatum, & lætum: sperò fore vt hæc eadem in posterũ à tua benignitate recipiam; cùm videlicet vrgente iam senio, à meis viribus aut meis, aut mihi nihil strenuum, aut vtile polliceri possim.

63.

Vbi hoc loco, *Quia tu lucerna mea.* in Psalm. 17. est, *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine.* Eodem, credo, aut certè sensu non longè dissimili.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Quasi diceret, mea iam extinguebatur lucerna, quia non procul aberam à morte, dum instabat vndique circumfusus Saulis exercitus; aut dum cum prodigiosæ molis Gigantibus congressus, maximè cùm iam labore, atque senectute deficerem, cùm instaret Iesbibenob adolescens robustus, & audax; sed illam tu iam penè fumantem accendisti, & conseruasti vitam ac spiritum, qui seniles hosce artus fouet, & regit.

64. *Quia, sæpe in Scriptura otiosum.* Secundò obseruo illud, *quia*, sicut alibi sæpè, otiosum hîc esse; quod non rarò contingere docuimus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 4. *Ista malitia tua, quia amara.* & Thren. 4. ad illud, *Quia venit finis noster*, vbi exemplorum satis.

65. *Senectus instar noctis est.* *Tu illuminabis tenebras meas.*] Si quæ videlicet in eo quod reliquum est temporis, ab hostibus incurrant, aut quas secum afferet senectus ipsa, quæ naturalis quidam morbus est, & plurimas secum importat molestias; vbi cùm minùs sit virium, multa tamen aduenient valetudinis incommoda. Quæ cùm meditaretur Rex ipse, neque in frigido, atque senili corpore aliquid videret esse constantiæ, ad illud tempus periculosum, & triste, adesse sibi orabat diuinum auxilium. Psal. 70. v. 9. *Ne proiicias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

66. Vers. 30. *In te enim curram accinctus, in Deo meo transiliam murum.* ] Hæc, vt dixi, ad futurum tẽpus refero, in quo licèt omnia Dauid à senectute, & morbo timeat aduersa; tamen fauente Deo, quem sibi affuturum esse confidit, nihil arbitratur fore difficile. Quare accinget se rursus armis, quæ ætas iam grauis, & emerita dudum deposuerat, multo felicius quàm Rex ille longæuus, de quo Maro lib. 2. Æneid.

*Arma diu senior desueta trementibus ævo*
*Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum.*

Et, quod in re bellica maius desiderat robur, & audaciam, ascendet murum felici superatum assultu, & per medios inimicorum cuneos in media ciuitatis loca penetrabit. Sanè hoc opus esse difficillimum docuit Rex ipse, quando lib. 1. cap. 5. principem in exercitu locum promisit illi, qui domatum fistulas primus tetigisset, id est, qui ad muros ascenderet, quos cæcis, & claudis defendendos Iebusæi tradiderant.

67. *Deus fidelis & constans in promissis.* Vers. 31. *Deus immaculata via eius.* ] Rationem reddit, cur à diuinis siue promissis, siue auxiliis tãtum sibi roboris, & audaciæ sumat. Quia videlicet Deus fidelis est, & constans in promissis, longè aliter atque illi, quos deos sibi finxit, & coluit delusa Gentilitas; qui cùm multa promittant, illisque lactent credulas nimium, & stolidas Gentes, illorum tamen promissorum fides nusquam apparet. Id enim valet, vt opinor, *via Domini immaculata.* id est, cui nihil adhærere possit suspicionis, quęque nihil habet simulatum, & fallax. Cætera, quæ nobis offert, aut venditat mundus, syncera non sunt, sed ex vàriis concreta fallaciis, quæ speciem interdum habent illustrem, fucata tamen, in quibus nihil est veri, nihil solidi: quemadmodum vile metallum, & ad omnes vsus prorsus inutile, quod tenuissima contegit, & simulat bractea ex auro, quæ breui affrictu manus excidit, & hiantem relinquit, & delusam hominum auaritiam.

68. *Lex Domini sancta, & pura.* *Eloquium Domini igne examinatum.* ] Eadem est sententia, & sub eadem, opinor, metaphora. Si quid auro admixtum aut vilioris metalli, aut si quid situ, ac tempore inoleuit impurum, illud excoquit ignis, qui aurum probat, & mundat, & si ab obrusa extremum acceperit examen, nihil illo splendidius, nihil pretiosum magis. Tale est Dei verbum, siue promittat, siue præcipiat aliquid, in quo nihil apparet simulati, ac falsi, sicut in auro examinato septies nihil ab omni terrestri concretione relinquitur. Quare securus quisque potest esse de legis sanctitate, certus de promissorum fide. Dixit hoc idem iterum Dauid Psal. 11. v. 7. *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum probatum terræ, purgatum septuplum.*

69. *Scutum est omnium sperantium in se.* ] Siue hæc de Deo, siue de illius lege, aut promissione capias, quod videtur verius, quàm verissima sunt. Lex enim Dei, cui adiunctæ sunt promissiones tam largæ, quàm fideles, omnes propellit difficultates, ac tela, sicut clypeorum oppositu vibrata inimicorum spicula, & intentæ ab hoste petitiones arcentur. Quòd Deus clypeus sit, & vt habet in Psalmo 17. Septuaginta translatio, *protector*, nostra nunc probatione non eget, cùm millies ab eodem auctore audiamus in Psalmis.

70. Vers. 42. *Quis est Deus præter Dominum?* ] In aliis, quos indocta, delusaque Gentilitas deos appellat, neque fides est vlla, neque facultas, vt homines à periculis expediat, aut viam doceat, in qua nulla occurrere possit offensio. Solus ille verus est Deus, cuius hoc loco egregius Psaltes merita commendat, & reliquos ab hoc augusto, & diuino nomine prorsus excludit.

71. *Fortitudo pro armis.* Vers. 33. *Deus, qui accinxit me fortitudine.* ] Nihil in seipso magnum, nihil validum agnoscit Psaltes, sed quicquid habet strenuum, à seipso totum abdicat, & acceptum refert benignitati diuinæ, quæ animum confirmat, armátque virtute, & corpus aduersùs inimicorum spicula communit. Fortitudo hoc loco arma significat, quibus à Deo accinctus esse dicitur Dauid. Est enim in Scriptura vsitatum, vt quemadmodùm signum pro re significata ponitur, sic etiam aliquando pro signo adhibeatur res significata. Sic aliquem lætitia coronatum dicimus, quia coronam gestat, quæ signum est, & argumentum lætitiæ. Sic decorem Deus indutus esse dicitur, quia vestes indutus est, quæ corpori decorem, & speciem attulerunt. Quare dum accinctus dicitur Dauid à Domino fortitudine, arma intelligit, siue illa propriè, siue metaphoricè intelligantur.

72. *Quæ victima immaculata.* *Et complanauit perfectam viam meam.* ] In Psalmo 17. *Et posuit immaculatam viam meam.* Sed est eadem omninò sententia, licèt posteriori loco paulo obscurior. Macula in quocumque genere vitium est, & defectus, qualis in qualibet rerum natura obseruari, atque vituperari solet. In agno, aut vitulo maculæ sunt, quæ illos deformes reddunt, minusque ad sacrificium idoneos. Macula verò non est color in pelle varius, à quo versicolor est pellis victimæ: nam quæ variis est distincta coloribus, quæ non ideo deformis existimatur, non est inepta sacrificiis. Id facilè colligitur ex Leuit. cap. 22. v. 22. vbi iubet Deus ne qua sit macula in victima, quæ offertur in holocaustis: & statim, quæ sit illa macula, singulatim exponit. *Immaculatum*, inquit, *offerat, vt acceptabile sit, omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem*, &c. Idem penè de sacerdotibus dicit cap. 21. versiculo 18. quos iubet Dominus esse sine macula. Deinde, cùm maculam, quam

quam abesse vult à sacerdotibus, explicat, ait, *Si cæcus fuerit, si claudus*, &c. Macula in facie non est tantùm nævus, sed quidquid faciem reddit inuenustam, & vastam, vt si labra tumeant, lippiant oculi, dentes oblongi, rari, scabri; nasus aut depressus nimis, aut longus immodicè, aut tortus. Hæc omnia maculata dicuntur, & quæ his caruerint, immaculata. Sic etiam in via suæ quæque sunt maculæ, quæ nimirùm illam difficilem reddunt, sentam, scopulosam, inuiam. Verbi gratia, si salebris sit interrupta, si decliuis nimiùm, aut nimiùm accliuis; si denique viatoris aut lassèt vires, aut tardet incessum. Vt ergo Deus maculosam, aut maculatam viam ex Ægypto ad terram vsque promissionis immaculatam reddidit, cùm fecit ne quid peregrinantib. esset impedimento, aut molestię, cũ aperuit mare, inclinauit scopulos ad torrẽtem Arnon, & complanauit viam, de potu largiter, ac de victu prouidit: sic etiam Dauidi ad præclaros bellorum exitus viam reddidit immaculatam. Quod si ita est, satis conuenit in Psalmo 17. Septuaginta translatio, cùm illic dicatur immaculata, hìc complanata via. Quomodo verò complanatæ fuerint viæ, statim ostenditur.

*Quæ dicantur maculata.*

74. Vers. 34. *Coæquans pedes meos ceruis, & super excelsa mea statuens me.*] Quocumque modo decurri possit via, vel quia nihil habet asperum, ad quod offendant pedes; vel quia ea additur viatori velocitas, vt sine vlla molestia, ac mora per loca scopulosa, & ardua magna tranet spatia, complanata dicitur. Quomodo dicimus nihil esse clausum, & obseratum illi, qui magnam habet in furando solertiam; & ingenio subtili, & acri, in Scriptura impedita, & obscura, nihil esse impeditum, & obscurum. Erant quidem arduæ, atque præruptæ viæ, per quas diu gradiebatur Dauid, cùm illum vestigiis omnibus Saulis exercitus indagaret; adeò vt libro 1. capite 24. vers. 3. petræ dicantur abruptissimæ, & ipsis tantùm Ibicibus peruiæ. Nihilominus viæ dicuntur complanatæ Dauidi, non quia ex illarum asperitate aliquid existimetur esse detractum, sed quia Deus illi Ibicum celeritatem, & audaciam dedit. Ibicibus autem non minus expedita est via prærupta, & aspera, quàm hominibus illa, in qua nihil arduum est, nihil salebrosum, & sentum. Ideo dicit datos fuisse à Deo Ceruorum pedes, qui saxa ascendunt, & securè calcant, & ad excelsa, & quæ hominibus iudicantur inaccessa; quasi per ludum, & iocum gradum moliuntur. Hunc locum videtur expressisse Abacuc, & in tertium suæ prophetiæ caput contulisse. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi Ceruorum, & super excelsa mea deducet me.* Vide quæ nos ibi.

*Via cõplanata quæ.*

75. Vers. 35. *Docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea.* ] Non solùm Dauidi data est Ceruorum, Ibicúmque velocitas, quæ magno est vsui illi, qui rem tractat bellicam, sed etiam disciplinam docuit militarem, gladiatoriam, athletícam, & sagittariam; & tantam dedit brachio firmitatem, & robur ad torquendam hastam, aut lapidem ex funda, quantam habet arcus formatus ex chalybe ad torquendas sagittas. Hæc, opinor, certamen illud spectant, quod iniit Dauid cum Goliath Gethæo, in cuius caput eo impetu torsit saxum ex funda, quo ab arcu æreo benè curuato emittitur sagitta. Quod ideo mihi persuadeo, quia Psalmo 143. vbi hæc eadem propè verba reperiuntur, hic titulus præfigitur, *Aduersus Goliath.*

Vers. 36. *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ: & mansuetudo tua multiplicauit me.* ] In Psalm. 17. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me.* Clypeum pro defensione, ac patrocinio sumi res est nota, & non obscura metaphora. Clypeus salutis Dei idem valet, quod auxilium Dei, à quo Dauid salutem obtinuit à diuina protectione porrectam. Quod explicat in Psalmo 17. posterius hemistichium, quod per epexegesim eandem iterat, & simul explicat sententiam. Sed illud videtur minùs conuenire, quod hoc loco legimus, *Mansuetudo tua multiplicauit me.* At Psalm. 17. *Dextera tua suscepit me.* Neque tantùm est in translatione diuersitas, sed etiam in Hebraico textu. Cur ita contigerit, certi nihil habeo, sed si in re tanta diuinare licet, placet quod in re simili suprà visum est, principio hæc verba sic esse vel scripta, vel pronunciata à Dauide, sicut sacer historicus excepit; deinde aliquid à Dauide fuisse mutatum, cùm hæc eadem retulit in Psalterium.

76. *Clypeus salutis Dei, idem quod auxilium Dei.*

De horum verborum sensu sic statuo, ideo Dauidem non solùm consecutum esse salutem, cùm iam de illa actum esse existimare poterat, sed etiam obtinuisse regnum, quia ipse in hostes suos misericors maximè, & mansuetus fuit. *Mansuetudo*, inquit, *tua multiplicauit me.* qui dicendi modus aliquid indicat eximium. Idem enim valet *mansuetudo tua*, quod *mansuetudo Dei.* Notum est autem quæ in quolibet genere magna sunt, Dei opposito nomine ad magnum aliquem gradum attolli. Quomodo Cedri sublimes, & speciosæ Cedri dicuntur Dei; & montes excelsi, montes Dei. Quàm verò mitis etiam in hostes fuerit Dauid, paulò antè diximus. Hæc mihi visa sunt non abs re. Neque tamen displicet, si dicas debere Dauidem, quòd regnum obtinuerit, quòd libertatem, & vitam non amiserit, Dei benignitati, ac mansuetudini: cùm enim propter peccata hæc omnia amittere iure perquam optimo debuerit, diuina tamen clementia non solùm hæc omnia non eripuit, sed etiam multiplicauit, & vitam, & regnum. In Psalmo 17. additur hic vnus versus, *Et disciplina tua correxit me in finem*, &c. cuius non est difficilis explicatio.

77.

Vers. 37. *Dilatabis gressus meos subtus me, & non deficient tali mei.* ] Hæc in Psalm. 17. reddita fuêre per præteritum, & sic arbitror hæc eadem verba hoc loco esse interpretanda, iuxta regulam à nobis ante propositam. Ante diuinus Psaltes significarat coarctatos esse gressus, cùm per loca incederet angusta, & aspera: non enim, vt vidimus, poterat quamcumque in partem vellet, progredi, ac spatiari liberè, cùm vel adesse videret, & circumstare potentiorem hostem; aut certè suspicaretur non abesse longè. Deus tamen perfecit, vt tutò posset ex angustis illis spatiis emergere, & in illis deambulare locis, in quibus neque laberentur, neque lassarentur pedes; aut sublato Saule, cuius insidiis, quasi quibusdam venatoriis retibus cingebatur; aut certè discedente longiùs ab speluncis, in quas seipsum, vt hostem effugeret, cum sociis abdiderat. Illud *subtus me*, est quoddam gressuum, aut pedum epitheton familiare: quia enim pedes extremum aliquid, & infimum sunt sub homine, ideo subtus hominem esse dicuntur.

78. *Deus quæ angusta sunt laxat, & reddit expedita.*

Deficere talos idem est quod lassescare pedes, neque in locis etiam firmis posse consistere. Quod in his, qui à Deo recesserunt, contingere solet non infrequenter. Quod peccatori populo in dira Hierosolymæ vexatione, ac vastitate accidisse luget Ieremias Thren. capite 4. vers. 18. *Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.*

79. Vers. 38. *Persequar inimicos meos, & conteram, & non conuertar, donec consumam eos.*] Cùm stare à se Deum meditatur Dauid, tam est alacri, atque erecto animo, vt nihil sibi eo adiutore, atque auspice metuendum putet. Vt autem cecinit Psalm. 26. *Si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum:* & alibi millies; sic etiam hoc loco nihil sibi dicit metuendum ab hostibus, quorum arma vsque adeò non perhorrescer, vt etiam persequi audeat; neque à persecutione cessandum, donec omnes ad vnum deleat. Illud, *non conuertar*, modus est dicendi familiaris Hebræis, quo significant animum sic obstinatum, & intentum ad opus, vt nullo impedimento retardari, nullo abduci periculo possit, quominùs aut aggrediatur quę cogitauit simul, aut cogitata perficiat. Quasi dicat, non absistam à persequendo, non quiescam, aut conuertar ab studio conatuque cædendi, donec rem totam funditùs absoluero.

80. Vers. 39. *Cadent sub pedibus meis.*] Plurima ex his, quæ subsequuntur, explicatione non egent; quæ id agunt, aut penè solum, aut præcipuum, vt partam de hostibus victoriam aliis atque aliis dicendi formis, & figuris amplificent, dum fugientes, aut cæsos, aut certè iam subactos, & supplices ostendunt. Cadere sub pedibus, id opinor, significat, quod plurimis aliis Scripturæ sacræ locis audimus: nempè victos hostes vincentium subesse vestigiis, & eorum ceruices victorum pedibus superbè calcari. Qua de re nos pluribus ad illud Isaiæ 29. vers. 4. *Humiliaberis, de terra loquêris, & de humo audietur eloquium tuum.* Isaias iterum capite 60. vers. 14. *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum.* Baruc capite 4. vers. 25. *Persecutus est te inimicus tuus, sic citò videbis perditionem ipsius, & super ceruices ipsius ascendes.* Sanè hoc ipsum fecisse traditur Iosue capite 10. vers. 24. qui cùm ex spelunca, ad quam quinque Reges abdiderant sese, foras extraxisset, iussit illorum colla suorum pedibus ignominiosè calcari. *Cúmque educti essent ad eum, vocauit omnes viros Israël, & ait ad Principes exercitus, qui secum erant: Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.* An hoc aliquando fecerit Dauid, non constat, quod ego viderim, licèt feciisse aliquando videri potuerit, cùm per Ammonitas egit ferrata carpenta. Sed vtcumque sit, quia esse sub alicuius pedibus prouerbiali specie insignem indicat, gloriosámque victoriam, dum eo loquendi genere vtitur Dauid, illustrem de suis inimicis triumphum prædicat. Idem porrò magis explicatè significat statim v. 40. *Incuruasti resistentes mihi subtus me.*

*Victi vincẽtium pedibus calcari.*

81. Vers. 41. *Inimicos meos dedisti mihi dorsum.*] Adducit alterum insignis victoriæ illustre documentum, cùm dicit datum esse sibi inimicorum dorsum. Quid tamen hac dicendi figura prouerbiali, vt reor, significetur, obscurum est. Omnes penè de fuga inimicorum accipiunt, qui cùm vrgeri se ab hoste potentiori vident; & de sanguine, ac vita certamen esse meditantur, non audent aduerso corpore cum hoste confligere, sed conuerso ad hostem insequentem dorso, in fugam sese dant. Fecerunt id sæpè Dauidis hostes tum externi, tum etiam Israelitæ, & nunc sub extrema tempora, cùm fusus est, & cæsus Absalomis exercitus. Et hæc mihi expositio potior est. Sed etiam hostile dorsum aliquod aliud indicat seruilis conditionis, imò & infimæ seruitutis obsequium; in dorso enim portantur onera. Psalm. 80. vers. 7. *Diuertit ab oneribus dorsum eius.* In dorso seruorum excipiuntur plagæ; vnde cicatricosum dicitur seruile tergum; & in Scriptura sæpè flagellum, aut virga cum seruorum tergo, aut dorso inueniuntur adiuncta. Prouerb. 26. vers. 3. *Virga in dorso imprudentium.* Nahum 1. vers. 13. *Conteram virgam eius de dorso.* Vide quæ nos ad hunc locum. Sed præstant etiam victoribus victi aliud à dorso multò magis indignum ministerium. Substernunt enim se victoribus, & dorsum scabelli locum supponunt, cùm ascensuri sunt aut equum, aut currum. Quod planè miserandum, & barbarum obsequium præstari sibi voluerunt Tamerlanus à Razane Turcarum Principe, & Sapor Persarum Rex ab Imperatore Valeriano. Quod fuisse vsitatum apud Hebræos suadet illud Psalm. 109. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sed est sine dubio hic locus de fuga inimicorum intelligendus, quia hîc de illis hostibus videtur esse sermo, qui ex Israelitide Gente persecuti fuêre Dauidem: nam & illi clamasse dicuntur ad Deum, à quo illorum preces nihil impetrarunt, vt habes statim vers. 42. quod nullo modo cadit in externos, & iidẽ sæpè fugisse dicuntur toto tempore, quo domus Saulis imperio se Dauidis opposuit. In horum dorsum sæuiisse plagis inflictis, & dorso onera imposuisse, atque adeò illis pro scabello ad conscendendum equum vsum esse Dauidem, non est verisimile.

*Victi victoribus dorsa substernunt.*

83. Vers. 42. *Clamabunt, & non erit qui saluet; ad Dominum, & non exaudiet eos.*] Agebat Dominus causam Dauidis, atque ideo non tam fauebat, quàm oppugnabat aduersarios, qui cùm essent ex Israelitico semine assueti sacrificiis, & tabernaculo, sine dubio cùm impendêre sibi cernerent capitis periculum, clamabant, vt à parentibus didicerant, supplices ad Dominum, à quo tamen ad ipsorum vota exauditi non sunt. Hæc in Psalm. 17. leguntur in præterito; quod quomodo iuxta Hebræorũ idioma fieri possit, paulò antè docuimus.

84. Vers. 43. *Delebo eos vt puluerem terræ, quasi lutum platearum.*] Hyperbole in sacris literis non infrequens, quâ extremum significatur exitium. In puluere enim duo videmus; in suo quodlibet extremum genere: est enim tenuissimum, in quo nihil solidi, nihil firmi, & qui à difflante vento facilè dissipatur. Est præterea vile, quod tam hominum, quàm belluarum vestigio calcatur. Quare cùm aliquis deleri dicitur tanquam terræ puluis, facilè dicitur esse delendus, quia nullam habet puluis ad repugnandum, seu resistendum vim, quem ventus iactat, circumagit, & dissipat. Nisi mauis ita esse conterendos, & delendos hostes, vt cum minutissimo puluere comparari queant, in quo illius molis, ex qua contritus est, vix vllum solet apparêre vestigium. Quales videri potuerunt Ammonitæ, super quos Dauid tribulos, & trahas, & ferrata carpenta transire fecit. Vide quæ diximus suprà lib. 2. cap. 12. v. 31.

*Puluis, & lutum pro re leuissima, & vilissima.*

85. De luto platearum idem fermè dicendum: est enim puluis ab humore coactus, qui vilissimus est, & tam ab homine, quàm à bellua calcando subigitur. Cúmque omne lutum vile sit, hominibúsq; vbicũque molestũ; illud tamen, quod in plateis est maiori

maiori est hominibus fastidio, quia cùm ibi plerumque maior inueniatur hominum frequentia, magis est subactum, ac dissolutum, quàm quod in agris, locisque desertis inuenitur. Hæc porrò prouerbiale aliquid olent, & in Scriptura sacra prouerbialem in modum vsurpantur. Isaiæ c.10. v.14.& Nahum c.7.*Nunc erit in conculcationem, vt lutum platearum.*De puluere res multò frequẽtior. Psal.34.v.5. *Fiant tanquam puluis ante faciem venti.* Isaiæ 29.v.5.*Et erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te.*

86. Vers. 44. *Saluabis me à contradictionibus populi mei.*]Hæc,& pleraque eorum,quæ sequuntur, futuri temporis terminationem habent in textu Hebraico, quæ, vt reor, rem significant iam ante transactam,iuxta regulas à nobis nuper adductas, quomodò Pagninus, & Tigurina, & Hispanica translatio conuerterunt, immò in quibusdam locis vulgata translatio in Ps.17.nam vbi v.44. legimus *seruiet*, & 45. *obedient.* in Psalmo 17. legimus *seruiuit*, & *obediuit.* & ita putat Abulensis hìc. Et sanè quæ hìc referuntur, non videntur facta post hoc tempus, quia iam ab omnibus inimicis suis fuerat liberatus Dauid, vt constat ex titulo huic cantico præfixo;& quæ hìc narrantur omnia,satis temporibus præteritis cumulatè videntur impleta.Duo hìc beneficia magnà agnoscit Dauid à Domino profecta;& quòd ab his, qui ex suo populo ipsius vitæ, ac regno insidiati fuerant, liberatus fuerit;& quòd externos populos sibi,atque Israelitico iugo parêre coëgerit. Ciuilia autem, atque intestina bella contradictiones vocat, quæ fuêre ante initum regnum, & postquam illud tandem obtinuit,sanè non paucæ.Dum viuetet Saul,illum habuit salutis suæ oppugnatorem acerrimum, & alios plurimos,qui ad impium illud consilium regium animum instimulabant. De quibus lib.1. c. 26.v.19.Cùm verò iam vnctus est,& Rex appellatus in Hebron pro Isboseth filio Saulis, magnam Israelis partem contra Dauidem concitauit Abner; deinde Absalom, ac tandem Seba à Dauidis partibus magnam Israëlitici populi partem abduxerunt,

87. *Custodies me in caput Gentium.*] Hæc etiam per tempus præteritum expono. Hoc enim tempore Dauid plurimos ex Gentilicis populis, sub iugum egerat Israelitici regni. Quales fuerunt Idumæi, Ammonitæ,Moabitæ,Syri,vt constat c.18. In caput eorum custoditus dicitur, quia à domesticis hostibus seruatus est,vt externos subigeret. In Ps. 17. legimus,*Constitues me in caput Gentium*,quia illas sibi constituit vectigales, & pro summo imperio de illarum rebus suo constituit arbitratu. Hãc porrò Gentilici populi seruitutem statim explicat dum subdit:

88. *Populus, quem ignoro,seruiet mihi.*] Hic populus Gentilicus est,qui ignotus dicitur Dauidi,quo sẽsu illos ignorare dicimur, quorum neque ingenium,& mores,neque institutum probamus viuẽdi modum;aut quia, vt loco, sic etiam religione, & vitæ genere separati sunt. Quo modo Deus Amos c.3.v.2. tantum dicit sibi Israeliticum populum esse cognitum, quia illum habet & familiarem sibi,& suis obsequentem legibus. *Tantummodo*, inquit, *vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.*

89. Vers. 45. *Filij alieni resistent mihi.*] Obscurum est,quinam sint hi viri,qui vocantur alieni. Quidam *Gentiles* esse putant, quibuscum Dauid bella gessit plurima, qui omnes adhibuerunt vires, & machinas,ne rem promoueret Israeliticam. Alij, quod magis probo, hos Israelitas interpretantur, qui cum fauêre Dauidi debuissent, a quo multis ornati fuerant modis, aduersùs tamen illum manus armauerunt infideles,& impias. Quales fuerunt, qui Absalomis adhæsere partibus, & illius animum ad sceleratum consilium,& impiam coniurationem induxerunt. Qualis fuit Achitophel, & alij,qui tunc Absalomem,deinde Seba seditiosum hominem secuti sunt.Sic tamen illos beneficiis sibi demeruit Dauid, vt magno postea studio in ipsius causam contra domesticos, & externos hostes non minùs prompto, atque constanti animo incubuerint,quàm priùs fuerant aduersati.Vt satis docuerunt Abner,& Amasa;alter à Saule,alter ab Absalome constitutus dux, & imperator; Qui magno ardore animi causam susceptre Dauidicam, illámque promouissent,vt apparet, strenuè,nisi Ioab fraudulento consilio,adacto per viscera pugione, illorum conatus intercepisset. Atque ideò subditur:

*Filij hic alieni qui.*

*Auditu auris obedient mihi.*] Nam omnes, quotquot secuti fuerant, Isboseth,amplexi sunt Dauidem,agente Abnere,suprà c.3.v.17.& c.5.v.1. itidem qui priùs in castris fuerant Absalomis, ad fidem ante datam Dauidi redierunt, & illi operam deinde præstitêre fidelem.Illa porrò tria verba,re, aut significatione coniugata,*auditu,auris,obedient*, siue,vt in Psalmo 17. legimus, *obediuit*, magnam habent epitasim:significant enim summissum animum, & prompto, atque hilari studio mandata præstantem. Quod quidem non est Dei vulgare beneficium, sic tenere alienos quondam homines imperio auctoritateque constrictos, vt nihil contrà conari, imò neque leuiter contrà mutire audeant. 90.

Vers. 46. *Filij alieni defluxerunt,& contrahentur in angustiis suis.*] In Psal.17. *Filij alieni mentiti sunt mihi;filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.*Eadem vtrobique verba sunt in Hebraico textu. Neque in sententia aliquid est diuersum.Septuaginta in Psalmo 17. videtur explicare voluisse paraphrasticè. De quorum translatione mox,vbi à præsentis loci expositione nos exoluerimus. Primùm,in filiis alienis Israelitas intelligo, qui alieni fuerunt à Dauidis studiis, & ad inimicorum castra transfugerunt. Illi itaque defluxerunt;id est, fracti sunt & animo, & viribus, & in angustias redacti contraxerunt spiritus antè minaces,quos inani ostentatione iactauerant: atque ideo supplices porrexêre manus, quia velle repugnare diutiùs ex vsu sibi fore non putabant. Hanc puto loci huius expeditam esse sententiam. 91.

In Psalmo 17. res est obscurior. Vbi Vulgatus, *mentiti sunt.* Hebr. est יכחשו, quod variè à variis redditur. Qui hæc de hostibus externis interpretantur,qui Dauidi multo potentiori succubuerũt mentitos illos dicunt,quia vt metum à se, & periculum depellant, fingunt aut se nunquam arma contra Dauidem assumpsisse; aut certè velle se illius imperio in omnibus parêre, idque se reipsa facturos animo non solùm prompto,sed etiam libenti,atque hilari; cùm tamen ad omne obsequij genus, & pendenda imposita tributa ferantur inuiti. Quod idem dici etiam posset de his, qui ex Israelitico semine in caput, regnúmque Dauidis conspirarunt; qui cùm viderent Dauidem in bello fuisse superiorem,nihil non fingebant, ac mẽtiebantur, quò illius à se offensionem auerterent. Alij in alia significatione capiunt verbum. כחש quod non solùm mentiri significat, sed etiam ma- 92.

crescere, attenuari, aut, vt etiam noster vertit interpres, defluere; quod idem est atque vires amittere, despondere animum, & omnes neruos tam animi, quàm corporis omninò dissolui. Quare is erit sensus, nihil perfeciſſe domesticos hostes, quantumcumque essent inflammati odiis, atque armis instructi: omnia enim, quæ in Dauidis caput comparata fuerant, irrito conatu momento temporis extabuerunt. Atque ideo ad illius se pedes obiecere supplices, quem priùs extinctum esse cupiebant.

94. *Mentior, mendacium & mendax, variè significant.* Sed, vt à Vulgatæ verbis non recedamus, quæ in Psalmo 17. alienos filios mentitos esse dicit, obseruo verbum *mentior*, & illius cognata nomina, qualia sunt *mendacium*, & *mendax*, significare interdum fallaciam, & fraudem, cùm aliquis largus est in promittendo, deinde cùm vsus rei promissæ necessarius aduenerit, promissa non apparent. Quales fuerunt viri Ephraimitæ, de quibus Psal. 77. v. 9. *Filij Ephren intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* Sic mendacem appellamus agrum, qui neque votis, neque expectationi respondet agricolæ, cùm messis tempore euanidæ appareant spicæ, aut emissa grandine sternuntur segetes, & perit totus agricolarum labor. Sic Oseas cap. 9. v. 2. *Area, & torcular non pascet eos: & vinum mentietur eis*, quia videlicet cum exculta vinea vinitori suo vberes prouentus ostenderet, exusta gelu, aut vento vrente spem omnem vinitoris eluſit. Sic Abacuc 3. *Mentietur opus oliuæ, & arua non offerent cibum.* Quæ etiam dicendi forma profanis inusitata non est. Horatius lib. 3. Ode 1.

*Infideles in promissis.*

*Non verberatæ grandine vineæ,*
*Fundúsque mendax.*

Et libro 2. epist. 2.

*Verùm vbi oues furto, morbo perière capellæ,*
*Spem mentita seges, bos est enectus arando.*

95. Sic igitur illi, qui filij vocantur alieni, promittebant multa, sicut ager fallax, & mendax, qui pro frumento tribulos reddit, & noxias herbas cultori suo: sed præstitère nihil, nisi quod laceraret, & pungeret. Et hoc ipsum videtur indicare quod statim subditur, *Claudicauerunt in semitis suis*, id est, non rectos instituerunt gressus suos, dum aliò viderentur profecturi, & aliò in medio cursu declinarent, & in fraudulenta beneuolentiæ specie, occultas, & veras molirentur insidias. Hæc Dauid ipse querebatur Psal. 40. v. 10. dum idem sibi accidisse affirmat ab his, qui illi & debebant, & promittebant omnia. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.*

Vers. 47. *Viuit Dominus, & benedictus Deus meus.*] 96. Ex hoc loco ad finem vsque continetur totius Cantici summa complexio; beneficiorum nempe Domini, propter quæ Dei benignitatem tantopere commendat. Quæ omnia eiusmodi sunt, vt aut nihil contineant noui, quod suprà à nobis explicatum non fuerit; aut ita sint aperta, vt interpretis lucem non desiderent. Illud, *Viuit Dominus*, iuramentum non est, sed est vox quæ ad diuinam pertinet laudem, quæ Deum viuum esse confitetur, atque laudabilem, & omni commendatione dignum, longè alium ab illis, quos deos appellat cæca Gentilitas; qui neque viui sunt, cùm è ligno sint, aut marmore artificum opera fabricati; neque fecerunt vnquam, aut facturi sunt aliquid laudabile. Huic viuo, atque laudabili, & in æternum benedicto Deo salutem suam refert acceptam; & quòd de quibusdam, quos habuit suæ saluti infensos, vindictam sumpserit, alios à regni, alios à vitæ statione depulerit. Propterea curaturum se dicit concinnandis, pangendisque carminibus, vt Gentes etiam externæ diuinæ maiestatis gloriam agnoscant.

Vers. 51. *Magnificans salutes Regis sui, & faciens misericordias Christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum.*] 97. *Salus pro victoria.* Salus multa significat, & in his victoriam, laudem, & triumphum, vt nos pluribus ostendimus ad illud Isaiæ cap. 60. *Occupauit salus muros tuos.* Et quidem qui victorias ab hostibus consecuti sunt, illi feciſſe dicuntur salutem. Vt lib. 1. Reg. cap. 14. v. 45. Ionathas, qui magnam de Philistæis consecutus est victoriam, salutem dicitur feciſſe magnam. Et 1. Machab. 4. v. 25. salus item magna dicitur Machabæis facta. Illud, *Regis sui*, ad ipsum Dauidem Regem refertur, quod statim per epexegesim explicatur, dum subditur, *Christo suo Dauid.* Dicitur autem Dauid *Rex Dei*, quia à Deo designatus, & Dei imperio vnctus à Samuele. Quod ad extremum additur, *& semini eius in sempiternum.* verba respicit Nathan Prophetæ lib. 2. c. 7. v. 13. *Suscitabo semen tuum post te, &c. & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.*

---

# IN CAP. XXIII. LIB. II. REGVM

## ARGVMENTVM.

PSALMVS, qui præcedenti capite descriptus est, vltimus videtur eorum omnium, quos cecinit Dauid, quique postea, licèt non eo ordine, quo compositi fuêre in Psalterium coacti sunt: immò & hæc nouissima videntur verba, quæ Dauid spiritu afflatus prophetico loquutus est. Quæ autem in principio huius capitis legimus, summam quamdam continent eorum, quæ latè sunt in Psalterio diffusa, quæque videntur toti Psalterio non incommodè posse pro titulo proponi. Primùm enim Psalterij proponitur auctor. Deinde ille à diuino spiritu dicitur afflatus, tandem illius totum argumentum explicatur. Diggeritur. Neque enim in Psalterio aliud audimus saltem frequentius, & quasi ex instituto, quàm quod hic paucis complexus est Dauid. Deinde catalogus ponitur illorum, quorum virtus in Dauidis acie magis emicuit, quorum triplex est ordo; in primo continentur tres,

*tur tres, totidem in ſecundo; in tertio triginta & vnus, quorum geſta ſuo loco ſatis explicatè narrantur.*

## CAPVT XXIII.

1. HÆc autem ſunt verba Dauid nouiſſima. Dixit Dauid filius Iſai: Dixit vir, cui conſtitutum eſt de chriſto Dei Iacob, egregius pſaltes Iſrael:

2. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.

3. Dixit Deus Iſrael mihi locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum, iuſtus dominator in timore Dei.

4. Sicut lux auroræ, oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuiis germinat herba de terra.

5. Nec tanta eſt domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas nec eſt quidquam ex ea quod non germinet.

6. Præuaricatores autem quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi: quæ non tolluntur manibus.

7. Et ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, ignéque ſuccenſæ comburentur vſque ad nihilum.

8. Hæc nomina fortium Dauid ſedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit, impetu vno.

9. Poſt hunc, Eleazar filius patrui eius Ahohites inter tres fortes, qui erant cum Dauid quando exprobrauerunt Philiſthiim, & congregati ſunt illuc in prælium.

10. Cúmque aſcendiſſent viri Iſrael, ipſe ſtetit & percuſſit Philiſthæos, donec deficeret manus eius, & obrigeſceret cum gladio: fecítque Dominus ſalutem magnam in die illa: & populus qui fugerat, reuerſus eſt ad cæſorum ſpolia detrahenda.

11. Et poſt hunc, Semma filius Age de Arari, & congregati ſunt Philiſthiim in ſtatione; erat quippe ibi ager lente plenus. Cúmque fugiſſet populus à facie Philiſthiim.

12. Stetit ille in medio agri, & tuitus eſt eum, percuſſítque Philiſthæos: & fecit Dominus ſalutem magnam.

13. Necnon & ante deſcenderant tres qui erant principes inter triginta, & venerant tempore meſſis ad Dauid in ſpeluncam Odollam: caſtra autem Philiſthinorum erant poſita in Valle gigantum.

14. Et Dauid erat in præſidio: porrò ſtatio Philiſthinorum tunc erat in Bethlehem.

15. Deſiderauit ergo Dauid, & ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem iuxta portam!

16. Irruperũt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino.

17. Dicens: Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere: hæc fecerunt tres robuſtiſſimi.

18. Abiſai quoque frater Ioab filius Saruiæ, princeps erat de tribus: ipſe eſt qui leuauit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus.

19. Et inter tres nobilior, erátque eorum princeps, ſed vſque ad tres primos non peruenerat.

20. Et Banaias filius Ioiadæ viri fortiſſimi, magnorum operũ, de Cabſeel: ipſe percuſſit duos leones Moab, & ipſe deſcendit, & percuſſit leonem in media ciſterna in diebus niuis.

21. Ipſe quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum ſpectaculo, habentem in manu haſtam: itaque cùm deſcendiſſet ad eum in virga, vi extorſit haſtam de manu Ægyptij, & interfecit eum haſta ſua.

22. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ.

23. Et ipſe nominatus inter tres robuſtos, qui erant inter triginta nobiliores: veruntamen vſque ad tres non peruenerat: fecitque eum ſibi Dauid auricularium, à ſecreto.

24. Aſael frater Ioab inter triginta, Elehanam filius patrui eius de Bethlehem.

25. Semma de Harodi, Elica de Harodi,

26. Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua,

27. Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Huſati,

28. Selmon Ahohites, Maharai Netophathites,

29. Heled filius Baana, & ipſe Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin,

30. Banaia Pharathonites, Heddai de Torrente Gaas,

31. Abialbon Arbathites, Armaueth de Beromi,

32. Eliaba de Salaboni. Filij Iaſſen, Ionathan,

33. Semma de Orori, Aiam filius Sarar

Arori

Arorites,

34. Eliphelet, filius Aasbai filij Machati, Eliam filius Achitophel Gelonites,

35. Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi,

36. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi,

37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Ioab filij Saruiæ,

38. Ira Iethrites, Gareb & ipse Iethrites,

39. Vrias Hethæus. Omnes triginta septem.

# IN CAP. XXIII. LIB. II. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *Hæc autem sunt verba Dauid nouissima.*]

1. QVÆ proximè c. 22. legimus, composita fuerunt à Dauide, cùm iam esset ætate graui, & armis tractãdis parùm idoneus. Sed hæc verba dicuntur esse nouissima, non quia post hæc non fuerit plurima locutus; qua de re nemo dubitat, cùm moriturus longam cum Salomone filio orationem habuerit: sed quia hæc extrema fuerunt, quæ spiritu afflatus prophetico edidit. Quæ Caietanus miratur, cùm ad modum carminis scripta fuerint, & aliquid contineant, quod deberet celebrari perpetuò, neque vllo tempore ex hominũ memoria deponi; non tamẽ sint in Psalmorum numerum, atque ordinem relata. Cuius non video rationem vllam grauem, nisi fortè dicas Psalterium ante hoc tempus à Dauide; seu ab aliquo alio auctore fuisse digestum; & hoc postremum canticum, quia iam Psalmorum numerus erat absolutus, & Psalterium suo iam numero perfectum, vtpote in tres Psalmorum quinquagenas diuisum, ideo in Psalterio hoc canticum locum non inuenisse vacuum, quem impleret. Quæ sanè ratio leuis est; illa paulo melior, quia licèt materia grauis esset, vtpote tota de Christo Seruatore, quia tamen quæ in Psalterium relata sunt, cùm cantari suis temporibus legitimè debeant, ad certam mensuram coacta sunt, numerósque musicos, quibus cum hæc prophetia soluta sit, neque ad certos modos aptari possit, nullum in Psalterio videtur inuenisse locum. Et hoc mihi magis probatur, & constabit magis ex eo, quod statim additur à Dauide. Sed est fortasse hoc neque prophetia, neque canticum, vt dicemus postea, sed totius Psalterij titulus, & illius breuis quędam & summa complexio.

A propheticis verbis fidem conciliat. Ab aliis Propheticis, qui sua scriptis oracula mandarunt, nullum habuit, quod imitaretur exemplum, quia illos anteceſſit. Vnum, credo, audierat, qui spiritu loquebatur prophetico, cuius permanarant ad posteros oracula, qui pluribus signis, titulísque seipsum notauerat, cuius imitatus consuetudinem Dauid titulos sibi assumpsit non dissimiles. Hic fuit Balaam Numer. c. 24. v. 3. qui aggressurus prophetiam, ait: *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est: qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.* Ad eius, vt reor, & aliorum B exemplum, quorum oracula monumentis consignata non sunt, Dauid hanc de Christo prophetiam exorsus est. Vnde confirmari, quod superiùs obseruauimus, potest; ideo hanc prophetiam in Psalterium non esse relatam, quia numeris metricis, ac musicis concinnata nõ est; sed eodem prorsus stylo, ac modo, quo aliorum Prophetarum vaticinia edita fuerunt.

2. *Dixit Dauid filius Isai.*] Vsitatum est prophetis in principio suarum visionum certas aliquas præponere notas, quibus alij postea auctorem prophetiæ certa aliqua notatione cognoscant. Vt patet in Isaia, Ieremia, denique in Prophetarum plerisque, quorum aliquid in principio prefigitur, quod genus Prophetæ, conditionémque describit. Sed est in eo aliquid discriminis, quod Prophetæ alij D nomina præponunt parentum, & nihil præterea aliud, nisi ex numero fuisse sacerdotum, aut de pastorali ministerio; vt de Ieremia legimus, & Amos, quorum ille de sacerdotibus fuisse traditur, qui fuerũt in Anathoth, hic de pastoribus, seu pastoralibus Thecuæ. At hic Dauid cùm de seipso tanquam de Propheta loquitur, plures adhibet notationes, & signa, de quibus statim. Primùm, paternum adducit genus, dum se natum esse dicit Isai parente. Deinde plura alia connumerat ornamenta, & titulos, quibus & sibi auctoritatem, &

3. *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob.*] Hic locus non eodem ab omnibus intelligitur modo. Quidam de Christo Seruatore capiunt, quasi dicat Dauid se illum esse prophetam, cui à Deo multa de Christo reuelata sunt. Quæ mihi explicatio facilis est, quàm probant Dionysius, Abulensis q. 3. & Chaldæus. Sed est communis omniũ C ferme sententia, hæc à Dauide de seipso fuisse prodita, & esse vnum ex titulis, quibus seipsum à cætera multitudine distinguit. Quasi dicat se illum esse virum, quem Deus constituit vnctum, aut Christum, id est, Regem, primùm in paterna domo, deinde secundò, & tertiò in Hebron. Porrò *Christus Dei*, non semel appellatur Rex Israel, maximè cùm designante, atque iubente Deo, ad regnum assumitur oleo delibutus. Sic Saul sæpe vocatur Christus Domini. Et Dauid, de quo ipse capite præcedenti, v. 51. *Faciens* (nempe Deus) *misericordias Christo suo Dauid*: quod idem valet atque Christus Dei. Constitutum autem esse Dauidi de Christo Dei, nihil videtur esse aliud, quàm illi à Deo esse concessum, vt Rex constitueretur; aut in illius fauorem de regno illi tribuendo esse deliberatum, tque decretum. Septuaginta sic reddũt, *Quem suscitauit Dominus in Christum Dei Iacob.* Hieronymus in traditionibus Hebræorum, ex eorum sententia sic legit, *Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Iacob.* Quæ verba sic exponit, *Scala eidem Christo Dei Iacob, id est, Dauid, constituta est per quam conscenderet ad Deum; eo quòd idem scilicet confessus fuerit se peccasse Domino.*

4. *Egregius psaltes Israel.*] Hæc est alia nota, qua

Dauid

*Psaltes Israël.*

Dauid à reliqua Israelitarum turba secernitur. Erat autem eo nomine in Israele toto celebratus Dauid, quod psaltes esset egregius; siue eo sensu, quo Poëtæ dicuntur Psaltæ, etiamsi nihil cantent quia illa numerosè componunt, quæ alij numerosè modulantur. Sic Maro in ipso Æneidos ingressu dixit, *Arma, virúmque cano.* Sic ex Poëtarum consuetudine inflatiùs quidam scripsit apud Horatium in arte:

*Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*

Quare cùm egregia Dauid concinnaret carmina, quæ olim in tabernaculo, ac templo canebantur, quæque nunc in Ecclesia suauissimè resonant; & ille etiã à primis annis sic modulatus fuerit egregiè, vt ex Israele toto vocatus fuerit, vt cantus suauitate Saulis exhilararet animum, & à malo spiritu exagitatum permulceret; iure optimo se psaltem nunc nominat egregium, quia illo nomine apud suos habebatur eximius; sicut apud Græcos Homerus, & Pindarus; apud Latinos Virgilius, & Horatius. Et reuera si illius poëseôs nitidum expendas, & illustre compositionis gẽus, longè illum nitidiorem, & illustriorem iudicabis.

5. Porrò illud, *dixit*, quod semel, atque iterùm posuit, non tam ad sequentia pertinet verba, quasi Dauid id dixisse dicatur, quod proximè succedit, sed ad superiora, quo sensu statim explicabimus. Quomodo orator, vbi iam perorauerit, illud quasi legitimum ad extremum addit, *dixi.* Sed de hoc postea.

6. Vers. 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.*] Afflatum se dicit Dauid spiritu prophetico, qui linguam suam diuini sermonis formatricem esse voluit. Quod ipse Psalmo etiam 44. significauit, cùm dixit, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

7. Vers. 3. *Dixit Deus Israel mihi: Locutus est fortis Israel, dominator hominum, iustus dominator in timore Dei.*] Hæc omnia eò videntur spectare; vt magis appareat fides, firmitásque verborum, quæ à Deo instinctus propheta numeris inclusit poëticis, & musicis. Quia verò dixerat hæc verba Dei esse, non sua, sicut vox, quæ resonat à clangente tuba, non est ænei instrumenti, sed tibicinis, cuius inflatur, &, vt ita loquar, animatur spiritu; ideò oportuit, vt loquentis auctoritatem, & fidem cõmendaret. Quare illum vocat in primis Deum, non fallacem, aut infirmum, qui aut nolit, aut non possit præmissa, atque prædicta præstare; non quales Gentes, & manu fingunt, & mente colunt; sed Deum, quem colit, & veneratur Israel. Qui fortis est, & rebus humanis dominatur, cuius nemo potest aut obstare consiliis, aut infirmare, aut retardare potentiam; à cuius imperio, ac potestate nullo modo potest abesse iustitia; quique cum in omnibus dominetur, præcipuè tamen in illis dominatur, qui timent Deum. Id enim valet illud, *in timore Dei*, id est, in illis, in quibus est timor Dei. Hic verò obseruandum, licèt Deus vniuersorum sit Dominus, cuius imperium mortalium nemo possit declinare; tamen speciatim dicit dominari iustis, ac timentibus Deum, qualem se modò profitetur. Aut quia huiusmodi homines diuinum suscipiunt imperium non grauatè, & Deũ agnoscunt Dominum, à cuius voluntate magis putant molestum, ac difficile, quàm à vita discedere. Ab horum igitur voluntate alacri, atque obsequente, id est, à denominatione, vt Scholastici loquuntur extrinseca, Deus dicitur iustorum, atque timentium Dominus. Quomodo millies Deus iustorum dicitur Dominus, & Deus, cùm tamen nullus ab illius se dominatu subducat. Sanè sæpe audimus Deum esse Abraham, Isaac, Iacob, quia illorum in Deum obseruantiæ illustria apparent in Scriptura sacra documenta.

*Deus iustorum atque timentium Dominus.*

Hæc explicatio mihi non videtur aliena; sed placet magis, si ab hoc versu proponatur illa materia, quæ præcipuè, aut omnino tractatur in toto Psalterio. Vt enim dicemus statim, quicquid est ad versum vsque 8. quasi titulus est, & præfatio totius Psalterij, in quo duo illa reperiuntur, quæ in quorundam Prophetarum oraculis obseruamus. Primùm enim omnium nomen præponitur Prophetæ, & illæ notæ, quæ illum à reliqua multitudine secernunt. Deinde totius prophetiæ, aut tota, aut præcipua materia, vt apparet in Isaia nomen Prophetæ, & generis notam vides in illis verbis, *Visio Isaiæ filij Amos.* materiam in illis, *Quam vidit super Iudam, & Ierusalem.* Sic Amos nomen suum, & notam sumptam ex ministerio, & loco primùm adhibuit, deinde materiam. *Quæ vidit*, inquit, *super Israel.* Abdiæ prophetia scripta dicitur contra Idumæam, Nahum contra Niniuem, Micheæ contra Samariam, & Ierusalem. Sic ergo arbitror primo loco in hac Psalterij præfatione, ac titulo, proponi Dauidis, id est, Prophetæ, nomen, vsque ad versum 3. exclusiuè. Vbi dicit filiũ Isai, Regem, & psaltem, & afflatum à diuino spiritu, id est, Prophetam. Deinde ad versum vsque 8. totius Psalterij materia proponitur, quæ quia multiplex est, & illustris, longior est, quàm in aliis Prophetis inuenimus. Et accommodatè ad hanc cogitationem nouam instituemus explicationem, à versu 3. quem in aliam sententiam exposuimus, ad versum 8. nam ad illum totius Psalterij materia producitur,

8. *Titulus, & materia Psalterij.*

Hæc igitur omnia à principio capitis ad versum vsque 8. totius Psalterij Dauidici, eorum saltẽ Psalmorum, qui Dauidi à Domino inspirati sunt, videntur esse titulus. In hoc porrò differre videtur hic Psalterij titulus, à titulis quos suis vaticiniis alij præposuerunt Prophetæ; quia alij prophetiarum principiis præpositi; hic verò Psalmorũ omnium fini suppositus est. Quod faciunt sæpè alij scriptores, qui operi iam absoluto aliquid addũt, subscribúntque, quo suum esse opus, & manum ostendant. Quod item faciunt pictores, qui illud familiare subiiciunt tabulæ, *Apelles*, verbi gratia, *faciebat*, & similia. Cùm ergo dixisset scriptor sacer illa esse verba nouissima, quæ videlicet Psalmo præcedenti continentur, quæ Psalmo 17. rursus iterantur, subiecit, quid nouissimo huic Psalmo, ac perinde toti Psalterio regius Psaltes tituli nomine subscripserit.

10. *Argumentum Psalterij.*

*Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel dominator hominum, iustus dominator in timore Dei.*] Huius Psalterij, id est, Psalmorum, quos Dauidi Dominus inspirauit, argumentum proponitur. Cuius multæ sunt partes. Prima est, Deũ esse fortem, quod sæpè Psalmi prædicant, & nunc omnium maximè, qui proximè antecessit, quémque omniũ diximus esse nouissimum: esse Deum dominatorem omnium, & iustum sæpiùs audimus: esse dominatorem in timore Dei, id est, esse illorum Dominum, qui Deum timent. Dicitur porrò *Deus timentium se*, quia illis vsque adeò clementer, & largiter indulget, vt aliorum immemor appellari posse videatur, quasi eorum neque Deus esset, neque Dominus. Qui loquendi modus in Scriptura non infrequens, vbi sæpè legimus dictum à Deo futurum se Deum, & Dominum populi, si tamen

men ille Dei populus esse voluerit. Ierem. 11. v. 4. *Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Illi autem quocunque in genere fortunati dicuntur, quibus ille, qui verus Dominus, & Deus, Deũ se, & Dominum præbuerit. Psal. 143. v. 15. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* quibus nihil deerit, & erunt multò, quàm alij, magis fortunati. De hac iustorum felicitate primus Psalmus institutus est, & complures alij.

11. Vers. 4. *Sicut lux auroræ oriente sole manè absque nubibus rutilat.* ] Hæc aut de iusto intelliguntur, cui Dominus Deus est; cuius vita, vt splendet animi donis, atque ornamentis, sic etiam aliis fortunæ bonis, & ornamentis cumulatur. Hac porrò similitudine iustorum exprimitur tam sanctitas, & puritas, quàm qui sanctitati debetur honor, & splendor. Sanè de Simone Oniæ filio dicitur Eccl. 50. v. 6. *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.* Quod etiam de Dauide, eiúsque posteritate dici potuit, quæ floruit diu in Israel, quæque Solis dicitur futura non absimilis. Et fauet huic cogitationi non parùm, quia hæc eadem propè verba reperiuntur in Psalmo 71. v. 6. vbi historico sensu de Salomonis, allegorico verò de Christi regno iste Psalmus institutus est, & ad quem Psaltes hic egregius respexisse videtur; vbi duas similitudines adhibuit Solis, & pluuiæ. *Permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione, & generationem descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia super terram.* Accedit non parùm momenti huic opinioni, quia statim v. 5. dicit Psaltes, pro tanta dignitate, promissísque vsque adeò liberalibus exiguam esse domum suam. Sed de hac cogitatione statim.

13. Videri etiam posset totum Psalterium suauissimis refertum vaticiniis, duabus hisce similitudinibus expressum. Nam totum stillat cœlesti quodam nectare, totum splendet sicut aurora, quam nulla nubium opacitas obscurat, & non aliter à sitientibus mortalium animis excipitur, quàm cœlestis imber ab agro sitienti. Sanè hoc postremum suæ prophetiæ, ac verbis inesse, aut prædicabat, aut optabat Moyses Deut. 32. v. 2. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.*

14. Ego hæc de domo Dauidis accipio, ex qua ortus est Christus seruator, quæ eo nomine tantum splendoris accepit, vt alia quæcunque à regiis titulis, & diuitiis ornamenta appellari possint, non aurora rutilans, sed perfrigidæ noctis densa caligo. Quare hoc de Christo vaticinium est, de quo in Psalterio toto præcipuum argumẽtum: ex quo in Dauidis familiam quam maximus esse à posteris aut solet, aut potest, splendor aduenit. Ait ergo Dauid & domui suæ à generosa prole, & vniuerso mundo à Christo Seruatore tantum affulsisse lucis, quantum excedente nocte sub matutinam lucem affert aurora, quæ solem in suo complexu circumfert, & continet; cuius à nubiũ oppositu neque obducitur, neque obscuratur lumen. Cùm autem sol quocumque diei tempore mundum exhilaret, sed eo maximè tempore præstat, cùm nocturnas abigit tenebras, & suos incipit radios effundere. Iacebat mundus totus in tenebris, quæ longo Cimmerias vincebant interuallo, illas dispulit Christus, qui lux dicitur mũdi, quæ tanto magis splenduit, quanto magis nox quæ æterna futura videbatur, inhorruit. Hunc solem propheticis oculis videbat Isaias cap. 60. cùm dicebat, *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.* De hoc loquebatur Zacharias c. 3. *Ecce ego adducam seruum meum orientem.* Vbi multi à sole putant ductam esse metaphoram. Hoc alter Zacharias Baptistæ pater, Lucæ cap. 1. in hunc fortasse locum intentus, *Visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.*

*Et sicut pluuiis germinat herba de terra.*] Christus imber vocatur, quia id præstitit mundo à bonis fructibus iamdudum sterili, quod imber agro sitienti, & à naturalibus spoliato deliciis. Imber dicitur Christus ab Isaia, dum Christi desiderio clamat, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* c. 45. De hoc imbre item Ioel c. 2. *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum,* &c. vbi etiam meminit herbæ, quam terra fundit ab imbre grauidata. *Nolite*, inquit, *timere animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti.* Talem mundo tristi, & squallido Deus faciem dedit, qualis opportunus imber, cùm terra sitit, aut verna temperies post hyemem, & glaciem; & qualis Regis vultus posito supercilio lætus, atque festiuus, qui pluuiæ cœlesti comparatur, Prou. c. 16. v. 15. *In hilaritate vultus Regis vita: & clementia eius quasi imber serotinus.* Hæ porrò similitudines à pluuia, & ab aurora sumptæ, magnam exprimũt speciem, & commoditatem in rebus. Terra enim, nisi ab aquis humescat, non solùm deformis est, sed tristis, vtpote sine suo naturali succo, & sanguine, ita vt illam appellare possis exanguem, & mortuam. Desiderium suum incitatum, & ardens hac similitudine explicat Dauid, cùm dicebat Ps. 142. *Expandi ad te manus meas, anima mea, sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.* Ab aurora sumpserunt puellæ psaltriæ similitudinem, vt sponsę pulchritudinem cõmendarent. Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens.* Et Theocritus eadem similitudine Idyllio 18. venustatem expressit Helenæ; talem enim fingit, qualis aurora apparet abeunte nocte.

—*Nam sicut vbi nox alma recessit,*
*Os croceum cœlo profert aurora renascens.*

Vers. 5. *Nec tanta est domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum.* ] Hæc satis explicant sermonem esse de Christo, qui futurus erat de semine Dauid, quod pactum appellat sempiternum; qua etiam de re non semel aliquid occurrit in Psalmis. Ps. 88. v. 36. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit.* Et Ps. 131. v. 11. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

De quo regno multa suprà c. 7. Magnum hoc proculdubio beneficium est, quod Dauid ipse miratur, quòd Dominus cum domo exigua, atque humili pactum inierit æternum; siue hoc de regno intelligas temporali, quod ad tempus vsque Christi non excidit è domo Dauid, vt nonnulli putant, qui existimant id sonare proximè sonum literæ, siue, quod verius est, de Christo, allegorico saltem sensu, cuius illis in locis obscura licèt vmbra Salomon fuit. Sanè nisi de Christo capias, non potest vllo modo intelligi, quomodo in domo Dauidis regnum hærere queat sempiternum. Quod Angelus explicuit Lucæ cap. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regna*

*regnabit in domo Dauid in æternum, & regni eius non erit finis.* Hoc porro pactum munitum esse dicit, aut quia iuramento confirmatum est, vt constat ex locis proximè citatis ex Psalmis; aut quia ita à diuino decreto firmum est, vt à nulla vi extrinsecùs allata conuelli, aut infirmari possit.

18. *Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas, neque est quidquam ex ea, quod non germinet.*] Sensus difficilis non est, si modò hîc ellipsim agnoscas, & suppleas aliquid, quod ipse vltro suggerit textus. Dixerat proximè Dauid, exilem esse, atque obscuram domum suam, præsertim si illud intuearis tempus, in quo Dauid pastoritium obibat ministerium, aut quando errabat fugitiuus in syluis; neque dum Israelitici imperij habenas acceperat. Quare si quid habet illustre, si quid ab antiquis familiæ sordibus eleuatum, si vicit, si viuit, si aliorum sibi studia conciliauit, & gratiam, id totum Deo reddit acceptum, qui illi cuncta salus est. Supplendum est enim hîc, *ipse est*, nempe *omnis salus mea.* Quod verò in salute omnia intelligantur bona, quæ hominis vitam fortunant, atque ornant, nemo nescit.

19. *Et omnis voluntas* (nempe mea ipse est) Illum amo, illi adhærere studeo, ab illo spero omnia, quia humana omnia siue promissa, siue auxilia & fidem habent leuem, & vim infirmam. Et ideo Ps. 17. qui omninò idem est cum eo, qui anteceſſit proximè, cecinit Dauid, *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus.* Hæc quoque pars Psalterij est, in quo frequenter occurſant aut hæc, aut similia.

20. *Neque est quicquam ex ea, quod non germinet.*] Compararat suprà Deum, aut Christum imbri cælesti, qui terram irrigat arentem, eámque fœcundat, & nouo, atque speciosо germine conuestit. Imbrem illum in suam domum, quasi in sitientem & aridum campum illapsum esse dicit, qui fecit ne quid in ea familia esset infæcundum, ne quid à vernali specie, & fructuum vbertate vacuum. Et reuera ita accidit; sic enim erat instructa domus opibus, splendore, omnibus denique rebus, quæ numerantur in bonis, vt ager videri potuerit irrigatus è cœlo, & omnium florum, fructuúmque varietate distinctum; qualis erat ille, qui ab Isaac Genes. c.17.v.27. describitur, cuius odor esse dicitur, *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Et cui dedit Deus id quod sequitur, *de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Aut qualis erat hortus ille concluſus, & irriguus, de quo Cant. 4. cui comparatur sponsæ pulchritudo.

*Domini Dauid quid Christus ex ea nascitura præstiterit.*

21. Seu certè, quia regnum Dauidis familiæ sempiternum promittitur, necesse est, vt etiam sit ex illius semine sempiterna succeſſio. Atque ideo videtur affirmare Psaltes, neminem ex sua domo futurum sterilem, & quasi lignum aridum, ex quo singulis ætatibus nouellæ quædam virgæ, & succedanea germina succrescant.

22. Vers. 6. *Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus.*] Hæc est alia Dauidici Psalterij pars sæpiùs iterata, quæ ad viros spectat improbos, quos concutit, & lacerat vaticinio minaci. Qualis Deus futurus sit in illos qui Deum colunt, & timent, diximus nuper ad illud, *Iustus dominator in timore Dei.* Nunc docet, quales futuri sint illi, quos neque Dei amor ad diuinam præstandam voluntatem inflammat; neque obseruantia, & timor ab illa violanda deterret. Quos cum spinis comparat, quas homines ita horrent, vt manu contingere non audeant; quia prorsus intractabiles, quæ neque plantantur, neque vllo modo coluntur ab agricola: sed si aliquid cogitat de spinis, illud totum eò spectat, vt illas stirpitùs euellat, vt purgetur ager, quem spinosæ plantæ syluescere faciunt, & dedat incendio. Reliquæ plantæ, atque herbæ, quæ vsum habent humanæ necessitati, aut etiam voluptati gratum, & idoneum, tractantur manu, putantur, inferuntur, & mille ab agricolarum manibus accipiunt beneficia. At spinæ, quæ manum non oblectant, sed potiùs distringunt, & pungunt, ferratis tanguntur instrumentis, quibus auelluntur, aut resecantur, vt quàm procul sunt ab hominum vsu tam procul ab illorum oculis remoueantur. Atque ideo subditur,

*Spinis cur impij comparati.*

Vers. 7. *Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato.*] Si quis manu contrectare voluerit spinas, nempe vt euellat, aut à loco remoueat, seu etiam vt in ignem coniiciat, non facit hoc manu, sed ligone, aut falce, aut præferrato ligno ad hastæ similitudinem: aut etiam igne, qui exustis spinosis herbis, aut aculeatis fruticibus, quales sunt rubi, aut rhamni, agrum purgant vt minore cum labore colatur, & ne illæ infensæ, & vernaculæ pestes frugibus incommodent. Id certè ex rustica disciplina fieri debere docent, qui ea de re præcepta tradiderunt. Sic sanè Virg. lib. 1. Georg.

*—Segeti prætendere sepem,*
*Insidias auibus moliri, incendere vepres.*

Et hoc arbitror hîc potiùs significari. Nam vbi Vulgatus habet. *vsque ad nihilum*, Hebr. est, בשבת *baſebeth.* id est, in sua sede, aut loco, quomodo transtulit Pagninus. Quasi dicat, eadem sede, ac loco, vbi natæ sunt, comburentur spinæ; quia videlicet nemo illas ibi tangere, aut è suo loco commouere audebit. Vulgatus *sedem* ibi pro radice posuit, quasi dicat, ad radices vsque comburet: id verò est ad nihilum redigi, vel nihil esse reliquum ab igne. Quod etiam dixisse videtur Iob c. 31. v. 12. de luxuria: *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Certè Tigurina pro sede, *stirpem* reddidit. Et hoc fortasse indicat illud Psal. 117. *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Spinæ porrò perditorum hominum, & profligatæ vitæ symbolum sunt. Sic sanè Bernardus serm. 48. in Cant. super illud, *Sicut lilium inter spinas. Spina*, inquit, *culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. O candens lilium, ô tener, & delicate flos, increduli, & subuersores sunt tecum: vide quomodo cautè ambulas inter spinas.* Idem Gregorius lib. 20. Moral. c. 9. explicans illud Iob c. 30. *Radix iuniperorum erat cibus eorum.* Sanè Michæas cap. 7. v. 4. similes aculeatis plantis peccatores esse dicit. *Qui optimus in eis, est quasi paliurus & qui rectus, quasi spina de sepe.*

*Spinæ, perditorum & profligatorũ symbolum.*

Quod autem his verbis complexus est Propheta Psaltes, idem videtur in ipso Psalterij exordio proposuisse: nam Psal. 1. statum bonorum, ac malorum expressit, idque similitudine ad vtrumque statum accommodata; & in secundo satis explicatè locutus est de Christo, dum Gentium in illum fremitus, & coniurationem describit.

Est itaque hæc summa quædam eorum, quæ in Psalterio toto fusiùs multis in locis digesta sunt, quæ licèt Psalmo omnium extremo sint ab

historico subscripta, suum tamen locum habitura videntur in principio. Sic enim videtur exigere, & ars ipsa, quæ iubet docilitatis gratiâ causam totam, seu orationis, atque poescôs argumentum in exordio proponi; quod etiam probant tam in sacra literatura plurimorum exempla. Quocirca si quispiam ista Psalterij præponeret exordio, rem faceret omninò, nisi fallor, non alienam ab instituto, & more illorum, qui sacram, aut profanam poesim ediderunt. Quod fecit in Prouerbiis Salomon, vbi & auctoris nomen, & notas, & operis totius argumentum latè proposuit. *Parabolæ*, inquit, *Salomonis filij Dauid, Regis Israel.* En auctoris nomen. Materiam accipe. *Ad sciendam sapientiam, & disciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam, & iudicium, & æquitatem vt detur paruulis astutia, adolescentiæ scientia, & intellectus.*

*Psalterij totius optimum exordium.*

27. Vers. 8. *Hæc nomina fortium Dauid.*] Sicut prior capitis à capite præcedenti, imò & à toto libro separata est; neque enim habemus cui ex superioribus capitibus possit attexi, si modò, quod putabamus non improbabile, Psalterij titulus est: sic etiam pars capitis posterior non habet aliquid certum suprà, cui possit commodè, & continenter adiungi. Ponitur ergo hic catalogus illorum, qui in Dauidis exercitu, aut societate, antequam Israelitici regni habenas acciperet, aliquid ediderunt illustre, propter quod nobile virorum fortium cognomentum consecuti sunt. Quorum aliqui terni in suis ordinibus constituuntur, quorum gesta, quia aliis Scripturæ locis consignata non sunt, non possunt tradi non obscurè, quia non est vnde ab interprete lucis aliquid assumi possit. Quare ex hac disputatione breui, vt opinor, emergemus.

28. *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres.*] Hic locus nonnihil nobis exhibebit negotij, neque enim habemus ex Scriptura quis sit hic princeps inter tres; id est, inter omnes, nam tres isti aliis omnibus dicuntur esse prælati. Et primùm contra quàm nonnulli existimarunt, non est iste Dauid; tum quia cum alia plurima gesta fuerint à Dauide, non videbantur sic esse hoc loco prætermittenda, vt nullum illorum audiremus. Deinde, quia codices à Sixto correcti post *Dauid* adhibent distinctionis notam; ita vt nomen illud potius ad superiora referatur in obliquo, quàm vt in recto ad illa quæ sequuntur. Et facit quod nomini *Dauid* nota præponitur datiui casus לדוד *le Dauid.* Quare sensus erit. Hæc fuerunt nomina fortium, qui fuerunt Dauidi. Sed est grauissima ratio, quia lib. 1. Paral. c. 11. v. 10. vbi virorú fortium nomina notantur, primus in primo ternario non ponitur Dauid, sed Iesbaam. Sic exposuit Hieronymus qui lib. 2. Reg. reddidit, *sedẽs in cathedra*, vbi videtur pro nomine proprio illius significationem adhibuisse. Obscurum est, & omninò difficile causam inuenire, cur hic, qui omnium in fortitudine, ac sapientia numeratur primus, & princeps appellatur, duo hæc habuerit nomina; & vno loco dicatur *sapientissimus*, in altero *filius Hachamoni.* Hîc mihi diuinandum est, faxit Deus ne abs re.

*Sedens in cathedra non est Dauid.*

27. REGVLA. *Plurima in Scripturæ paranomasia.*

Et primùm obserua apud Hebræos alluſiones esse plurimas, & paranomasias ad propria nomina & ab illis modico flexu desumi, atque formari cõmunia: quomodo Nabal cum alluſione ad proprium nomẽ vocatur *stultus* lib. 1. Reg. c. 25. & Ierem. c. 20. *Phassur* cum alluſione ad nomen illud vocatus est *Pauor vndique.* Sic Noemi Ruth cap. 1. cum alluſione ad nomen Hebraicum, quod tunc audiebat, negat se esse Noemi, id est, pulchram. Erat Iesbaam, vt apparet, filius Hachamoni, quod nomen sapientem sonat, & tres primæ literæ radicales nominis ישבעם *Iesbaam*, sedere, vel sedentem significant, &, vt interpretatur Hieronymus in traditionibus ad c. 11. lib. 1. Paralip. idem valet atque *sedens in populo*, quod perinde est atque sedens in tribunali, & cathedra. Cùm ergo vulgus hominum filium videret vocari Hachamoni, filium appellauit sapienits; quod iuxta Hebræorum idioma idem est atque homo sapiens: cúmque sapiens in cathedra sedere soleat, & nomen ipsum proprium sedere, aut aliquid, quod sessionem indicat, importet, illum appellauit sapientem, & sedentem in cathedra. Quare *sedens in cathedra sapientissimus*, idem est, quod, *Iesbaam filius Hachamoni.* Ita videntur duo hæc loca posse non difficilè componi. Hæc mea coniectura est; si quis meliorem aliquam attulerit, aut magis idòneam explicationem, gratus accipiam. Certè hoc nomen esse proprium docent translationes quædam. Septuaginta vertunt Iebasthæ Chananæum, Iosephus lib. 7. cap. 10. Issenum, vel Eusebium.

Sunt, vt dixi, qui hæc verba de Dauide expo- 30.
nant. Ita Hebræi, vt docet Hieronymus in traditionibus in lib. 1. Paralip. & Chaldæus, item Lyra & Dionysius, & videtur hanc sententiam Abulensis probare q. 7. licèt aliud statuat q. 9. Oppositum tenent quidam ex Hebræis, & Iosephus lib. 7. cap. 10. licèt ibi nomen Hebraicum aliter conuertat Eusebium, vel, vt habet altera translatio, Issenum filium Achimæi, Hugo, Vatablus, Caietanus, Glossa, & hoc, vt dixi, probabilius est, & docet apertè Septuaginta translatio, quæ virum hunc dicit esse à Dauide diuersum. Laudatur porrò hic à sapientia, quam paterni nominis indicat notatio, quia in duce, qualis hic videtur fuisse, magis est necessaria prudentia, quæ commissas sibi moderatur acies, & in omnibus vtiliter pugnat quàm robur, quod non tam ducis, quàm gregarij militis commendatio est. Iuxta illud prouerb. 6. *Melior est sapientia, quàm vires.* Hic porrò inter tres primos princeps esse dicitur, atque adeo inter omnes, quorum hic texitur catalogus, quia etiam hi tres, qui in prima robustorum classe statuuntur, Principes omnium iudicati sunt.

Sunt qui illud *sedens in cathedra*, ad Dauidem 31.
referant, neque tamen de illo capiant id, quod proximè sequitur, sed de alio quodam, cuius silent nomen. Tigurina, *Hæc sunt nomina Heroum, quos habuit Dauid, cùm sederet in solio sapientiæ.* Alij nomen proprium adhibent illius, qui fortium vocatur princeps, aliud tamen à Iesbaam, nempe *Adino Esnita*, pro quo Vulgatus reddidit, *tenerrimus ligni vermiculus.* Ita Sãctes Pagninus, & Caietanus Septuaginta vocant, *Adinon Assonæum.* Sed ista non benè cum hoc loco, neque cum c. 11. lib. 1. Paralip. conueniunt.

*Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui in-* 32.
*terfecit octingentos impetu vno.*] Hîc apparet Iesbaam, aut, vt aliqui arbitrantur, sapientia Dauidis, qui prudenter, & rectè sic instruxit, & ordinauit acies, aut sic ipse scienter, & callidè aggressus est inimicorum castra, vt prius tantus hostium ceciderit numerus, quàm se ab aduersario oppugnari sentirent. Huc enim spectare arbitror cõparationẽ à vermiculo sumptã, qui sẽsim corro-

*Optimi ducis maxima commendatio.*

dit

dit lignum, eóque adigit tacito, atque latenti morsu, vt lignum, licèt magnæ firmitatis, ac molis, exedat tamen, terebret, & corrumpat. Sic etiam Ieſbaam cum ſua mollitudine, atque ſilentio nihil videretur eſſe perfecturus, magnam tamen inopinatò edidit inimicorum ſtragem. Ita exponit Rabanus. Vbi Vulgatus, *tenerrimus ligni vermiculus*, Hebr. eſt עדינו *Adino*, quod molle aliquid, tenerum, & delicatum ſignificat; cúmque in ligno aliqua reperiantur delicata, ac mollia, nempe nouelli rami, qui nondum obduruerunt, neque aſſumpſerunt à tempore aliquid firmitatis; item vermiculus, qui in ligno latet, ſicut in veſtimento tinea, qui teredo vocatur in hanc ſecundam ſententiam expoſuit Vulgatus, commodiſſimo ſenſu eo nempe, quem proximè produximus. Qui ſanè nobis probandus, & primo ſtatuendus eſt loco. Sed eſt etiam ſenſus non alienus, ſi tenerum illud & molle aliquid eſſe dicas, quod è trunco proximè, aut ex ſtirpe pullulat. Tunc verò rarum aliquid, & prodigio ſimile narratur. Nam occidere octingentos prædura, craſſáque vacerra, ac pertica, quæ armatum galea caput frangat, & excerebret, non ita mirabile: at ſi hæc præſtet nouellum aliquod, & tenerum germen, quod vim habet nullam tumoris, ac vulneris, id multum habet admirationis. Talis videri poteſt princeps iſte robuſtorum, qui cùm eſſet aut inſtar vermiculi, qui à ligno gignitur, aut inſtar termitis, qui vim habet nullam, aut impetum ad feriendum; ſternere tamen potuit impetu vno non minus octingentis.

33. Alij, vt diximus pro *ligni vermiculo*, Adino Eſnita, quem patrem eſſe putant Ieſbaam, aut certè nomen eſſe proprium illius viri, qui primus omnium, & robuſtiſſimus exiſtimabatur. Chaldæus illud *tenerum*, & *delicatum* cum Dauide coniungit; neque quicquam hîc de vermiculo, ac ligno. Quod etiam facit Hiſpanica tranſlatio, quæ ſic reddit, *Dauid el aſentado en la cathedra, muy ſabio, cabeca de los tres caualleros, el era el deleytoſo excellente.*

34. *Qui interfecit octingentos impetu vno.*] Quando id acciderit, non conſtat. Quomodo ab vno homine tanta potuerit patrari cædes, niſi extra, ordinario aliquo ſubſidio Deus cœpta promoueat, non apparet. Scimus à Samſone penè inermi mille homines, illóſque neque inermes, neque infirmos interfectos eſſe. Scimus à Ionatha lib. 1. Reg. c. 14. multorum hominum editam ſtragem. Sed ſcimus in Samſonem ſpiritum irruiſſe Domini, Iud. cap. 15. v. 14. & Ionatham auſpice, ducente, & adiuuante Deo, rem totam peregiſſe. Sic fortaſſe iſte Ieſbaam ſpiritu inſtinctus diuino aggreſſus eſt hoſtes, quos vna expeditione, atque impetu proſtrauit. Neque tamen ille ideo fortis non fuit; magni enim eſt roboris, & audacis animi hoſtium & multorum numero, & præſtantium robore congreſſum non timere: neque Samſoni aut Ionathæ, dum aliquid tentarunt ſupra humanarum virium facultatem, diuinus vel inſtinctus, vel fauor fortitudinis nomen, & gloriam ademit.

35. Si Ieſbaam iſte cohortis alicuius, aut legionis dux fuit, non eſt cur tantum illi tribuatur laudis, quòd octingentos vno extinxerit impetu, quia id quiuis faceret è populo, modò cohors illa ex ſtrenuo, ac veterano milite conſtaret; quanquam non vulgaris ſapientiæ eſt à qua hic in præſentia laudatur, rem ita moderari, vt ſine vllo ſuorum detrimento tantam hoſtium multitudinem tam breui, faciléque confecerit. Sed credo illum ſolum, & ab aliorum omninò comitatu nudum rem illã & tentaſſe audacter, & perfeciſſe feliciter. Et ideo ille tantopere laudatur à ſapientia in re videlicet militari quæ facit, vt qui infirmus eſt, fortis appareat, & vnus multorum hominum vires obtineat. Illam enim occaſionem captare potuit homo ſtrenuus, & ſolers, vt octingenti vix inſtar habeant vnius, vt ſi benè potì, ac paſti ſomno iaceant, vinóque ſepulti; ſi in loco ſint anguſto, depreſſóque concluſi, qui facilè vrgeri poſſint, & opprimi ex ſuperiori loco. Sic videmus in opportuno rerum articulo à pauciſſimis plurimos eſſe ſuperatos. Et ex eo quod ex hiſtoriis obſeruarat Maro, à duobus fingit interfectos eſſe plurimos, qui onerati cibo, ac potu, profundo fuerant ſomno ſoporati l. 9. Æneidos.

Sed occurrit hîc impeditus nodus, quẽ diſſoluere non eſt leue negotium. Nam qui hîc occidiſſe dicitur octingentos, lib. 1. Paral. c. 11. tantùm narratur occidiſſe tercentos. Immò Ioſephus illius manu in eo congreſſu nongentos tradit cecidiſſe. Quid Ioſephus dixerit, non laboro, quia ipſius fides interdum vehementer laborat. Sed quod à l. 1. Paral. nobis opponitur, non ita faciles habet explicatus. Sic enim ibi de Ieſbaam c. 11. v. 11. *Iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.* Propter hunc locum quidam exiſtimant non eundem eſſe illum, de quo in hoc l. 2. Reg. & illum de quo in l. 1. Par. Quod mihi nunquam probari potuit, tum quia in Hebraico nomine magna eſt vtrobique ſimilitudo, vt iam antea diximus; tum quia tam qui hîc, quàm qui illic poſitus eſt in primo ternario, princeps eſſe dicitur. Ego duas hîc inuenio vias aut conciliandi vtriuſque loci, aut difficultatis exoluendæ. Altera eſt vtrumque præſtitiſſe, non tamen eodem loco, ac tempore Ieſbaam, & occidiſſe aliquando octingentos impetu vno, & alio tempore tercentos vna vice. Illud prius, quia maioris erat bellicæ virtutis argumentum, collatum eſt in libros Regum, in quibus illuſtria magis, atque præcipua conſignantur: poſterius autem ſcriptum eſt in libris tantùm Paralipomenôn, qui, vt nomen ipſum præ ſe fert, & in hoc ipſo capite conſtabit, illa præcipuè refert, quæ in libris Regum prætermiſſa ſunt. Ita Abul. in hunc locum Paral. q. 11. Cur verò illa prætermiſſa fuerint, illa videtur eſſe cauſa, quia cùm ibi ſacer hiſtoricus commendare voluerit illius tanti viri fortitudinem, cum ab illo traderet occiſos octingentos, non putabat fore neceſſarium, quicquam addere de minore interfectorum ſumma.

36.

Vel certè in vtroque loco eandem eſſe deſcriptam ſtragem, & idem omninò eſſe ſignificatum, non tamen eodem numero, atque figura verborum. Notum eſt, magnam aliquam multitudinem, atque indefinitam diſparibus admodum numeris ſignificari. Sic dicimus, *millies audiui, centies, decies, ſepties.* Quanta ſit inter hos numeros differentia, quis non videt? at eſt eadem omninò ſignificatio; nihil enim iſti dicendi modi aliud ſibi volunt, quàm ſæpe aliquid, & vſque ad nauſeam ab aliquo fuiſſe narratum. Illud fortaſſe vtroque loco ſignificatum eſt; magnam hominum multitudinẽ ab illo robuſtorum principe fuiſſe ſublatam, in altero octonario numero, qui perfectus eſt, in altero ternario, qui etiam multitudinem, & frequẽtiam indicat, ſignificatur. Vtraque ratio videtur non inepta, minùs mihi diſplicet prior.

37.

Libet hîc ad extremum adiicere id, quod de hoc

38.

hoc ipso vero omnium fortissimum tradunt Hebræi, vt in eorum traditionibus in lib. Paralip. refert Hieronymus non vt probem, quia iam à meipso suprà improbatum est, sed ne quod aliis placuit, neglexisse videar. *Iesbaam filius Hachmoni, Princeps inter triginta* ישבעם *Iesbaam interpretatur sedens in populo: filius Hachmoni, id est, sapientissimus, ipse est Dauid. Hoc est, quod in Reg. scribitur. Sedet in cathedra sapientissimus: & minuitur de sapientia, quasi vermiculus ligni tenerrimus, propter peccatum, quod commisit in Vriam. Et cùm in Regum volumine dicat octingentos illum vno impetu interfeciſſe propter ipsum peccatum in Paralipomenon hic dicit trecentos eum interfeciſſe. Vnde & in Regum scribitur, vno impetu.* Hæc Hieronymus ex Hebræorum sententia, qui multa dicunt, quæ leuia sunt, neque vllum habent in Scriptura fundamentum probabile.

39. Antequam ad enumerandos Heroes hosce viros descendamus, qui in Dauidis exercitu bellica gloria floruerunt, obseruo hos omnes, qui, vt ex versu 39. constat, numero fuerunt 37. in tres esse classes distributos pro singulorum meritis. Prima & secunda classis ternis constant, in tertia enumerantur reliqui vsque ad 37. qui ad vnum pertinent ordinem, licèt illi, qui meritis aliis superiores sunt, in numerando priorem in suis ordinibus locum obtineant. In primo itaque ternario fuerunt tres; de illorum primo satis à nobis dictum est, nunc de secundo.

40. Vers. 9. *Et post hunc Eleazar filius patrui eius Ahohites, inter tres fortes.*] De hoc, quod ego viderim, nihil habemus ex Scriptura sacra, ex quo aliquid commentatio nostra lucis accipiat. Vbi Vulgatus, *patrui eius.* Hebr. est דודו *dodo.* quod nomen proprium esse potest, & commune. Ego proprium esse non nego; neque enim aliquis patrui sui filius esse potest: eò tamen magis propendet animus, vt putem reuera filium esse patrui sui, nō tamen verum, & proprium, sed adoptiuum, aut legalem; quia videlicet patruus ille fuit, cuius semen excitauit verus Eleazari pater, qui huius reuera pater fuit, quia ab illo genitus, fratri tamē mortuo ascriptus, ne illius periret nomen. Quod cauetur Deut. cap. 25. v. 5. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* Erat itaque è duobus fratribus naturalis filius fratris viui, id est, parentis sui, legalis verò fratris mortui, id est, patrui. In hunc ego sensum accipio hunc locum, ne discedam à translatione vulgata. Alij fermè omnes illud דודו *dodo* nomen esse proprium arbitrantur, quod etiā indicant Septuaginta, qui nomen retinent *Dudi*, cùm tamen priùs patrui sui appellassent filium. Tenet apertè Iosephus. Quorum ego non improbo sententiam; probo tamen priorem, quia & ipsa difficilis non est, & magis cum vulgata translatione consentit.

41. *Quando exprobrauerunt Philistini, & congregati sunt illuc in prælium.*] Quando hæc acciderint, neque diuinare quidem possum, quia huius rei in nullo præliorum, quæ aduersùs Philistæos gesta sunt à Dauide, vestigium inuenio. In lib. 1. Paralip. c. 11. v. 13. nomen additur loci, qui appellatur *Phesdomin*; & dicitur ibi ager regionis esse plenus hordei, maturi videlicet ad messem, vbi indicatur tempus, sicut etiam notatus fuerat locus. Sed nobis, qui illorum præliorum obscuram habemus cognitionem, quia minuta quædam, & leuia nonnunquā sacer prætermittit historicus, videtur aliquod fuisse illorum præliorum, quæ suprà cap. 21. commemorantur. Fuerunt autem quatuor, in quorum vltimo credo contigisse hoc Eleazari factum egregium. Quod ideo mihi persuadeo, quia in eo quarto bello exprobrasse dicuntur Philistini, nempe Dei populo, & ipsi etiam Deo. Sic enim illo cap. 21. v. 21. de viro giganteæ molis, *Et blasphemauit Israel.* In quibus quatuor bellis cùm multa acciderint præclara, vt verisimile est, nihil tamen ibi legimus aliud quàm totidem gigantes ibi seruorum Dauidis manibus cecidisse.

42. Vers. 10. *Cúmque ascendissent viri Israel, ipse stetit, & percussit Philistæos, donec deficeret manus eius, & obrigesceret cum gladio.*] *Ascendere* hoc loco idem esse puto quod *fugere.* Quod satis indicatur lib. 1. Paralip. vbi v. 13. legimus, *Fugerátque populus à facie Philistinorum.* Fuit autem opus plane admirabile, conuersum esse in fugam vincentium exercitum, quem populus tantus sustinere non poterat, & eodem tempore fractos fuisse animos inimicorum, & confirmatos illos, quibus iam videbantur & fractæ vires, & spiritus abiecti: nam statim dicitur reuocatos fuisse à fuga eos, qui in fuga salutis sibi præsidium collocarant, & spolia cepisse ex debellato, ac fuso inimicorum exercitu.

43. Sed hîc obseruandum, non stetisse hunc Eleazarum solum in acie, & hostiles sustinuisse, atque fugasse acies. Nam cùm illo stetit etiam aut Iesbaam, qui in hoc ternario numeratur primus, aut, quòd potiùs reor, Semma, de quo statim. Quod apertè colligitur ex lib. 1. Paralip. cap. 11. nam cùm dixisset bellum illud, in quo mira apparuit Eleazari fortitudo, commissum fuisse in agro, statim additur, *Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum. Cúmque percussissent Philistæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo.* Et quidem si hoc tantum facinus, solus edidisset Eleazar, non erat cur illi præponeretur Iesbaam, cùm factum istud egregium multo fuerit superiore præclarius.

44. *Donec deficeret manus eius, & obrigesceret cum gladio.*] Experimur quotidie ex magno aliquo, longóque labore obrigescere manus, atque ita stupere, & contrahi, vt nec laxari possint nerui, aut explicari digiti. Vatablus hîc spasmum agnoscit, alij lassitudinem. Iosephus lib. 7. cap. 10. aliquid affirmat satis, opinor, alienum à rerum natura: ait enim congressum esse Eleazarum cum hostibus, & ex illis eam occidisse multitudinem, vt illorum sanguine manus adglutinaretur gladio. Scio textum Hebraicum, & Septuaginta translationem, & recentiores alias dicere capulo adhæsisse manum; hoc tamen fecit aut spasmus, aut stupor, qui contractos digitos cum capulo constrinxit; non sanguis, cuius ea vis non est, vt manum imbutam alieno cruore diuerso corpori adglutinare queat.

45. Vers. 11. *Et post hunc Semma filius Age.*] Idem penè, quod Eleazar præstitit in agro hordei pleno, fecit Semma in agro pleno lentis. Ille tamen ideo fortasse priori loco ponitur, quia aut plures inimicos occidit, aut plurium sustinuit impetum, aut rem peregit breuiter magis, & alacriter, aut aliquid tandem in eius victoria obseruatum est, quod hominē maiori nobilitauit

tauit gloria. Hic in lib. 1. Paralip. omissus est, nisi dicamus hunc simul cum Eleazaro stetisse in agro, & Palæstinos hostes & graui affecisse plaga, & in fugam denique conuertisse. Cui cogitationi fauet, quod vterque rem gessisse dicitur in agro pleno, alter hordeo, alter lente. In hoc, aut illo semine non multùm moror, quia vtroque semine ager ille satus esse potuit, aut ex vtroque in aream comportata messis, vt docent Caietanus, & Hugo, & Vatablus ad hunc locum Paralipomenôn. Neque sine causa dicitur in lib. Paralip. in numero multitudinis, *Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum.* Et facit ad hoc quod Semma defendisse quoque traditur agrum lente plenum. Et in hanc ego cogitationem maximè propendeo, quam tenent Lyra, Hugo. Neque in ea video aliquid esse distortum.

46. Vers. 12. *Stetit ille in medio agri, & tuitus est eũ.*] Hoc est, quod suprà dicebamus, cùm sermo esset de Semma, qui ad defendendum agrum simul stetit cum Eleazaro. Veniebant sæpè vicini hostes ad aliorum fines, & illorum sternebant, & populabantur agros, siue conculcando illos, cùm seges esset in herba, aut quando iam esset matura falci ignem iniiciendo, quem concipiebat facilè arida materies. Sanè id fecerunt olim Madianitæ infensi vehementer Hebræorum nomini, Iudic. cap. 6. v. 4. *Qui apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant, vsque ad introitum Gazæ, nihilque omninò ad vitam pertinens relinquebant in Israel.* Cùm ergo fugæ se dedissent Israelitæ, neque haberent Palæstini in quos antiquum, & penè naturale odium euomerent, in illorum agrum lentis, & hordei plenum conuerterunt impetum, siue incendendo aridam materiam, siue virentem adhuc conculcando. Tunc autem sese duo maximi Israelitici generis Heroes opposuerunt vsque adeò felici conatu, vt concidirent exultantes hostes, & populo à fuga reuocato spoliandos tradiderint.

47. Vers. 13. *Nec non & antè descenderant tres, qui erant principes inter triginta.*] Hîc dubitant interpretes; quinam hi tres fuerint, qui ex cisterna Bethlehem aquam attulerunt; & quidam illos tres esse putant, quorum proximè nomen audiuimus. Ita tenet Iosephus lib. 1. cap. 10. Vatablus, & Mariana. Et fauet quod illuc *descenderant*, non benè conuenit in eos, qui sequuntur, quia tempus est plusquam perfectum; optimè verò in illos, qui præcessere proximè. Quasi dicas, ante illa præclara, & verè heroica facinora, quæ illorum trium quilibet seorsum patrauit iam omnes simul aliud gessisse planè mirabile, cùm per media inimicorum castra aditum sibi aperuerunt ad cisternam Bethlehem, vt inde ad Regis votum aquam haurirent.

48. Veruntamen alij frequentes præclarum hoc opus tribus, qui statim succedunt, attribuunt. Abulensis, Caietanus, Hugo, Historia Scholastica, & ita etiam opinantur Hebræi, vt in eorum traditionibus refert ad hoc caput Hieronymus. Neque illud, *descenderant*, quicquam incommodat communi sententiæ. Aut enim quæ tres superiores fecerũt, in posteriori bello contigere, ex illis duobus, quæ gessit Dauid contra Philistæos cap. 5. aut in quatuor aliis, de quibus proximè cap. 2. & quæ tres isti, priori; in quo Dauid descendisse traditur in præsidium, id est, in speluncam Odolam. Quando ergo alij virtutis suæ ediderunt documenta præclara, iam isti ex cisterna aquam ad

A Dauidem attulerant. Aut certè, quia sicut præteritum perfectum sæpe pro plusquam perfecto ponitur, sic etiam plusquam perfectum non rarò pro perfecto sumitur. Cuius ea est ratio, quia in Hæbræo pro vtroque tempore vna tantùm terminatio est. Neque est improbabile istos tres esse de illorum numero, qui lib. 1. cap. 22. venerunt ad Dauid, cùm esset in spelunca Odollam, quo tempore fugiebat Saulem; & de illo tempore hunc esse sermonem. Quasi dicat, illos, qui ad Dauidis votum aquam attulerunt è cisterna, iam antè cum illo, cùm res esset angustior; simul vixisse. Porrò quatuor centum homines eo tempore conuenisse ad Dauidem, & eidem fidelem operam præstitisse, constat ex lib. 1. cap. 22.
B è quorum numero fuit Abisai vnus eorum, qui ad cisternam Bethlehem per media inimicorum castra penetrarunt. Sed de hac re statim pluribus, vbi hæc posteriora minùs probabuntur.

Hi porrò inter triginta dicuntur esse princi- 49.
pes, non quia illi ex illo fuerint tricenario numero, sed quia illis triginta viris fuerunt fortiores. Vt enim ad trium priorum gradum non ascenderunt; sic neque æquales habuerunt sibi triginta alios, qui deinde numerantur. Neque illud *inter*, quod tres illos viros in tricenario numero includere videtur, admodum incommodat; notum est enim particulam מן *min*, seu literam מ *mem* pro qua Vulgatus hoc loco *inter* suppositit, &
C lib. 1. Paralip. cap. 11. *de*, excelsum significare tam in comparatiuo, quàm in superlatiuo gradu. Quare vbi hæc reperitur particula, non necesse est, vt qui excedit, eodem includatur numero, atque ordine, quo alij, quibus præstat: idem enim valet quod *præ*, quod noster interpres aliquando reddit, *de, præ, a, ab, ex*, sicut etiam nunc *inter*. Exemplorum satis est in Scriptura; pauca ex multis accipe. Oseæ cap. 10. *Ex diebus Gabaa peccauit Israel.* id est, grauius, quàm peccarunt Gabaitæ; *dies* enim eo loco ponitur pro peccatis, quæ diebus illis patrata sunt in Gabaa. Vide quæ nos ad illum locum. & Ezech. cap. 16. v. 52. *Vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratius agens ab eis.* id est, præ
D eis. Psal. 137. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* id est, supra quàm ego illam assequi perscrutando queam. Iuxta hæc illud *inter triginta*, aut, vt habemus in Paral. *de triginta*, pro quo Hebraicè est מהשלשים *mehaseloſim*, sic explico, *præ triginta*, id est, fortiores sunt illis triginta, qui statim numerantur.

REGVLA. De, præ, a. ab, ex, comparationem significat. Dies pro peccatis.

Sed antequam hinc emergo, obseruo post hos 50.
tres viros in hoc capite numerari triginta vnum, & in lib. Paralip. multo plures. Sed nihil est incommodi; nam Scripturæ mos est, vt minores, & imperfecti numeri ex numero perfecto, ac pleno succidantur. Quomodo cap. 2. suprà v. 11. Dauid regnasse dicitur in He-
E bron septem annos, & menses sex; & tamen lib. 3. cap. 2. v. 11. decisis ex eo numero sex mensibus, septem amos regnasse traditur. Quòd plures in Paralipomenôn numerentur, ea ratio est, quæ nobis sæpiùs erit adducenda necessariò, quia in eo libro, vt nomen ipsum præ se fert, illa adduntur, quæ in libris Regum videbantur omissa. fuerunt quidem viri triginta fortissimi, quorum in hoc libro nomina legimus: sed fuerunt etiam plures alij, virtute, réque militari præstantes, quorum nomina in illius

temporis annales relata fuerant,qui cùm priùs in historia Regum forent omissi, in librum postea Paralipomenôn relati sunt.

51. Vers. 13. *Et venerant tempore messis ad Dauid in spelunca Odollam, & castra Philistinorum erant posita in valle Gigantum.* ] Quódnam fuerit hoc bellum, incertum est, cùm tantùm illius in Scriptura sacra nomen occurrat, cùm virorum fortium texitur catalogus. Quis locus fuerit, vbi hoc accidit trium virorum facinus egregium, obscurum est. Constat lib.1. Reg. cap.22. Dauidem in spelunca Odollam aliquandiu fuisse commoratum. Quòd verò hoc tempore in illa spelunca nó fuerit, satis videtur esse verisimile. Neque enim locus, vbi erat spelunca accommodatus erat ad explicandas acies;neque tunc eo in statu erat Dauid,vt speluncam eligeret illam,quę non tam erat apta fortium virorum statio,quàm miserorum,& fugitiuorum diuerticulum. Ita putat Abulensis q.15.& apertè Iosephus lib.7.c.10.qui dicit, quo tempore accidit, quod hîc audimus de cisterna Bethlehem,Dauidem fuisse Hierosolymæ.

52. Veruntamen plerique eò inclinant, vt putent ad speluncam Odollam tunc temporis constitisse Dauidem, & inde per medios hostes à tribus viris ferro apertam esse viam ad cisternam Bethlehem. Et quidem textus in aliam explicationem nisi admodum inuitus trahi non potest. In quam sententiam ideo magis inclino, quia non videtur Odollam à valle Gigantum separari posse, quæ vallis etiam vocatur Raphaim, vt habes lib.1.Paralip.c.11. Quo loco,vt ex c.5. liquet,Dauid duo cum Palæstinis commisit secunda bella; quæ deinceps, quia ibi fugati sunt, atque dispersi Palæstini,ab euentu appellari cœpit Baal-pharasim.Ibi autem auditur præsidij nomen, sicut etiam tam hoc loco,quàm lib.1.Paralip.*Et Dauid erat in præsidio.* Sicut etiam lib.2.Reg.c.5. v.17. vbi Dauid descendisse dicitur in præsidium, cùm Philistini essent diffusi in valle Raphaim. Porrò speluncam Odollam vocatam esse præsidium,habemus ex l.1. Reg.c.22.vbi v.4.& 5. Spelunca Odollam per antonomasiam,opinor,appellatur præsidium. *Dixitque Gad Propheta ad Dauid* ( cùm esset in spelunca Odollam)*noli manere in præsidio,proficiscere, & vade in terram Iuda.*

*Spelunca Odollam pro præsidio.*

53. Ex his ego coniectare posse videor, hoc bellum,in quo aquam ex cisterna Bethlehem desiderasse dicitur Dauid,fuisse primum, quod cum Palæstinis iniit Dauid,cùm primùm Iebusæis abstulit Hierosolymam,& in ea constructo arcem Sion quam ex suo nomine ciuitatem appellauit Dauidis.Tunc enim diffusi sunt Palæstini in valle Raphaim, quibus egressus è Hierosolyma occurrit Dauid,& vtpote magis opportunum locum, elegit stationem,quę vulgò *præsidium* dicebatur lib.1. Reg.c.5.v.17.*Ascenderũt vniuersi Philistim,vt quærerent Dauid; quod cùm audiisset Dauid, descendit in præsidium; Philistiim autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim.* Vide quid nos supra ad illum locum.

54. Cur vallis illa vocata fuerit Baal-pharasim, iam proximè diximus, quia nempe fugati, atque dispersi fuere Palæstini. Cur verò priùs appellata fuerit vallis Gigantum Latinè,&, quod idem est, Hebraicè vallis Raphaim, nihil dici potest nisi diuinando. Fortasse ibi aut perierunt,aut aliquid egerunt egregium viri fortes, qui etiam dicuntur Gigantes,vel Raphaim;quomodo lib.2. Reg.c.2. v.16.locus ille, vbi duodecim ex parte Dauid, vt multi putant, & totidem ex parte Isboseth congressi perierunt, appellatus est ager robustorum. Sed huius aut belli, aut nominis nullum ex Scriptura sacra vestigium habemus.

Vers. 14. *Porrò statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem.* ]Sicut tempore Saulis quædam erat Palæstinorum statio in Gabaa, donec illam Ionathas,postquam ibi diu inueterarat,expulit,de qua nos pluribus lib.1.Reg.cap. 13.v.3. Sic puto Philistinos stationem habuisse in Bethlehem, id est, statiua castra,aut præsidiarios milites, qui subiectum populum in fide,atque officio continerent. Vide quæ nos suprà de statione Philistinorum in Gabaa,& eadem in hunc transcribe locum, quia non minus hîc sunt,quàm illic opportuna.Ex quo etiam disce Bethlehem tunc temporis esse in Palæstinorum potestate;ab eo fortasse tempore,quo in montibus Gelboe cecidit Saul, & fortes Israel. Neque ab eo tempore licuit Dauidi patriam suam à Palæstinorum dominatu vindicare, cùm nondum esset omninò regni compos, & domesticis adhuc implicaretur bellis.Quare cùm aquam desiderabat è cisterna Bethlehem, id scilicet optabat, vt sibi cisternæ illius commoditate,quasi pacifico domino liceret frui. Quæ cogitatio mihi valde probatur. 55. *Bethlehem aliquando in Philistinorum potestate.*

Vers. 15. *Desiderauit ergo Dauid, & ait:O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehẽ iuxta portam.* ] Spectabat,credo,Dauid natale solũ ex præsidio, quod erat ad speluncam Odollam; quod situm erat iuxta speluncam, si quid erat ibi manu factum,quod speluncæ, id est, comparato ab ipsa natura præsidio,aliquid afferret firmitatis & commodi. Cúmque meminisset in porta ciuitatis, in qua de more Gentis Israelitidis maximum esse solet vrbium munimentum, & quam tunc obtinebat Philisthinorum statio, cisternam esse, ex qua ipse diu, ac sæpè biberat adolescens, desiderio tum patriæ, quam videbat occupatam ab hoste, tum aquæ,cuius tunc aut laborabat inopia,aut suauitate capiebatur, dixit: *O si quis mihi daret*,&c.Hîc nobis,quando locus iste celebris est, & ab aliis sæpè variéque versatus, explorandum est,quid hîc tantopere desiderauerit Dauid,quam sitim hæc verba præ se ferant. 56. *Quid sitiret Dauid ex cisterna Bethlehem.*

Neque hîc laboro, quid hoc loco somniarint Hebræi,qui vt aliquid dicãt populare, & ad plausum;nihil non audent,etiam Scripturæ sacræ cõtrarium. Illi enim dicunt, vt refert Abulensis q. 22. non misisse Dauid ad aquam illam fortes de præsidio, imò neque desiderasse aquam, sed misisse viros, qui sapientes consulerent, qui tunc erant in Bethlehem quorum nota tunc erat,& celebrata sapientia, & ab illis discerent, an Dauid comburere posset segetem Israelitarum, vt etiam cremaret,& perderet Philistinos,qui in illa latentes Hebræis securis, & incautis insidias instruerent.Et addunt responsum esse à sapiẽtibus Bethlehem, id salua religione fieri non posse. Hæc illorum cogitatio. At ratio melior, quæ illos in hanc sententiam adduxit. Audierant enim quod Semma agrum plenum lente, aut hordeo à Philistinorum manu defendisset. Neque magis placet quod ex Hebræorum sententia in traditionibus ad lib.1. Paralip. cap.11. refert Hieronymus, nempè non optasse Dauidem aquam de cisterna Bethlehem, sed voluisse experiri, ecquid esset in militibus audaciæ ac fidei ad præstandum si quid esset ad Regis votum, aut ex vsu reipublicæ; atque ideo postea libasse Domino aquam in gratiarum actionem, quod viros vsque adeò strenuos Israeli cõcesserit,Hæc ita sũt leuia, vt nulla 57. *Fabula Hebræorum de aqua à Dauide desiderata.*

vt nulla indigeant confutatione, cùm ſua ſe improbabilitate, ac leuitate iugulent.

58. Duæ ſunt explicationes aliæ, quæ plus habent fundamenti, ac fidei. Altera eſt communis, quę verè hic in Dauide aquæ ex ciſterna illa deſiderium agnoſcit; neminem nomino, ne omnes fermè nominem interpretes, & quotquot huius Dauidis ſitis, & trium virorum audaciæ meminerunt. Neque leue eſt argumentum, quia hoc ipſum intellexerunt tres illi viri, qui vt Regis voto ſatisfacerent, aquam per media Palæſtinorum caſtra, & mille ſequentia tela quæſierunt, hauſerúntque ex ciſterna, & ad ſuum denique Regem detulerunt. Adde quod nonnulli putant, in Dauide molle hoc fuiſſe, atque muliebre deſiderium; atque ideo Dauidi in verbo *deſiderauit*, genus datum eſſe fœmineum. Neque enim ibi eſt terminatio maſculina ויכל *vaiecah*, ſed fœminea ותכל *vatecal*. quaſi in hoc appetitu, qualis eſſe ſolet in prægnante fœmina, muliebre potius oſtenderit, quàm

59. virile pectus. Quale prorſus non eſſet, ſi in re vſque adeo periculoſa, & ardua experiri vellet ſuorum ad quemcumque conatum, robur, & audaciam. Ioſephus, à quo ſumpſerunt alij, hanc Dauidis ſitim in hunc modum exponit. *Dixit*, inquit, *ad ſuos Dauid, O quàm bonam aquam habemus in patria mea, maximè in ciſterna portæ vicina. Oſi quis eam mihi afferret, id certè mallem, quàm multum argenti accipere.* Hæc Ioſephus, qui in eo peccat, quod tunc Dauidem fuiſſe teſtatur Hieroſolymæ. Cui ex noſtris nonnulli ſubſcribunt. Quod planè verum non eſt, cùm id accidiſſe conſtet, vt paulò antè probauimus, ad ſpeluncam, ſeu præſidium Odollam. Rab. Dauid dicit habuiſſe Dauidem in caſtris aquam non puram, ac facilè poculentam, atque ideo aquam optaſſe meliorem ex ciſterna Bethlehem. Sed nimis delicatum Rabbinus iſte facit Dauidem, qui aquam appetat illimem, & dulcem, cùm alij limoſam bibant, & grauiter olentem, quaſi Dauid non eſſet, dum paſtoritiam vitam ageret, & dum ſyluas incoleret ab hominum conuictu profugus, aquis aſſuetus cœnoſis, & obuiis, maximè cum hoc prælium accideret ſub ipſa Iſraelitici dominatus exordia, quando vix libarat regiæ menſæ, fortunæque delicias.

REGVLA. *Quando viri aliquid faciũt molle genus illis fœmineum datur.*

60. Hæc ſententia plurimum valet patronorum auctoritate, & pondere: cui etiam fauet modus ipſe loquendi, qui ciſternam ſonat, & aquam Bethlemiticam, quæ etiamſi non eſſet aliis pluuialibus aquis purior, & ſuauior; eo tamen nomine Dauidi gratior eſſe potuit, quod illi è primis annis aſſueuiſſet, & quod in natali ſolo, quod mira indigenas afficit ſuauitate. Notum eſt, & prouerbiale ſtudium hominum, & amor in patriam, & quàm illa placeant, quibus à primis annis aſſueuimus; vt cœli temperies, in qua nati ſumus, & aura, quam ab incunabulis haurire cœpimus, plurimùm iuuant corporis valetudinem, quam interdum iam deficientem inſtaurant: ſic etiam alimenta, aut pocula, quæ à principio guſtauimus, licèt ſylueſtria, & ruſtica, & palatum mulcent, & ſtomachum firmant, & oblectant. Noui ego, qui cùm aquis abundaret mapimè ad ſalutem, & palatum, tamen è patrio fonte aquam ſibi iubebat afferri, quæ tamen ſic erat inſuauis, & craſſa, vt nemo illam, niſi extrema vrgeret ſitis, appeteret. Sic ergo reor in ciſterna Bethlehem nihilo meliores eſſe aquas, quàm quæ in aliis ciſternis è cœleſtibus pluuiis eſſet collecta; fecit tamen patriæ memoria, & naturalis amor, vt aqua, quæ ex patria ciſterna hauriretur, multo eſſet iucundior, multo magis ad ſtomachum.

*Amor patriæ magnus, & earũ rerum, quibus olim aſſueuimus.*

Nihilominus placet multo magis illa ſententia, quæ putat aliud hîc deſiderare Dauidem, ſignificatum in aqua, non aquam ex ciſterna Bethlehem; nempè liberare patriam, quam ab hoſtium præſidiaria cohorte occupari videbat. Quod debere ſe putabat patriæ, quæ illum primùm naſcentem vidit, & à qua habuit ſpiritum, quem ſuſceptus in lucem infans hauriret, & amori ſuo, quo illam proſequebatur ardenter, quaſi mollia tenellæ ætatis incunabula. Quæ mille habent ſuauitates, quæ mirè oblectant, & capiunt indigenarum animos, & officia plurima, quæ omnem curam, ac ſtudium à ciuibus non ſolùm exigunt; ſed etiam extorquent. Qua de re multa Gentiles, tu pauca accipe. De amore in patriam, & quàm ſuauiter capiat indigenarum animos, eſt illud Ouidij lib. 1. de Ponto eleg. 4.

61. *Dauid non tam aquæ ſitiebat, quã patriæ libertatem.*

*Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos*
*Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.*
*Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?*
*Huc tamen ex illa Barbarus vrbe fugit.*
*Cùm benè ſint clauſæ cauea Pandione natæ,*
*Nititur in ſyluas quæque redire ſuas.*
*Aſſuetus tauri ſaltus, aſſueta leones*
*Nec feritas illos impedit, antra petunt.*

Quantum quiſque è patriæ conſpectu, atque vſu, voluptatis capiat, docuit optimè Cicero lib. 1. de Oratore, Vlyſſis exemplo. *Noſtra*, inquit, *patria delectat, cuius rei tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponat.* Quantum verò patriæ debeat, docuit idem.

62. Hoc verò, meo iudicio, explicat modus ipſe dicendi; cùm enim aliquis aut degere ſignificatur in aliquo loco, aut ad illum aſpirat, hoc aliquando declaratur modo: Bibit aquas huius, vel illius fontis, aut fluminis; aut ex hoc, vel illo fonte, ac flumina potare deſiderat. Sic Maro lib. 7. Æneid, eos, qui regionem prope Fabarim, atque Tiberim incolunt, his verbis ſignificat:

*Qui Tiberim, Fabarimque bibunt.*

Et eclog. 1. eodem ſenſu dixit,

*Ante pererratis amborum finibus exul,*
*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim.*

Sic Ouid. epiſt. Medeæ, hoc modo Græci dicuntur veniſſe Colchos:

*Cur vnquam Colchi Magnetida vidimus Argon?*
*Turbaque Phaſiacam Graia bibiſtis aquam?*

Martialis in Amphitheatro epig. 3. de populis Orientalibus.

*Et qui prima bibit deprenſi flumina Nili,*
*Et quem ſupreme Tethyos vnda ferit.*

Sic ergo nunc deſiderat Dauid bibere de ciſterna Bethlehem, quia deſiderat, depulſis inde Palæſtinis, aut habitare ipſe tanquam in poſſeſſione propria ſine metu, atque interpellatore; aut certè efficere, vt cognati, & contribules ibi ſine vlla perturbatione, atque periculi ſuſpicione viuant. Hæc videtur regio animo digna cogitatio, qui piè dolet de patria ab inimicorum ſtatione poſſeſſa, & ſecum meditatur, quomodo illam ſuis, ſuóque populo liberè reſtituat. Porrò in aqua quæ ex aliquo fluuio, ſiue fonte portatur, aut terræ gleba ſignificari poſſeſſionem illius regionis vnde vtrumlibet horum ſumptum eſt: atque ideo aliquid horum à Regibus in via portari ſolitum, diximus in noſtris commentariis in Danielem. cap. 8. v. 2. n. 10.

63. Neque rationes, quæ contraria ſuadent, eiuſmodi ſunt, vt ab hac ſententia attentos animos abducant. Militum enim animi non ſunt adeò exculti, vt quæ dicuntur obſcuriùs, aut expendant, aut curent; ſed quicquid primùm acceperunt, confeſtim arripiunt: & quia ambitioſè à militari virtute gloriam captant, in omne ſe diſcrimen ſine vlla conſideratione coniiciunt. Sanè Perſius milites ſtupidos appellat, idque, vt reor, prouerbiali ſpecie, Satyra 3.

*Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum.*
*Dicat, quod ſapio, ſatis eſt mihi.*

Et Satyra 5. idem,

*Dixeris hæc inter varicoſos Centuriones,*
*Continuo craſſum ridet Pulfenius.*

Quòd verò hoc Dauidis deſiderium, quaſi aliquid eſſet non virile, & maſculæ virtutis, ſed muliebre, ac molle, per genus fœmineum ſignificatur, non nimis hanc ſententiam premit in oppoſitum. Nam omnes fermè, qui hoc dicendi genus attigerunt, aliquid hîc putant ſubintelligendum ad fœmineam illam terminationem accommodatum. Pagninus animam intelligit, & ex eo plures alij, idque ex ſententia etiam Hebræorum lib. 2. Inſtitutionum cap. 3.

64. Verſ. 16. *Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam.*] Vixdum audierant iſti viri Heroës Dauidis vocem, cùm ſeſe ad explendum Regis votum expediunt, parati quiduis agere, & pati, dummodò Regis ſatisfaciant deſiderio, & ſibi militarem gloriam captent. Neque quid Rex illa voce, ac ſiti ſignificauerit, aut quod eſſet Regis deſiderium, expendunt, aut rogant; ſed cæco prorſus impetu in manifeſtum ſe periculum coniiciunt. Cúmque non eſſet vlla via ab illo præſidio in Bethlehem, niſi per medias inimicorum acies, irrumpunt audacter per intenta tela, & ad ciſternam vſque integri perueniunt, duobus perfuncti periculis, & quod priùs à caſtris, & quod deinde à Philiſtinorum ſtatione proponebatur. Neque minùs ab hoſte iam magis attento, ac vigilanti in reditu timendum fuit, cùm eadem eſſent repetenda veſtigia, & aliquod præterea afferret impedimentum vas aqua plenum, quod ad regium votum portabatur.

65. *At ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino.*] Non, credo, putabat Rex, vt putat Abul. q. 23. futurum quemquam vſqueadeò audacem, ac temerarium, qui per viam tot armatorum hominum millibus impeditam ingreſſus, in interitum rueret voluntarium. Neque egredientes vidit, neque egreſſuros putabat, quos, vt opinor, ab audaciſſimo conatu cohiberet, cùm periculum eſſet certum, neque de ſua ſiti, ac voto admodum laboraret; & talium virorum, ſi quid aduerſum accidiſſet, iactura eſſet non leuis. Quare ne quis exiſtimaret tam vilem ſe habere ſubditorum ſalutem, vt illam pro re tantula in diſcrimen offerret; & vt alij intelligerent, ſe prorſus ignaro, atque inuito, allatam eſſe aquam cum tanto tantorum virorum impendio, exhorruit, vbi illam offerri ſibi vidit, non ſecùs atque ſi tres illi viri exanimes ad ſuum conſpectum forent adducti. Atque ideo noluit eam bibere, ne videretur illorum potare ſanguinem, quem effudiſſe videri poterat, cùm miraculi inſtar eſſet, inter tot tela, & armata Philiſtinorum odia, non fuiſſe effuſum, & animam eretam.

66. *Sed libauit Domino.*] Libauit Dauid aquam illam, quam libenter potaret, ſed libauit Domino, quaſi victimarum obtuliſſet ſanguinem, ſic enim ipſe interpretabatur, cùm dixiit: *Num ſanguinem iſtorum bibam? & animarum periculum?* Quod veriſſimè dixit ſapientiſſimus Princeps. Cùm enim non ſanguinis ſolùm milites illi, ſed etiam animarum periculum adiiſſent, non aquam ſe acceptiſſe interpretabatur Dauid, ſed ſanguinem, & vitam illorum. Hoc eſt ſapientium iudicium, qui non donum conſiderant, ſed animum, & ſtudium, & quid in re qualibet poſitum eſſet impendij. Vile aliquid eſt, & leue, vas aquæ plenum, ſed ſanè neque leue eſt, neque vile pro alicuius voto adiiſſe ſanguinis, vitæque diſcrimen. Quare ſanguinem ſe putabat bibiturum Dauid, ſi aquam biberet tanto emptam, allatámque periculo. Qua in re duo præſtitit regio verè animo digniſſima Dauid; & quòd ab aqua, quam tantopere ſitiiſſe videbatur, abſtinuit, quod eius eſt, qui ſuis affectibus ſecurè dominatur: & quòd non vile exiſtimauit donum alioqui exiguum, quia videbat in eo non ſanguinem ſolum, ſed etiam animos illorum, à quibus eſſet oblatum. Quod expendendum eſſe dicebat Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 6. *Beneficium*, inquit, *non in eo, quod fit, aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis, aut facientis animo.* & ſtatim cap. 7. *Nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parua magnificè, qui Regum æquauit opes animo, qui exiguum tribuit, ſed libenter*, &c. Neque exiguum fuit præſtantis animi documentum temperaſſe ſibi (ſi ſtatuamus ſermonem hîc eſſe de aquæ poculo) ab eo, quod tantopere appetiiſſe videbatur. Fecit aliquid ſimile olim Alexander, vt auctor eſt Quintus Curtius lib. 7. qui cùm extrema ſiti laboraret, oblatam aquam accipere noluit, quia durum putabat, & parùm regium, ſi ipſe ſolus ſitim extingueret, aut leuaret ſuam, cùm alij eo tempore nihil haberent, quo arida præ ſiti corpora reficerent. *Tunc*, inquit, *poculo pleno, ſicut oblatum eſt, reddito, nec ſolus*, inquit, *bibere ſuſtineo, nec tam exiguum diuidere omnibus poſſum.*

67. *Magnum eſt abſtinere à cupitis.*

Multa Patres de hac aqua non hauſta à Dauide, ſed libata Deo. Vide Ambroſium lib. 1. de Iacob, & vita beata, cap. 1. Chryſoſt. in Pſal. 50. Vides quomodo Dauid caſtigatus de priori concupiſcentia, poſtmodum cautior eſt factus: & qui corpus adamauerat, aquam deſideratam, & neceſſariam, & ſitiens bibere noluit, & victor ſui factus eſt. Vide Nazianzenum oratione de pauperum amore. & Gregorium latè in Regiſtro lib. 9. epiſt. 39. *Dauid*, inquit, *qui alienam vxorem tulerat, & pro ſua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longè poſt de Bethleemitica ciſterna voluit, quam cùm ei fortiſſimi milites detuliſſent, bibere noluit, eámque fundendo Domino libauit; licebat enim bibere, ſi voluiſſet, ſed quia illicita ſe feciſſe meminerat, laudabiliter abſtinebat: & qui priùs pro culpa ſua morientium militum ſanguinem fundi non timuit, poſtmodum ſi aquam biberet, etiam viuentium militum ſanguinem ſe fudiſſe iudicauit.*

68. *Contraria mortificãda, puniẽdaque contrariis.*

Ex hoc loco colligunt aliqui ſacrificium, & libamina fieri poſſe ex aqua pura, tametſi de huiuſmodi aqua nihil in Scriptura proditum habeamus. Quod confirmari poteſt ex lib. 1. cap. 7. v. 6. *Conuenerunt in Maſphath, hauſerúntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini.* Plura nos ibi de aqua effuſa, quæ tu vide.

69.

Verſ. 18. *Abiſai quoque frater Ioab filius Saruiæ princeps erat è tribus.*] Quínam fuerint hi tres, quorum princeps dicitur Abiſai, obſcurum eſt. Illud mihi certum, non eſſe tres illos, qui in primo robuſtorum ordine numerati ſunt. Certum præterea mihi, tres illos eſſe, de quibus proximè,

70.

qui

*In donis non pretium ſolū, ſed animus, & periculum ſpectanda.*

qui aquam de cisterna haustam ad Regem detulerunt. Qui verò fuerint alij duo, non facile exploratu est. Quidam ex illis esse opinantur, qui cap.21.in variis præliis quatuor filios Arapha Giganteæ molis occiderunt, quorum vnus fuit Abisai, de quo nobis hîc sermo, qui interfecto Iesbibenob deficientem Regem liberauit ab hostili ferro. Alter fuisse videtur Sobathi, qui Saph giganteæ itidem magnitudinis extinxit. Tertius Adeodatus, seu Ionathan filius Samaa; nam hi etiam duos alios interemerunt Gigantes filios similiter Arapha. Qui ideo videri possunt hîc non nominati, quia satis ex capite illo 21.illorum nomen,& gloria celebrata sunt. Ita tenent ex interpretibus multi, in quibus est Lyra, & Hieronymus ex Hebræorum sententia in eorum traditionibus. Neque id omninò mihi displicet, licèt eò magis propendeam,vt existimem secundum in illo ordine esse Banaiam,de quo mox.

71. *Ipse est, qui leuauit hastam suam contra trecentos, quos interfecit.*] Quando hæc acciderint,non constat;forsitam tunc accidit, quando quatuor bella vltima contra Philistæos secunda gessit Dauid: aut quando lib.2. cap.5. bis contra illos à Dauide pugnatum est. Neque constat, an vno tantùm congressu, vel pluribus, diuersísque temporibus trecentos occiderit; ad vtrumque enim & textus patet, & litera trahi posse videtur non difficilè: suum tamen cuique iudicium liberum relinquo. Nunc ad illud egregium factum de aqua per media inimicorum tela reportata,quod cum duobus aliis commune fuit, hoc præterea additur militaris virtutis illustre documentum, quòd tantam hostium multitudinem aut vno,aut pluribus congressibus pugnando sustulerit. Quàm fuerit Abisai strenuus, & ad quidlibet audendum impauidus,ipse ostendit lib.1. cap.26.v.6. cùm enim Dauid in castra Saulis vellet descendere, quo tempore in Dauidis ipsius interitum ardentiùs anhelaret, dicerétque, *Quis descendet mecum ad Saul in castra?* ex omnibus,qui tunc aderant, dixit Abisai, *Ego descendam tecum.* & cùm ventum esset ad Saulis castra,dixit idem,*Perfodiam eum*(Saulem)*lancea in terra semel,& secundo opus non erit.*

72. Vers.19. *Sed vsque ad tres primos non peruenerat.*] Cùm tantus esset Abisai, & horum trium princeps,qui fortasse, vt erat homo acer, & impauidus,duos alios ad præclarum illud opus inuitauit; non tamen ad tres illos peruenit,qui in primo robustorum ordine numerati sunt.

73. Vers.20. *Et Banajas filius Ioiadæ viri fortissimi magnorum operum.*] Hic Banaias à quibusdam existimatur vnus è tribus, qui aquam hauserunt, & attulerunt è cisterna; quod mihi verisimilius est. Alij extra has tres robustorum classes statuunt,& seorsum ab aliis censeri putant. Qua de re nihil ego definio, licèt mihi prior sententia magis arrideat. Hic porrò filius dicitur Ioiadæ viri robustissimi,cuius virtutem,& exemplar in suis moribus,ac studiis expressit Banaias. An verò Ioiada pater,an Banaias filius vir fuerit magnorum operum,id est,qui præclara edidit suæ virtutis,ac roboris argumenta, obscurum est;neque enim hoc magis videtur ad patrem, quàm ad filium pertinere. Inclino tamen magis in Abulensis sententiam, qui q.26. magna illa opera Ioiadæ parenti attribuit;quod optimè consentit cum *viri fortissimi* appellatione. Quod explicatur magis lib.1.Paralip.cap.11.v.22. *Banajas filius Ioiadæ viri robustissimi,qui multa opera perpetrarat.*Illud *qui*,id videtur respicere,quod anteceſſit proximè.

*Ipse percussit duos leones Moab.*] In lib.1.Paralip. cap.11. *Duos Ariel Moab.* Sed est omninò idem, nam Ariel leonem significat Dei, id est, leonem præferocẽ, & inusitatæ magnitudinis.Id enim valet Dei nomen rebus adiunctum; quomodo *montes Dei*,montes sunt altissimi,& molis ingentis; & *cedri Dei* illæ dicuntur, quæ proceritatis sunt eximiæ. Sic etiam *leones Dei* illi vocantur; qui ad magnitudinem corporis,ferocitatẽ quoque magnam addiderunt.Hi duo leones,vt ex Hebræorum sententia refert Hieronymus,fuerunt duo viri potentissimi, qui subsidio venerunt Moabitis, quo tempore illos oppugnabat Dauid. Iosephus duos hos Moabitas fratres fuisse tradit,à quibus prouocatus Banaias vtrumque confecit. Hebræorum, Iosephíque sententiæ nonnulli ex nostris adhæserunt,in quibus est Lyra,Caietanus,& Glossa, & Historia scholastica.Sed placet quod visum est Abulensi q. 26. nullam videlicet hîc esse metaphoram,sed esse veros,proprióque leones, quos tunc interfecit Banaias,quando cum Moabitis à Dauide pugnatum est. Neque oportet ad sensus confugere metaphoricos,quando verborum proprietas sensum sine vlla translatione directum admittit.Fortasse leones illi, quos alunt Moabiticæ syluæ,magis sunt quàm alij & natura feroces, & vasti corpore; sicut leones Punici sæuiores sunt, ac robusti magis, quàm quos alit India, & regiones aliæ, quibus & solis maior est amœnitas, & cœli magis amica temperies, vt docet Conradus Gesnerus titulo de leone lib.1.ex Alberto,& Auicenna,vbi tradit leones, qui generantur in terra Coratenorum, præcipuè apud Iconium ferociores esse iis,qui Austrum, & meridiem versùs gignuntur.Sanè Aristoteles lib.8. de histor. Animal.cap. 28.animalium differentiam pro locorum varietate maximam esse dicit, vbi aliquid de leonibus. Quare qui leones dixit Moabiticos, leones dixit truculentos, quos omninò venabulo conficere & magnarum est virium, & insignis audaciæ. Quid sit *Ariel*, quod leonum loco legimus lib. 1.Paral.diximus pluribus in nostris commentariis in Isaiam ad illud cap. 22. *Væ Ariel, Ariel.* Inde pete.

74. *Ariel quid.*

*Montes Dei, Cedri Dei, & leones Dei quid.*

75.

*Animalia eadem specie pro regionis varietate, varia.*

*Et ipse descendit,& percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.*]Aliud nunc Banaiæ magnum opus proponitur,quod à loco, & tempore facer historicus amplificat: Quomodo verò res acciderit, refert Iosephus, & ex eo plerique alij. *Cùm enim,* inquit,*ningeret,leo in quendam puteum illapsus est,cuius os,quod angustum esset, videbat breui fore,vt id niuibus oppleretur. Atque ideo deplorato exitu,& salute, rugire cœpit. Banaias autem forte fortuna iter faciens accurrit ad rugitum bestiæ, & cùm descendisset in puteum,repugnantem ictu baculi,quem gerebat, exanimauit.*Quidam dicunt leones tempore frigoris,ac niuis ferociores esse,& ex eo Banaiæ virtutem commendari magis.An id verum sit,alij viderint; ego potiùs hyemale hoc, & niuosum tempus notari arbitror, quod minùs erat Banaiæ ad pugnandum idoneũ,cùm cõtracta membra minùs sint apta ad arma tractanda,id est, in syluis, vbi nullum est ad fouendum frigidum, & contractum corpus adiumentum. Minus à frigore pati leones,quàm homines,res est certa;tum quia illorum natura calidissima est, & verè ignea; tum quia assueti sunt cœlorum,ac temporum iniuriis, cùm nullum habeant, præter naturale, tegumentum. At homo, qui sub tectis habitat, neque adeò aduersùs temporum inclementiam obduruit, si quid accidat in quacumque rerum tempestate durum, & insolitum,

76.

quo sibi in tanta populi multitudine placeret, non est improbabile; hoc enim naturale quoddam est vitium, quod sanctorum etiam animos inuadit. Neque enim est vlla tanta humilitas, vt benè dixit quidam, quæ dulcedine gloriæ non tangatur: sed nullum hîc apparet populi peccatum, & tamen grauiter afflictum esse populum videmus.

10. Ego, licèt nulla in numerando populo Regis esset ambitio, tamen Regis, & populi aliquod peccati genus inuenio, neque illud leue. Illud verò sumitur ex lib. Exodi cap. 30. v. 12. vbi lex præscribitur, quæ in censendo populo seruari debeat; quam hîc explicari nonnullum erit operæpretiũ. Sic autem legimus ibi, *Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino: & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi.* Huius porrò loci multa nobis sigillatim expendenda sunt.

11. Et primum videndum, quando liceret numerari populum. Quidem eo tantùm tempore censendum esse populum licitè putant, cùm delectus conscribũtur militares, quia ex eo censu & populi expenduntur vires, & commodior fit de re communi, ac publica deliberatio. Ita putat Glossa interlinearis in locum proximè citatum ex Numeris. Quod item ex Chaldæo sumpsit ad hunc locum Historia scholastica. Et facit ad hoc, quod, vt interpretum plerique sentiunt, illorum tantùm nomina referebantur in censum, quorum ætas tractandis armis esset idonea. Sic enim explicant illud, quod statim additur. *Hoc dabit omnis qui transit ad nomen.* Et constat magis ex illo, quod additur v. 14. & clariùs Numer. cap. 1. vbi homines à vigesimo anno, & suprà numerari iubentur. Cùm autem bellum non instaret, neque illius causa censeretur populus, in eo censu non potuit non interceßisse peccatum, quod Dominus tam graui vexatione puniret. Quæ explicatio sua probabilitate non caret.

*In numerãdo populo quid seruari debeat.*

12. Alij putant populum nullo modo censeri potuisse, nisi iubente Deo, ad cuius honorem spectabat illa numeratio: quare si homo quacunque de causa numerare vellet, reus erat, & plagæ grauissimæ deuotus. Ita Augustinus expressè quæst. 134. in Exodum. *Quid est?* inquit, *quod ait iuxta aliam literam, si acceperis computationem filiorum Israel, in visitationem eorum, nisi quia iubet eos aliquando visitari, & computari, id est, numerari. Quod in Dauid propterea vindicatum intelligendum est, quia Deus non iusserat.* Quod etiam epist. 28. indicat Ambrosius, dum ait: *Culpa autem erat Dauidis, quoniam voluit scire numerum totius plebis, quæ secum erat, quod scire Deo soli debuit reseruare.* Ex hac Augustini, Ambrosiique aut expressa, aut insinuata sententia primùm colligo, populi censum diuinum potius honorem spectare, quàm humana commoda; atque ideo tunc debere censeri populum, cùm Dominus iuberet, vt ex capitibus singulis, quæ censebantur, pecunia collecta in tabernaculi sumptus impenderetur: de qua pecunia statim. Hoc porrò & obseruauit Ioab, cui numerandi populi datum est negotium, & acutè vidit in numerando interuenisse peccatum, neque illud tacuit, cùm dixit, libro 1. Paralipomenôn cap. 21. versiculo 3. *Quare hoc quærit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?*

13. Quod verò statim additur, *Dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino.* In hac numeratione dependebat quilibet dimidium sicli, non ad profanos, seu publicos, aut bellicos vsus, sed ad pios sumptus tabernaculi: quod pretium impensum arcebat periculum à numeratorum capite, neglectum verò plagam accersebat. *Et non erit,* inquit, *plaga in eis, cùm fuerint recensiti.* Quasi dicat, si recensitus populus Deo, qui illo facto censu illius populi dominus recognoscì vult, dimidium illum siclum non exoluerit, experietur seueram in se Domini manum, à qua duram excipiet plagam. *Duo,* inquit Caietanus, *statuuntur. Alterum, quòd quilibet redimat animam suam (hoc est, vitam suam) offerendo quasi illius pretium summo Deo. Alterum, quòd hæc solutio non differatur, sed fiat tunc, quando fit numeratio: & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. Ecce fructus redemptionis, & pœna non redemptionis.* Hoc pretium ait Cyrillus libro secundo in Ioannem, dependi à populo Deo tributi nomine, vt illum suum sibi dominum esse profiteatur. Hanc credo rationem esse, cur Deus censere aliquando populum voluerit, vt aliquando Deum suum profiteretur esse dominum, & ab illo habere, quòd dies sit, quòd viuat; quare diuitiarum partem aliquam offert, & vitam illo pretio redimit, cuius se Deus illo pretio placatus patronum, & tutelarem ostendit: & ne mortalis homo illam sibi gloriam vendicet, à mortali homine populum censeri prohibuit.

*In censu aliquid pendebat à populo.*

*Cur Deus populum censeri prohibuerit.*

14. Oleaster in hunc Exodi locum aliam rationem adducit; quia Deus Abrahamo promiserat ipsius genus futurum esse innumerabile, ideo noluit graui proposito supplicio illius à quoquam numerum iniri. Idque probat ex eo 1. Paral. cap. 27. v. 23. vbi Dauid infra vigesimum annum censeri nullum voluit, neque Ioab institutum censum prorsus absoluit, quia Deus subita, aut offensione, aut plaga illum à numerando deterruit. *Noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis inferiùs, quia dixerat Dominus, vt multiplicaret Israel quasi stellas cœli, Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit quia super hoc ira irruerat in Israel.* Neque hoc mihi displicet.

15. Hinc constat quale hoc fuerit Dauidis, & quale populi peccatum: Dauidis quidem, quia in numerando populo illud sibi audacter arrogauit, quod sibi vni reseruarat Dominus. Populi verò, quia non dependit illum dimidium siclum, quem, cùm censum subiret, deferre ad tabernaculi sumptus à lege cogebatur. Et hoc postremum dicunt aliqui peccatum illud esse, quod multorum clade Deus expiari voluit. Ita Augustinus suprà, Caietanus, & Lyra, Beda, & recentiores alij in hunc locum Exodi. Sanè cùm ad Dei imperium Moyses populum numerasset, ex singulorum capitum censu magna vis pecuniæ collecta est, Exod. cap. 38. v. 25. *Oblatum est autem ab his, qui transierunt ad numerum à viginti annis, & suprà, de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum, fuerunt præterea centum talenta argenti.* Cùm ergo iam constet de Regis, populíque peccatis, redeamus ad textum.

*Quale Dauidis, & populi peccatũ in censendo populo.*

16. Versus 2. *Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque Berſabeæ, & numera populum, vt sciam numerum eius.*] lib. 1. Paralipomenôn cap. 21. Hoc præceptum esse dicitur à Rege non solùm Ioab, sed aliis etiam Principibus populi. Iussit autem vt nullum oppidum omitterent, cuius incolarum censum non referrent. Sed licèt in hoc peccauerit Dauid, quòd, Deo non iubente, sed vanissimæ cuiusdam curiositatis

curiositatis gratia numeraret populum, in eo tamen non errauit, quòd infra vigesimum annum numerum iniri vetuit. Quod ex libro primo Paralipomenôn capite 27.liquet. versiculo 23. *Noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis inferius.* Quòd verò nihil aliud spectarit Dauid, quàm nosse, quot ipsi Israelis capita parerent, ipse dixit statim, *vt sciam numerum eius.* Cùm autem ciuitates duæ terram promissionis extremæ definiant, Dan ab Aquilone, Bersabee à Meridionali plaga, fit vt prouerbiali specie totum promissæ terræ spatium duarum ciuitatum nomine significetur. Quare sæpè occurrit in Scriptura à Dã vsque ad Bersabee. lib.1.cap.3.v.20. *Et cognouit vniuersus Israel à Dan vsque ad Bersabee.*

*Dan & Bersabee nomine totum terræ promissæ spatiũ significatũ.*

17. Vers.3. *Dixitque Ioab Regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum.* ] Deterrere vult Ioab Regem ab hoc non solùm non vtili, sed etiam valde pernicioso consilio; sed quia durum est, & sua natura difficile, hominem & potentem, & senem, qui non nisi grauate aliorum admittit consilium, ab ea, quam semel imbiberat, sententia depellere, beneuolentiam captat, quod in eiusmodi causis necessarium est, dum optare se dicit maius populi in singulos dies incrementum. Deinde cur id Regi nulla ratione probari debeat, duobus argumentis ostendit. Alterum ab inutili, seu non necessario desumptum est, vt habemus libro primo Paralipomenôn capite 21.versiculo 3. *Nonne Domine mi Rex, omnes serui tui sunt?* Quasi dicat, si in Israele à Dan vsque ad Bersabee confusus esset populus, cuius pars altera faueret, altera Regis aduersaretur, aut inuideret commodis, probarem hoc consilium, quod amicum, & subditum, ab hoste, atque ab alieno secernit. Atqui omnes, quotquot Israelitici soli lata complent spatia, tui sunt, tuo student honori, te cupiunt diu florentem, & saluum. Quem igitur aut Regi, aut regno afferet vsum, hæc populi tam importuna numeratio?

*Numeratio populi inutilis, & turpis.*

18. Alterum sumitur ab honesto, dum ait, vt legimus libro 1.Paralipomenôn. *Quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?* Vbi etiam apparet prudens Ioab, acutúmque iudicium: non enim dicit peccaturum esse Regem numerando populum, licet illud nosset, certè nouisse non sit improbabile, ne regium animum offenderet, & quod à Rege impetrare studebat, non assequeretur: sed dixit in peccatum reputandum Israeli, quia cùm vnusquisque eorum, qui in censum illum essent relati, dimidium siclum deberet impendere in religiosum vsum tabernaculi, neque omnes aut vellent, aut possent; occasio illis offerebatur à Rege, vt multi peccarent, sustinerentque plagam, quam Exod.capite 30. Deus minabatur illis, qui pretium illud redemptionis omitterent. Quod si nullum aliud à Rege peccatum esset admissum, hoc certè dignum fuit, propter quod Rex mulctaretur durè, cùm vanæ cuiusdam curiositatis gratia in illud periculum tantam populi multitudinem traheret.

19. Vers.4. *Obtinuit autem sermo Regis verba Ioab, & Principum exercitus.* In lib. Paralipomenôn pro *obtinuit*, est *præualuit*. Ex his verbis constat non vnum Ioab, sed alios etiam Principes conatos fuisse Regem ab eo abducere consilio numerandæ plebis. Sed iam Rex obstinarat animum in eam cogitationem, atque ideo inanis excidit illa Ioab, Principúmque contentio.

20. *Egressúsque est Ioab, & Principes militum.* ] Des-



A cribitur populi lustratio, & Principum in eo censu, ac lustratione progressus. Neque in eo aliquid nobis obseruandum est, quod nosse magni referat. Illud non prætermittendum, transisse Principes illos numeratores prope mœnia Tyri, quia ad Tyrum vsque porrigebatur terra promissionis, & ad illum vsque locum Dauidis explicabatur potestas. Tyrus autem adhuc erat in aliena potestate, quam ideo fortasse expugnare, atque in prouinciam redigere noluit Dauid, quia Rex Tyri cum ipso fuerat sociali fœdere coniunctus, qui, vt constat ex cap.5.v.11. misit ad Dauid nuncios, & ligna cedrina, artificésque tam lignorum, quàm lapidum, qui domum regiam Dauidi construxerunt; quam amicitiam, fœdúsque sociale cum Salomone filio cõseruauit, cui etiam ligna ministrauit, & lignorum artifices, lib.3.Reg.cap.5. Quòd autem Tyrus ad terram promissionis pertineret, contribueretúrque tribui Asser, videtur posse colligi ex illo Iosue cap.19.v.19. vbi funiculus Asser peruenire dicitur *vsque ad ciuitatem munitissimam Tyrum.* An verò excludatur ab Asser sorte, vel in illam includatur, incertum est, cùm modus ille loquendi ad vtrumque pateat. Si tamen credendum est Abulensi in lib.3.Reg. cap.5. q.2. Adrichomio, Serario in cap. 19. Iosue q.8. ad tribum Asser vrbs illa pertinuit, neque tamen illam Asseritæ subiugare potuerunt.

Vers.8. *Et lustrata vniuersa terra affuerunt post nouem menses,* &c.] Hîc occurrit nodus, quem dissoluamus necessarium est. Nam hîc lustrata dicitur vniuersa terra, sed in capite sæpiùs citato ex Paralip.v.6. duæ tribus dicuntur omissæ, nempe Leui, & Beniamin. Hic nodus, qui explicatu non videtur facilis, sic videtur expediri posse. Lustrauerunt quidem Principes illi cum Ioab vniuersam terram, non tamen vniuersam numerarũt, quia opus illud iudicabant inutile, atque ideo illud exequebantur inuiti. Neque id obscurè indicat textus ipse in Paralipomenôn, vbi illæ duæ tribus non negantur fuisse lustratæ; sed illorum negatur collectus esse numerus. *Nam Leui,* inquit, *& Beniamin non numerauit, eo quòd Ioab inuitus exequeretur Regis imperium.* 21.

Sed quæres, cur inuitus, aut cur tunc à numerandis duabus illis tribubus abstinuit? Respondeo primùm id, quod modò dixi, quia fructus sperabatur nullus ex eo labore, atque ideo ex illo, quàm potuit ocyssimè, se expediit. Deinde alia adducitur causa lib.1 Paralip. cap.27.v.24. *Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit, quia super hoc ira irruerat in Israel.* Incertum est, & obscurum valde, quænam fuerit hæc ira Dei, quæ Ioab à numerando populo deterruit. Qua in re nobis omninò diuinandum est. Fieri potuit; vt eorum aliqui, qui relati sunt in censum, qui decretum à lege semisiclum soluere noluerunt, subita fuerint morte correpti, aut plaga aliqua ignominiosè percussi; vnde intelligere potuit Ioab censum illum Deo nõ probari. Et hoc videtur mihi maximè probabile, immò, nisi meipsum fallo, omninò certum, quia hic locus non obscurè docet. Tum quia lib.1.Paralip. cap.21.vers.7. ante diram illam luem, quam Dominus immiserat, quámque ex tribus plagis oblatis à Prophera, illam optauerat Dauid, percussus dicitur Israel; ex quo cœpit resipiscere Dauid, & dolere de numerati populi peccato. *Displicuit autem Deo, quod iussum erat, & percussit Israel, dixitque Dauid ad Deũ: Peccaui* & hoc de semisiclis à populo non solutis probat Abul.in c.30. Exo. q.9. 22.

23. Aut certè quod Deus aliquando fecit, pauorem inierit animo Ioab à quo deterritus inchoatum opus persequi neque ausus est, neque potuit. Placeret quod visum est Dionysio, hanc iram esse plagam illam, qua Dominus, immissa peste, tot Israelitarum myriadas extinxit; si enim consecuta non esset illa dira lues, iubente, atque cogente Rege, rediret Ioab, licèt inuitus, ad interruptum opus, & duas illas numeraret tribus, quas in censum referre aut noluit, aut etiamsi vellet, non est ausus. Placeret, inquam, hæc Dionysij sententia, nisi viderem ante hanc plagam iam Dauidi suum displicuisse consilium, & agnouisse erratum, & veniam illius à Deo petiisse, vt constat ex hoc ipso capite à versu 10. Cùm autem Dauid suum ipse damnaret factum, non iuberet Ioab vt censum imperfectum absolueret, sed potiùs quod factum esset, mallet infectum. Propter quod magis vtramlibet explicationem probo earum, quas superiùs adduxi, & illam maximè, quam primo loco posui, quæ mihi videtur omninò vera.

24. Vers. 9. *Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi Regi, & inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium; & de Iuda quingenta millia pugnatorum.* ] Alius hîc occurrit nodus in illorum numero, qui descripti sunt; longè enim maior est numerus in capite 21. versiculo 5. Paralipomenôn. *Deditque Dauidi* (Ioab) *numerum eorum, quos circumierat, & inuentus est omnis numerus Israel, mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.* Vide quantum inter vtrumque numerum intersit. Varij hæc loca, & hos numeros variè componunt. Hieronymus in tradit. Hebr. ad hunc locum, ait numeratos esse quidem à Ioab eos, qui in Paralipomenôn libro referuntur, non tamen illorum summam ostensam esse Regi, sed illam tantùm, quæ in Samuelis libro reperitur. Hieronymum alij plures sequuntur, & in his Lyra, & Historia scholastica, Abulensis quæst. 14. vbi dicit inuentos quidem esse illos, de quibus lib. 1. Paral. non tamen omnes in librum esse relatos, sed illos tantùm, de quibus hoc loco. Caietanus in cap. 21. Paral. facilè dicit vtramque verificari literam. *Nam quod alter*, inquit, *tacet, alter supplet, & qui maiorem numerum ponit, minorem includit: & qui minorem scribit, non negat maiorem. Diuersa autē narratio numeri nata fuit ex eo quòd bis relatio numeri facta fortè fuit, & à diuersis scribis.* Ego ab his alias etiam explicationes tentabo, non quòd magis probem, sed quia in re obscura, & ab aliis variè tentata, neque tamen prorsus expedita, hoc fieri & solet, & meo iudicio, debet.

25. Et primùm non displicet, quod plerique sentiunt, alium ex vniuerso Israele collectum esse numerum, alium à Ioab ostensum esse Regi. Cur id factum fuerit, non omninò placet, quod quidam dicunt, eo consilio à Ioab plurimos ex vera summa esse detractos, ne ex tanta multitudine Dauid spiritus sibi superbos assumeret. Neque enim Ioab vsqueadeò sanctitatem coluerat, vt de aliorum sanctitate, morúmque modestia admodum laborarer. Illa autem præsenti rerum articulo magis videtur attemperata ratio, quæ non tam deterret, atque deprimit regios animos, quàm confirmat, & recreat. Percusserat Dauid animum suum (sic explico illud *percussit* versiculo 10. per plusquam perfectum) cùm audiisset in illo censu aliquos fuisse aut morte sublatos, aut fœdè percussos, dixerátque ad Dominum animo sollicito, ac tristi, *Peccaui*, quia videlicet populum numerari voluit. Vt ergo Ioab sollicitum, ac pauidum confirmaret animum, quasi inchoatus tantùm esset, non absolutus census, summam proposuit exiguam, cùm tamen immensam propè collegisset. Hoc in illa cogitatione puto minùs difficile.

Hæc mihi præterea occurrebat tam impediti nodi non inepta solutio, quam expendent alij. Non solùm Ioab datum est hoc negotium numerandi populi, sed etiam aliis populi Principibus, vt constat suprà versiculo quarto. Hos autem ex variis tribubus varias collegisse summas verisimile est; quemlibet, opinor, ex sua tribu, aut, quod verius puto, ex tribubus sibi in eam curam designatis. His autem omnibus quasi in eo ordine Princeps præerat Ioab, qui sic aliis diuersas populi prouincias describendas commisit, vt tamen sibi cum aliis aliquas tribus voluerit esse communes; tribum videlicet Iuda, & eas, quæ huic erant maximè vicinæ; puta tribum Beniamin, Ephraim, & Simeon, quas sic lustrauit, numerauitque Ioab, vt tamen alij etiam è sociorum numero eandem sibi curam assumpserint. Quod ideo sibi magis faciendum censuerunt, quòd ad illud negotium videbant Ioab inuitum accedere, rémque tractari animo prorsus inerti, & molli manu. Cùm ergo illi rem agerent sibi à Rege commissam diligentiùs, multo maiorem inuenerunt numerum, quàm esset initus à Ioab. 26.

Ex hac cogitatione duo efficio, & duos esse descriptos census, vt putabat Caietanus; alterum à Ioab, quem nunc habemus in hoc libro Regum; alterum ab aliis Principibus, qui grauatè minùs, & magis accuratè summam inierunt. Alterum in censu Iuda multo plures esse numeratos à Ioab, quàm ab aliis Principibus, cùm hic quingenta millia pugnatorum numeret de Iuda, alij autem quadringenta septuaginta millia; cùm tamen ex aliis tribubus octuaginta tantùm virorum millia in censum retulerit, & alij mille millia, & centum millia. Cuius ea videtur esse ratio, quia Ioab Bethlemites erat de tribu Iuda, atque ideo vt familiam suam aliis in ea numeratione præferret, contribulium suorum auxit numerum, aliorum imminuit. Alij verò, qui eodem ornandi tribus suas studio tenebantur, aliquid detraxerunt de Iudæ censu, & ad suarum familiarum summam magnum suorum ciuium numerum addiderunt. Sic videntur conciliari posse, quæ minùs aptè componi posse videbantur. 27.

Aliter potest hic nodus extricari, si dicas numeratos esse tam à Ioab, quàm ab aliis eos, qui essent supra viginti annos, qui complere potuerunt illam summam, quam habemus in libro Paralipomenôn, vbi mille millia, & centum millia illorum virorum esse dicuntur, qui gladium educerent, id est, qui ætatem haberent ad belli pondus, & rei militaris vsum idoneam. At cùm in hac ætate multi soleant esse imbecilli, & languidi, non minus quàm teneri adhuc pueri, aut exhausti senes; ex eo numero, qui fortes essent, & strenui, tantùm esse illos, quos in minorem numerum coëgit Ioab, & in hoc Regum extremo capite recenset. *Inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium.* 28.

Illud ad extremum addo, antequam emergam 29.

*Dauidem valde numerari populi punituit.*

gam ex hoc populi censu, vsqueadeo hoc factum suo auctori Dauidi displicuisse, vt in fastos referre noluerit, sicut alia eiusdem generis quamplurima solent. Id habemus ex libro 1.Paralipomenôn capite 27. versiculo 24. *Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit, quia super hoc ira irruerat in Israel: & idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos Regis Dauid.* Diximus in prolegomenis solere Reges tam Hebræorum, quàm aliarum Gentium, in Annalibus, seu fastis, qui verba dierum, aut ephemerides nominantur, rerum gestarum conseruare memoriam, earum maximè, quæ glorioſum aliquid continent; & ex quibus Principes apud posteros immortales esse student, ex quibus, vt suprà diximus proleg. 1. texuntur historiæ. Si hic populi census legitimè fieret, & sanctè, iure optimo posset in fastos referri; sed quia in eo peccatum est, magísque ad Regis ignominiam, quàm ad gloriam spectat, noluit Dauid illius ad posteros transmitti narrationem, quam mallet, si posset, ex illorum memoria omninò delere. Quod autem Dauid in sui sæculi fastis extare noluit, id non sine diuina prouidentia à sacro historico inter sacra, atque canonica monumenta relatum est, sicut etiam aliud Dauidis peccatum, quod in Vriam admisit, cùm illius violauit thalamum, & per fraudulentam iniuriam vitam eripuit.

Quomodo Dauid, cùm tam grauiter peccauerit numerato populo, dicatur tamen lib. 3. Reg. cap.15.v.5.in solo sermone Vriæ, id est, in causa Vriæ, peccauisse, ostendimus suprà lib.1.cap.25. ad finem.

30. Vers.10. *Percussit autem cor Dauid eum, postquam numeratus est populus.*] Illud *percussit* per plusquam perfectum exponebamus, quia antequam delatus esset descripti populi census, iam norat Dauid ex plaga, qua Deus populum affecerat, in eo consilio interuenisse culpam, vt putabamus suprà num.22.ex capite 21.libro 1.Paralipomenôn versiculo 7.& ex capite 27.versiculo 24. A suo verò corde percussum esse Dauidem, quod item accidit libro 1. capite 24. versiculo 6. cùm partem chlamydis Saulis in spelunca præcidit; nihil est aliud, quàm conscium peccati animum scrupulorum aculeis esse compunctum. Quare instimulante conscientia, & quasi à profundo quodam sopore solutus orat Deum, quem propter censum alieno tempore, ac modo peractum, grauiter offenderat, vt supplicium, quod iamdudum fuerat à lege decretum, aut si quod aliud in suum caput intorquere vellet, aliò conuertat. Iniquitas pro supplicio aliquando sumitur, quo expiari solet. Quod si ita capias hoc loco, vt profectò videtur esse sumenda, orat Propheta, quod modò putabamus, nempè ne durùm subeat vulnus, quod suo capiti intentum esse videt. Quo etiam sensu eidem à Nathan Propheta dictum est capite 12. versiculo 13.post violatum alienum thorũ, & occisum Vriam. *Dominus transtulit peccatum tuum.* id est, supplicium, quod tam graue, fœdúmque peccatum merebatur. Quod statim explicatur magis, cùm dicitur, *Non morieris*, mors namque peccatum erat, id est, peccati pœna.

*Iniquitas pro supplicio.*

31. Vers. 11. *Surrexit itaque Dauid manè, & sermo Domini factus est ad Gad Prophetam, & videntem Dauid.*] Eam noctem videtur Rex insomnem habuisse, plenam perturbationis, & metus, quibus exagitabat regium animum numerati populi, & supplicij iamiam impendentis acerba cogitatio.

A Eodem autem temporis articulo excitauit quoque Dominus spiritum Gad Prophetæ, quo Dauid sic vtebatur familiariter, vt Propheta, aut videns vocaretur Dauidis; & eidem præscribit, quid Dauidi nunciatum esse velit.

*Gad Dauidi valde familiarũ.*

Vers.12. *Trium tibi datur optio, elige vnum, quod volueris ex his.*] Sanè verum est, quod in seipso aliquoties expertus est Dauid, quod cap. 3. cecinit Habacuc. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* in ipso æstuante ad vindictam animo locum esse misericordiæ. Posset Deus non solùm quo vellet ex tribus, sed etiam quo vellet ex millibus supplicio, Dauidis, populíque peccatum expiare; sed qua est animi lenitate, optionem offert Regi, vt ex tribus, quod mitius esse putet, aut quod horreat minùs, ex omnibus eligat. Quemadmodum benigni est, & amantis medici, quando recusare non potest infirmus medicinæ acerbitatem, vt optionem det ægroto, propositis poculis amaris inæqualiter, vt illud eligat, ex quo minus capturus est molestiæ. Sanè in ægrotum non est hostiliter affectus, qui ita diluit, ac temperat, quod in medicina exhorrescit infirmus. 32.

Vers.13. *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.*] Quia nõ Rex solùm, sed etiam populus in hac numeratione peccauerat, tale Dauidi proponitur supplicij genus, quod neque ipse, neque populus declinare possit. Si terra sitiens nullos producat fructus, si fames ingruat, omnium ordinum homines vrget, & extenuat. Si bellum ingruat, & Regem iactatum malè fugat, atque persequitur, maximè si ab externo fuerit hoste conflatum, necesse est vt subiectum populum eadem fuga dissipet, eadem vexet, agitétque calamitas. Iam verò aër, qui spirando dicitur, pestilenter infectus, vt omnibus est communis, sic etiam omnibus nocet æqualiter. Quare hoc malorum genere id Dominus egisse videtur, vt latè se hoc malum ad omnes hominum ordines extendat. 33.

Hîc tamen hærendum nobis paulisper est, & componendæ quæ in lib. 1. Paralipomenôn non satis in huius capitis sententia conuenire existimari possent. In hoc capite septem annorum fames Dauidi proponitur, in lib.Paralip.trium; sicut hoc etiam loco legunt Septuaginta. Quæ diuersitas ex duarum vocum similitudine prouenire potuit; ita vt in altero loco è duabus vocibus altera sit corrupta. Quod ego non facilè admiserim. Quidam hæc loca hac ratione conciliant, ita vt septem annos duratura sit fames, sed in eorum tribus ita sit angusta futura, vt aliorum quatuor fames censeri possit abundantia. Alij principio annorum septem indictam esse famem, sed deinde illam ad triennij spatium fuisse contractam. Quemadmodum Gen. 18. cùm dixisset ignoscendum esse Sodomis, si ibi quinquaginta inuenirentur iusti, postea per quosdam quasi gradus descendens, ad decem vsque iustorum illorum numerum contraxit. Et Ezech.cap.4. cùm iussisset Dominus Prophetæ, vt pane vesceretur hordeaceo, quem priùs humano operuisset stercore, illéque ad grauem illum cibum nausearet; postea Deus ad Prophetæ stomachum ita temperauit mandatum illud durum, vt pro humano stercore fimum concederet bouinum. Sic etiam cùm Deus septem principio minatus esset annorum famem, aut quia Dauid ad diuturnam illam famem exhorruit, aut quia mitiorem à Domino in eo genere 34.

precatus est famem, ad tres tantùm annos coarctauit. Cùm autem libri Paralipomenôn supplementum quoddam sint eorum, quæ in libris Regum videbantur omissa, & in his scriptor sacer septem tantùm annorum meminisset, qui libros attexuit Paralipomenôn, trium annorum meminit, ad quos posterior illa summa contracta est.

35. Vbi in hoc capite Vulgatus noster legit, *Aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* in lib. Paralip. scribitur eodem quidem sensu, diuerso tamen dicendi genere. *Aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra, & Angelum Domini interficere in vniuersis finibus Israel.* Vbi obserua pestilentiam, id est, corruptum aërem, aut occultam aliam qualitatem noxiam appellari Domini gladium, & illum dici ab Angelo vibrari, quia nulla alia in terris mali causa cognoscitur. Cùm autem dicitur tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari, illud &, expositiua particula est, & idem valet quod *id est*; quasi dicas, *gladium, id est, pestem versari.* Cùm autem omnia bellorum, aut suppliciorum instrumenta, à quocumque hominum, belluarum, aut temporum qualitate, ac genere comparata, Dei sint instrumenta, atque arma; illa tamen præcipuè arma dicuntur Dei, quorum in terris nulla causa etiam ab acutissimis ingeniis deprehenditur. Qualis est pestis, illa præcipuè, quæ sine vlla noua elementorum alteratione prouenit, qualis fuit hæc, quæ subita plaga multitudinem hominum ingentem prostrauit. Quæ verò eiusmodi sunt, ab Angelo Dei facta esse dicuntur; aut quia reuera per illos Deus in hunc modum res humanas statuit, aut dissipat, vt fecit aliquandiu postea contra Sennacherib, & multo antea in Sodomorum vastitate: aut quia quæ nullam aspectabilem causam agnoscunt, illa à spiritali, atque inuisibili profecta existimantur. Sanè hîc stragem tantam, támque subitam ab Angelo factam fateamur necesse est; cùm visus fuerit non à Dauide solùm, sed etiam ab aliis cum districto gladio ad aream Areuna. Aliquid simile audimus ætate Gregorij, à quo pestis, quæ nihilo videtur hac benignior, immissa creditur: in qua visus est Angelus ad molem Adriani cum cruento gladio, quasi quod reliquum erat in vrbe vastaturus, à quo moles illa propter illum euentum sancti Angeli Castrum vocatum est.

*Gladius Domini pro pestilentia.*

*A Deo facta existimatur quorum occulta est causa.*

*Arma Dei quæ.*

36. *Nunc ergo delibera, & vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.* ] Mira Dei in his Prophetæ verbis apparet benignitas; qui non prius de supplicio statuit, quàm Dauidis præcessisset electio. Expectabat itaque Deus, vt humano modo loquar, quid Dauid ipsi per Prophetam significatum vellet, vt ad illius votum supplicij acerbitatem, & modum attemperaret. Quod quidem neque iudices faciunt, neque qui aliis in qualibet alia administratione præsunt, qui nunquam à reis, subditísque rogant, quid illi aut velint, aut sentiant, sed illis omninò reluctantibus, quod ipsis suo arbitratu collibuerit, iugum, aut supplicium imponunt.

37. Vers. 14. *Coarctor nimis, sed melius est, vt incidam in manus Domini, (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum.* ] Hæc verba directò respondent verbis, quæ habentur in Paralipomenôn, vbi pestilentia, gladius dicitur Dei, & persecutio alia gladius hominum. Dum itaque gladium, aut, quod idem est, manum eligit Domini, pestem vtique eligit, quam homo non potest; aut non solet immittere, sed Deus, qui solus in elementa, aut naturæ vires potestatem habet. Cùm igitur in quamcumque partem oculos verteret, impendere sibi, reique publicæ grande videret infortunium in illis rerum angustiis, maluit à peste, id est, à Domini manu, quàm ab hominum gladio, qui durior est, quémque non ita facilè in vaginam misericordia recondit, exerceri, ac pati: norat enim solere diuinum pectus quantumlibet offensum, peccatorum pœnitentia, & lachrymis ad misericordiam inflecti.

*Melius est à diuina, quàm ab humana manu vexari.*

*Gladius Dei, & gladius hominum quis.*

38. Hîc putat Iosephus, & ex eo Theodoretus quæst. 37. Rabanus, & Historia schol. elegisse Dauidem illud malum, quod sibi videbat cum populi etiam ignobili turba futurum esse commune. Si enim ab hoste bellum immineret, ipse hostilem furorem effugeret, cùm viros haberet secum strenuos, bellíque peritos, & munita loca, quæ hostium aut frangerent, aut retardarent impetum; at imbelli plebi, quæ nihil haberet, quod hostibus opponeret, pereundum erat: atque ideo illi punirentur grauiùs, in quibus minus hæreret culpæ. Deinde si fames ingrueret, nihil ille grauius pateretur, cùm domum haberet à re frumentaria satis instructam, alij non ita. Elegit ergo pestem, quam æquè subeunt imbelles, & robusti, summi, atque infimi, quia eundem omnes hauriunt spiritum, eidem subsunt cœlorum, atque elementorum iniuriæ. Ita illi cogitant, sed sanè rationem aliam adducit Dauid à diuinæ clementiæ sumptam magnitudine, quam facilè flectunt miserorum lachrymæ; cùm tamen hominum ingenia obstinato furore persequantur iniurias, neque noxam remittant, si quando in illos peccatum fuerit.

*Dauid cur magis pestē, quàm aliud malum elegerit.*

39. Addo ad extremum non fuisse contrarium Dauidis, atque Susannæ votum, licèt hæc in hominum, ille in Dei manus incidere maluerit. Hæc dixit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras:* Ille, *Melius est vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum.* Sed sanè Dauidis, ac Susannæ consilia, & vota contraria non sunt. Proponebatur Dauidi corporale malum, quod tam Deus poterat, quàm homines infligere: elegit pestem, quæ à Deo, non vim hostilem, quæ ab homine etiam infertur, & à mortali manu. At Susannæ mors proponebatur corporis, & animæ, proponebatur peccatum, cuius Deus seuerus est vltor, & externa violati tori suspicio, quam leges damnant, quæ non nisi, quæ humano produntur testimonio, considerant. Sed maluit in hominum manus incidere, qui externam peccati speciem condemnãt, & puniunt, quàm in Dei manus, qui intimos nouit sensus, neque in aliud nisi in peccatum, quod auersatur, & horret, suæ seueritatis exerit aculeos. Hæc eadem nos in nostris commentariis ad cap. 13. Danielis.

*Dauidis & Susannæ vota non contraria.*

40. Vers. 15. *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel de manè vsque ad tempus constitutum.* ] Cùm primùm Dauid è tribus malis pestilentiam elegit, eodem temporis vestigio grassari cœpit in populum dira contagio: Manè surrexit Dauid, suprà versiculo 11. & manè statim adfuit cum diuino mandato Gad Propheta, & ita breui res peracta fuit; vt eodem manè pestis horribilis diuinitùs immissa populum inuaderet, quæ de manè exorsa ad tempus vsque constitutum grassata est. Quod tamen sit constitutum illud

*Qualis pestis, quanta nata sunt Dauidis, populique peccata.*

illud tempus, in quo sæuire desiit lues illa funesta, incertum est. Quidam tempus esse prandij crediderunt, quod ad sextam sumitur, ita vt sex tantùm horas vis illa pestilens durârit. Ita Iosephus, Theodoretus q.37. Histor. Schol. Ambrosius in Psal.37. Sic autem eo loco Theodoretus. *Trium*, inquit, *diorum Deus mortem minabatur, sex autem horis solùm mortem intulit. Si dies autem numerentur cum noctibus, inuenitur pars solùm duodecima minarum illata esse populo.* Idem Origenes homil. 16. in Numeros. Eadem Ambrosius suprà. *Qui proposuerat mortem triduo exercere in terra, ne vnum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandij libenter indulsit,* Et paulo pòst: *Nunquid aliquod miserationis est crimen, quia plus minatur, & minus exigit qui in remuneratione præmiorũ sua promissa custodit in exactione pœnarum præscriptum remordet. Cùm irascitur in reum, differt; cùm miseretur, properat, vt absoluat, terret, vt corrigat; admonet, vt emendet; præuenit,*
41. *vt ignoscat.* Qua celeritate, atque æstu pestis ingruerit, describit eleganter Iosephus lib.7. c.10. & fortasse verè, sanè si res tota sex tantùm horis transacta fuit, satis verisimiliter. Sed cur tempus prandij tempus debeat vocari *constitutum*, non video; neque enim hora prandij ita celebris est inter Hebræos, vt hoc sibi nomen vendicare debeat. Tempora illa sanè magis nota sunt, quæ hominum orationis, ac sacrificiorum gratiâ solent obire. Quare alij, meo iudicio, meliùs tempus esse putant vespertinum, quando sacrificium iuge, quod à vespere nomen sibi sumpsit, immolatur. Ita putat Hieronymus, aut, Hieronymo referente. Hebræi, in eorum traditionibus. Cui ex parte subscribunt Dionysius, Emmanuel Sa, Lyranus, & Hugo. Alij ad tempus vsque extendunt illius sacrificij, quod in area Areuna Iebusæi obtulit Dauid. Ita Caietanus, inclinat Dionysius; Abulensis tempus constitutum triduanum spatium opinatur, quia illud Deus pesti præfiniuit. A qua ego sententia non totus abhorreo, quia non video cur alia tempora ab aliis designata appellari potuerint constituta, sine adiectione vlla. Quæ vna ratio multarum instar est; neque habemus tempus illud à Deo in breuiora spatia fuisse contractum. Neque pestis illa videtur ab initio tentasse Hierosolymam, sed postquam prouincias alias, in quibus septuaginta hominum millia cecidêre, dira cæde fœdauit. Ita putat Histor. Schol. & indicat non admodum obscurè sacer ipse textus, dum supradictam præmisit cladem, & deinde subdidit
42. vltoris Angeli in Hierosolymam aduentum. Hæc mihi sententia satis est probabilis, sequor tamen communem magis, & puto ad sacrificium vsque vespertinum sæuisse pestem; tunc verò iubente Domino consedisse. Neque credo Dauidem expectasse triduo, vt pœnitentiam ageret, & oraret Dominum, & cum Principibus, maioribúsque natu populi indutum cilicio in terram cecidisse; aut Angelum non nisi post triduum venisse Hierosolymam, postquam in aliis prouinciis; fœda peste mulctandis tres fermè dies posuisset. Rationes istæ non admodum premunt, aliquam tamen rei admodum dubiæ coniecturam faciunt.

43. Vers. 16. *Cúmque extendisset manum suam Angelus super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus.*] Modus iste loquendi, sicut aliquid ostẽdit de furore Domini, studióque vindictæ fuisse remissum; sic etiam indicat aliquid de constituto vindictæ tempore fuisse sublatum. Cùm igitur grassatus esset vltor Angelus per alias prouincias, stragémque edidisset ingentem, venit tandem eo consilio, atque animo Hierosolymam. Cúmque iam illam pestilenti plaga percussisset, repressus à Deo, qui iam initio res Solymitanas intuebatur, ab vlteriore plaga manum, ferrúmque continuit. Cur autem cùm prouincias alias dira labe fœdauerit, à Hierosolymæ cæde sæuientem Angelum Dominus cohibuerit, non facilè assignari potest idonea ratio. Ego duas subodoror; altera est, quia ciuitatem illam inter alias omnes diligebat Dominus, quia ibi viderat ab Israelitici populi conditore Abrahamo oblatum esse in filio Isaac illustre sacrificium; & quia ibi habiturus esset templum, quod multis quotidie caleret sacrificiis, & diuinis laudibus perpetuò resonaret. Vnde Dauid Ps.86. cecinit, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Et quia ibi fortasse impen-
B sus esset tabernaculo semiciclus, quem lex in populi numeratione decreuerat; quare aut peccatum in eo populo non erat, quod dira, atque funesta lues expiaret; aut certè nõ ita patebat latè, vt diutiùs ibi pestis insidere debuerit. Quod sic ego coniectabam, quia Solymitani ciues, quorum fuerunt numerata capita; norant quid esset à lege constitutum de siclo, cùm ibi sacerdotes essent, & periti legis à quibus & antè sæpè, & eo temporis articulo discere potuerunt. Cùm autem intra ciuitatis mœnia haberent tabernaculum, quod præsens clamare, & debitum sibi siclum exigere videretur, verisimile est ab illis hoc pietatis officium non fuisse neglectum. Secùs erat de ciuitatibus aliis, quæ longiùs aberant à tabernaculo, quæ non ita explicatam habuere legem, & in transmittendo siclo aliquid erat subeundum molestiæ.

44. *Cur seriùs pestis Hierosolymam inuasit.*

C

*Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi.*] Qui modo Areuna dicitur, lib.1. Paral. c. 21. vocatur Ornam; aut quia Iebusæus iste binominis erat, aut quia Iebusæorum dialecto qui ab Hebræis Areuna, idem à Iebusæis Ornan appellatur. In Paralipomenõn autem, vt sæpè dictum est, aut supplentur quæ in libris Regum omittuntur, aut explicantur magis, quę dicta priùs videbantur obscuriùs. Cùm Iebusæus ille duobus notaretur nominibus, aut certè vno tantùm, sub dialecto duplici, oportebat vt sub vtraque voce cognosceretur ab omnibus, qui sedem religiosissimo sacrario templo nimirum à Salomone constructo tribuisset. Illum porrò locum apparet sub id tempus vacuum esse ab habitatorum frequentia, quandoquidem in eo Iebusæus ille cum bobus, ac tribula fruges triturabat, & non domus, sed area vocatur, id est, pars agri potius deserti, quam ciuitatis ab aliis habitatæ. Quod si ita est, non exercebat tunc Angelus in ciuitate cædem, quia reuera in ciuitate frequenti ciuibus non erat, sed in vicino loco, quem postea post templi fabricam magna ciuium multitudo compleuit. Exercuisse autem cædem paulo ante constat ex v.16. *Ait* (Dominus) *Angelo percutienti populum: Sufficit nunc, contine manum tuam.* Et idem clariùs in lib. Paral. v. 15. nisi dicamus non esse directũ Angelum supra aream Iebusæi, sed ad illam ciuitatis regionem, quæ proximè distabat ab area. Sed videtur verisimile, cùm Angelus à cæde cessare iussus est, excessisse ex vrbe cum gladio tamen districto, & stillante sanguine, & stetisse iuxta aream, facie fortasse horribili, ac minaci, innoxium tamen, quia vt sibi iam Deus temperarat ab ira, sic etiam ille temperabat à cæde.

45. *Areuna idẽ qui Ornan.*

D

E

Illum verò Angelum iam antè viderat Dauid antequam extra ciuitatem exiret ad aream; cùm 46.

stragem ederet in ciuitate,& orarat ad Dominum vt manum contineret à cæde. Id colligo ex versu 17. *Dixitque Dauid ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum*, &c. An verò alij hoc tempore Angelum viderint intentum cædi, non omninò constat;vidisse tamen illum seniores populi, ex lib. Paral. v.16. satis est verisimile. Nam ante Dauidis orationem, quam nuper dicebamus habitam esse, dum adhuc Angelus ciues interficeret, cecidisse dicuntur timore concussos. *Leuánsque Dauid oculos suos vidit Angelum Domini stantem inter cœlum, & terram,& enaginatum gladiũ in manu eius, & versum contra Ierusalem: & ceciderunt tam ipse, quam maiores natu vestiti ciliciis proni in terram.* Cùm autem ad aream stetisset Angelus; visus fuit ab Areuna, & à quatuor filiis, vt liquet ex libro toties citato Paralipomenôn vers. 21.

47. *Animi verè pœnitentis signum non deprecari pœnã.* Vers. 17. *Ego sum qui peccaui*, &c. *isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me.*] Hanc orationem,vt dixi, habuit Dauid, antequam Angelus vindicem gladium cohiberet à cæde;& ideo obsecrat, vt gladius in aliorum capita hostiliter intentus, in suum caput conuertatur. Neque enim, inquit, alij quicquam admisere tantum,quod tam seuero supplicio expiari debeat; omnem dicit se sustinuisse culpam, atque ideo sibi vni totum deberi supplicium. Quare non recusat quiduis ab irato Deo, quantumuis dirum, & horribile pati, dummodò calamitatis illius populum exortem esse videat. Eodem spiritu dixit Ionas cap.1. v.12. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare, à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Et quidam ex profanis, licèt non eodem aut sensu, aut spiritu.

*Propter me mota est, propter me desinet ira,*
*Simque ego sanctæ causa, modúsque tuæ.*

48. *Quanta vis pœnitentiæ.* De hac Dauidis pœnitentia, qua in se vnum totum illius supplicij pondus deriuat,multa dicunt & grauissima Patres. Vide Theodoretum q.37. Chrysostomum in Ps.140.Ambrosium lib.de pœnitentia c.9.& in Ps.37. optimè & latè; & Apologia pro Dauid c.7. Cuius duo tantùm testimonia referam, qua Dei bonitatem,& vim admirabilem pœnitentiæ ostendunt.Sic de pœnitentia in Apologia. *Quàm illud admirabile, quòd Angelo ferienti plebem se obtulit. Hoc facto statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum, cùm & Moyses offerendo se Domino pro plebis errore, etiam plebis errata deleuerit.* Eadem penè Theodoretus q.37.*Digna sunt admiratione ipsa verba Regis,ignorans causam,suum peccatum vocauit,quod fuerat factum;& vt in suum genus iusta ferretur sentẽtia supplicauit,vtens verbis boni pastoris imitans filium suum, & Dominum, qui animam suam posuit pro ouibus.*

49. *Quàm potens peccatorum confessio.* Vers. 18. *Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei.*] Vide quàm sit potens peccatorum cõfessio,& animus,qui peccati conscius,& illud detestatus, in omne se discrimen,& laborem offert. Vixdum peccatum suum confessus fuerat Dauid, & quodcumque Deus imponere vellet pondus admiserat, cùm per Prophetam admonet, quomodo possit indictum antè supplicium declinare, & inire rursus gratiam apud Deum, à qua priùs exciderat.

50. *Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi.*] In lib. Par.c.21.v.18.docemur à quo fuerit Propheta Gad instructus,vt doceret Dauidem quomodo à suo,suorúmque capite gladium auer-

A teret,quem tunc Angelus gestabat in manu.Vnde colligimus,quàm sint Angelorum,& Domini sẽsus consentientes,quàm idem nolint, idem velint in idem omninò eadem animorum consensione conspirent. Inuitus Dominus,& dolens non tam pergit,quàm rapitur ad inferendum homini supplicium, vltrò è suæ naturæ bonitate ad benè de hominibus merendum adducitur. Sic Angelus etiam cùm habet in vltrice dextera cruentũ gladium,peccatorum incolumitati consulit, & qua ratione ictum vel declinet, vel eludat, admonet. Ex quo planè discimus hunc Angelum bonum esse, quando & ipse vulnus inferre recusat, & illa fieri iubet,quæ Deum honorant,& ipsius beneuolentiam conciliant. Est sanè quàm verissimum interdum Deum spiritibus vti Apostatis,& malis ad malorum vindictam,aut bonorum exercitium; vt docent exempla quamplurima. Sanè Angelus erat malus,qui Iob fortunis spoliauit,& filiis;mali item,qui arreptitios obsident,& exagitant.Nec defuit qui putaret Angelos tantùm malos diuinę iustitiæ vindices esse, & per illos solùm Deum exigere à peccatoribus pœnas, aut vexare bonos. Ita Isidorus lib.1.sententiarum c.12.v.18.*Quoties*, inquit, *Deus quocumque flagello huic mundo irascitur ad ministerium vindictæ apostatæ Angeli mittuntur,qui tamen diuina potestate coercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt. Boni autem Angeli ad ministerium salutis humanæ deputati sunt.* Ex Isidoro sumpsit Burcardus lib.20.c.54.Sed frequentes alij contrà sentiunt,& docent aliquando bonos spiritus vindices esse diuinæ iustitiæ. Immò & pleraque supplicia eorum,quæ in Scriptura sacra legimus,bonorum Angelorum ministerio sumpta docent antiqui Patres. Vide Augustinum ad illud Ps.77. *Immissiones per Angelos malos.* vbi hac de re multis. Egimus nos hac de re pluribus in nostris cõmentariis in Danielem ad c.3. v.50. vbi id exemplis plurimis, & Patrum testimonio probauimus. Hunc Angelum bonum fuisse nemo potest ambigere, cùm illius verbis Propheta fuerit obsecutus, & modum ostenderit religiosum, & sanctum, quo Deus à peccatore placari posset;quod nunquam faceret spiritus nequam, qui eò maximè incumbit, ne vllus Deum sibi reddat amicum.

*Dei,& Angelorum affectus similes.*

51. *Deus Angelis bonis interdum vtitur ad malorum supplicium.*

Sed quærat hîc aliquis,quomodo si Deus iam vltorem Angelum à cæde continuerat,monet tamen Dauidem per Prophetam, vt per sacrificia propitium sibi Dominum reddat, quasi non esset ab illo cruento negotio cessaturus, nisi noua intercessisset placandi forma, qualis esse solet ab immolata victima.Respondet Ambrosius in Psal. 37. licèt ad hunc locum, atque quæstionem non directò. *Si mandauerat*, inquit, *Dominus Angelo, vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus, nisi quia Dominus,& si vult ignoscere,vult rogari,& vt rogetur, hortatur? Nec vidisset homo Angelum ferientem, nisi Dominus eius oculis Angelum reuelasset.* Adde quòd quædam à Deo sic prædestinantur, vt tamen hominum preces intercedant, quæ eadem exorent. Sic Gregorius lib.1.dialog.c.8.*Ea*,inquit,*quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur.* Idem penè Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 56. & Hieronymus ad illud Danielis 9.v.3.*Et posui faciem meam ad Dominum.*

52. *Deus etsi velit ignoscere, vult tamen rogari.*

*Multa Deus prædestinauit, si tamẽ precibus obtineantur.*

53. *Templũ Salomonis ædificatum vbi antea sacrificãdum Isaac.*

Porro in hac Areuna Iebusæi quondam area ædificatum est postea Salomonis templum, vt habemus ex lib.2. Par. c.3. *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstra*

*monſtratus fuerat Dauid patri eius in loco, quem parauerat Dauid in area Ornam Iebuſæi.* Porrò hunc mõtem illum eſſe, in quo Abraham filium ſuum immolare voluit, docet ipſum nomen *Moria*, quod viſionem valet, aut id, quod aliquo modo pertinet ad viſionem. Fuit autem illud nomen impoſitum monti ab ipſo Iſraeliticæ Gentis auctore, & principe Abraham. De quo eſt illud Geneſ. 22. *Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt, vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* ac ſi diceret, *in monte Moria.* Ita tenent Hebræorum magiſtri, vt in hunc locum in eorũ traditionibus refert Hieronymus. Et facit ad hanc ſententiam, quod Hieronymus in illum locum obſeruauit, vbi Vulgatus legit v. 2. *Vade in terram viſionis*, Hebr. legi מריה *Moria.* Quæ omnium penè antiquorum Patrum cõmunis eſt ſententia. Sic ſanè Ioſephus lib. 1. Ant. c. 14. de Abraham: *Tertia die, cùm iam in proſpectu eſſet mons, relictis altis in campo, cùm ſolo puero aſcendit in montem, in quo poſt Dauid templum conſtituitur.* Plura nos in hanc ſententiam in noſtris commentariis in Iſaiam ad illud c. 22. *Onus vallis viſionis.*

54. Verſ. 20. *Conſpiciénſque Areuna animaduertit Regem, & ſeruos eius tranſire ad ſe: & egreſſus adorauit Regem prono vultu.*] Hoc tempore, vt habemus lib. 1. c. 22. v. 20. Par. terebat Areuna cum filiis ſuis in area demeſſas fruges; qui etiam cum quatuor filiis Angelum vidit minaci ſpecie, cum diſtricto gladio. Erat autem eo tempore, vt apparet, Dauid in ciuitate, vbi cædem ſpectarat, quam ediderat proximè exterminator Angelus: & ad Prophetæ, ſeu potiùs ad Domini iuſſum egreſſus fuit ad areã, id eſt, extra ciuitatem, ad eum locum, vbi Angelum viderat inter cœlum, & terram, nil iam hoſtile meditantem. Cui obuiã progreſſus eſt Areuna, & iuxta illius temporis, atque regionis morem pronus in terram adorabundus cecidit: & cùm aduentus illius cauſam ſciſcitatus eſſet, libẽter aream, & gratis obtulit, vbi aram conſtrueret, qua placaret Deum; & ne quid in re tanta intercederet moræ, boues etiam, quibus tunc in terendis frugibus vtebatur, pro victimis adhibuit, & ad ignem inſtruendum pro holocauſto plauſtrũ, iugum, & tribulam, & ſi quid aliud ex inſtrumento ruſtico ad opus illud ſacrum videretur idoneum, ac tandem triticum, ſi quod ex triticea materia futurum eſſet libamentum.

55. Verſ. 24. *Nequaquam vt vis, ſed emam pretio, & non offeram Domino Deo meo holocauſta gratuita.*] Omnia lubens, ac largus offerebat Dauidi Iebuſæus ille quem alienigenum, & antea, vt opinor rebus Iſraeliticis non admodum amicum, officiis Dauid, & ſuo ingenio mitiſſimo demeruerat. At Dauid, qui ſe peccaſſe nouerat, neque id obſcurè fatebatur, noluit alienis impenſis Domino litare. Qua enim in re Deum ſibi redderet placatum, & facilem, ſi de ſuo nihil in eo religioſo negotio poſuiſſet? Quare docet omninò ſuum eſſe debere id, quod animo meditabatur, non alienum impendium; quia putabat ſacrificium illud tanto Deo futurum eſſe gratius, quanto magis diſtaret à gratuito.

56. *Emit ergo Dauid aream, & boues argẽti ſiclis quinquaginta.*] In lib. Par. *Dedit ergo Dauid Ornam pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.* Hæc duo loca, quæ non videntur aptè conſentire, ſic quidã non ineptè componunt, ita vt in lib. Regum tantùm agatur de pretio boum, & ſi plauſtrum emit, & tribulam, de horum quoque pretio ſimul; de area verò nihil. At in Paralipomenõn, in quo ſupplentur ea, quæ in libris Regum prætermiſſa fuerant, in quibus de pretio areæ nihil habemus; illud additum fuit tantùm omiſſo pretio aliarum rerum, de quo ſuprà conſtabat. Atque ideo ſexcentos addidit aureos ſiclos, quod erat iuſtum areæ pretium; & quinquaginta prætermiſit argenteos, quibus res aliæ leuiores coemptæ ſunt.

Verſ. 25. *Et ædificauit ibi altare Domino, & obtulit holocauſta, & pacifica.*] De ea parte areæ, in qua raptim eſt excitatum altare, nihil habemus certum; eſt tamen non improbabile in eo ipſiſſimo loco fuiſſe conſtructum, in quo priùs immolandus fuit Iſaac ab Abrahamo parente. Neque enim, arbitror, vlla alia cauſa fuit; nulla certè alia ſe nobis offert, propter quam in illa area, id eſt, in monte Moria ſacrificium ſibi Dominus offerri voluerit, niſi vt antiquiſſimi ſacrificij gratiſſima memoria hanc poſterorum victimam redderet magis gratam. Et eandem, opinor, ob cauſam admonente Gad Propheta, vt docet Ioſephus, eodem in loco ædificatum eſt templum; tùm vt Deus illum commendaret, & ornaret locum, in quo gratiſſimum oblatum fuerat ſacrificium; tum vt parentum dulciſſima memoria magis Deo poſteros faceret amabiles, & pro illis continenter oraret. Peracto ſacrificio conſedit illa dura tempeſtas, & graſſari deſiit atra lues, quæ ex tam copioſo populo nihil videbatur factura reliqui. Et hîc explicit c. 24. & liber totus ſecundus Regum.

57. *Sacrificij Abrahæ apud Deum quàm grata poténíque memoria.*

Sed aliquid hîc nobis dicendum neceſſariò ex lib. 1. Par. c. 21. quod in lib. 2. Reg. præteritum eſt. Primum habemus, holocauſtum illud gratum fuiſſe, & illo modo ſuſceptum à Deo, quo ipſe ſignificare ſolet ſe illud admiſiſſe. *Obtulit*, inquit, *holocauſta, & pacifica, & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cælo ſuper altare holocauſti.* Cùm Deus externo aliquo ſigno docere voluit non ingratam ſibi fuiſſe victimam, hoc lapſo de cœlo igni, qui holocauſtum, aut aliud ſacrificium conſumeret, ſignificabat. Hoc modo Abelis ſibi ſacrificium placere docuit Gen. 4. Sic enim explicant illud, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit.* Hieronymus, & Cyrillus in illum locum, Chryſoſtomus, Theophylactus in c. 11. ad Heb. Per *ignem* acceptauit Gedeonis ſacrificium, Iud. 6. v. 21. & Manue Iud. 13. v. 20. Aaronis Leuit. 9. v. 24. Quod vſqueadeò erat olim in Dei populo compertum, vt non aliud experimentum quæſiuerit Elias, vt probaret, quod Deo gratum foret ſacrificium. 3. Reg. 18. v. 24. *Deus, qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus.* Quis illud ſacrificium obtulerit, ex ſcriptura ſacra non habemus. Hebræi, vt refert Hieronymus in eorum traditionibus, aiunt Sadoch ſacerdotem maximũ infulatum proceſſiſſe, & inſtar Aaronis obtuliſſe preces, & tandem obtinuiſſe, vt laborantis populi Deum miſereſceret.

58.

*Præcepitque Dominus Angelo, & conuertit gladium ſuum in vaginam.*] Licèt Angelus manum continuiſſet ab inferendo vulnere, tamen adhuc habebat extentum brachium, & gladium à vagina nudum, quaſi ſtatim ad intermiſſam cladem rediturus. Sed oblato ſacrificio, & à cœleſti flamma conſumpto, Deus Dauidi, & populo, quicquid conceperant timoris, ademit, iubens gladium quaſi iam innoxiũ in vagina recondi. Et rurſus ibidem alias immolauit victimas. Quod pietatis opus obiiſſet in Gabaon, vbi tunc temporis erat tabernaculum, niſi illi timor ex aſpectu Angeli antè conceptus, quem armatum viderat, omnem vim, & audaciam ademiſſet. Hæc ex lib. 1. Paral. c. 21.

59.

Diximus

60. Diximus ad finem libri primi, quæ profana tempora in Saulis, & Samuelis ætatem incurrerunt; idem hîc agamus oportet, quando ita eo loco polliciti ſumus nos facturos. Sunt hæc obſcura, & admodum incerta, & ex fabulis potius, quàm ex hiſtoriis exprompta, quia tempus illud, vt ex Varrone docuit Cenſorinus de die natali μυθικὸν potius fuit, quàm ἱστορικὸν incidit Dauidis regnum in annum ab orbe condito 4120. ex Euſebio. Alij ferme omnes ab Euſebio magno recedunt interuallo, quorum ſuprà meminimus in fine libri præcedentis, neque nos in ea re quicquam definimus: quia neque putamus de his numeris quicquam certum inueniri poſſe. Sed eſt à Chronologis communiter receptum regnaſſe Dauidem paulo poſt exciſum Ilium. Quare fabuloſa illa, quæ Troianum bellum conſequuta ſunt, vt errores Vlyſſis, Æneæ in Italiam aduentus, Carthaginis fundatio, ad Dauidicum ſæculum referenda ſunt. Regnauit in Latio Latinus Syluius, Athenis Codrus, Ixion apud Corinthios: Epheſum Antandrus, ſiue, Andronicus ædificauit. Gades Tyrus, quæ tunc in mari potens. Et alias colonias in variis mediterranei maris littoribus, atque inſulis condidit. Hoc tépore floruiſſe creditur Homerus. Abſoluta ſunt hæc VI. Iduum Febr. anno 1621. Quicquid verò à me ſcriptum eſt, illud totũ Eccleſiæ primùm, deinde meliori doctorum hominũ iudicio ſubmitto.

LAVS DEO.

IN

# IN LIBRVM III. REGVM COMMENTARII.

IN primo libro actum est de Samuelis, ac Saulis imperiis, quæ in vnum coegit Paulus Actor. c. 13. dum dixit Saulem filium Cis regnasse annos 40. quem numerum Samuelis, & Saulis anni compleuerunt, vt diximus pluribus lib. 1. c. 13. Quare liber primus annos continet 40. & plusculos alios, qui necessariò Heli sacerdotis præfecturæ tribuendi sunt. Secundus liber totidem, non continet totum Dauidis imperium; quod, vt habes statim c. 2. v. 10. ad annos quadraginta productum est, ex hoc numero deme ætatem Dauidis senilem, & frigidam, quæ aliquid ex A libro 3. sibi decerpsit: quæ, vt apparet, non potuit non esse breuissima. Cur autem pars illa extrema ætatis Dauidis in tertium librum collata sit, ea ratio est, quia initium etiam continet regni Salomonis; quod, cùm tot fuerit nobilitatum modis, ab initio libri debuit assumere principium. Hic porrò liber quinque Regum Iuda continet ætates, quæ 130. annos circiter absoluuntur. Qui sanè varius est, quia diuiso imperio sub Roboam, magna inter cognatas gentes dissidia orta sunt, & multis modis debilitatæ Israeliticæ vires, & violata, aut obscurata religio.

## IN CAP. I. LIB. III. REGVM

### *ARGVMENTVM.*

*REX Dauid annis, laboribúsque fractus, sic erat languido, attenuato, frigidóque corpusculo, vt neque à vestimentis ad eam curam comparatis confoueri posset. Quare ex Israele toto quæritur virgo, quæ Regi assisteret, & suo complexu senile corpus calefaceret; quod obsequium sic præstitit purum, vt nullum pudoris iniuriam ex eo ministerio retulerit. Interim Adonias eorum, qui supererant, fratrum natu maximus, regnum ambiebat, quod breui à patre deferendum putabat: eóque rem adduxerat, vt publica gratulatione, atque clamore Rex salutaretur. Elusit tamen illius spem, atque conatum Bethsabee Salomonis mater, cuius filio Dauid antè regnum promiserat, quæ, auctore, atque adiutore Nathan propheta, Regem admonuit, docuitque quem in statum cogitationes suas adduxerit Adonias. Rex autem, nequid ipso vita, regnóque defuncto turbaret Adonias, renunciari iubet Regem Salomonem; idque quàm maxima potuit celeritate, ritúque legitimo. Quare in regia mula traductus est per loca maximè frequentia, clamante in modum triumphalem turba, & festiua perstrepente symphonia. Quæ vox grauiter concussit Adoniam, quique cum illo Genialibus tunc vacabant epulis. Qui re cognita cum ingenti trepidatione alij alio dilapsi sunt. Adonias ad sacrum asylum confugit, & cornu altaris complexus negauit se ab illo recessurum, nisi à regia fide priùs suæ vitæ, atque incolumitati cauisset, quod cum à Rege foret consecutus, in domum suam reuersus est.*

### CAPVT PRIMVM.

1. ET rex Dauid senuerat, habebátque ætatis plurimos dies: cúmque operiretur vestibus, non calefiebat.

2. Dixerunt ergo ei serui sui: Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dor- B miátque in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem.

3. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem.

4. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebátque cum rege, & ministrabat ei, rex verò

verò non cognouit eam.

5. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecítque sibi currus & equites,& quinquaginta viros qui currerent ante eum.

6.Nec corripuit eum pater suus aliquando,dicens:Quare hoc feciſti?Erat autem,& ipse pulcher valde, fecundus natu post Absalom.

7. Et sermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ,

8.Sad oc verò sacerdos, & Banaias filius Ioiadæ,& Nathan propheta,& Semei & Rei & robur exercitus Dauid non erat cum Adonia.

9. Immolatis ergo Adonias arietibus & vitulis, & vniuersis pinguibus, iuxta Lapidem Zohelch, qui erat vicinus Fonti rogel, vocauit vniuersos fratres suos filios regis, & omnes viros Iuda seruos regis.

10. Nathan autem prophetam & Banaiam, & robustos quosque, & Salomonem fratrem suum non vocauit.

11. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quòd regnauerit Adonias filius Haggith, & Dominus noster Dauid hoc ignorat?

12. Nunc ergo veni,accipe consilium à me,& salua animam tuam,filiíque tui Salomonis.

13. Vade, & ingredere ad regem Dauid, & die ei: Nónne tu domine mi rex iurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias?

14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos.

15. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, & Abisag Sunamitis ministrabat ei.

16. Inclinauit se Bethsabee, & adorauit regem. Ad quam rex,Quid tibi, inquit, vis?

17. Quæ respondens, ait: Domine mi, tu iurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me,& ipse sedebit in solio meo.

18.Et ecce nunc Adonias regnat,te, domine mi rex,ignorante.

19. Mactauit boues, & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocauit omnes filios regis,Abiathar quoque sacerdotem,& Ioab principem militiæ: Salomonem autem seruum tuum non vocauit.

20. Veruntamen domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, vt indices eis quis sedere debeat in solio tuo; domine mi rex,post te.

21.Erítque cũ dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores.

22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.

23.Et nunciauerunt regi,dicentes: Adest Nathan propheta.Cúmque introisset in cõspectu regis,& adorasset eum pronus in terram,

24. Dixit Nathan:Domine mi rex,tu dixisti:Adonias regnet post me, & ipse sedeat super thronum meum?

25. Quia descendit hodie, & immolauit boues, & pinguia, & arietes plurimos, & vocauit vniuersos filios regis, & principes excercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illíque vescentibus, & bibentibus coram eo,& dicentibus:Viuat rex Adonias:

26. Me seruum tuum, & Sadoc sacerdotem,& Banaiam filium Ioiadæ, & Salomonem famulum tuum non vocauit.

27. Nunquid à domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicasti seruo tuo,quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum?

28. Et respondit rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cùm fuisset ingressa coram rege, & stetisset ante eum.

29. Iurauit rex, & ait: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia,

30. Quia sicut iurauí tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie.

31. Summissóque Bethsabee in terram vultu,adorauit regem,dicens: Viuat dominus meus Dauid in æternum.

32.Dixit quoque rex Dauid:Vocate mihi Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam,& Banaiam filium Ioiadæ.Qui cùm ingressi fuissent coram rege,

33.Dixit ad eos:Tollite vobiscum seruos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gihon.

34.Et vngat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta in regem super Israel: & canetis buccina, atque dicetis: Viuat rex Salomon.

35. Et ascendetis post eum,& veniet,& sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me: illíque præcipiam vt sit dux super Israel & super Iudam.

36. Et respondit Banaias filius Ioiadæ, regi

regi, dictus : Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis.

37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege,sic sit cum Salomone,& sublimius faciat solium eius à solio domini mei regis Dauid.

38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi,& Phelethi:&c.

39. Sūpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo,& vnxit Salomonem:& cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat rex Salomon.

40. Et ascendit vniuersa multitudo post eum, & populus canentiū tibiis, & lætantiū gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum.

41. Audiuit autē Adonias, & omnes qui inuitati fuerant ab eo, iamque cōuiuium finitū erat: sed & Ioab,audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor ciuitatis tumultuātis?

42. Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar sacerdotis venit:cui dixit Adonias Ingredere,quia vir fortis es,& bona nūciās:

43.Respondítque Ionathas Adoniæ:Nequaquam:Dominus enim noster rex Dauid regem constituit Salomonem.

44.Misítque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ,& Cerethi,& Phelethi, &c.

45.Vnxerúntque eum Sadoc sacerdos,& Nathan propheta regem in Gihon:& ascenderunt inde lætantes,& insonuit ciuitas,hęc est vox,quam audistis.

46.Sed & Salomō sedet super soliū regni.

47. Et ingressi serui regis benedixerunt Domino nostro regi Dauid, dicentes:&c.

48. Et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo,videntibus oculis meis.

49. Territi sunt ergo,& surrexerunt omnes qui inuitati fuerunt ab Adonia, & iuit vnusquisque in viam suam.

50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit,& abiit,tenuitque cornu altaris.

51.Et nunciauerunt Salomoni,dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: &c.

52.Dixítque Salomō:Si fuerit vir bonus non cadet, ne vnus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inuentum fuerit in eo,morietur.

53. Misit ergo rex Salomō, & eduxit eū ab altari: & ingressus adorauit regem Salomonem: dixítque ei Salomon : Vade in domum tuam.

---

# IN CAP. II. LIB. III. REGVM COMMENTARII.

## Vers. 1. *Et Rex Dauid senuerat,habebátque ætatis plurimos dies.*]

2. SVPRA cap.21.audiuimus defeciſſe Dauidem,cùm ingressus est prælium, eóque adductum, vt tantùm non fuerit ab hoste confectus ; quia videlicet illi longa, & fracta tot laboribus ætas vires exhauserat. Nūc idipsum clariùs explicatur, dum longè progressa fuisse dicitur illius ætas:erat autem tunc septuagenarius, septuaginta enim impleuit annos, & non longè ab hoc tempore,& regno,& vita defunctus est.

3. *Cúmque operiretur vestibus,non calefiebat.*] Senilis ætatis id propriū est,vt maximè patiatur à frigore atque ideo gelu,& frigus sæpe de senectute dicūtur, *& frigidum* familiare est senectutis epitheton. Sic sanè homines in ętate meliori robusti,cùm ad ætatē senilē veniunt, frigere se dicūt, & omnino rebus gerēdis inutiles se esse queruntur,& dolent. Robustus erat Euāder,clarissimísque trophæis illustris,vt ipse de se gloriosè prędicat apud Maronē lib.5. Æneid. sed in senectute algere se docet,& tractandis armis prorsus ineptū, & Entellus robustissimus antea; de se tamen in senectute dicit,

*Senectus frigida.*

—*Sed enim gelidus,tardante senecta,*
*Sanguis habet,frigentque effeta in corpore vires.*

4. Doctores Hebræorum,quibus ex nostris nonnulli subscribūt,alias excogitarunt causas, cur Dauidis vestimēta,quæ non videbātur parū accommodata ad fouendū frigidū, & senile corpus, nullū illi vsū,aut nō nisi exiguū attulerint.Sed illę omnes eiusmodi sūt,vt nemini sano probari debeāt.Dicūt enim hoc esse suppliciū,quod expēdit Dauid,propterea quòd orā chlamydis abscidit,quę regij corporis tegumētū erat,& insigne.Quare voluit Deus ne illū à vestimētis vsū caperet Dauid,qui defecta regię chlamydis ora tā grauis personę,quā reuereri debuisset,vestē deformasset. Alias fingūt nihilo ista magis opportunas, quales cuilibet fingere prōptū est. Sed qui nouit Regē ad septuagesimū ætatis annū esse prouectum,quāuis antea nouerit robustissimo esse corpore,& laboris patiētissimo, sanè de inuestigāda alia grauiori ratione nō laborabit.Vide hac de re plura apud Abulēsē q.2.fieri tamē potuit,vt ad senile frigus morbus etiā accederet aliquis ex illis, qui mēbra contrahunt ; & infrigidant,inducúntque tremorem,ac paralysim.

*Dauid cur in senectute frigeret.*

Agit hac de re pluribus Vallesius de sacra Philosophia c. 19. & docet Dauidē naturalis caloris inopia laborasse,cui subuenire nō possūt vestimēta,aut aliquis alius calor,qui est ab igne,seu à sole.Nō vestimēta,quia hęc calefacere non possunt membra calore proprio,quem nō habent, neque actu vt ignis,neque potētia,vt medicamēta quædā,sed tantùm,quia calorem retinēt nostrum,aut quodā illius repercussu fouent.Neq; calor qui ab igne est,nā ille plurimùm differt ab innato,quem innatus per alterius contactū applicatus multum iuuat,& fouet. Atque ideo huiusmodi frigiditati subueniri posse docet Galenus lib.7. Methodi, si cū eo;qui eiusmodi patitur caloris defectū,assiduè cubet boni habitus puellus. Vnde credibile est medicorū hod esse cōsiliū,qui experientia, aut ex artis medicę disciplina nouerāt vnius naturalē exiguū ab vlteriūs naturali calore optimè foueri.

6. *Cur Dauid vestimentis non calefiat.*

Vers. 2. *Dixerunt ergo ei serui sui : Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem,* &c. ] Cur verò tam medici,quàm alij Regis familiares virginem adolescentulam quærendam esse dicant,

scito opus est. Non quærunt puellum, cùm illius fortasse calor non minus esset ad senile corpus fouendum idoneus, quàm qui est à puella. Virgine, quia ille neque præstare posset, quod hæc facit, neque tam esset ille concubitus à turpitudine vacuus. At vxores aliæ, seu concubinæ, quas habuit Dauid, quę in eodem cum Rege lectulo cubare sine periculo possent, iam erant vetulæ, neque fortasse in earum corporibus, aut vigebat calor, aut feruebat sanguis, qui, vt diximus, plerumque friget in grandæuo corpore. Sanè ex quo Dauid regnum primùm iniit totius Israelis, non legimus, aut vxorem accepisse, aut concubinam vllam, nisi fortasse Bethsabee. Quare omnes longæuas iam fuisse necesse est, cùm ab eo tempore triginta propè fuerint anni transacti. Concubinas verò cuiuscunque officij causa ad regium thalamum adhiberi, non erat è regia dignitate, cùm illas violasset Absalom incesto concubitu, & eam ob causam à Dauide iãpridem in arctam, licèt honestam, custodiam essent inclusæ, vt habes lib. 2. c. 20. Quare quærenda fuit virgo, tum quia illæ fœminæ, quarum iam antè est libata virginitas, aut quæ fuerunt aliquãdo puerperæ, calorem habent, aut magis tenuem, aut minus salubrem, quàm virgines, quæ, vt integræ sunt, sic etiam illarum integer est, ac viuidus calor. Qua de re vide Abulensem q. 4. vbi aliqua obseruat ex opinione Medicorum, quæ à fœminarum obsequio, maximè inuencularum, cõtra frigiditatem, & paralysim plurimum existimantur habere momenti.

7. *Virgo pulcherrima cur Dauidi quæsita.*

Hæc porrò puella, & virgo quæritur, & omniũ pulcherrima virgo quidem, quia illius calor opportunus magis, & quia regiam dignitatẽ minùs decebat puella, quæ ab alio priùs esset subacta. Pulcherrima verò, quia cùm deberet Regi semper astare, illiúsque & ministrare cibos, & curare corpus, si aliquid in ea deformitatis inesset, & nausearet ad illius faciẽ, & fastidiret cibos ab illius manu porrectos: fieri etenim solet, vt qui minus est ciborũ appetens, imò nauseante stomacho, fastidit omnia, non solùm patienter sed etiam iucundè capiat cibos, quos condiuit, aut ministrauit ille, quem amat, aut in quo mundities est; & aliquot amoris blandimenta. Quo artificio vsus est Amnon lib. 1. cap. 13. vt suam sibi voluptatẽ impleret, qui non dubitabat hoc fuisse parenti notũ, quando ab illo petiit simulato morbo, vt ad se mitteret sororẽ Thamar, de cuius manu cibos sumeret, quasi alij omnes fastidium mouerent stomacho, qui omne eduliorum genus auersaretur.

8. *Sunamitis Dauidis vxor.*

Neque mihi dubium est, quin ea fœmina sub ea conditione venerit in societatem, sinúmque Dauidis, vt cum illa citra culpam vllam habitare, & quamcumque consuetudinem habere potuerit. Alioqui quomodo tuto Rex ille, licèt effœto, & semi mortuo corpore, vsque adeo familiarem vsũ cum virgine specioſa, cuius mille sunt peccandi illecebræ, habere potuisset, per quam diabolus extinctos carbones ardere facit, & libidinis incendia in membris frigidis, & penè mortuis efferuescere. Quare probo quod visum est Theodoreto q. 7. & ex eo Procopio, Lyræ, Dionysio, & Caietano statim c. 2. immo & S. Hieronymo epist. 2. ad Nepotianum, qui Sunamitidem hanc vxorem appellat Dauidis. Abulensis concubinã esse concedit hîc q. 4. vxorem esse negat c. 2. q. 25. Quoduis horum à peccato liberat hoc Dauidis cum Sunamitide vsque adeò familiare consortiũ. Tropologicum sensum huius historiæ habes apud Hieronymũ in ep. ad Nepotianum de vita clericorum, vbi in Sunamitide sapientiam intelligit, quæ, vbi alia desunt adiumenta naturæ, comitatur, consolatur, & fouet senectutem.

Vers. 4. *Erat autem puella pulchra nimis, dormiebátque cum Rege, & ministrabat ei, Rex verò non cognouit eam.*] Quæsita est ex omnibus finibus Israel puella, quę maximè videbatur idonea, vt talia Regi præstaret, quæ ætas illa frigida, & longo iam æuo exhausta requirebat. Talis verò inuenta est in ciuitate Suna, quę pertinebat ad tribũ Issachar quę cũ Rege esset familiaris, & assidua, cũ illo, sic in eodem lecto dormiret, vt suo calore senile corpus arctius complexa calefaceret: nũquam tamen illã Rex, aut coniugali, aut amatorio cõcubitu cognouit. Quod planè prodigij instar est: quotus enim quisque, licèt saxeus esset, aut ferreus ad illius ignis attactũ non remolleſceret? Ex quo nonnulla cõiectura sumitur, vt credamus Sunamitidẽ hanc puellam, aut vxorem fuisse Dauidis, aut cõcubinã. Vt quid enim diceretur hęc virgo à Dauide non cognita, nisi legitimè cognosci potuisset? Neque quo tempore hæc iuuencula Regi familiare hoc præstitit officium, si erat affectus, vt congressum vllum tentaret, nisi legitimum, aut illud medicinæ, seu fomenti genus admitteret, cũ tanto animæ suæ; támque manifesto periculo. Deinde quòd tam graue peccatũ admiserat Adonias, cùm Abisag istam dari sibi vxorem à Salomone petiit, propter quod ab illo interfectus est, si ancillæ potius præstitit Regi, quàm concubinæ, aut vxoris officium? Quis enim vetuit quemquã cum parentis ancilla, cui nihil accidit à parentis intemperantia, coniugali fœdere coniungi? 9.

Vers. 5. *Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo.*] Cùm videret Adonias à parentis ætate non procul abesse supremũ diem; & neque parentis expectandã esse mortem, cùm vires exhausissent, & ætas senilis, & morbus, ita vt ad regendas imperij habenas minus esset idoneus, iã sibi persuaserat fore, vt breui regium iã ipse nomen obtineret, qui fratrũ omniũ maximus esset natu; neque ea præfectura videretur indignus; quare regios sibi spiritus assumpsit, & quod mente conceperat, ambitiosa oratione prædicabat, dicebátque audacter, & liberè, *ego regnabo.* 10.

*Fecitque sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.*] Hæc signa sunt, aut eius, qui se Regem esse meditatus, aut qui regnum ambit. Neque enim quisquam alius hæc assumpsit, aut signa occupati regni, aut Regis capitis munimenta. Quæ omnia etiam adhibuit Absalom lib. 2. c. 15. cùm ad regni fastigium aspiraret: cúmque eadem hîc, atque illic occurrerint verba, nihil est, quod hîc additum esse opus sit. Inde tu explicationem sume. 11.

Vers. 6. *Nec corripuit eum Pater suus aliquando, dicens: Quare hæc fecisti?* Non ignorabat Dauid quid eo tempore fecerat Adonias (quis enim ignoraret, quod sine strepitu, atque tumultu fieri non poterat?) neque quò spectarẽt Adoniæ consilia in quo speciẽ quamdã in tuebatur Absalomis, quem immaturi conatus, & præceps ambitio in mortem immaturã præcipitẽ egerunt. Vt autẽ erat animo in filios magis, quàm expediret, indulgẽti, ac molli neque corripuit, neque seuera aliqua oratione perstrinxit. Quo id consequutus est, vt dũ filiũ lactat, in Salomonis gladiũ impegerit. Sicut ante Amnonẽ, qui sororem incesto concubitu compressérat, quem dũ contristare seuera admonitione nõ vult, impunitum à parente frater Absalom, non leuiori illum quàm capitali supplicio mulctauit. 12.

*Reprehensibilis nimis in filios parentum indulgentia.*

*Erat*

13. *Erat autem & ipſe pulcher valde.* ] Pulchritudo blanda animorum conciliatrix eſt, qua & antea, cùm ſimilia meditaretur Abſalom,populum fecit ſuum, & nunc etiam Adonias,dum equitibus ſuperbit,& curribus,& prætorianis militibus ſtipatus incedit. Qui ſua pulcritudine,ſic etiam ceperat paternos oculos, vt nihil ab eo aduerſum audierit,cùm illa iuuenilis audacia ſeueram aliquam reprehenſionem exigeret.

14. Verſ. 7. *Sermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacerdote.*]Hos duos viros principes,alterum in ſacris, cùm ſummus eſſet ſacerdos, alterũ in re bellica, cùm princeps eſſet exercitus, ad illud prorſus immaturum coniurationis conſilium adhibuit. Quod vtrique carò non longè poſt ſtetit.Alter enim ſacerdotio ideo,alter, tum propter alia crimina, tum etiam propter hanc ſocietatem vita priuatus eſt.

15. Verſ.9. *Immolatis ergo Adonias arietibus,& vitulis,& vniuerſis pinguibus.*]In vnctione, aut in auguratione Regum immolari ſolitas eſſe victimas, multis exemplis iam ſuprà docuimus. Nam cùm ſecundò vnctus fuit Saul, & Rex à populo conclamatus,oblata fuere ſacrificia 1.Reg.c.11. Item cùm vnctus fuit ſecundò Salomon lib.1.Par.c.19. verſ.21.

16. *Qui erat vicinus fonti Rogel.* ] Locus notatur, vbi oblatæ victimæ,& inſtructa conuiuia, de quibus poſtea v.41.Adonias,quique cum illo erant intenti tam victimis,quàm geniali conuiuio,audierunt buccinæ clangorem,quo tẽpore triumphali more Salomon iam vnctus, & conclamatus Rex à populo traducebatur.Item quia fons Rogel non procul abeſt à Ieruſalem:imò videtur affixus eſſe mõti,cui inſidet ciuitas.Ibi enim conſtiterunt Achimaas,& Ionathas,vt quid rerum fieret ab Abſalome Hieroſolymam ad Dauidem perferrent. lib.2. Reg.17. v.17. Hic porro fons communis erat tribui Iuda, & Beniamin, quia, vt conſtat ex lib. Ioſue cap. 15.& c. 18. linea, quæ vtramque diuidit tribum, fontem ipſum interſecat. Lapis porrò ille, iuxta quem immolatæ ſunt victimæ,& inſtructæ coniuratorum epulæ ideo creditur appellatus Zoheleth,quia prope illum ſerperent atque fontis Rogel. Id enim valet aliquando זחל *Zachal* à quo lapis ille nomen accepit. Ita putat Rab.Dauid.Neque deeſt ex Hebræis,qui putet lapidem illum non eſſe viuum, & affixum loco fonti vicino, ſed ſeparatum, & in illam efformatam ſpeciem, quam haberet Romanorum diſcus, in quo iuuenes ſuas ſolent certatim explorare vires, quémque lapidem Hebræi oneris appellant. De quo nos pluribus ad illud Zach.c.12.v.3. *Ponam Ieruſalem lapidem oneris.*Ita Rab.Salomon. Porrò Rogel fons ille exiſtimatur, qui à nonnullis dicitur *fons fullonis*,& à quo fullonis ager nomen accepit. Neque aliqua deeſt cõiectura ſumpta à nomine רגל *Reguel*,quod ſignificat pedẽ.Fullo enim in emundandis, & dealbandis pannis nõ tam manibus vtitur,quàm pedibus. Sic docet Plinius lib. 28.c.6.vbi dicit vrinam virilem vim magnam habere contra podagrã,cui rei argumento eſſe dicit, quia fullones eo morbo non laborant: quæ ratio omnino valeret nihil, niſi opus illud pedibus magis ageretur, quàm manibus. Sanè Titinnius in Fullonia,apud.Nonnium crebro,multiplicíque ſufultu emaculari, & candefieri à fullone veſtes oſtendit. Sic enim ille,

*Terra hæc eſt,non aqua,*
*Vbi tu ſolitus argutarier pedibus,*
*Cretam dum compeſcis,veſtimentaque lauas.*

Gaſp.Sanctij Com.in lib.Reg.

*Fons Rogel quid.*

*Fullo non tam manibus, quàm pedibus vtitur in emundandis pannis.*

Verſ. 10. *Nathan autem prophetam,& Banaiã,& robuſtos quoſque,& Salomonem non vocauit.*]Nõ auſus eſt,opinor,Adonias his impartiri ſua conſilia,quia in re illa procuranda adfuturos ſibi non putabat. Sciebat enim,vt reor, Adonias,quid de ſucceſſore pater ſtatuiſſet,& quemadmodum aliquando promiſiſſet Bethſabee,ipſius filium Salomonẽ Iſraelitici regni habiturum habenas.Quod non ignorabant domeſtici, quíque Regi familiariter aſſidebant,qualis erat Nathan,vt ipſe ſtatim oſtendit,& Banaias,& robuſti illi, quibus credita fuerat regij corporis prætoriana cuſtodia. Hi verò ſunt Cerethæi,& Phelethæi,quibus, vt liquet ex c.20. lib.2. præerat Banaias.Alios itaque adhibuit,quos à ſuis conſiliis minùs exiſtimabat alienos: ab his autem ſibi cauerat,de quorum fide,atque animo ſibi metuebat. 18.

Verſ. 11. *Dixitque Nathan ad Bethſabee.* ]Quia vxores regiæ,vt illarum decebat dignitatẽ,& nomen, in gynæceo erant, aut fœmineo ſeceſſu,quo minus ſæpe veniunt,quæ foris fiunt, ac populari in turba;ideo cùm res eſſet explorata vulgo,ignorabat tamen Bethſabee, ad quam Nathan refert quid moliretur Adonias, quantum ipſi, & filio Salomoni imminebat periculi, & quomodo obtinere poſſet à rege,Salomoni regnum,quo iam pene Dauid defunctus videbatur. 19.

Verſ.12.*Salua animam tuã,filiíque tui Salomonis.*] Norat Nathan quàm præceps ſit ambitio,cæca,& amẽs regnandi cupiditas,quàm nihil curet humanitatis,atque naturæ leges.Atque ideo timere poterat,ne Adonias Bethſabee matri, & Salomoni filio aliquid intentaret hoſtile,ne quid eſſet quod regni ſui ſtatũ perturbaret.Sanè ſcimus multos regnandi ſtudio fratribus ſuis attuliſſe necem apud profanos exẽpla ſunt explorata,atq; obuia.Ochus Perſarũ Rex,vt tradit Iuſtinus lib.10.quo liber regnaret,& ſine metu,fratres occidit octoginta. Et Phaartes,vt docet idem lib.42.Parthorũ Rex,quo regnum obtineret Herodem patrem,& triginta filios interemit. Cuius diræ,atque impiæ atrocitatis exẽpla vno nobis Othomana domus ſuppeditat,quæ ſæpe,vt regnum obtineret,ſceleratũ ferrũ fraterno ſanguine cruentauit. Eodẽ conſilio Abimelec Gedeonis filius,vt habes Iud.9.ſeptuaginta fratres interfecit, ne ſupereſſet vnus ex tanta familia,qui regnum ambiret aut à ſe fraudulẽtis occupatũ conſiliis nouarum rerũ molitione turbaret.Idẽ fecit Iorã Rex Iuda,qui ſex fratres occidit lib.2.Par.c.21.Idẽ quoque ne faceret, timeri potuit Adonias,cùm ſciret eò inclinatũ parentis animũ,vt Salomonem in regno ſui locoſufficeret;qui eo nomine cõparare ſibi potuit ſtudia populi, qui neque malè animatus erat in Dauidẽ, & ideo factum vellet,quod priùs, & deſignaſſet animo, & verbis non obſcuris ſignificaſſet.Quare prudenter admonetur à Nathã propheta Bethſabee,vt Adoniæ conſilium anteuertat,& ſuæ,& Salomonis filij vitæ maturè proſpiciat. 20. *Qui fratres occiderunt regni cupiditate.*

Verſ.16.*Inclinauit ſe Bethſabee,& adorauit Regẽ.*] Placuit Bethſabee prophetæ cõſilium, atque ideo ſtatim Regem adiit, illúmqne de more adorauit. Eſt autem,adorare,inclinare ſe,& prono vultu aliquam in altero maiorẽ dignitatem agnoſcere: eius rei nunquã in Scriptura non occurrũt exempla lib.1.Reg.c.20.v.11.Dauid adoraſſe dicitur Ionatham;& iterum Saulem c.24.v.9.AbigailDauidem c.25.v.23. eundem fœmina Thecuitis lib.2. c.14. v.4.Hæc porrò adoratio vrbanus eſt modus captandæ benevolentiæ,& placandi animi grauiùs offenſi. 21. *Adorare quid.*

*Ad quam Rex, Quid tibi, inquit, vis?*] Nouam aliquam curam iniecit Regi tam insolitus,& inopinatus Bethsabee aduentus, cùm, ex quo ille rei coniugali ineptus esse cepit,neque illam, vt opinor,neque vllam è tanta vxorum,concubinarumque multitudine ad se,aut vocauerit,aut admiserit,vna contentus Sunamitide,non tam ad conubiale negotium,quàm ad curandum frigidum, & senile corpus. Aliquid ergo,& nouum,& magnum suspicatus rogat,ecquid acciderit noui, ecquid à se exoratum velit.

23. Vers.17. *Domine mi,tu iurasti per Dominum Deũ tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo.*] Quo loco Dauid iurauerit vxori Bethsabee de Salomonis regno non cõstat ex scriptura liquidò; sed est verisimile tunc de Salomonis solio iurisiurandi interposuisse firmitatem,quando mortuo paruulo, qui ex adulterio conceptus fuerat, illam eam ob rem grauiter dolentem consolatus est. Neque obstat quòd tũc nondum erat Salomon natus; quia id tantùm cõcedere potuit Dauid, vt qui ex Bethsabee primus nasceretur, quicunque ille esset, neque enim de illius nomine quidquam statuerat, in suo sederet solio. Quod deinde sæpe, licèt scriptura sacra id non expresserit, post Salomonem natum id iuramento firmauit, præsente fortasse Nathan, qui hoc non ignorabat, quando ea de re matrem admonuit v. 12. Aut fortasse hoc ipsum audiuit à Bethsabee, cui erat familiaris, pro eo, quòd Salomonis, vt existimatur magister fuit, & pædagogus.

24. *Salomõ cur ex omnibus fratribus constitutus Rex.* Quærunt hîc Hebræorum magistri, cur cùm tot essent Dauidis filij,neque quicquam à Deo de Salomone certum accepisset, designauerit tamen Salomonem Regem; idque Bethsabee matri iureiurando promiserit? Non dubium quin Dominus ex omnibus fratribus vnum Salomonem ad regium nomen,& pondus euocauerit,idque notum fuisse Dauidi,constat ex lib.1.Par.c.28.v.5.vbi sic Dauidi ad populi proceres,quos ad id negotij vndecumque ex Israelis finibus accersierat. *De filiis meis (multos enim filios mihi dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum,vt sederet in throno regni Domini super Israel,dixitque mihi, Salomon filius tuus ædificauit domum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium.* Didicit hoc à Domino, vt opinor, sæpe; sed didicisse antequam Salomon nasceretur imò antequam esset conceptus, multa suadent. Primum, quia Dauid ipse hanc se à Domino vocem tunc accepisse dicit, cùm de construenda diuinæ maiestati domo cogitabat. Quod planè accidit longe antequam Salomonis matrem è solario prospiceret. Cùm autem promissio foret de filio non tũc nato; sed nascituro postea,neque post illud tempus vllum Dauid filium præter Salomonem suscepisse, facilè cognouit illum ad regnum fuisse vocatum.

25. *Dauid iurauit præficiendum esse regno Salomon.* Non dubito sæpè à Dauide Bethsabee vxori regnum esse promissum, postquam natus est Salomon, de cuius ipsa dignitate laborabat, maximè cùm ille, vt illa ferebat ætas,præberet multa, & præclarę indolis,& singularis ingenij documenta. Sed & hoc idem pollicitum esse Regem, quo tẽpore vxorem consolatus est, id est, antequam Salomon lucem aspexisset,satis est (vt nonnulli putant verisimile. Inter quos est Abulensis q. 30. & Hebræi, vt refert ibi, & Hieronymus in tradit. Hebr.ad hunc locum,sed cui eo temporis articulo de Salomonis regno curauerit Dauid,hanc rationem tradiderunt Hebræi,sic sanè Rab. Dauid.

A Cùm Dauid, inquit, vellet defuncto puero, qui natus fuerat è furtiuo concubitu, iterum Bethsabee iam vxorem legitimo cognoscere concubitu, illa recusabat, quasi omnes filios mors maneret immatura,& præceps,ne videretur enixa puerum sed peperisse æternam lamentandi materiam, sed Dauid,vt illam demulceret,meliori iubet esse animo, docétque sibi promissum esse filium, qui in regni solio parenti succedat: illum verò futurum qui ex ea nasceretur,iuramento firmauit. Alia etiam adducitur causa, quia cùm omnes nossent Bethsabee prodito legitimo, ac coniugali toro, adulterinos congressus,adulterij censeretur rea,& omnes filij adulterini haberentur, & ignobiles. Quare dicebat Bethsabee videri sibi durum, si B quotquot ex ea nascerentur filij,hoc conuitio,aut alio simili iactarentur à populo. Ad quam Dauid longè aliud futurum esse dicit populi iudicium, Nam eum, qui ex ea nasciturus est filius, præferendum esse aliis,& regium occupaturum esse solium. De qua re ne vlla posset esse dubitatio iurisiurandi sacram fidem interponit. Quam explicationem probabilem facit id, quod statim ipsa dicit Bethsabee v.21. *Erimus ego,& filius meus Salomon peccatores*,cuius statim nos explicationem addemus.

Vers. 20. *In te oculi respiciunt totius Israel,vt indices eis quis sedere debeat in solio tuo.*] His verbis indicat Bethsabee à Nathan propheta,vt opinor,instructa,penes Regem esse,quem vellet ex filiis regno præponere. Atque adeò curandum non esse, C quis illorum fuerit,aut ætate maximus, aut natu minimus,quasi regnum tribuat non ordo nascendi,sed Regis voluntas; quam voluntatem expectat populus, quasi compertum haberet posse Regem pro suo arbitratu de regno, regnique moderatore & capite statuere. Et quidem primis Regum temporibus,vbi ea de re nihil erat à lege, seu consuetudine constitutum,ita factum arbitror. Nam aliis temporibus aliã fortassis Regis creandi formam induxit consuetudo. Sanè Roboam Salomonis filius, cùm multos haberet filios, Abiã elegit; cùm tamẽ alij forent non pauci natu maiores,vt verisimile est ex lib.2.Par.c.11.v.18. Cùm enim duxisset vxores alias,& concubinas, postremo loco duxit D Maacha Absalomis filiam, ex qua suscepit Abiam postquam ex aliis,vt apparet,plurimos suscepisset filios; quem Regem constituit,non quia primogenitum, sed quia regno magis putabat idoneũ. De quo ibi; *Constituit verò* (Roboam) *in capite Abiam, filium Maacha,ducem super omnes fratres suos: ipsum enim Regem facere cogitabat,quia sapientior fuit,& potentior super omnes filios eius.*

*Primis temporibus non necessariò primogenitus succedebat in regno.*

Aliis verò posterioribus temporibus aliud puto constitutũ,aut legibus,aut consuetudine, quæ 27. legis instar obtinet,introductum. Quod sumpsisse videntur Hebræi à finitimis Regibus,quorum primogeniti solium occupant à patre regno,vitaque defuncto,relictum. Sic sanè Ægyptiis esse legitimum, docet illud Exod.c.11.v.5. *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum à primogenito Pharaonis,qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitũ ancillæ.* Idem cõstat de Moabitis ex illo lib.4. Reg. 3.v.27.vbi de Rege Moab scribitur, *Arripiénsque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.* Idem etiam iam aliquot exactis sæculis fuisse in vsu apud Hebræos, satis, opinor, probat Iosaphat, qui Ioram primogenito filio regnum attribuit, neque alia redditur causa, nisi quia fratrum suorum erat ætate maximus. De quo sic lib.2.Paral. cap.21.v.3.

*Primogenitus regni successor.*

*deditque*

*deditque eis* (nempe Ioſaphat aliis filiis) *pater ſuus multa munera argenti,& auri,& penſitationes cum ciuitatibus munitiſſimis in Iuda: regnum autem tradidit Ioram, eo quòd eſſet primogenitus.* Deinde c.22.v.1. regnaſſe traditur Ochozias filius Ioram: cur autem ille, cum eſſet fratrum minimus, ad regnum fuerit euectus, ea redditur cauſa, quia fratres alij maiores natu occiſi fuerant; quaſi illi ex lege, aut conſuetudine populi regnaturi fuerint. *Conſtituerunt autem habitatores Iſrael Ochoziam filium eius minimũ Regem pro eo: omnes enim maiores natu qui ante eum fuerant, interfecerant latrones.* De hoc iure plura diſputandi non eſt mei inſtituti. Vide Abulenſ. ſuper hoc c.q.32.

28. Verſ. 21. *Eritque cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus ſuis, erimus ego,& filius meus Salomon peccatores.* ] Multum apud Regem neque imprudentem, neque iniuriæ immemorem ponderis habere potuit ratio, quam extremo loco poſuit Salomonis mater Bethſabee, quæ non magis de ſua, quàm de filij incolumitate, & bono nomine laborat. Accerſiuit, vt ſuo loco diximus, Dauid Bethſabee, fecítque aut pro regia auctoritate, aut alio quouis artificio, vt, prodito legitimo toro, alterius libidini ſuccumberet; quod populum latere non potuit, cùm tam eſſent perſonæ graues, graue peccatum grauis Vriæ iniuria. Hoc verò flagitium, & inſignis infamia regio tegebatur, aut premebatur nomine. Quare viuo, ac ſoſpite nihil ſibi, ac filio metuebat Bethſabee, etiamſi regnaret Adonias; quia patris auctoritas illius manus, quãtumuis ſceleratas, ab iniuria, & cæde cohiberet; at Dauide mortuo timebat omnia. Atque ideò dixit, *cùm dormierit Dominus meus Rex.*

29. *Erimus ego,& filius meus Salomon peccatores.* ] Tales iudicabuntur, aut quia Salomon de regno pulſus, Dauidis ipſius iudicio, indignus iudicatur regio nomine, quaſi adulteræ filius, aut certè ex adulterio ſuſceptus, quem ex ſe natum Rex ipſe nõ agnoſceret (quid enim mirum, ſi quæ ſemel fidem prodidit coniugalem, regium etiam thalamum alterius libidini intemperantiùs obſequuta temeraret.) Quare ſi Rex Bethſabee, ac filij, nullam rationem habuiſſet, ſuſpicari non nemo poſſet, & Salomonem à Rege alienum eſſe iudicatum, & matrem pudori ſuo minus conſuluiſſe, quàm pudicas deceret, & eas, quas tanto Reges nomine dignantur. Quod ſenſiſſe videntur Hebræi, qui) vt in eorum tradit. refert Hieronymus) dicunt, ſi è regno repellatur Salomon, iudicandum eſſe Manzerem, id eſt, de ſcorto natum. Sic enim explicat Hieronymus Deut. c.23.v.2. *Non ingredietur manzer*, id eſt, *de ſcorto natus in Eccleſiam Domini.* Aut certè quod eſt longè veriſimilius exiſtimabat prudens fœmina, quòd homines, qui de Vriæ cæde, & de ipſius intemperantia duriùs ſentiebant, atque etiam licèt in occulto, & cautè grauiùs loquebantur (quia illorum linguas Regis autoritas, ac metus conſtrinxerat (poſtquam iam eſſet Rex è medio ſublatus, loquerentur iam ſine vllo metu, & liberè & de filio, ac matre, facta, atque infecta procaci eiulgarent, publicóque conuitio.

*Manzer quid.*

30. Seu certè cùm priùs dixiſſet Nathan v.12. *Saluа animam tuam, filíque tui Salomonis.* veriſimile eſt cogitaſſe tunc Prophetam & nunc Bethſabee, Adonia regnante ſibi, ac filio Salomoni fore pereundum; etiamſi nihil ſibi ſceleris foret admiſſum. Neque enim, vt ſuprà diximus, qui in regno ſunt, facilè ferunt eſſe in viuis eos, qui eamdem ſecum dignitatem ambire poſſunt, aut rebus ſtudere nouis, quę ſtatum regni moueant, atque conturbent. Neque infrequens eſt aliquid contra inſontes excogitari ſceleris, quo illi magno ſuo merito, de ſtatu, ac vita deiecti exiſtimentur; vt fecit Achab contra Naboth: tunc autem hominum vulgo exiſtimarentur peccatores, quia plerumque tales de ſtatu, ac vita deturbari ſolent.

Verſ. 23. *Et nunciauerunt Regi dicentes: Adeſt Nathan propheta.* ] Compoſito, & valde attẽperatè venit Nathan, quo tẽpore conqueſta de Adonia fuerat Bethſabee. Erant autem, vt conſtat, atrienſes pueri, qui ſeruarent oſtia, & eos qui ſalutatum Regem, aut conuentum vellent, aut admitterent pro vt Regi viſum eſſet, aut excluderent. Hi ergo aſtare dicunt ad fores Nathan prophetam, quem cùm videret ingredi, ſtatim foras eſt egreſſa Bethſabee: aut quia ſic meliùs expeditum iri exiſtimabat Salomonis cauſam, aut quia, cùm Rex arcanum sẽper aliquid ſolitus eſſet impertiri Prophetæ, vrbanitatis eſſe exiſtimauit non intereſſe vtriuſque colloquio, in quo neque leuia, neque vulgaria agitari conſueuiſſent. 31.

*Cúmque introiſſet in conſpectu Regis,& adoraſſet eũ pronus.* ] Quid ſit adorare aliquem, aut aliquid, in quo diuini nihil ſit, diximus ſuprà v.16. vbi hoc ipſum feciſſe traditur Bethſabee.

Verſ. 24. *Domine mi Rex: tu dixiſti: Adonias regnet poſt me?* ] Nihil, opinor, magnum ſtatuebat Dauid, quod nõ priùs cum Nathan propheta familiariter contuliſſet. Quod indicauit ipſe Nathan v. 27. *Nunquid à Domino meo Rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicaſti?* Atq; ideò quaſi miraretur quod tanta, ſe inconſulto, atque inſcio eſſet peracta ſeu incepta, rogat Regem an ipſe id ſtatuiſſet, vel ignorante Rege, id eſſet aggreſſus Adonias? ſicut paucis ante diebus tentauit Abſalom, aut ſaltem videret quid in ea rerũ nouitate opus eſſet facto. 32.

Verſ. 25. *Illiſque veſcentibus, & bibentibus coram eo; & dicentibus: Viuat Rex Adonias.* ] An in Regum auguratione publicum inſtrueretur epulum, quaſi legitimum, incertum eſt. Inſtructum tamen aliquando conſtat, vt in ſecunda Salomonis vnctione. lib.1. Paral.cap.29.v.21. *immo lauerunt victimas Domino, & obtulerunt holocauſta die ſequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus ſuis, & vniuerſo ritu abundantiſſimo in omnem Iſrael.* Neque in prima Salomonis vnctione hoc regale conuiuium defuiſſe videtur; de quo Ioſephus lib. 7. c. 11. Cùm enim ageret de Salomone, cùm in regio throno primùm collocatus eſt, ait, *Populus totus ad conuiuia feſtiuitatéſque animum aduertit, choreis, & tibiis ſeſe oblectans, vt præ concentu inſtrumentorum terra ſimul,& aër reſonaret.* Neque eſt improbabile hoc idem contigiſſe, cùm vnctus fuit Dauid in Hebrõ, de quo eſt indicium aliquod, licèt obſcurum, 1. Paral.c.12. ad finem. Illud magis certum acclamationes eſſe in Regum augurationibus quaſi legitimas, quales ſunt, *Viuat Rex, feliciter*, & his ſimiles quamplurimas alias. Sic lib.1.c.10.v.25. electo Saule clamauit populus, *Viuat Rex.* Idem accidit lib.4.Reg.c.11. cùm Ioas in Regem fuit aſſumptus & id in Salomone & Adonia compertũ habemus & illuſtre teſtimonium. Acclamationes autem, & precationes huiuſmodi apud nationes alias in Regum renunciatione ſolemnes profana ſæpe prodit hiſtoria. 33.

*In Regum inauguratione publicum conuiuium.*

Verſ. 28. *Vocate ad me Bethſabee.* ] Egreſſa fuerat, diximus foras Bethſabee, ne videretur inter-eſſe ſermonibus, qui inter Prophetam, & Regem non videbantur futuri vulgares, quod obſeruauit Ioſephus lib. 7. cap. 11. Quam Rex de Adoniæ conſilio, réque tota certior, reuocari iubet, 34.

& quod priùs non semel interposita diuina fide promiserat, iterum sub eadem firmitate promittit.

35. Vers.29. *Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia.*] Familiaris erat Hebræis hæc iurisiurandi concipiendi forma, de cuius significatione alibi à nobis pluribus actum est. Cur verò communi formulę, atque vulgari addiderit Dauid *qui eruit animam meam de omni angustia*, ea videtur non aliena ratio; quia quo pluribus à Deo beneficiis cumulatus est, eo plurium est debitor, atque ideo constantior esse debet promissorum fides. Alioqui ingratus esset diuinis beneficiis, cùm iuramentum, nisi illud consequatur certa fides, non tam seruatæ sit religionis opus, quàm abiuratæ fraus, & iniuria.

36. *Salutatio familiaris ad Reges.* Vers. 31. *Viuat Dominus meus Dauid in æternum.*] Hęc vsitata salutatio est, quàm apud superiores, & principes vsurpare solent inferiores, & subditi. Sic Chaldæi, cùm primùm ad regium conspectum admissi sunt, Principem salutant. Dan.c.2.v. 4. *Rex in sempiternum viue*; eodem item modo cap. 3. v. 9. cap. 5. v. 10. cap. 6. v. 6. Neque longè hæc salutandi forma ab illa differt, de qua proximè; *Viuat Rex Salomon, viuat Rex Adonias.*

37. *Vrbanitatis vsitatus modus.* Vers. 32. *Dixit quoque Rex Dauid: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam.*] Quemadmodum cum ingressus est ad Regem Nathan, statim se subduxit Bethsabee, neque expectauit donec se inde Rex iuberet abscedere; sic etiam cum eadem Bethsabee ad regium conspectum reuocatur, quamprimùm foras se corripuit Nathan, alioqui non esset iussus ad eumdem locum iterum reuerti. Quod sanè vrbanæ disciplinæ, atque modestiæ præclarum documentum est.

38. *Magnum aliquid vtique, quod Regibus vsui fuit, est signum affectati imperij.* Vers. 33. *Tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam.*] Obseruauimus ad c.16. lib.2. num.15. argumentum esse affectati regni, aut obtinendi prognosticon, si quispiam his rebus vteretur, quæ regiam personam, aut comitarentur, aut ornarent. Quo modo si regia vteretur stola, aut regio insideret equo, aut regium secum seruum adduceret, qui tale exhiberet ipsi ministerium, quale antea Regi solitus esset impendere. Quod Esther cap.6. cupiebat Aman, dum vellet esse, aut existimari Regi simili: qui cum sibi persuasisset Assuerum de ipso maiorem in modum ornando cogitare, cùm rogaret quid fieri deberet viro, quem Rex honorare statuisset, respondit, *Homo, quem Rex honorare cupit, debuit indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primum de regis Principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur*, &c. Hæc eadem penè exhiberi Salomoni filio iubet Dauid, nam seruos suos viros inter domesticos præcipuos adesse iubet Salomoni, qui regio tantum obsequio de more, atque instituto vacabant. Suæ deinde mulæ insidere præcipit, ac tandem in suo solio collocari, & cùm adesse iubet regię traductioni, atque innaugurationi Banaian, qui prætoriano præerat satellitio; simul etiam iubet, vt custodiæ gratia adhibeantur illi; quibus erat regij corporis credita custodia; atque ideo nihil non regium comitatur, atque ornat Salomonem.

39. *Gihon quid.* *Et ducite eum in Gihon.*] De Gihō nihil habemus certum, quidam montem esse putant, alij fontem, alij alia, quidam intra ciuitatis ambitum locant; alij è mœnibus extrahunt, quibus neque vllum est ex Scriptura fundamentum, neque vlla grauis coniectura. Placet quod alij communiter probant esse nempe fontem, quod ex antiquis tenent Hebræi, & Iosephus lib.7.c.11. Hieronymus de locis Hebraicis, Theodoretus, Procopius, Abulensis, & alij. Ego ex nomine ipso coniecturam capio, vt credam fontem esse, aut riuum, stagnúmve oppositum fonti Rogel. Gihon enim nomen est fluuij, qui egreditur è paradiso, Gen. cap.1.v.13. qui Nilus esse dicitur; cùm fluuius iste nobilis sit, & notus Hebræis maximè, qui non longè absunt ab Ægyptiis, sit, vt Nili nomen, aut εἰρωνικῶς alia de causa, non solùm fontibus, sed etiam riuis, aut torrentibus imponatur. Sic sanè aquæ per tubos, aut canales inductæ nobilium, atque ingentium fluminum nomen assumpsere, & inter alia nomina Eurippi, & Nili fuere frequentissima. Sic sanè docuit Cicero lib.2.de legibus in principio. *Ductus*, inquit, *aquarum, quos isti Nilos, & Euripposvocant, quis non, cùm hæc videat, irriserit?* Hæc videtur, licèt obscurè, voluisse Theodoretus q.2.vbi dicit, *Siloem cognominatum esse Gihon, vel tamquam valde paruum per ironiam, vel quia ipse quoque exit ex obscuris sub terra meatibus, sicut Nilus.* Quòd si fons Siloë hoc tempore per tubos, & canales esset intra mœnia ciuitatis inductus, sicut Ezechia regnāte, valeret plurimum illa ratio, quam ex Cicerone nuper adducebamus; quòd videlicet aqua eo artificio in aliquem locum deriuata Eurippus appellatur Gihon, quem Ezechias auertit ad occidentalem partem ciuitatis Dauid, habemus ex lib.2. Paralip. cap.22. vers.30. *Ipse est Ezechias qui obturauit superiorem partem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad occidentem vrbis Dauid.* Quo autem consilio aquas illas obturarit, & auerterit Ezechias, habemus ex Ecclesiastico cap.48. vers.19. *Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit puteum.*

*Nomina fluuiorum imposita fontibus & riuis.*

Hunc porrò fontem, siue Siloe, esse putes cum Abulensi, & aliis, siue alium quemuis, procul esse à Rogel ex eo coniecto, quia non ignorabat Dauid prope fontem Rogel factos esse illorum hominum conuentus, qui Regem proclamarunt Adoniam, & quibus instructum esset, non tam à Rege, quàm à regij nominis aucupe, geniale conuiuium. Quare cùm ad Gihon deduci iubet Salomonem, id agit ne duo illi exercitus, quorum in diuersos illos Reges diuersa sunt studia, si in eadem, aut vicina loca coeant, manus inter se conserant, & illa inauguratio non sit futura sine sanguine. 40.

Vers.34. *Et vngat eum ibi Sadoc sacerdos.*] Abul. hîc q. 36. putat Reges olim quasi legitimo ritu iuxta fontes, aut arbores vngi solere, & inauguratione solemni Reges salutari. Quod probat, quia Adonias vnctus fuit, vt proximè vidimus, prope fontem Rogel, & Abimelec Gedeonis filius, vt ex c.9. Iudic. liquet, ad quercum Sichem. Sed mirum quòd aliæ vnctiones, proclamationésque populares, neque ad fontes, neque sub arbore dicuntur factæ. Ego ita puto Abimelec, & Adoniam locum elegisse desertum, quia ad illud opus, & articulum nullus videbatur opportunus magis, neque rationem habuisse vllam, aut fontis, aut quercus. Non erat, opinor, in Sichem locus magis amplus, & frequens, quam vbi erat quercus, neque Adoniæ, cùm esset prope Hierosolymam, tutum erat in ipsa ciuitate rem tentare, patre adhuc viuente, ac sospite, quam nemo bonus, & patriæ studiosus probaret. Quare locum elegit extra mœnia, extra populi frequentiam, vbi nullus 41.

lus à coniuratione alienus obſtreperet, & fontis amœnitas ſtationem præberet commodam epulanti, atque exultanti populo. At dices, cur Dauid ad fontem Gihon iubet Salomonem inungi? Sanè non ſine cauſa, vt quemadmodum Adoniæ Salomonem oppoſuit; ſic etiam locum opponeret loco, amœnum amœno, extra vrbẽ, ſed vrbi proximo, vt qui proclamatum Regem audiiſſent Adoniam, illi etiam breui proclamatum, & vnctum noſſent Salomonem. Deinde quia magis ſolennis eſſet regius ille progreſſus, ſi ex agro, aut loco ſuburbano in ciuitatem aſcenderet. Quemadmodum magis eſt ſolennis, & hilaris in nuptialibus ſacris ſponſæ pompa, cùm ex agro in vrbem cum facibus, & ſymphonia in geniali ferculo traducitur.

42. *Et canetis buccina, atque dicetis: Viuat Rex Salomon.*] Dixerat populus qui in Adoniæ cauſam conſpirauerat, *Viuat Rex Adonias.* Neque, vt opinor, licèt nihil habeamus à ſacro textu, ſine clangore buccinæ. Hoc ipſum iubet Dauid vt fiat in Salomonis vnctione, vt perſtrepenti Adoniæ ſalutationi, obſtrepat Salomonis acclamatio. Hæc, credo, erat in eligendo Rege ſi non legitima, at certè apud Hebræos vſitata forma. De ceremoniis porrò quæ in Regum inauguratione ſolent adhiberi, diximus libro primo capite 10. ſatis latè; quos tu vide apud Abulenſem in hoc capite quæſt. 37.

43. Verſ. 35. *Illíque præcipiam, vt ſit dux ſuper Iſrael, & ſuper Iudam.*] Quo magis conſtaret Salomonem eſſe Regem, iubet Dauid, vt illum iam vnctum, & proclamatum ſolemni forma adſe deducant illi, quibus datum erat negotij, vt ipſe publicè Salomonis commendet regni tutelam, & adminiſtrationem, & edicat aliis, vt illum tamquam regni caput amplectantur, & colant.

REGVLA. *Quæ magna ſunt, ſeorſũ ab aliis numerantur.* Quæret aliquis cur cùm Iuda ſit vna è tribus duodecim Iſrael, atque adeò in Iſraelis communi nomine contineatur; numeretur tamen ſeorſum ab aliis? Sed eſt reſponſio non difficilis ex illa regula, qua vſi ſæpe ſumus, quæ docet illa, quæ in aliquo genere maximè excellũt, licèt ſub generali, atque communi contineantur nomine ſolere nominari ſeparatim ab aliis: atque ita cùm tribus Iuda ſit omnium nobiliſſima, ſeorſum ſæpe ab aliis nominatur. Exemplorum nos ſatis adduximus lib. 1. ad cap. 22. dum explicaremus illud v. 1. *De manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul.* Aut certè, quia Adoniam viri Iuda præcipuè Regem ſalutarant, vt ſuadet verſus 9. vbi viri Iuda dicuntur ad electionem illam fuiſſe vocati. Hi igitur ſignatè nominantur à Rege, quaſi dicat etiam illos, qui ſibi Adoniam Regem elegerunt, Salomonis poteſtati fore ſubiectos.

44. Amen, *dictio.* Verſ. 36. *Et reſpondit Banaias filius Ioiadæ Regi dicens: Amen.*] De hac voce, *Amen*, diximus ad illud Iſaiæ cap. 25. *Cogitationes antiquas fideles, Amen.* vbi diximus hanc vocem interdum eſſe aduerbium, quo quæ aliis in voto ſunt, aut confirmamus, aut optamus, precamúrque, vt eo contingant euentu, quem alij expectant, aut optant. Id igitur nunc ſuo, & aliorum nomine agit Banaias; optat enim vt Salomon iuxta Regis vota dux ſit Iſraelis, & Iuda, quaſi dicat, *Ita fiat ſicut tu vis.*

45. *Sic loquatur Dominus Deus domini mei Regis,*] id eſt, vtinam quod nos dicimus, optamúſque, Dominus etiam dicat, atque confirmet. Quaſi dicat, ſicut ego meo, atque aliorum nomine dico, *fiat*, ſeu, *vtinam*, (id enim valet *Amen*) ſic Dominus Deus, quem dominus meus Rex colit, & obſeruat, dicat ſuo nomine, Amen, ratúmque faciat Regis mei votum, atque decretum.

Verſ. 37. *Sublimius faciat ſolium eius à ſolio domini mei Regis.*] Satis norat Banaias Dauidis ingenium, quàm non eſſet inuidum, quàm filiorum amans, & indulgens: neque dubitabat illi fore gratiſſimum, quidquid Salomoni filio ſecundum accideret, etiamſi multo eſſet in rerum euentu fortunatior. Non, credo, magis amabat Salomonem Dauid, quàm Abſalomem; & tamen tulit illius mortem grauius, quàm perferret ſuam: id enim valet illud, *Abſalom fili mi, quis mihi det, vt ego moriar pro te?* Quare non mirum ſi nunc optet, vt magis ſit fortunatum Salomonis regnum, quàm ipſe in magis florente regni ſtatu foret expertus. Notum eſt illud Rebeccæ votum Gen. 27. quæ, vt auctum videret filium, quem amabat, benedictione paterna, non exhorruit diram Iſaac execrationem in caput ſuum intorqueri. Notum illud Agrippinæ matris Neronis, quæ cùm ab auſpicibus didiciſſet perituram ſe, ſi filius imperatoriam dignitatem obtineret, reſpondit, *ſibi non videri mortis illam fatalem neceſſitatem horribilem, dummodo filius eſſet compos imperij.* Quare cùm nihil Regi Banaias precetur aduerſum, ſed tantùm magis ſublime Salomonis regnum, nihil dicit, quod regiis auribus accidere poſſet ingratum: imò quod non accidat longè grauiſſimum. Imò arbitror illam eſſe communem, & quaſi legitimam bene precandi, & ominandi formam, cùm agimus cum illis, quibus gratiſſimum fore exiſtimamus ſecundam aliorum fortunam. Vt ſi parenti iam grandæuo gratulemur de recèns nato filio; non malè, neque inurbanè diceremus, *Impleat, atque adeò ſuperet puer annos tuos.* Hanc porrò gratulationem eſſe communem, & quaſi legitimam, argumento eſt, quòd non Banaias ſolùm, ſed etiam alij ſerui Dauidis hoc modo gratulati ſunt Regi de regno Salomonis. *Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum: & magnificet thronum eius ſuper thronum tuum.* v. 47. Aliquot exempla his ſimilia adducit Pineda noſter in ſuo Salomone præuio lib. 2. cap. 10. Claudianus in 4. conſulatu Honorij:

*Aſpice, completur votum, iam natus adæquat*
*Te meritis, &, quod magis eſt optabile, vincit.*

Idem Sidonius Apollinaris lib. 8. epiſt. 7. ad Audacem præfectum. *Deum poſco vt te filij conſequantur; aut, quod magis decet velle, tranſcendant.* Vide hac de re plura apud Senecam lib. 3. de beneficiis cap. 36. Sanè Penelope apud Ouidium cùm valde amare fingatur Vlyſſem coniugem, ex communi gentium conſuetudine optat vt filius Telemachus parentis claudat morientis oculos, quod illi putat futurum non ingratum.

*Dij precor, hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis,*
*Ille meos oculos, comprimat ille tuos.*

Verſ. 39. *Sumpſitque Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo.*] Hæc à nobis pluribus explicata ſunt lib. 1. cap. 10. in principio, vbi diximus quid cornu ſit. Quod etiam appellatur, *lenticula*, quo oleo Reges vngi ſoliti, ſacrone, an communi: qua corporis parte, quo loco? & alia plura quæ in Regum inauguratione à lege, ſeu à conſuetudine præſcripta ſunt.

Verſ. 40. *Et populus canentium tibiis.*] Hoc etiam in Regum renunciatione vſitatum arbitror, licèt pauca illius habeamus exempla. Sanè ita contigit cùm Abſalom à populo Rex proclamatus eſt lib. 2. cap. 15. v. 10. *ſtatim vt audieritis ſonitum buccinæ, dicite: Regnauit Abſalom:* & 4. Reg. cap. 9. verſ. 13. *Cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit* Iehu. &

*His quos amamus meliora interdum optamus, quæ nobis, præcipuè filiis.*

cap.11.v.14.idem factum esse dicitur,cùm Ioas in regio solio collocatus est.

49. Vers.47. *Et adorauit Rex in lectulo suo.*] Quid sit adorare, & quomodo adoratio frequenter soleat hominibus impendi, nuper à nobis dictum est ad v.16. adoratum porrò fuisse Salomonem à patre, nihil est aliud, quàm aliqua externa significatione in filio regiam dignitatem agnouisse, tamquam aliquid in hominum cœtu, réque publica summum. Quod faciunt nostro etiam sæculo magni Principes, qui dum successorem sibi principem designant, non solùm alios regni proceres iurare iubent;sed ipsi quoque interposita iurisiurandi religione Regem filium agnoscunt,& illum adorant quodammodo, & superiorem illa ceremonia,aut esse, aut futurum esse profitentur.Neque mihi incredibile est,cùm filium adorauit, agnouítque Regem, tritum illud, quod à beneuolentibus, atque precantibus dici ad amicos solet, dictum à Dauide aliquid huic gentilicæ precationi simile,

*De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos.*

Quod Tertullianus in Apologetico ad Gentes c. 35.familiare fuisse dicit Romanis cùm Imperator munera populo porrigeret.

50. Vers.49. *Territi sunt ergo, & surrexerunt omnes, qui inuitati fuerunt ab Adonia,*&c.] Cùm à Ionatha Abiatharis filio didicissent, qui ad Adoniæ inaugurationem conuenerant, quíque splendidè cum illo fuerant epulati, quid circa Salomonem constitutum esset à Rege,& quàm accidisset grata populo Salomonis electio, subitus illos corripuit horror, & momento temporis alij aliò delapsi euanuerunt.Timebant enim non sine causa ne grauiter offendissent apud Regem Dauidem,cùm illo viuente Adoniam Regem conclamassent,aut apud Salomonem,cui,quantum fuerat in se,regiam dignitatem,& nomen præripuissent.

51. Vers.50. *Adonias autem timens Salomonem surrexit, & abiit,tenuítque cornu altaris.* ] Ex hoc loco nonnulli coniectant,ex quo primùm Salomon in solio sedit habenas suscepisse Israelitici regni; alioqui cur illum timeret Adonias?Ego non puto Dauidem eo tempore omnino regiæ administrationis deposuisse pondus : cum illo tamen simul regnasse Salomonem multa persuadent. Primùm quia in solio Regis collocatus est, & ibi adoratus à parente,& facta à regni Principibus publica Salomoni gratulatio. Quod item Iosephus docuit apertè lib.7.cap.9. *Deducto*, inquit,*in Regiam Salomone,& in solio paterno collocato,ex ea die in posterum obedientes ei fuerunt.*Idem August.lib.17. de ciuitate cap.8.Hieronymus epist.ad Vitalem. Quòd verò regnante Salomone, potestas etiam regia in Dauide permanserit, illud suadet,quia Salomon, postquam Rex fuit salutatus, morte damnauit Ioab,& Semei ; quod facere non posset si à se nomen, & regiam potestatem abdicasset. Adonias

52. verò ideo, Salomonem adiit, & non Dauidem, cùm tamen ab vtroque damnari posset, & absolui, quia Salomonem fratrem Regem audierat appellari.De Dauide parente nihil nouerat:cùm vix satis habuisset spatij, vt quid esset constitutum à patre cognosceret;& à patre timeret nihil,cùm illius in se non ignoraret animum,& studium;à Salomone verò omnia,cùm illi, quantum in se fuerat,regij nominis eripuisset potestatem. Et licèt dum in viuis ageret pater, nihil sibi à Salomone timendum existimaret,verumtamen,quia parentis vita non credebatur fore diuturna, leniendum fratrem, & ad meliorem animum traducendum A putabat. Quare aram sibi quæsiuit,& asylum, & progressus ad aram vsque tabernaculi,illius cornu complexuseſt, vt in præsens furorem declinaret noui Regis, & veniam sibi obtineret in posterum. *Adonias cur confugit ad aram.*

De cornu altaris diximus aliquid in nostris commentariis ad cap.43.Ezechielis : erant autem quatuor ad totidem angulos altaris,de illorum figura nihil habemus ex Scriptura certum ; est tamen verisimile quod Lipomanus docet, & Caietan.Exod.cap.27.& 30.esse quosdam quasi radios, qui ad obelisci speciem sursùm è quatuor altaris angulis attolluntur. In aris, quas à Romanis habemus in æreis,argenteísque nũmis excultas, cornua sunt alterius formæ, quæque animalium cornuum imaginem referunt. Fortasse non aliam altaris tabernaculi cornua figuram habuerunt, sed hac de re nihil habemus,vt dixi,ex Scriptura certum. 53. *Cornu altaris quid.*

Vers.51. *Iuret mihi Rex Salomon hodie, quòd non interficiet seruum suum gladio.* ] Hinc constat quo consilio aram sibi, & asylum quæsierit Adonias, nempe vt non solùm sibi à præsenti, sed etiam in posterum à futura caueret Salomonis ira, atque ideo iurisiurandi petit ab eo fidem, quam videlicet impetrare se posse sperabat è religioso loco, præsertim si intercederet parentis auctoritas, quem ad illam non putabat futurum esse difficilem. 54.

Vers. 52. *Si fuerit vir bonus, non cadat, ne vnus quidem capillus eius in terram,sin autem malum,* &c.] An hæc iuramento,quod optabat Adonias, confirmauerit Salomon,ex Scriptura non constat;sed est verisimille, promissioni additum à Salomone iuramentum,neque tamen absolutè venia promittitur,sed cum ea adiunctione, nempe si vir bonus fuerit, id est, si nihil tentauerit indignum, nihil sceleratum, aut quod aliquo modo maiestatem lædat.Vbi Vulgatus,*vir bonus*, Hebr. בן חיל *benchail*,id est,filius virtutis, aut fortitudinis : Filius autem virtutis, & bonitatis est, qui suis imperat affectibus, qui strenuus est, & acer in frænanda cupiditate,coërcenda auaritia,ambitione domanda,qui nihil denique audeat, quod non sit à lege, rationéque præscriptum. Quomodo capillus prouerbiali specie pro re tenuissima sumatur,diximus lib.1. cap.14. ad v.45. *Si ceciderit capillus de capite eius in terram.* 55. *Filius virtutis & bonitatis quis.*

*Vade in domum tuam.*] Modus iste dicendi, aut dimittendi alios,quo principes vtuntur,nihil,opinor, significat aliud, quàm vt deinceps vitam agant priuatam,neque publica curent; sed rem tractent familiarem,& domesticam ; neque res communes ad suam curam,& fidem pertinere putent. Sic idem Salomon, cùm Abiatharem à summi sacerdotis dignitate deposuit in agrum suum, domesticásque curas abire iussit, statim cap.2.v.26. eisdem ferè verbis, qua repudiantur fœminæ, & quasi alienæ iudicantur, excluduntur domo à viris suis,& in domos suas ablegantur, vt suam ipsarum rem curent,non illam,quam cum viris habuerunt communem.Quare in repudio,atque diuortio hæ vsitatæ formæ.*Res tuas tibi habeto, egredere domo,ædibus face esse,res tuas cura*,& similia.& similibus verbis vtitur pater, cùm filium minus quàm deceret obsequentem, aut à generis maiorum nobilitate degenerem,à domo, atque familia tamquam alienum abigit. Sic sanè Manlius Torquatus,vt autor est Cicero lib.1.de finibus,& Valerius lib.8.cap.8. cùm Silanum filium rei infideliter administratæ conuictum agnouisset, sic de illo 56. *Formula eiiciendi vxorem, aut filium domo.*

illo ad populum. *Cum Silaïum filium meum pecunias à socijs accepisse mihi probatum sit, & republica eum, & domo mea indignũ iudico, protinúsque è conspectu meo abire iubeo.* Idem fecit Dauid cùm Absalomẽ quasi alienum in domum suam abire iussit lib. 2. capite 14. versiculo 24. *Dixit autem Rex: Reuertatur Absalom in domum suam, & faciem meam non videat.* Idem fortasse voluit, atque dixit Salomon, dum fratrem Adoniam in domum remittit suam, aut quasi alienus foret à cognatione, aut quia illi publicum omne ministerium interdixit.

# IN CAP. II. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*MORITVRVS Iam Dauid, Salomonem filium, quem tanti imperij reliquerat hæredem, docet, quid illi primùm, & maximè curæ esse debeat, si modò velit stabile acceptum à domino regnum in sua familia conseruare. Deinde quod ipse dum viueret præstare commodè non potuit, id vt pro sua prudentia sedulò perficiat. Nempe vt quorumdam scelera abire non sinat impunita, qualia fuerunt Ioab, & Semei; & aliorum merita studiosa liberalitate compenset, qui de seipso, cùm durius ab Absalome premeretur promeriti sunt. Cum autem mortuo patre Salomon regium obtinuisset solium, expetiuit Adonias Sunamitidis nuptias, illiúsque vt Dauidis corpus senectute frigidum foueret, eiusdem castum lectum, & cælibem ascendit. Quam ad rem Bethsabee Regis matrem ad filium allegat, sed frustrà, nam pro Sunamitide vxore tamquam affectati imperij reus mortem inuenit. Deinde eos, qui Adoniæ priùs studiis adhæserant, vt omnes seditionũ radices elideret, vel à vita vel ab vrbe, vel à dignitate summouit. Abire enim iussit Abiathar in Anathoth, ne deinceps sacerdotale posset obire ministerium. Ioab, qui aliquid durius in suum caput odoratus à Rege ad altare confugerat, ad ipsum altare per Banaiæ militiæ principis manum interfecit. Neque Semei impunitum habuit petulantis linguæ liberum conuitium, quo fugientem Regem, & omni commiseratione dignum insectatus est. Nam cùm impositum à Rege præceptum violasset, eodem, quo Ioab, ferro confectus, quas Dauidi debuit, Salomoni filio pœnas exoluit.*

## CAPVT SECVNDVM.

1. APpropinquauerunt autẽ dies Dauid vt moreretur, præcepítque Salomoni filio suo, dicens:

2. Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir.

3. Et obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, vt custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: vt intelligas vniuersa quæ facis, & quocumque te verteris:

4. Vt cõfirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filij tui vias suas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur ibi vir de solio Israel.

5. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether: quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.

6. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.

7. Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, erúntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalom fratris tui.

8. Habes quoque apud te Semei filiũ Gera filij Gemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibã ad Castra: sed quia descendit mihi in occursum cùm transirem Iordanem, & iuraui ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio:

9. Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, vt scias quæ facies ei, deducéque canos eius cum sanguine ad inferos.

10. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid.

11. Dies autem quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta anni sunt: in Hebron regnauit septem annis in Ierusalem, triginta tribus.

12. Salo

12. Salomon autem sedit super thronum Dauid patris sui, & firmatum est regnum eius nimis.

13. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quę dixi ei: Pacificúsne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus.

14. Addiditque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere: Et ille:

15. Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, & me proposuerat omnis Israel sibi in regem: sed translatum est regnum, & factum est fratris mei: à Domino enim constitutum est ei.

16. Nunc ergo petitionem vnam precor à te; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere.

17. Et ille ait: Precor vt dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) vt det mihi Abisag Sunamitidem vxorem.

18. Et ait Bethsabee: Bene, ego loquar pro te regi.

19. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia: & surrexit rex in occursum eius, adorauítque eam, & sedit super thronum suum: positúsque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius.

20. Dixítque ei: Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te: ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas est vt auertam faciem tuam.

21. Quæ ait: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor.

22. Respondítque rex Salomon, & dixit matri suæ: Quare postulat Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum: ipse est enim frater meus maior me, & habet Abiathar sacerdotem, & Ioab filium Saruiæ.

23. Iurauit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.

24. Et nunc viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias.

25. Misítque rex Salomon per manum Banaiæ filij Ioiadæ, qui interfecit eum, & mortuus est.

26. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti aream Domini Dei coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus.

27. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.

28. Venit autem nuncius ad Ioab, quòd Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset: fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.

29. Nunciatúmque est regi Salomoni, quòd fugisset Ioab in tabernaculum Domini, & esset iuxta altare: misítque Salomon Banaiam filium Ioiadæ, dicens: Vade, interfice eum.

30. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hîc moriar. Renunciauit Banaias regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Ioab, & hæc respondit mihi.

31. Dixítque ei rex: Fac sicut locutus: est & interfice eum, & sepeli, & amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei.

32. Et reddet Dominus sanguinem eius super caput eius, quia interfecit duos viros iustos, meliorésque se: & occidit eos gladio, patre meo Dauid ignorante, Abner filium Ner principem militiæ Israel, & Amasam filium Iether principem exercitus Iuda:

33. Et reuertetur sanguis illorum in caput Ioab, & in caput seminis eius in sempiternum. Dauid autem & semini eius, & domui, & throno illius sit pax vsque in æternum à Domino.

34. Ascendit itaque Banaias filius Ioiadæ, & aggressus eum interfecit: sepultúsque est in domo sua in deserto.

35. Et constituit rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo super exercitum, & Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.

36. Misit quoque rex, & vocauit Semei, dixítque ei: Ædifica tibi domum in Ierusalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc atque illuc.

37. Quacumque autẽ die egressus fueris, & transieris Torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum.

38. Dixítque Semei regi: Bonus sermo: sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet seruus tuus. Habitauit itaque Semei in Ierusalem diebus multis.

39. Factum est autem post annos tres, vt fugerent serui Semei ad Achis filium Maacha regem Geth, nunciatúmque est Semei, quòd serui eius essent in Geth.

40. Et surrexit Semei, & strauit asinum suum: iuítque ad Achis in Geth ad requirendum

rendum ſeruos ſuos, & adduxit eos de Geth.

41. Nunciatum eſt autem Salomoni, quòd iſſet Semei in Geth de Ieruſalem, & rediiſſet.

42. Et mittens vocauit eum, dixítque illi: Nónne teſtificatus ſum tibi per Dominum, & prædixit tibi: Quacũque die egreſſus ieris huc & illuc, ſcito te eſſe moriturum? Et reſpondiſti mihi: Bonus ſermo quem audiui.

43. Quare ergo non cuſtodiſti iuſiurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi?

44. Dixítque rex ad Semei: Tu noſti omne malum, cuius tibi conſcium eſt cor tuum, quod feciſti Dauid patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.

45. Et rex Salomon benedictus, & thronus Dauid erit ſtabilis coram Domino vſque in ſempiternum.

46. Iuſſit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ: qui egreſſus, percuſſit eum, & mortuus eſt.

---

# IN CAP. II. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

### Verſ. 1. *Appropinquauerunt autem dies Dauid, vt moreretur.*]

1. QVOT anni exacti fuerint, ex quo renunciatus Salomon Rex, ad Dauidis vſque mortem, nihil habemus ex Scriptura definitum, & certum. Eſt tamẽ veriſimile, quod Abulenſis quæſt. 1. exiguum interceſſiſſe ſpatium. Neque enim procul abeſſe poterat ab interitu, quem eò deduxiſſet debilitas, & ætas, vt opertus veſtibus frigeret tamen, vt neceſſarium exiſtimarint Medici à virginis calore naturali foueri. Neque ab eleuato in regnum Salomone habemus aliud quàm quædam à Dauide mandata accepiſſe nouum Regem, quæ habemus in hoc capite, & [illegible]m eſſe cum populi principibus de templi fabrica, réque communi tam profana, quàm ſacra, lib. 1. Paralipomenôn cap. 28. & 29. quæ omnia facili negotio, ac tempore perbreui expediri poterant.

2. Verſ. 2. *Ego ingredior viam vniuerſæ terræ, confortare, & eſto vir.*] Phraſis nota Hebræis, neque apud illos infrequens, quæ ſignificat id, quod extremum accidit naturæ mortali, nempe mortem, quam his ferme modis explicant Hebræi, *congregari*, ſeu *apponi ad parentes ſuos, dormire cum patribus ſuis, ingredi viam vniuerſæ carnis, aut vniuerſæ terræ.* Significat ergo Dauid iam inſtare ſibi ſupremum diem, & cùm regni pondus Salomonem filium expectet, quod Atlantæos humeros deſiderat, hortatur, vt licèt iuuenis ſit, neque ætate adhuc omnino confirmatus, ſpiritus aſſumat viriles, neque meditetur quæ iuuenilis ſunt ætatis, aut ſtudij, ſed quæ regium animum, & ſeniles cogitationes decent.

*Mori quot modis ab Hebræis ſignificetur.*

3. Verſ. 3. *Et obſerua cuſtodias Domini Dei tui.*] VSitatum eſt in Scriptura valde vt actio pro effectu ſumatur, aut obiecto (vt Phyſici loquuntur) actionis. Quomodo, *timor*, pro re horribili, atque tremenda ponitur; quomodo dicitur, *Timorem eorum ac timueritis*, id eſt, minas, aut arma; ſic Deus dicitur timor, & amor, ſic *viſio* pro re viſa, *auditio* pro ſermone, & ſic hoc loco *cuſtodia* pro mandatis vſurpatur, quia circa Dei mandata verſari debet Salomoni à patre commendata cuſtodia: ſic Zachar. cap. 3. v. 7. *& cuſtodiam meam cuſtodieritis.* Leuit. 18. vbi Vulgatus, *Cuſtodite mandata mea*, Hebr. eſt, *Cuſtodite cuſtodiam meam.* Item Numer. 18. vbi noſter, *Excubabunt Leuitæ ad præcepta tua.* Hebr. *Cuſtodient cuſtodias tuas.* Quod verò ſequitur, explicatio eſt huius ſententiæ, & illius cum epitaſi mira amplificatio. Cùm enim verba idem ſignificantia conglobantur, magnum additur orationi pondus. Quare idem valent hoc loco *cuſtodia, via, cæremoniæ, præcepta, iudicia, teſtimonia*, ſicut aliis plurimis Scripturæ locis, qualia in Pſalm. 118. millies occurrunt. Qui hæc ſeruat ille planè vir eſt, qui & prudentiam oſtendit ſuam, dum vtilia, atque honeſta amplectitur, & colit; & virilem conſtantiam, dum in illorum ſtudio ſtrenue perſeuerat, & quidem potentes ſunt, & animo præditi virili, qui ſe diuinis ſubiiciunt mandatis, & affectionibus ſuis vim afferunt, illáſque licèt repugnantes, & inuitas ad diuinæ voluntatis imperium attemperant. Sic ſanè de Angelis cecinit Dauid Pſal. 102. v. 20. *Benedicite Dominum Angeli eius, potentes virtute facientes verbum illius.* Neque ſine cauſa præceptum cuſtodia dicitur, quia dum ſeruant, ipſum ſeruantem ſeruant, atque cuſtodiunt.

*Ille vir eſt, qui mandata ſeruat.*

REGVLA. *Actio pro ſuo effectu aut obiecto ponitur.*

*Cuſtodia pro præcepto.*

*Sicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, vt intelligas vniuerſa, quæ facis, & quocunque te verteris.*] Deut. cap. 17. v. 16. traduntur præcepta, quæ Rex ex quo primùm conſtitutus fuerit, ſeruare debet, & primùm iubetur Rex, vt tranſcribat Deuteronomium, illúdque ſibi habeat familiare, & aſſiduè legat. Ad hoc, opinor, ſpectat præcipuè illud, *vt intelligas vniuerſa quæ facis.* Neque enim Regum conſilia, aut facta diſſidere debent à diuina lege, à qua ſi aliqua ratione deficiant, diſtorqueant neceſſe eſt vniuerſa, quæ faciunt, & quocumque ſe verterint, errent à ſcopo, quem intueri debent; & ab honeſto exitu, qui nunquam ſequitur eos, qui ſuis potiùs abducuntur affectibus, quàm diuinæ obſequuntur voluntati, quam nobis lex proponit, & honeſta ratio. Hoc primum, & præcipuum mandatum eſt, quod moriturus pater optimus tradidit filio. Neque id mirum, cùm ipſe nihil habuerit antiquius, quàm diuinis adhærere mandatis; quæ quia in corde ſuo altè condiderat, ex eis ſemper aliquid eructabat; & quod aſſiduè meditabatur adoleſcens, id etiam ſenex, & iam moribundus cùm exhalaret animam, inhalare voluit Salomonis pectori.

4. *Regibus maximè commendata legis obſeruantia.*

Verſ. 4. *Vt confirmet Dominus ſermones ſuos, quos loquutus eſt de me, dicens: Si cuſtodierint filij tui vias ſuas,* &c.] Sæpe Deus Dauidi promiſit, in ſua domo ſtabile futurum Iſraelitici imperij, & quaſi natu-

5.

rale

rale solium; si tamen posteri fidele Domino suo præstarent obsequium. De hac promissione plura nos lib.2. cap.4. vbi per Nathan prophetam, hæc Dauid à Domino plenius accepit; quæ hic repetere necessarium non est. Quæ sint viæ filiorum Dauid, & omnium, qui verè sapiunt, paulo antè expositum est: viæ enim hominis, qui euitare cupit præcipitium, & mortem, lex est, quam Dominus aut scriptam tradidit, aut ipsi rationali naturæ penitus inseuit. Reliquæ viæ hominum non sunt, quæ sensus habent duces, & animæ affectiones immoderatas, quas lactant, & capiunt rationalis blandimenta naturæ, quarum sectatores, verius è belluino dicas, quàm ex humano genere prognatos.

6. *Et ambulauerint coram me in veritate, & in omni corde suo*, &c. ] Explicat Dauid, & quid sibi à Deo antea prædictum fuerat, & quem à nobis idem exigat animum, & probet obsequium. Amat enim Deus, probátque opus illud, in quo nihil est fucatum, nihil mendax, quod videlicet inspectante Domino fiat, qui intima animi nostri rimatur, & expendit, & in quo etiam cor impendatur totum, neque illius quicquam sibi vindicet humana, ac peregrina ratio. Illud enim est, *In omni corde suo, & in omni anima sua*. Quod etiam in charitatis præcepto requirit Deus, dum eisdem penè verbis vtitur Deut. cap. 6. v. 5. & Matth. cap. 22. v. 36.

7. Vers. 5. *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus*, &c.] Ad se quoque pertinere iudicauit Dauid duorum hominum vlcisci scelus, quos publica hominum vox, atque sententia damnabat: quod esse prorsus impunitum non videbatur ex vsu futurum rei communis, & publicæ. Quare licèt ipse suo tempore nihil de illorum capite constituisset acerbius, quia sumendi supplicij non videbatur aduenisse maturitas; tamè quia neque suo muneri, neque communi causæ, atque querelæ satisfactum esse meditabatur, id negotij dat filio, vt pro sua prudentia, & vlciscatur scelus, & offensionem tollat Israël.

8. Illud hîc obseruãdum maximè quòd cùm Ioab nihil videatur in Dauidem molitus esse mali, immò potiùs pro illius dignitate, & vita strenuè dimicasse, nihilominus dicit Dauid fuisse sibi, dum duos principes interfecit Ioab, iniurium. *Tu nosti*, inquit, *quæ fecerit mihi Ioab.* Quidam hîc aliquid meditantur, aut fingunt contra dignitatem, & vitam Dauidis cogitasse, & struxisse Ioab. Lyra ex Rab. Salomonis sententia, cui ipse subscripsisse videtur, ait in eo Ioab contra Dauidis existimationem, & honorem peccasse, quia literas, quas de Vriæ cæde multis antè diebus acceperat, aliis, quibuscum erat in castris, parum fideliter ostenderat, eo videlicet consilio, vt multitudinis reprehensionem euitaret, quæ iudicium in ipso, & militarem vsum desiderabant, cùm plagam illam acceptam viderent ex inconsiderato ducis imperio; vt ex literis constaret regiis, non suo, sed Regis arbitratu temerarium illud sumptum esse consilium. Ex quo tandem agnouit populus, quid admissum esset à Dauide flagitij. Hanc sententiam multis confutat Abulensis, & probat magis in Dauidem potiùs peccasse Ioab, quia Absalomem filium interfecit, cùm tamen iussisset ducibus, obsecrasséque ne parentem miserum eodem, quo Absalomem vulnere conficerent. Quod tamen solus ausus est Ioab, qui Regis imperium ignorare non poterat, cùm & ipse à Dauidis ore priùs accepisset, & proximè esset admonitus à milite, qui illum viderat ex arbore pendentem.

*Ioab quomodo Dauidi iniuriam.*

A Theodoretus q. 4. aliam excogitauit causam, propter quam Dauid noluit Ioab diu esse superstitem, quia timebat ne domus suæ, aut Salomonis noui Regis, turbato regno, rationibus afficeret. *Cùm resciuisset*, inquit, *eum Adoniæ adornare, ac struere tyrannidem, timuit ne solita vtens malitia despiceret iuuentutem Salomonis, & duorum faceret alterum, nempe vt aut persona vtens beneuolentiæ eum interimeret, sicut occidit Abner, & Amasam, aut apertè strueret aciem aduersam, & diuideret Israëlem.* 9.

Verùm quid punire voluerit Rex in Ioab, non obscurè ille significauit, cùm dixit, *Quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether.* Nunc videndum cur Dauid in seipsum factum interpretetur, quod in duos hosce principes admissum est. Duas hîc ego rationes inuenio, altera est, quia tam Abnerem, quàm Amasam ad seipsum aduocarat Dauid, & cùm priùs contrariis studerent partibus, interpositis promissis, & regia fide, sibi conciliarat. Quare qui nossent quo modo essent excepti priùs à Rege, & deinde callidè, & perfidiosè occisos audiissent, violatam existimarent fidem regiam, neque Dauidi vlteriùs quicquam esse credendum. Hæc autem regij nominis grauis iniuria fuit. 10.

Altera est, quia reuera magistratui, ac Regi grauis fit iniuria, cũ ab aliquo publicè peccatur, quia &conténuntur leges, quarum illi sunt custodes, & vindices; & si peccata impunita forsitan maneant, malè ab omnibus accipitur illorum languor, atque vecordia, cùm aut nolint; aut non audeant cum audacibus, ac sceleratis hominibus pro legibus, atque republica certamen subire. Aut certè, quia si Principes inertes sint, & in re communi, ac publica administranda dissoluti, ac desides, cum populo peccant, si populum non auocant à peccando. Neque enim satis illis est vitam consumere integram, & puram à flagitiis, si cùm possint alios à peccando siue consilio, siue supplicio, ac metu deterrere, id facere per ignauiam, & socordiam omittant. Quare mors cuiusuis è populo Principibus adscribitur, si multam relinquant, & vindices ab homicidis manus abstineant: & occisi hominis sanguis super Principum caput aspergitur, qui vindictam clamat, & interdum exorat. Hoc sanè videtur significasse Salomon, cùm statim dixit v. 31. ad Banaiam, cui præceperat, vt occideret Ioab. *Interfice eum, & sepeli, & amouebis sanguinem innocentem qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei.* Quod sine dubio priùs à parente acceperat, vt meditatur Ambrosius Apolog. 1. cap. 17. *Nihil*, inquit, *minus quàm cruentus affectus sancto prophetæ adscribi potest, qui vita decedens suprema voce conuenit Salomonem, vt sanguinem innocentem à se tolleret, quem fuderat dux eius exercitus Ioab, quando Abner insidiis occubuit.* 11.

*Magistratui & Principi fit iniuria, cùm publicè peccatur.*

*Princeps cũ populo peccat, si peccãtem nõ corripit.*

*Et effudit sanguinem belli in pace.* ] Sanguis belli ille dicitur, qui honestè potest, & impunè effundi; quem tamen impunitum non habebit ille, qui dum arma silent extra aciem, & certamen effudit, maximè si quis aggrediatur alium, & opprimat incautum; hoc imbelle scelus & ignobile designauit Ioab, dum in pace, & amicitia simulata duos Principes interfecit, qui nihil sibi à fraudulento consilio metuebant, quos vigilantes, & armatos nunquam esset aggressus. Sanguinem itaque belli effudit in pace, quia quod in acie facere potuisset impunè, id extra aciem tunc perfidiosè tentauit, quando non potuit non esse non ignominiosum, & turpe, & quod superioris potestatis gladius habebat sibi obnoxium. 12.

*Sanguis belli quis.*

Et

13. *Et posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius.* ] His verbis sine dubio significatur aliquid callidum, & insidiosum, quid tamen illud sit, obscurum est, & incertum. Historia scholastica explicationem hanc esse iudicat superioris clausulæ, neque aliam esse sententiam, quàm sanguinem, qui in bello legitimo poterat effundi; extra bellum effusum esse scelerate. Cui alij nonnulli subscribunt, quasi diceret, futurum fuisse gloriosum, si clypeum Ioab, aut loricam referret ex acie hostili sanguine cruenta, quia sanguis ille in bello fuisset legitimè, non in pace effusus; atqui in balteo, & in calceis fert sanguinem, is armatus non videtur iniisse pugnam Marte legitimo, sed simulata pace perfidiosè in hostis viscera ferrum adegisse.

14. Dici etiam posset non omnino abs re è duorum Principum cæde adeò non fuisse verecundatum Ioab, vt aliorum oculos perfricta omnino fronte subierit, neque hominum exhorruerit iudicia, qui quid ab illo fuerit admissum non ignorabant. Quasi enim præclarum aliquod edidisset facinus, quale foret si Goliath alterum, & in eo suæ gentis opprobrium commune sustulisset, sic innocentium sanguinem circumferebat in calceis, & in balteo diffusum, virtutis argumentum bellicæ; neque eo sanguine calceamenta respersa retardabant illius, quamcunque in partem vellet, liberum incessum; neque balteus ea ratione insignitus, siue fœdatus à militari siue conuentu, siue præfectura reuocabat. Id porrò aliis non poterat esse non molestum, cùm glorioſum sibi duceret, eóque se nomine ambitiosè iactauerit, quod sibi ignominiæ atque pudori ducere debuisset.

15. Ego id magis probo quod plerisque aliis pla[illegible] video, ideo sanguine duorum Principum Ioab balteum, & calceos fuisse respersos, quia illud mortis intulit genus, ex quo aduersarij sanguis in balteum, & calceos effluere potuit. Conseruit enim cum hoste lacertos ad amplexum potius amicum, quàm ad hostilem luctam, vt putabant duo Principes: nam alioqui neque amplexum admitterent, neque fraudulentum osculum. Cùm autem vterque in eo amplexu ad quintam costam esset percussus, id est, ad ilia, facile intellectu est, quomodo inde primùm sanguis in balteum eruperit Ioab, & inde ad calceos vsque descenderit. Quod potuerunt obseruare alij, quibus illud facinus offensioni fuit; & ideo vt honestiori vocabulo rem omnino turpissimam exprimerent, sanguinem in balteo, & calceamentis Ioab positum esse dicebant. Hanc porrò vocem sumpsit Dauid à vulgo, & dum fraudulentum conatum significare vult, balteum, & calceos sanguine dicit fuisse respersos.

16. Ex hoc loco, & sanguine respersis calceis Ioab fabulati sunt Hebræi id quod nos pluribus explicuimus lib. 2. c. 6. num. 22. nempe deceptum fuisse Abnerem à Ioab, dum rogat de calceo, qui detrahi solet ab illo, qui fratris mortui vxorem ducere noluerit, quod merè somnium Hebræorum est. Tu locum illum vide.

17. *Facies ergo iuxta prudentiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* ] Non præscribit filio Dauid mortis genus, aut modum, sed hæc Salomonis considerationi iudicióque permittit: omnino tamen iubet, vt in illius vitam capitali supplicio decernat. Porrò canities pro

A senectute ponitur, quia senectutis naturale signum; quomodo Iacob Gen. quæst. 1. dixit, *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos*, id est, me senem, & obsitum canis. Eodem modo statim Dauid de Semei vers. 9. *Deducésque canos eius cum sanguine ad inferos.* Quid sit pacificè mori, non est difficile cognitu, nempe non vi extrinsecus allata perire hominem, sed aut senio confectum, aut morbo consumptum; ita vt non tam homo, à ferro, aut hominum iniuria, quàm à natura videatur extinctus. Quod optimè explicuit Dauid statim vers. 9. cùm dixit, *Deduces canos eius cum sanguine.* Quod idem est, atque, non deduces canitiem eius ad inferos pacificè. Hæc mors, quæ non est sine ferro, & sanguine, cruenta dicitur: quæ verò à senectute aduenit, vel à morbo, sicca: quam rarò B nanciscuntur tyranni, quibus subditorum malè conciliatus animus, non semper bene cupit, & gladius insidiatur assiduè, de quibus Iuuenalis acutè Satyra 10.

*Canities pro senectute.*

*Mori pacificè, aut cum sanguine quid.*

*Ad generum Cereris* (id est, ad Plutonem) *sine cæde, & sanguine pauci*
*Descendunt Reges, & sicca morte tyranni.*

18. Vers. 7. *Sed & filiis Barcellai Galaaditæ reddes gratiam.* ] Quam fuerit Barcellai liberalis in Dauidem, quo tempore rerum omniũ egenus fugiebat Absalomem, habes lib. 2. cap. 17. quemadmodum illi Rex gratiam rependere voluerit, neque tamen ille prudens admiserit, quia quominus regia liberalitate possit vti, faciebat ætas iam grandis, & exhausta, quæ regiis deliciis minùs erat idonea, habes suprà cap. 19. Quare rogauit Regem, vt si quid C in ipsum regia vellet liberalitate conferre, transferret ad filium. Huius vocis Dauid, atque promissi memor commendat Salomoni filio, vt illius viri filios regia liberalitate complectatur, & secum eiusdem conuictus, & mensæ faciat esse consortes. Quod ipse, opinor, Dauid postquam profligata Absalomis causa, regno, ac sibi restitutus est, cumulatè præstiterat.

19. Vers. 8. *Habes quoque apud te Semei filium Gera,* &c. ] De Semei quomodo in Regem non solùm maledicta, sed etiam lapides iactauerit, habes lib. D 2. cap. 16. vbi diximus qualis fuerit illa pessima maledictio, quam nunc Dauid moriens impunitam esse non vult. Quomodo verò Semei Dauidi ad solium, ex quo iam excidisse putabatur, occurrerit, illíque eo tempore, Abisai repugnante, impunitatem promiserit, legis lib. item 2. cap. 19. vbi etiam nos pluribus ostendimus, quo modo cùm hoc negotium Salomoni mandauerit, iurata fides, ac venia non fuerit à Rege violata.

20. Sed illud meritò quærunt, & explorant alij. Quomodo Dauid cùm vlcisci posset, imò & deberet dũorum Principum indignissimam necem, ad illud vsque extremum vitæ tempus distulerit, idque non tam sua, quàm aliena manu voluerit E esse transactum. De Semei iam à nobis lib. 2. dictum est. Neque in hoc casu aliquid est admodum reprehendendum in Rege; cùm regij sit animi priuatas iniurias non vlcisci, sed illas non tam sontibus, quàm suo nomini, ac dignitati condonare; quæ id à regij animi magnitudine non solùm postulant, sed etiam suo iure exigunt interdum. Accedit quòd ipse suum peccatum apertè cõfessus fuerat, & quo potuerat superiorẽ culpã, nouo humanitatis officio deterserat. Adde quòd dies victoriæ sumẽdo seueriori supplicio opportunus nõ est

eo præsertim articulo, in quo animos populi non omnino pacatos, benignitate sedatos, & officiis conciliatos oportuit, sed cùm aliquid admisisset Semei, quod si maneret impunitum, malo reipublicæ nouisset exemplo, iubet filio, vt illam è populo tollat offensionem, satísque faciat communi causæ; Quo consilio satis ostendit noluisse se proprium consolari dolorem, aut iniurias persequi priuatas, sed hominum offensioni iustæ, & reipublicæ rationibus satisfacere.

21. De Ioab alia causa fuit, cur non statim ab illo Dauid pœnas sumpserit insidiosæ cædis; sed ad regnum vsque Salomonis distulerit. Nam quo tempore cædes illa contigit, nondum tantam habuit potentiam Dauid, vt auderet aduersùs Ioab, qui potentissimus erat, & exercitus princeps, quidquam moliri; neque dum res erat pacata satis, & illius opera indigeret maximè, præsertim cùm eo tempore cecidisset Abner, quem castris præficere poterat loco Ioab; neque fortasse vllus esset in toto populo, cui tutò committi posset belli pondus, quod prudentiam desiderat, & animi constantiam. Quam rationem ipse indicauit Dauid illo cap. 3. *Ego*, inquit, *delicatus, & vnctus Rex: porrò viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi.* Aliquid maius prodit Iosephus lib. 7. antiq. cap. 12. vbi in hoc ipso articulo in hunc modum Dauidem cum Salomone inducit loquentem: *Memento etiam iniquitatis Ioab, qui propter æmulationem duos duces iustos interemit. In eum tuo arbitratu animaduertes, quandoquidem hactenus pœnam euasit, quod me ipso esset potentior.*

22. At dices, cur non est ausus Dauid, quod Salomon adhuc puer, & vix regni compos tam facilè consecutus est: Responsio difficilis nó est, quia extrema Dauidis tempora ab intestinis tumultibus, & externis bellis fuerunt quieta, vt habemus ex cap. 24 in principio; quare Dauid variis perfunctus bellis, pacatum regnum tradidit Salomoni, vt ipse docet Salomon cap. 5. v. 4. *Nunc autem requiem dedit mihi Dominus Deus per circuitum, & non est Satan, neque occursus malus.* Quare cùm silerent tunc arma, neque vllum Ioab vsum videretur allaturus esse reipublicæ, dare tunc potuit sine vllo reipublicæ detrimento pœnas effusi sanguinis. Adde quòd tũc Ioab grandis erat natu, & bellorum molestiis parum idoneus; cùm nó minus annis quadraginta castris præfuisset, ab ipso nimirum exordio Dauidici regni, ex quo primùm Dauid consedit in Hebron, atque ideo cùm illam curam tricenario minor non videretur administraturus. vtiliter, verisimile est, aut annum tunc attigisse septuagesimum, aut saltem à septuagenario non abfuisse procul. Cano certè fuisse capite ipse docet Dauid, cùm dicit de Ioab v. 5. *Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Vide hac de re Abulensem quæst. 12. & 13.

23. Vers. 10. *Dormiuit igitur Dauid cum Patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid.* ] Non dudum postquam hæc mandata postrema dedit Salomoni filio, decessit Dauid, cùm annum ætatis egisset septuagesimum, & quadragesimum in administrando regno posuisset. Nactus verò est sepulturæ locum, & honorem in ea Hierosolymæ parte, quam ipse abstulit à Iebusæo, & à suo nomine ciuitatem appellauit Dauidis. De Dauidis sepulcro multa tradit Iosephus lib. 7. antiq. cap. vltimo, & lib. 13. cap. 16. & lib. 16. cap. 11. & nos ea de re non pauca in nostris commentariis super Acta cap. 2. à numero 71. ex quibus aliquid transcribere in hunc locum non erit abs re.

*Dauidis sepulcri.*

24. Sed illud videndum priùs, an Dauidis sepulcrum (de cuius forma postea) constructum ab ipso Dauide fuerit, an à Salomone, qui illustri monumento honestare voluit parentis ossa, quæ æterna memoria dignissima censebat? Quòd sibi Rex ante mortem de illustri sibi tumulo prouiderit, non videtur prorsus improbabile; cùm & alij Principes sæpe fecerint; neque tamen ideo sint improbati, & nunc quotidie multi faciant insanis prorsus sumptibus, etiam qui propter modestiam à superba mole, & ambitioso Mausoleo abstinere debuisset. Et cùm domũ priùs excitauerit loculentã in arce Sion opere magnifica, quale regiam decebat maiestatem, construxisse quoque videri potest, & sibi, & suis commune sepulcrum, in quod inferrentur posteriorum Regum augusta cadauera. Sed placet quod visum est Iosepho lib. 1. antiquitatum, cap. vltimo, & Petro Comestori lib. 3. Reg. cap. 3. Abulen. q. 20. & aliis pluribus, extructum quidem esse à Dauide sepulcrum minoris ambitionis, & sumptus, amplificatum tamen esse à Salomone, & ad illam vsque molem, & splendorem excitatum.

*Sepulcrum Dauidis.*

25. Dauidis sepulcrum ad tempus vsque Euangelij durasse constat ex cap. 2. Actuum v. 29. de quo Petrus, *viri fratres, licenter audacter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepulcrum eius est apud nos vsque ad hodiernum diem.* Durasse quoque ad tempus Adriani, auctor est Dion in Adriani vita, vbi dicitur Salomonis monumentum, quod etiam Dauidis fuit, magna ex parte sponte corruisse. Sanè Hieronymus in epist. ad Marcellam ait se ad Dauidis Mausoleum precari consueuisse. Et quod mirere magis, post vrbem Hierosolymam toties expugnatam, toties euersam, nihil eximium illud Mausoleum à Chaldæis, nihil à Græcis, nihil à Romanis, nihil denique ab aliis barbaris, qui vrbem inuaserunt, aut occupárũt, passum est? Vt enim refert Sebastianus Serlius lib. 3. de Architectura, vbi ichnographiã tradit sepulcri Regum Iuda, suo, id est, nostro æuo extabat adhuc augustum illud monumentũ. Ipse enim accepisse dicit illius formam à Marco Grimano Veneto, qui tunc erat summus Aquilæi antistes; pòst verò Cardinalis, qui ipse suis oculis viderat, dimensus fuerat, & singula diligẽtissimè obseruauerat, à quo sumpsit figuram illam ichnographicam, quam ipse fideliter expressit in loco citato, inde tu sume.

26. Addit Iosephus in paternum sepulcrum cum regio cadauere multa Salomonem intulisse talentorum millia, quæ deinde multis pòst annis extulit Hircanus, quæ nos in cap. 2. Actuum, multis confutauimus: vbi etiam diximus Dauidis ossibus peperciisse Chaldæos, etiamsi Regum Iuda ossa iuxta Ieremiæ vaticinium cap. 8. & Baruch cap. 2. per summum ludibrium è suis loculis, & monumentis effoderint.

27. Hic finis vitæ, gestorúmque Dauidis, qui in vtraque fortuna vir fuit planè admirabilis, in quo viri strenui, & fortes Dei, & patriæ religionis amantes, & suæ gentis studiosi exemplum habent, ad cuius se similitudinem effingãt. Qui si aliquid aliquando passus est, aut operatus humanitus, in quo, ab eo, quod recta præscribit ratio, defecit, sic tamen se ad rectam viuendi normam reuocauit, sic doluit vehementer, sic lacrymatus est assiduè, vt non minorem vsum peccatoribus peccator ipse ad veræ pœnitentiæ formam, quàm iustus iustis ad iustitię perfectionem attulerit. Habemus breuem quamdam periochem Dauidicæ historiæ Eccli. 47. versiculo 1. quæ satis est facilis mediocriter attento.

*Dauidis vtile exẽplũ in omni fortuna.*

attento. Illud non ita quod priori loco ponitur, vbi hoc de Dauide præclarum elogium. *Quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israel.* Notum est ex sacrificiis vni Deo adipem deberi, qui non tam alias victimæ partes probat, & admittit. Erant in Israelitico populo, licèt præcipua quadam lege consecrata Deo, multa, quæ Deus quasi aliena respueret, sicut è victima, licèt immolata Deo, multa Deus ipse reiicit, & ad aliorum vsus, quasi aliena relinquit, & solùm sibi à carne separatum adipem reseruat. Fuit igitur aliorum comparatione Dauid quasi adeps, in quo Deus nihil reiicit, nihil fastidit. In aliis verò plurimum carnis fuit, imò fortasse quidquid in illis fuit totum omnino carneum, id est, quod hominum vsibus potius, quàm diuinis seruit. Hoc videtur dixisse Dominus, vt habes Actor. 13. v. 22. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, quod priùs dixerat lib. 1. Reg. cap. 23. v. 54.

*Dauid magna laus.*

*Typus religionis.*

28. Vers. 12. *Salomon autem sedit super thronum Dauid.*] Ex hoc loco facilè colligitur, ex quo vnctus est Salomon Rex Israelis, non regnasse omnino, neque solum, cùm nondum pater à se regni ius, & potestatem abdicasset, à cuius ipse auctoritate, ac nutu in regni administratione pendebat. Quare Dauide vita, id est, (vt ego interpretor) regno defuncto, super Dauidis thronum sedisse dicitur Salomon, id est, verè iam totius imperij fuisse compos, qua de re suprà cap. 5. v. 50. Quantum verò temporis simul cum parente regnauerit, id est, quandiu ab eius vnctione vixerit Dauid, incertum est, vixisse aliquandiu nemo dubitat, vt caput istud docet non obscurè, & ipse profitetur Dauid Psal. 71. cum filio suo iam Regi iudicium à Deo, & iustitiam precatur. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Si tamen sermo ibi de Salomone propheticus est, vt multi putant; Genebrardus in chronico anno mundi 3106. anno extremo vitæ suæ statum, & formam sacerdotalis, & Leuitici ordinis constituisse dicit, quod sumpsit, opinor, ex Hebræorum chronico cap. 14. ad finem. quod si ita est, non diu Salomon cum parente regnauit. Quoto anno Salomon regnum inierit, nihilo certius est. Quidam vndenem, alij duodenem putant. Vide Hieronymi ep. 132. ad Vitalem, vbi de Salomone multa. Illud etiam in Hebræorum chronico habemus cap. 16. antequam Dauid è viuis discederet vidisse nepotem suum Roboam Salomonis filium, qua de re suo loco pluribus.

*Dauid regnauit quàdiu vixit.*

*Salomon aliquandiu cum Dauide regnauit.*

29. Vers. 13. *Et ingressus est Adonias filius Haggith, ad Bethsabee matrem Salomonis, quæ dixit ei: Pacificus non est ingressus tuus?*] Vxor fuerat Dauidis, vt diximus, Abisag Sunamitis, licèt cum illa nullum habuerit, tentarítque coniugale commercium. Cùm autem, vt est verisimile, parentalis luctus esset impensus, & si non omnino sine offensione, cum minori tamen iniri posset alterum connubium, accessit Adonias ad Bethsabee, cuius intercessio pro materna siue auctoritate, siue indulgentia, plurimum videbatur apud filium ponderis habitura, orátque ab illa, vt à Salomone sibi in vxorem Abisag Sunamitidem impetraret. Quid autem hac petitione spectarit Adonias, incertum est: quidam hac ratione voluisse putant in regni possessionem irrepere, vt quod priori consilio non potuit, cùm apertè acclamante populo, regium sibi nomen assumpsit, id postea callidè, & quasi per insidias obtineret. Dicunt autem, qui ita iudicant, consilij huiusce autorem fuisse Ioab, qui Adoniæ fauebat partibus, & cui proximè in regno sibi procurando, siue ambiendo præsens astiterat.

*Adonias cur sibi Sunamitidis nuptias ambierit.*

A Ita putat Abul. quæst. 29. Theodoretus quæst. 7. Dionysius, & Hugo, neque de fuit ratio, quam Ioab homo callidissimus odoratus est. Nam cùm Adonias populo toti foret non ingratus, & iam sibi illius bonam partem conciliasset, à qua conclamatus est solemni forma, & salutatus Rex: esset præterea honesta, ac liberali facie, quæ multitudinis blanda conciliatrix est, & filiorum maximus, quos ex variis vxoribus susceperit Dauid, si adhæc, mortuo iam Rege, accederent Sunamitidis nuptiæ, quæ ipsa Regina fuerat, & populo propter formæ venustatem, & honestos mores non ingrata, ad regnum obtinendum magna videbatur futura ponderis accessio. Hæc ratio Ioab primum callidum consiliatorem, deinde Adoniam B adduxisse potuit, vt Sunamitidem expeteret ad nuptias. Quod non videtur ignorasse Salomon, quando huius consilij tam seuerum supplicium, primùm ab Adonia, deinde à Ioab magis fortasse festinatè, quàm principio statuisset, exigit. Sed fortasse nihil horum cogitabat Adonias, sed captus non tam ambitione regni quàm Sunamitidis pulchritudine, illius ambiebat nuptias, neque putabat à paterno connubio aliquod impedimentum obtendi: cùm sciret ab illius coniugali congressu abstinuisse parentem. Cùm autem non imprudenter Bethsabee suspicari posset hostile aliquid Adoniam moliri aut contra se, aut contra Salomonem filium, cùm ipse priùs esset Rex appellatus, & à Salomone deinde ab occupato regno depulsus, C rogat ab illo, an aliquid meditetur, aut cogitet, quod ab offenso animo timeri posset? Ille verò securo animo esse iubet, neque se aliquid, ait, ad illum ingressum cogitare, nisi pacificum. Hæc porrò interrogatio, cùm quis de alicuius animo dubitaret, familiaris erat Hebræis. Vnum caput nonum ex lib. 4. Regum multa nobis suppeditat exempla. Ex nunciis enim, qui missi fuerunt à Ioram ad Iehu, dixerunt illi primi, *Hæc dixit Rex: Pacata ne sunt omnia?* Deinde secundi, *Nunquid pax est?* Deinde Rex ipse Ioram: *Pax est Iehu.* Quod perinde est ac si dicas, *Pacificus ne est ingressus tuus.*

30. *Vox in congressu prima, qua.*

Vers. 15. *Tu*, inquit, *nosti, quia mecum erat regnum*, &c.] Quid petierit Adonias, quid illi Bethsabee promiserit, quis tandem fuerit petitionis D euentus, res est neque difficilis, neque obscura. Illud hîc obseruandum, vt hæc exoraret Adonias à Bethsabee, rationem sumpsisse ab honesto, & facili; est enim honestum, vt aliquid inueniat intercedente matre à filio Rege doloris solatium, cùm à regno exciderit, quod iam cum frequentis populi conspiratione adiisse videbatur: neque aliud in præsentia Solatium velle, nisi Sunamitidis nuptias, quam sciebat in sociali thalamo nihil à parente subiisse, quod virginalem pudicitiam libasset. A facili verò, quia indulgentissima mater ab ingenuo filio quiduis impetrabit. Hæc fuit Adoniæ ratio, sed longè aliter Salomoni visum, qui Adoniæ verba aliorsum interpretatus, pro E Sunamitide mortem illi, eámque festinatam, præcisámque decreuit.

31.

Vers. 22. *Postula ei, & regnum.*] Cur ducta Sunamitide, regnum obtinere, aut ambire videatur Adonias, iam à nobis suprà explicatum est tum proximè, cùm diximus plurimum posse fœminæ, & pulchræ, & quæ nuper Regina vocabatur, illecebras ad conciliandos animos: & capite præcedenti, cùm ostendimus ex vsu gentium illum imperium affectare, qui aliquid sibi, aut contrectaret, aut assumeret, quod ad regiam personam

32.

pertineret, quocunque id modo capias certè id Salomon in malam partem interpretatus est hoc Adoniæ aut malum, aut malè existimatum consilium; cur verò si istæ accesserint importunæ nuptiæ, quiduis timeri possit ab Adonia, his Salomon rationibus adducitur.

33. *Ipse est enim frater meus maior.*] Stat in regni causa ab Adonia primogenij apud Reges potentissimum, ac commune ius, de quo nos pluribus c. 1. ad illud v. 27. *Vt indices eis, quis sedere debeat in solio tuo.* Cùm autem Israelitæ talem cuperent habere Regem; quales gentes habent, illud etiam habere videntur, quod est communi gentium, & quasi naturali iure receptum, vt qui est primus natu, ille inter alios ius sibi regnandi vendicet.

34. *Et habet Abiathar Sacerdotem, & Ioab.*] Hæc etiã non infirma ratio, cur sibi ab Adonia Salomõ cauere debuerit, cùm haberet secum duos magnos principes, alterum sacrorum, alterum exercitus: Abiathar videlicet sacerdotum maximum, & Ioab principem militiæ, quorum cuilibet, in suo cuique ordine summa erat auctoritas, ac potestas.

35. Vers. 23. *Iurauit itaque Rex Salomon per Dominũ*, &c.] Quo aliorum faciliùs repelleret intercessionem, & preces, iurisiurandi religione interposita omnem sibi præcludit aditum ad veniam, vt insuper addidit non esse Adoniæ mortem differendam in crastinum. *Quia hodie*, inquit, *occidetur Adonias.* Neque aliter fecit, quàm cogitarat antea, & nunc iureiurandi fide confirmarat.

36. *Misitque Rex Salomon per manum Banaiæ filium Ioiadæ, qui interfecit eum.*] Quomodo per milites, & sui corporis custodes Principes pœnas exegerint, etiam capitales ab his, quos morti destinassent diximus in nostris commentariis super Danielem, ad illud cap. 2. v. 24. *Post hæc Daniel ingressus est ad Arioch, quem constituerat Rex, vt perderet sapientes.* Exemplorum habemus plus satis tã in sacra, quàm in profana literatura. In sacra est illud, de quo nuper. Cùm enim Nabuchodonosor statuisset interficere sapientes è Chaldæorum genere, id negotij tradidit Arioch principi militiæ. *Tunc Daniel requisiuit de lege, atque sententia ab Arioch principe militiæ Regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.* Sic Saul 1. Regum cap. 22. è missariis suis, quos nempe habebat ad manus, vt destinatos à se morti sacerdotes occiderent, imperauit. Sic Dauid lib. 2. Regum cap. 4. per suos milites duos latrones interfecit, qui Isboseth insidiosè caput præciderant; sicut cap. 1. paulò ante Amalecitam, qui occisum à se Saulem prædicabat. Et est exemplum optimum in Christo Domino, quem Romani milites ex patria consuetudine in crucem egerunt.

*Milites executores capitalis pœnæ.*

37. De profanis neque pauciora sunt, neque minus illustria documenta, quæ occurrent passim mediocriter attento. Sanè hoc esse militum munus indicat Tertul. de corona militis cap. 11. vbi à profana militia deterret Christianum hominem ne cogatur carceres, & vincula, & tormenta, denique de more varia administrare supplicia. Longum esset referre quoties per centuriones, & tribunos, qualis censeri potuit Banaias, Romani de sontibus supplicium sumpserint capitale. Vnus Suetonius multa nobis suppeditat exempla. Sic sanè Seneca lib. 3. de ira cap. 20. de Caio, opinor, tradit, ab illo missis centurionibus plurimos occisos, quos capite damnarat, & de regia, prætorianáque cohorte fuisse videtur speculator ille, quem Herodes misit, vt Ioannis, qui tenebatur in vinculis, amputaret caput.

A Vers. 26. *Abiathar quoque sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth, ad agrum tuum.*] Fuerat, vt vidimus Abiathar in Adoniæ cõiuratione, quæ res grauiter affecerat Salomonis animum. & deinceps ne, si summus esset sacerdos, sua auctoritate turbare res posset publicas, & rebus studere nouis auderet, illum sublato sacerdotio summo, aut vsu sacerdotij exautoratum excedere iussit è tabernaculo, & suas sibi res curare in Anathoth. Quem omnino occidisset, nisi ipsius in Dauidẽ antiqua merita gladiũ extorsissent è manibus. Sic enim ad illum Salomõ. 38.

*Hodie te non interficiam* (interfecturus alioqui) *quia portasti arcã Domini Dei mei coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus.* Duo hîc considerauit Salomõ in Abiathar, alterum quod ad religionem in Deum, alterum quod ad pietatem in patrem pertineret. Erat enim vnctione sacra consecratus Deo, vtpote sacerdos, & alio etiam modo, in quo aliquid apparebat sanctum, quod venerari debuit Salomõ, cùm arcã suis imposuisset humeris, cuius attactu sacer videri poterat, & à vi, & ferro prorsus immunis. Pietatem erga parẽtem coluit, quia violare noluit ferro illum; qui parẽti suo tã fuisset assiduus, illis maximè temporibus, quando ab hoste potentiori iactabatur, & premebatur angustiùs. Antiqua illa merita recentis siue studij, siue criminis indignitatem oppresserunt. Quos agros habere potuerint sacerdotes, quique essent ex Leuitico genere, diximus in nostris commẽtariis in Ieremiam ad c. 32. v. 7. vbi Ieremias, qui de genere sacerdotali fuit, agrum emit eodem loco, ad quem nunc cogitur abire Abiathar. De Leuitarum agris est illud Num. c. 35. v. 2. *Præcipe filiis Israël, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus, & iumentis.*

*Sacerdos sacro violari non debet.*

*Leuitæ alicui quos agros habuerint.*

Vers. 27. *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur*, &c.] Lib. 1. cap. 2. id Dominus minatus fuerat Heli, qui primus fuit ex familia Ithamar, qui summum iniit sacerdotium; cui dictum est breui ex ea domo sacerdotium esse transferendum. Id quod nunc impletum esse dicitur, cùm Abiathar, qui ex eo genere postremus pontificatu fructus est, è tabernaculo, sacráque functione, ad suum agrum abire compellitur; De hac depositione, seu exauctoratione plura nos ad cap. illud 2. Ex lib. 1. inde tu sume. 39.

Vers. 28. *Venit autem nuncius ad Ioab, quòd Ioab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset.*] Sub id tempus, quãdo Adonias occisus est, & Abiathar, qui Adoniæ coniurationis conscius, & consors fuerat, in suum agrum relegatus est, in aula frequenti iactabatur sermone Ioab quoque in idem cum Adonia conspirasse consilium. licèt hoc Salomonis solertiam non lateret. Cùm autem Ioab videret tam crudeliter vexari eos, quos habuisset in ea conspiratione socios, neque id occultum sciret Salomoni; non melius sibi in posterum ominari cæpit, quàm sociis contigisse viderat. Quare statuit sibi maturè esse prouidendum, & cùm censeret ab humano præsidio, vt illa ferebant tempora, non posse incolumitatem spectari, confugit ad diuinum; ad aram videlicet, & asylum vnde se à mortali manu extrahendum esse non putabat. De qua re statim. 40.

Nunc nobis obseruandũ, varias hoc loco reperiri lectiones. Quidam enim codices habent venisse nunciũ nõ ad Ioab, sed ad Salomonẽ de Ioab, idq; videtur esse minus abs re, quia cum Ioab sui sibi consilij conscius foret, non videbatur cur illud 41.

videbatur

didicisset à nuncio. Et fauet huic sententiæ, quòd *ad* sæpe ad habetur pro *de*. Et pluribus exemplis docuimus super Acta c.2. ad illud v.25. *Dauid enim dicit in eum*, id est, *de eo*. Ad Hebr.1.v.7. *& ad Angelos quidem dicit*. id est, *de Angelis*. Sed hæc profectò ratio infirma est, neque enim à nũcio didicit Ioab se Adoniæ studuisse partibus, sed illud exploratũ esse omnibus, & in aula regia familiaribus agitari colloquiis. Neque illud Salomoni nunciari opus fuit, cùm multo antè nosset, vt ex hoc capite satis liquet. Nisi dicas cum Hugone, & Dionysio agnouisse ex nuncio tum Salomonem, non quidem contra se in ambitione regni pro Adonia stetisse Ioab; sed post quam ipse parentis designatione, ac iussu vnctus fuit, & Rex acclamatus, & salutatus à populo; adhuc tamen perseuerarit in fouenda tyrannide, fuerítque Adoniæ auctor, vt eius gratia Sunamitidem expeteret ad nuptias. Sed non est deserenda vulgata, ea maximè, quæ extremis his temporibus magis correcta prodiit, quæ habet, *ad Ioab*, sicut etiam codices Hebraici, & Græci, & versio Hispanica antiquissima.

*Ad pro de nõ semel adhibitum.*

42. Magis est difficile, quòd statim, vbi Vulgatus legit, *& post Salomonem non declinasset*. Hebr. est, *post Absolomem*. & ita recentiores ferè conuertunt; qua de re pluribus Abulensis q.23. vbi cùm priùs liberiùs videatur contra Hieronimum loquutus, quasi aliud inuenerit in Hebraico textu; aliud verò expresserit in Latino. Sed deinde addidit in imagine, & omninò meritò, optimè reddidisse Hieronimũ textum, quem tunc incorruptum nactus est Hebraicum. Pòst verò scriptorum incuria vitiatũ esse textum, quod sæpe in scriptis aliis cum magna Doctorum hominum offensione dolentes experimur. Et ita mihi omnino visum est. Quòd si aliam sequaris lectionem, erit in hunc sensum explicatio non dura. Quasi in Ioab excitetur à maleuola turba maius odium, quod cùm priùs in causa non admodum dissimili declinare noluerit post Absolomem, de quo sæpe fuerat optimè meritus, nunc autem quasi hostíli esset in Salomonem animo, ad Adoniam contra Salomonis nomen, & maiestatẽ delexerit. Sed est, vt dixi, sine dubio vera lectio, quam vulgata proponit; etiamsi contrà habeant Hebraici codices, qui ad nos peruenerunt, quos omnino puto temporum, & scriptorum iniuria fuisse corruptos.

*Vitiatus nõ nunquam textus Hebraicus.*

43. *Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris*.] Nihil sibi benignum polliceri poterat à Regis offensione Ioab, neque ab amicis, si quos habuit, cùm nihil illos ausuros existimaret, cõtra quod à Rege fuisset constitutũ. Quare illud sibi perfugium parauit, quod miseris cõtra ineluctabilem potentiam existimatur extremũ. Recepit enim se ad asylum, maximè religiosum, ad altare nimirũ, quod erat in tabernaculo in ciuitate Dauid; immò in ipsa Dauidis regia domo, in quã pro defuncto patre Salomon successerat.

54. Antiquissima fuit consuetudo in omnibus religionibus, vt loca essent designata miseris: ex quibus nullo modo possent ad supplicium extrahi, quæ dicebantur Asyla. Eiusmodi erãt templa, statuæ, altaria, & quædã domus regiæ, militare signum, quibus id honoris impẽdebatur à timido, & obsequẽte populo, vt nõ auderet illum aut extrahere, aut ignominiosè tractare, qui ad asylum cõfugeret. Deus verò tã voluit miserorum saluti, atque quieti prouidere, vt in singulis tribubus aliquot ciuitates esse voluerit, quas ciuitates appellauit refugij; vbi quicunque scelus admisisset capitale, securã agere posset, atque quietam vitam. De

*Asyla pro miseris.*

A quibus Ioſue c.20. vbi Serarius hac de re latè, atque optimè; inter quæ primum locum habuere tẽpla, atque aræ, vtpote quæ Deo fuerint cõsecrata, quibus is honor habitus est à barbaro, atque Gẽtili populo, vt iniuriã Deo fieri tunc existimarẽt, quãdo aliquod sontibus in loco sacro dãnum intulisset, aut vim. Cúmque hæc, quæ diximus, nullo putarẽtur modo violãda: maior tamen honor habẽdus putabatur altarib. quia in illis præcipua quadã ratione colebatur Deus: vnde prouerbiali specie, cùm quis firmissimum præsidium nactus existimatur, arã illum inuenisse dicimus. Sanè à Marone lib.2. cùm ab hoste insolente, ac barbaro expugnaretur Troia; ex communi omnium gentium

*Templi magnam miserorum perfugium.*

B more fœminas inducit, quæ in ea perturbatione, ac metu ad aram confugerunt, quasi ibi sperarent futuras se tutas ab hostili manu.

*Ædibus in mediis, nudâque sub ætheris axe*
*Ingens ara fuit, iuxtáque veterrima laurus*
*Incumbens aræ, atque vmbra complexa penates.*
*Hîc Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum*
*Præcipites atra, ceu tempestate columbæ,*
*Condensæ, & diuum amplexæ simulacra tenebant.*

Et cùm Priamum videret Hecuba in medias inimicorum acies erumpere gestientem ad aram aduocat, quasi ibi nihil accepturus esset mali ab hoste, quamtumuis sitiente sanguinis, & à mente, ad quem Hecuba,

C *Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes.*

45. Quod ad Hebræos pertinet nõ solũ Deus ciuitates designauit refugij, vbi tuti essent, qui aliquid admississent, quibus à lege cõstitutum esset supplicium; sed etiã altare asylum esse voluit, illúdque, vt apparet, sicut omnium sanctissimum, sic omnium maximũ; quod tamẽ illi præsidio nullo modo esse voluit, qui per fraudem, & dolum alteri mortẽ intulisset. Sic enim Exod.21.v.14. *Si quis per industriã occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur*. Ex quo cõstat nihil passum esse Ioab contra legem, etiamsi nullum habuerit ab altari præsidiũ, cùm per insidias occiderit duos viros, quorum sanguis illum ad mortem vocabat.

*Insidiator ab asylo excluditur.*

Vers.30. *Hæc dicit Rex: Egredere*. Fortasse nõ dixerat Rex illud, *egredere*, sed Banaias intulit ex eo, quod in simili rerum euẽtu fieri soleret, illi excedendũ esse ab altari. Quasi diceret, hæc mihi dixit Rex, nempe vt te interficiam. Quare cùm regio edicto obluctari neque liceat, neque possit, quod consequens est, egredere è loco sacro. ne effuso humano sanguine fœdetur. Norat enim Banaias euellendum esse insidiosum homicidam ab altari, quod fuerat à lege præscriptum, non occidendum amplexum aras, & in sacrato loco.

*Qui ait: Non egrediar sed hîc moriar*.] Magnum si- 46.
bi præsidium sumpsisse videbatur Ioab, cùm amplexus est aras, neque putabat quemquam ausurũ illum vel leuiter attingere, qui illud sibi religiosũ asylum elegisset. Quare præcisè negat sibi ex eo loco fore excedẽdum. Quod Rex ita seuerè de suo capite statuat, non alio, quàm eo sacrato loco fore

E sibi moriendum; quod fortasse nõ putabat, ne aliquid ab effuso sanguine illius loci religio pateretur. Neque malè, opinor, coniectabat, cùm lex staret cõtrà, & multorum annorum consuetudo firmaret. Sed vrgebãt illius peccata, quæ regium animum ad durum, & ad illud fortasse tempus nunquam auditum, edictum impulerunt.

Vers.31. *Dixítque ei Rex: Fac sicut locutus est*.] Cùm 47.
Banaias regiũ edictũ exequi nõ auderet, nisi priùs Ioab excederet ab altari; retulit ad Regẽ quemadmodum Ioab, & in quod consilium obstinasset

animum. Ad quem Rex, Ioab ipsum sibi præstituisse supplicij non solùm genus, sed etiam locum; quare quando ipse affirmat iuxta aram esse moriendum sibi, ad aram ipsam obtruncari iubet. Hic meritò quærit Abulẽsis an à Salomone, & a Banaia peccatum sit in cæde Ioab, non quidem quia non illi profuit, tenuisse aram, commune, maximúmque miserorum asylum; nam ab altari, vt lex ipsa apertè præscribit, nullum habet homicida insidiator præsidium; sed quia non extractus ab altari, ac templo, cui non leuis fit iniuria, si in eo humanus effundatur sanguis, quamtumuis ille, qui occiditur, nocentissimus sit. Autores alij à peccato liberant Salomonem, quia insidiosus homicida nullum habet à lege ad asylum, ac templum vtile perfugium. Sed de loci religione, cui maxima ab omnibus debetur obseruantia, quæque profuso temeratur sanguine, nihil dicunt. Solus ea de re disputat Abulensis quæst. 38. & à culpa liberat Salomonem, statuens magnum inter templa Christianorum, & Iudæorum siue templa, siue tabernacula discrimen. In Christianorum templis nullo modo id liceret, quæ effuso humano sanguine censentur polluta cap. 4. à cap. fin. de consecr. eccl. vel altaris. At in Hebræorum sacrariis longè alia ratio est, vbi occiduntur, excoriantur, & cremantur victimæ. Quare nihil mirum si homines impij occidantur in illis siue templis, siue tabernaculis; quia mors impij est non ingrata victima.

49. Ego non possum, vt maximè studeam Salomonem, & eius administrum Banaiam à culpa vendicare, dum amplexum aras in ipso augustissimo sacrario perimunt. Neque mirum est, si hoc tempore aliquid contra legem designarit, cùm eo tempore nondum esset eam scientiam consecutus à Deo, quam habuit postea, vt populum regeret, & in officio contineret, & lege de qua cap. sequenti. Ita docet Abulensis q. 5. vbi tradit post quartum annum, ex quo regnum iniit, sapientiam à Deo hausisse Salomonem. qua de re suo loco postea. Hoc porrò tempore in aliis quoque non mediocriter peccasse videtur, qui cùm capite sequenti v. 3. iam dicatur ambulasse in viis Dauid patris sui, in eo tamen dicitur à parentis moribus deflexisse, *quod in excelsis immolabat, & accendebat Thimiama.* Neque Caietanus liberat Salomonem à peccato in Adoniæ causa, quem præcipiti iudicio, non satis discussa, ac cognita causa damnauit. *Excuset*, inquit, *qui scit; mihi enim non occurrit legitima Salomonis excusatio: nam non solùm seuera, sed etiam iniusta apparet hæc sententia mortis.* Neque difficile fuisset Salomoni immissa cohorte ex prætoriano, ac veterano milite, extrahere ex ara, & tabernaculo Ioab, illúmque postea sine vlla temeratę religionis nota, in loco interimere profano, sicut fecit Ioiada sacerdos lib. 4. Reg. c. 11. v. 15. qui Athaliam extrahi iussit è templo, & extra illum occidi. Quare qui, quod tam facile declinare poterat, ausus est, ille aut contemptæ, aut ignoratæ legis euitare suspicionem non potest.

50. Neque Abulensis ratio admodum Salomonem ab hoc errore, siue peccato vendicat; victimarum enim cædes ritè peractæ, religiosæ sunt, deúmque potius placant, illiúsque promerentur, ac conciliant fauorem, & auxilium, quam iracundiam prouocant, aut templa contaminant; quarum sanguis expiatorius potiùs, quã maculatorius, est. Secus est de humano sanguine, aut de humana cæde, quam execratur Deus, & abesse procul iubet à templo. Sanè cum epitasi additum videtur à Christo Domino Matth. cap. 26. Zachariam Barachiæ filium occisum in templo, quod sceleris auget grauitatẽ.

Rupertus lib. 3. cap. 37. Exodi hunc locum sic interpretatur, vt dicat auelli ab altari nihil aliud esse, quàm illi ab altari nullum esse præsidium; atque ideo ibi, quasi in profano loco interfici posse. *Ab altari*, inquit, *meo auelles eum, vt moriatur, id est, etiamsi ad altare meum confugerit, illuc vsque persequeris eum, auulsúmque interficies: quia videlicet ei nihil debet fides altaris, qui per dolum occidendo proximum omnem fidem perdidit. Iure ergo nemo vel Salomonis iudicium, vel Banaiæ manum reprehẽdit, quia Ioab profugum in tabernaculo Domini, tenentemque cornu altaris, & dicentem: Non egrediar, sed hic moriar, ibidem aggressus interficit.* Hæc Rupertus, qui tamen statim dicit Ioab fuisse auulsum ab altari; quasi idem sit ab altari diuelli, atque in altari nullum habuisse perfugium. 51. *Ab altari diuelli quid.*

52. *Et amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab à me, & à domo patris mei.* ] Duobus modis à sanguine Abneris, & Amasæ Salomoni, & Dauidicæ domui aduenire poterat siue dãnum, siue sceleris, atque perfidiæ, non sine aliquo fundamento, suspicio. Suspicio quidem, quia suspicari posset populus aut iubente, aut certè conscio Dauide occisos esse duos illos Principes, cùm videret viuere adhuc homicidam, imò & florere in domo regia, cùm nomẽ retineret antiquum, neque de antiqua dignitate quicquam esset ablatum. Hæc ergo suspicio tũc videbatur sublatũ iri, cũ eo nomine extinctus esset Ioab, quia per insidias illis ademisset vitã, quos Dauid maximè seruatos esse vellet, & de quorum interitu impensè doluerat. Alio modo amouendus videbatur sanguis à domo Dauid; quia cùm iniusta esset duorum Principum, & publica cædes cum malo exemplo, & graui totius populi offensione, ad Regem pertinebat publicis rationibus consulere, neque permittere, vt tãtum facinus impunitum abiret, ne impunitas aleret peccandi licentiam. Tandiu ergo hæreret inultus sanguis in domo Dauidica, clamans nimirum vindictam in regium caput, quandiu homicida ille non dediisset pœnas insignis audaciæ.

Vers. 32. *Et reddet Dominus sanguinem eius, super caput eius.* ] Notãdus dicendi modus familiaris Hebræis. Sãguis sæpe pro sãguinis supplicio ponitur, quem quis ab aliquo effudit iniustè. Sãguis porrò pro morte sumitur, quia sæpiùs violenta mors, & iniusta cum sanguinis effusione contingit. Et tunc *referri, conuerti*, aut *reuerti alicuius sanguinem in caput alterius*; idẽ est, ac aliquem luere effusum alterius sanguinem, aut mortem, id est, supplicium pro alterius morte capitale depẽdere. Quomodo statim v. 33. dicitur, *Reuertetur sanguis eorum in caput Ioab*, & eodem sensu dixerunt Iudæi, qui coram Pilato Christum accusarunt, & ad mortem expetierunt crucis, Matth. cap. 27. v. 25. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* 53. *Sanguis, vt sanguinis supplicium, & pro morte sumptus.*

54. Hæc de alterius sãguine, qui effusus est ab homicida iniusto; qui super cædẽ illius auctorem reuertitur, dum illius causa dãnatus occiditur. Sed si sãguis sit illius, qui alterũ occidit, alius est, vt credo, vsus: Neque aliud valet, quàm illũ, cuius sãguis esse dicitur, esse moriturũ, siue illud à carnifice publica auctoritate fiat, siue in acie, aut quouis alio modo legitimo pugnãdo. Esse enim sanguinem alicuius super aliquẽ, aut, quod idẽ est, super alicuius caput, nihil est aliud, quàm aliquem esse vulneratum, seu occisum, ita vt sanguis illius non sit intra venas, sed foris extra venas. *Super* enim aliquid significat extrorsum expressum. Quare idẽ valet,

*Reddet*

*Sanguis alicuius super caput quid.*

*Reddet Dominus sanguinem super caput eius*, atque hoc, illum Deus afficiat supplicio, vt ipse quoque occidatur, & sanguinem suum super se è vulnere defluentem videat. Eodem loquendi modo vsus est Salomon ad Semei v.37.cùm tamen ille nullius sanguinem effudisset.*Sanguis tuus erit super caput tuum.*Eodem Oseas c.12. v.14. *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis,& sãguis eius super eum veniet.* Eodem Ezech. c.33.v.4. *Sanguis ipsius super caput eius erit.* Illud porrò obseruandum, quod alibi à nobis sæpe dictum est, per *caput* totum hominem, aut animal circũscribi.Idem enim valet,*caput meum*, quod ego, *caput canis*, quod canis *caput colubri*, quod coluber. Et quidem apud Latinos millies audimus, *tot esse hominum capita*,aut simpliciter,*tot capita*,in ciuitate, aut senatu,id est,*tot esse senatores aut ciues.*Vide quæ nos pluribus ad illud Isai.c. 35. *Lætitia sempiterna super capita eorum.*

*Caput alicuius pro eo cuius est caput.*

55. Vers.33. *Et in caput seminis eius in sempiternum.*] Quid passi fuerint Deinde posteri Ioab, ex Scriptura sacra nihil habemus certum: est tamen verisimile ignobilem illos duxisse,ignominiosam,& miseram vitam,vtpote ab illo parente natos, qui eo nomine omnibus esset odiosus propter ingeniũ veteratoriũ,& fallax,& quia duos viros per fraudem interfecit,quorum opera vtilis videbatur futura reipublicæ; & ideo fortasse dixit Dauid suprà v.5. *Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Ioab*, id est, quam fuerit mihi noxius, qui duos viros fraudulenter interfecerit,qui videbantur mihi magno vsui futuri.Deinde arbitror maledicta illa, quæ suprà Dauid lib.2.c.3.intorsit in Ioab,habuisse successum & pondus,ex quibus hęc verba videtur expressisse Salomon. Sic autem ibi Dauid, *Mundus ego sum, & regnum meum apud Deum vsque in sempiternum à sanguine Abner filij Ner,& veniat super caput Ioab,& super domum omnem patris eius.Nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens,& leprosus*, &c.Quæ nos ibi pluribus explicuimus.

*Sadoc solus in templo quando cepit ministrare.*

56. Vers. 35. *Et constituit Rex Banaiam filium Ioiadæ super exercitum,& Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar.*] Ad hoc vsque tẽpus Ioab principe erat exercitus, neque aliud obtinuerat Banaias à Dauide prius,& nunc à Salomone, quàm prætorianæ cohortis præfecturam.Nunc illi Salomon curam illam committit, qua in re militari nulla existimatur esse nobilior. Deinde quia duo hucusque sacerdotes erant maximi,qui alternis ministrabant in tabernaculo,cùm adire Abiathar iussisset nuper in Anathot,totam tabernaculi,& sacerdotis summi curam tradidit Sadoc, qui à tempore vsque Saulis eo cœperat ministerio fungi.

57. Vers.36. *Misit quoque Rex,& vocauit Semei, dixitque ei:Ædifica tibi domum in Ierusalem.*] Supererat adhuc vt Salomon extrema parentis sui mandata cõpleret.Quare aduocat Semei, qui maledicam quondam in Dauidem exeruerat linguam: qui tunc habitabat in Bahurim, quæ in tribum Beniaminicam contributa est; vbi domum habebat loculentam,& re abundantem pecuaria,& rustica.Neque leue videbatur esse supplicium si homo,qui suã habuit cognationem, & affinitatem, insuper vberes, & amplas possessiones in Bahurim, iuberetur inde excedere,ablata omni prorsus vnquam redeundi facultate,vbi potens erat,& sũmo fortasse inter suos loco,& habitare in ciuitate aliena,& aliena tribu,in qua esse non poterat non odiosus, cùm constaret quam fuisset priùs in Dauidem inuerecũdus,& procax.Quare perinde habitaret in Ierusalem, quasi in liberiori aliqua custodia, cuius licèt laxa sint mœnia: certis tamen finibus concluſa sunt, & quorum transgressio capitalis est.Cùm autem omnes illi præclusissent exitus Salomon,præcipuè tamen edixit proposito capitali supplicio,ne transiret Cedronem,quia id videbat à Semei minus seruari posse. Cur per Cedronem exitus pateret ad ciuitatem patriam Bahurim, à qua abesse instar censeri poterat mortis, cùm ibi haberet omnia,quæ in humanis existimãtur aut vitæ subsidia, aut dignitatis ornamenta. Cedron porrò non tam dicitur à cedris, vt quidã existimarunt Hebraicæ linguæ prorsus ignari,quã ab obscuritate;id enim valet Hebr. קדרון *Kidron*, valles autem in vastam altitudinem depressæ,qualis erat illa,per quam labebatur Cedron,obscuræ sunt. Vnde vallium hoc est familiare epitheton; quam poëtæ modò *obscuram* modò *nigram*, aut *vmbrosam* appellant.

58. *Cedron vnde dictus.*

*Bonum id quod gratũ, acceptum.*

Vers. 38. *Dixitque Semei ad Regem:bonus sermo.*] Hebræi *bonum* appellant,quod placet: atque ideo cùm aliquid sibi placere significant, bonum sibi illud esse dicunt.Sic suprà c.3.lib.1.Heli cùm sibi placere significare vellet, quidquid de suo capite statuisset Deus, dixit, *Dominus est,quod bonum est in oculis suis faciat.*& Isai.c.39.Ezechias cùm audiret quid Deus contra ipsius caput statuisset,dixit,*Bonum verbum Domini,quod locutus est.*Quod idem est ac si diceret,admitto quod de me Domino visum est,non abnuo,aut deprecor pœnam.Sic ergo nũc Semei placere sibi dixit Regis decretum: neque aliquid se habere, quòd contra illud obtendat. Quod ipse Salomon docuit statim v. 42. vbi cùm significaret admissum esse decretum à Semei, neque recusari posse,quominus pereat,dẽtque legitimam pœnam violati decreti,ait, *Prædixi tibi quacunque die egressus ieris huc, & illuc, scito te esse moriturum, & respondisti mihi: Bonus sermo, quem audiui, quare ergo*,&c.

*Semei supplicium.*

Vers.44. *Tu nosti omne malum,cuius tibi conscium est cor tuum.*] Leuius videri poterat Semei,& aliis, quibus ignota erant audacissima scelera, quæ in Dauidem excedentem ex vrbe quondam admiserat,atque ideo, ne quisquam iniustæ crudelitatis argueret,alia nunc commemorat crimina, quorũ sibi conscius erat Semei, quæ si duriori plecteret supplicio,pro scelerum magnitudine,& genere;nõ tamen videretur excessisse modum, quem humanitas præscribit,aut publica ratio. Cùm insultasset Regi tam de patria merito, & non solùm verbis,sed etiã lapidibus regiã læsisset maiestatẽ, cui sceleri grauissima vbique gentiũ supplicia leges indicunt,meritò timebat Semei cùm lib.2. c. 19. redeunti in vrbem Regi supplex occurrit.

# IN CAP. III. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*PACATO iam, & constituto regno Salomon, & cum Pharaone Ægyptiorum Rege affinitate coniunctus, profectus est in Gabaon, vbi tunc erat tabernaculum, & altare à Moyse constructum, vbi cùm religiosum obiisset sacrificium eadem nocte Deus illi per quietem oblatus optionem dat, vt id petat, quod illi magis fuerit in votis. Salomon aliorum omnium immemor id à Domino petit, quod Regi adolescenti adhuc, & imperito maximè censebat futurum ex vsu; cor nimirum docile, & scientiam, qua creditum suæ fidei populum rectè posset, ac sanctè moderari. Quæ Deo tam grata fuit postulatio, vt illi eam sapientiam largitus fuerit, quantam assecutus fuerit nemo vnquam mortalium. Insuper & alia omnia, ad quæ magis inflammantur hominum studia, quales sunt diuitiæ, & gloria; præterea, si diuinam legem fideli obseruatione coluerit, regnum in sua posteritate sempiternum. Hæc omnia dixit Salomon, & audiuit, cùm adhuc teneretur à somno, à quo solutus Hierosolymam rediit, vbi oblatis iterum coram area victimis, primum, & illustre concessæ diuinitus sapientiæ documentum dedit. Nam cùm duæ meretrices de infantuli cuiusdam possessione iudicio contenderent, cùm quælibet suum esse filium præfractè affirmaret; cùm neque vllæ forent coniecturæ, aut testes; ipse tamen rationem inuenit, quæ veram proderet matrem, & simulatam conuinceret mendacij ream.*

## CAPVT TERTIVM.

1. CONfirmatũ est igitur regnũ in manu Salomonis,& affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti:accepit namque filiam eius,& adduxit in ciuitatem Dauid,donec compleret ædificans domum suã & domum Domini, & murum Ierusalem per circuitum.

2. Attamen populus immolabat in excelsis : non enim ædificatum erat templum nomini Domini vsque in diem illum.

3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quòd in excelsis immolabat,& accendebat thymiama.

4. Abiit itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum : mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.

5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens : Postula quod vis vt dem tibi.

6. Et ait Salomon: Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam magnã sicut ambulauit in cõspectu tuo in veritate, & iustitia, & recto corde tecum : custodisti ei misericordiam tuam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum eius sicut est hodie.

7. Et nunc Domine Deus,tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum.

8. Et seruus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine.

9. Dabis ergo seruo tuo cor docile,vt populum tuum iudicare possit & discernere inter bonum & malum : quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?

10. Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiuscemodi rem.

11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petiisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium:

12. Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens in tantum vt nullus ante te similis tibi fuerit,nec post te surrecturus sit.

13. Sed & hæc,quæ non postulasti,dedit tibi : diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retrò diebus.

14. Si autem ambulaueris in viis meis & custodierit præcepta mea, & mandata

mea

mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos.

15. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quòd eſſet ſomnium: cúmque veniſſet Ieruſalem, ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta, & fecit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuerſis famulis ſuis.

16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, ſteterúntque coram eo.

17. Quarum vna ait: Obſecro, mi domine, ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in cubiculo.

18. Tertia autem die poſtquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus ſimul, nullúſque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duabus.

19. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppreſſit eum.

20. Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilẽtio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in ſinu ſuo: ſuum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo.

21. Cúmque ſurrexiſſem manè vt darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentiùs intuens clara luce, deprehendi non eſſe meum quem genueram.

22. Reſponditque altera mulier: Non eſt ita vt dicis, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit. E contrariò illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Atque in hunc modum contendebant coram rege.

23. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Et iſta reſpondit, Non, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit.

24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cúmque attuliſſent gladium coram rege.

25. Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.

26. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad regem: (commota ſunt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo.) Obſecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur.

27. Reſpondit rex, & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc eſt enim mater eius.

28. Audiuit itaque omnis Iſrael iudiciũ quod iudicaſſet rex, & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium.

---

# IN CAP. III. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

Verſ. 1. *Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis.*]

1. HACTENVS non videtur Salomon conſtitutus in regno, cùm hoſtes haberet domeſticos, qui videbantur rem turbaturi publicam, aut facere quominus ipſe pacatum, & non omnino ſuum agitaret imperium. Quid enim non timeret Rex adhuc puer Adonia viuo, incolumi Ioab, quorum alter & genere æque nobili, vtpote Regis frater, & natu maior, & multitudini non ingratus, & iam Regis acclamatione nobilis. Quid ſi Abiathar ſacerdotij ſummi titulo inſignitus maneret in vrbe non exautoratus, qui iam ſuum in Adoniam ſtudium abundè prodiderat? Quid ſi Ioab primum in militari negotio locum obtineret, cuius in caſtris non leuis erat autoritas, & vt ingenio erat veteratorio; ac callido, ad Adoniæ partes militum animos facilè traduceret? His itaque viuis licèt patris interceſſiſſet autoritas, acclamatio populi, & ſacerdotis vnctio: non tamen videbatur confirmatus in regno, qui quod capiti ſuo, atque coronæ metueret, aliquid eſſet reliquum. Confirmatum eſt ergo regnum in manu Salomonis, id eſt, in illius poteſtate, quia ſuo arbitratu de regno poterat libere ſtatuere.

2. *Et affinitati coniunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti.*] Cùm iam cõſtituiſſet, atque firmaſſet regnum Salomon ad conſtituendam, firmandámque domum ſuam animum adiecit, atque ideo de vxore ducenda cogitauit, quam ex regio genere in regium etiam thalamum induxit; puellam nimirum Ægyptiam, quam omnium adamauit maximè. Quod eo videtur feciſſe conſilio, vt Ægyptias ſibi adiũgeret vires coniugali nodo colligatas. De hac porrò Ægyptia coniuge & de domo ad eius honorem, & delicias impenſis ædificata ſumptibus, ſuo loco commodiùs. Nunc de hoc peregrino, & quaſi alieno coniugio duo nobis expendenda.

3. Alterum eſt, an iſtæ potuerint cenſeri legitimæ nuptiæ. Quidam omnino negant, quia cum alienigenis prohibitum fuit Hebræis inire connubia Exod. 34. v. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus earũ regionum, &c. nec vxorem de filiabus eorum accipias, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios veſtros in Deos ſuos.* Deut. 7. v. 3. *Neque ſociabis cũ eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me.* Neque fauet huic Salomonis cum Ægyptia connubio, quòd hæc coniugia cum chanaanitide fœmina prohibentur, vt conſtat. Quare aliæ omnes, quæ alienæ ſunt ab Hebræorum genere

*Cum Gentibus an Israëlitæ potuerint inire connubia.*

nere, ac religione, ad illorum thalamum videntur sanctè, atque legitimè adhiberi potuisse. Illis enim locis ideo Chananæorum tantum meminit lex; quia de Chananæorum populis erat institutus sermo. Quid autem Deus, quod ad commercia, & coniugale fœdus attinet à suo populo requireret, satis ostendit ratio, quam lex adducit: ne videlicet Hebræorum filij ab alienæ religionis matrib. instituti sacra colerent gentilica, & à paterna pietate degeneres ad maternam impietatem abducerẽtur. Hæc autẽ ratio tam valet in Chananæa, quàm in quæcunque alia peregrina coniugia.

4. Adde quòd Deus id satis expressè docuisse videtur, cùm per Moysem edixit populo sine vlla prorsus gentium exceptione, aut designatione, vt solùm ex Israelitico populo, imò solùm ex sua tribu vxores accipiat; quare omne externum videtur prohibere connubium. Sic autem Num. 36. v. 6. *Nubent, quibus volunt, tantùm vt suæ tribu hominibus: ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim tribus ducent vxores de tribu, & cognatione sua: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient.* Deinde lex illa, quæ peregrinæ fœminæ connubium admittit, & probat; ea tamen lege, vt certis quibusdam cæremoniis parentum impietatem eiuret, & Hebræorum profiteatur, non magis alias, quàm Chanaanitides puellas aduocat, admittítque ad Israeliticas nuptias. De omnibus enim fœminis peregrinis lex loquitur, quarum excludit nullam, modò religionem amplectatur Israeliticam, & patriam abiuret. Sic autem lex Deut. 21. v. 20. *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuósque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueríque habere vxorem, introduces eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est, &c. & postea intrabis ad eam, dormiésque cum illa, & erit vxor tua.* Talis fingitur sponsa de qua in canticis Salomonis, vt nos in illorum commentariis ostendimus, & cui dicitur Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Adde quòd expressum apparet Dei præceptum, quo Israelitæ prohibentur accedere ad illas, quæ ad terram Chananæorum non pertinent, modò alienis legibus, & religioni seruiant. Sic infrà c. 11. v. 1. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Amonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hetheas de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Hîc, vt vides, gentes numerantur, quæ non pertinent ad regionem Chanaam, & tamen illas Deus ab Israelitarum coniugio repellit.

*An cum alienis tribubus ex suo genere.*

*Quomodo ab Israëlita duci possit aliena.*

*Cum alienis Israelita nuptias inire prohibitus.*

5. Ex his constat omnes fœminas alienigenas ab Hebræorum thalamis arceri; quare infirma est illorum ratio, qui hac distinctione liberant Salomonem à crimine violatæ legis. Ego potiùs existimo Pharaonis filiam eiurasse Ægyptiam religionem, & Hebræorum sacra fuisse complexam, & ea ratione, salua Hebræorum lege, Salomonis thalamum inire potuisse. Quod sine dubio fecerunt illæ fœminæ, quæ alienigenis ortæ parentibus connubiali vinculo Israelitis copulatæ sunt. Qualis fuit Maacha filia Tholmai Regis Gessur Absalomis mater, quæ nupsit Dauidi, de qua nos pluribus lib. 2. c. 3. n. 2. & 3. sanè Ruth Moabitis, quæ Boos Israelitæ nupsit, sicut patriam antiquam, sic etiam religionem mutauit, quæ c. 4. v. 16. dixit ad socrum Noemi, *Populus tuus, populus meus: Deus tuus Deus meus.* Cui dixit Booz c. 2. v. 12. *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem accipias à Deo Israel, ad quem venisti, & ad cuius confugisti alas.* Sanè Raab Chananæa erat, & tamen quia conuersa est, non minus legitimè Israelitæ nupsit, quàm quæuis alia, ex populo gentilico proselita, vt multis probat Abulensis in cap. 6. Iosue, q. 56. Quòd à patriis erroribus ad Iudæorum sacra, verámque religionem se contulerit, docet Paulus ad Hebr. cap. 11. v. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis.* vide expositores in eum locum, & clariùs Iacobus c. 2. *Similiter autem & Rahab meretrix nónne ex operibus iustificata est?* Quod ergo Salomoni licuit, cui Rahab, & Booz cui nupsit Ruth vtraque proselyta, id profectò etiam Salomoni licuit, si Pharaonis filiam proselytam vxorem accepit.

*Ruth Moabitis quomodo licitè nupsit Booz.*

6. Alterum, quod expeditum oportet, est, quoto ætatis anno Salomon regnare sit exorsus: qua de re ex Scriptura nihil certum affirmari potest, & autores, vix credi potest, quantum inter se dissentiant. Est qui putet triennem illum inisse regnum, sed est planè absurda, vt modestissimè dicam, & suo autore digna sententia, is est Musterus à Seratio citatus, quem ego non legi, neque legisse vellem. Alij duodenem putant, neque hi pauci sunt, neque ignobiles. Hieronymus ep. 132. ad Vitalem & in Isai. c. 3. S. Ignatius ep. 5. ad Magnesianos. Eusebius lib. 9. de præpar. euang. c. 4. ex Eupolemo, Antonius 1. p. hist. tit. 3. c. 2. Denique hæc communis tam Hebræorum, quàm nostrorum sententia est, quos non nomino, ne cunctos nominem.

*Quoto ætatis anno regnum iniit Salomon.*

7. Abulensis regni exordium statuit in anno Salomonis 15. aut 16. in hoc c. 3. q. 5. Lyra vigesimo ætatis anno iniisse regnum arbitratur in lib. 3. Reg. cap. 11. vbi sententiam aliorum multis impugnat. Massæus lib. 6. chronicôn non ante vigesimum sextum annum regnasse putat.

8. Ego in hac rerum controuersia hoc vnum scio, nihil ex Scriptura sciri certò posse, quia neque anni ætatis Salomonis in ea traduntur; de quibus magna est quæstio, & incertæ coniecturæ, neque quoto Dauidis anno natus, ex quibus colligi posset, quando ad regnum admissus est. Deinde, quia licèt sub hæc tempora Salomon, immo post patrem mortuum confirmatúmque regnum, in quo non parum temporis positum oportuit, puer dicatur paruulus, sic enim Salomon de se v. 7. *Ego autem sum puer paruulus, & ignorans ingressum, & introitum meum*; tamen multo ante hoc tempus à patre suo vocatus est, *vir sapiens*, c. 3. v. 9. Quę duo in ætatem puerilem, & teneram non apte conueniunt. Quare ex his verbis, quæ tam sibiipsis videntur aduersa, nihil certum potest definiri. Qui ætatem puerilem tribuũt Salomoni sumpserunt, opinor, ex verbis quę de seipso locutus est Salomon; qui verò grandiorem, & regno non immaturum, ex illis, quibus ad illum locutus est pater, cùm Semei scelus illi puniendum commendaret c. 2. v. 9. *vir autem sapiens es, vt scias, quæ facies ei.* Vt ergo de Dauidis ætate, quo tempore ad certamen descendit cum Goliath, ideo nihil habemus certum, quia vt constat ex c. 17. modò à Saule vocatur *puer* v. 33. & c. 16. v. 18. ab alio viro, vt apparet, principe, cùm esset Dauidi familiaris, *vir* appellatur, & ea de illo prędicantur, quæ non videntur in iuuenilem ætatem conuenire. Sic etiam verba non dissimilia Salomonis tempus, quo regnum iniit,

vehe

vehementer obscurant. Nos igitur iam quid probetur magis, aut quid improbetur minus afferamus.

9. *Anno 12. videtur Salomon initisse regnum.* Primùm igitur probabile statuo, quod cum Hieronymo sentiunt frequentes alij, nempe anno duodecimo, aut ab eo certè non admodum longè vnctum esse Regem Salomonem cuius ea coniectura est, quia aliquot annis à parentis morte cõstituto iam regno, se puerum, & paruulum appellat. Cui cogitationi cùm obstent duo, illa nos expediamus oportet. Alterum est, quòd Salomon decessisse dicitur senex, atqui cùm quadraginta regnarit annos, vt constat cap. 11. v. 42. his si addas duodecim alios, qui illius regnum præcesserunt, non plures efficient, quàm quinquaginta duos. Hæc verò ætas vix est senilis, quia in ea homo robusto est corpore, & integris sensibus, quales Salomon habuisse non videtur: cùm in illam peccatorum abyssum demersus est, vt diis supplicârit gentium, & se totum mulierc̃larum libidini regendum permiserit. Huic autem obiectioni occurri potest non difficilè: nam reuera quinquagesimus annus ad senectutem pertinet. Quare si quinquagenarius Salomon mulieres adamauit alienigenas, vtique senex adamauit, veréque de illo affirmari potuit illud c. 11. v. 4. *Cùm esset senex, depravatum est cor eius per mulieres.* Cùm autem aduenire interdum soleat immatura senectus ante suum tempus, id accidit maximè his, qui immoderatiùs venereis indulgent voluptatibus: hæc enim veneris intemperantia debilitat vires, exhaurit, & conficit corpus; & vt innumerabiles gignit morbos, illosque fœdissimos, sic præcocem adducit, & turpem senectutem. Qua de re multa, & grauiter tam sacri, quàm profani Philosophi. Vide Tiraquellũ in legibus connub. lege 15. vbi plura adducit testimonia, tu pauca accipe. Cicero de senectute, *Libidinosa, intemperánsque adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.* Chrysostomus hom. quòd nemo lædítur, nisi à seipso. *Qui in libidine vitam ducunt resoluta corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta, quibúsque ad cumulum malorum, podagra tremor, & immatura senectus succedit: & est vita semper cum medicis, & medicamentis.* Cùm ergo Salomon tam se assiduè venereo concubitu confecerit; quale existimandus est habuisse corpus, quàm fractum, quàm effœtum, quàm denique si minus annis, immoderata tamen venere simile? Senex ergo fuit Salomon anno quinquagesimo, cùm tam se in illam veneris intemperantiam effuderit.

10. *Luxuria senectutem anteuertat.*

11. Alterum, quod huic cogitationi non parùm incommodat, est, quod ex ea efficitur vndecimo Salomonis anno generatum esse Roboam, & eodem natum esse tempore, quo ille primum regnum obtinuit: immo vno prius anno: quod ex eo liquet, quia cùm Roboam regnum suscepit, quod reliquit Salomon regno ac vita defunctus, quadragesimũ primum agebat annum c. 14. v. 21. *Quadraginta, & vnius anni erat Roboam cùm regnare cœpisset.* Quare cùm quadraginta annis regnarit Salomon, vt vidimus, consequens est, vt vndecim tantùm fuerit Roboã Salomone minor; sed fuit vno fermè anno antè conceptus; conceptus igitur à parente, qui non esset decimum ætatis annum supergressus: hoc autem non fert humanæ naturæ adhuc tenera, & infirma facultas. Grauis sanè ratio, & quæ apud omnes ponderis debet habere plurimum. Sed illi vt cum alia obiectione proximè fecimus sua quoque adhibenda responsio. Vidit hoc Hieronymus ep. 131. ad Vitalem, neque ita putat difficile, sicut apparet Lyræ, qui ad hanc sententiam multo quàm alij durior est. Ait enim ab vndeni, siue duodeni Achaz generatum Ezechiam. Nam, vt constat ex lib. 4. Regum cap. 16. & 2. Paralip. cap. 18. viginti annorum erat cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem; quare annos tantùm vixit triginta sex. Cùm autem decessit, viginti quinque annorum erat Ezechias filius lib. 4. Regum cap. 18. 2. Paral. cap. 29. Quocirca pater Achaz vndecim tantùm annis Ezechia maior. Ex vndecim detrahe adhuc nouem menses, nam nono antea mense conceptus fuerat, & inuenies decimo parentis anno conceptum Ezechiam. Deinde alterum adduxit exemplum non dissimile, quod interposita iurisiurandi religione se audisse confirmat. *Audiui*, inquit, *domino teste, non mentior, quædam muliercula, cùm exposítum nutriret infantem, & instillaret cibos, & nutricis officio fungeretur, cubarétque cum ea paruulus, qui vsque ad decimum iam peruenerat annum, accidit, vt plusquam pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensáque libidine obscœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas & noctis alterius, & cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Nedum̃ duo menses fuerant euoluti & ecce fœmina vterus intumuit. Quid plura, dispensatione Dei factum est, vt qua contra naturam simplicitate paruuli, in contemptu Dei abutebatur, à natura Domino proderetur, impleto sermone, quo dicitur: nihil occultum, quod non reueletur. Simulque consideremus quod occultè scriptura Salomonem, & Achaz voluptatis, & impietatis accuset.* Hæc Hieronymus. Aliud exemplum huic quàm simillimũm accidisse audio nostris temporibus, in Hispania, vbi nutrix eodem modo concepisse dicitur à puero quodam nobili, qui decimum annum nondum excesserat. Hęc Hieronymi opinionem faciunt non improbabilem: neque desunt alia exempla, à quibus accipit hæc communior sententia non parum momenti.

12. *Vndecimo parentis anno natus Ezechias.*

13. *Decennis puer grauidam fecit fœminam.*

Nihilominus illa mihi sententia potior est designatum esse, atque vnctum Salomonem Regem anno vigesimo, aut non procul à vigesimo, quod putant Abulensis, & Lyra suprà, & Pineda noster in suo Salomone præuio lib. 8. c. 2. n. 6. Quod probat, aut certè indicat Dauid, cùm c. 2. v. 6. & 9. Salomonem sapientem appellat, cuius documentum in ætate duodeni non dedisset. Deinde quia Salomon genitus videtur à Dauid cùm adhuc esset ætate robusta, anno, puta quinquagesimo postquam regnare cœpit in Hebron. Postquam enim natus est Salomon, multa contigerunt, quæ non videntur minori spatio transigi potuisse. Certè quæ ante Salomonis ortum ab inito Dauidis regno contigerunt, non plus videntur exegisse tempus, quàm quæ ab ortu Salomonis ad Dauidis interitum sacra narrat historia. Adde quòd ea constantia, qua Adoniam primùm, deinde Ioab, & Semei iussit interimi, non est eius ætatis, quæ non longè vndecim annorum spiritum, & ardorem excesserit.

*Quoto Salomonis anno generatus Roboam.*

14. Atqui dices, Salomõ seipsum v. 7. puerum appellat paruulum, qui ingressum suum, & exitum ignorat, & idem dixit illius Pater lib. 1. Paral. cap. 22. v. 5. *Salomon filius meus puer paruulus est, & delicatus.* Idem ego quærerem de Dauide, qui cùm iam vltra trigesimum annum esset progressus; dixit tamen lib. 2. Reg. cap. 3. v. 39. *Ego autem delicatus, & vnctus Rex.* Vt ergo delicatum se eo temporis articulo vocat Dauid, in quo nunquam fuit robustior, nunquam ad arma tractanda, & ad perferendas belli molestias magis idoneus; quia non satis tunc habebat virium, vtpote nouus Rex, vt populum adhuc alienum sub iugum mitteret, & hosti

hostilem sustineret impetum, vt eo loco diximus si hoc loco Salomon se paruulum, & puerum appellat,& eodem penè modo vocatur à patre, quia licèt iam adulta esset ætate, & cui paululum accessisset roboris;non tamen sic erat institutus, aut in re moderanda publica versatus, vt in eo genere potuerit appellari vir; opus enim illud experientiam desiderat, & vsum, qualis in vicenali ætate non reperitur. Quod ipse expressit Salomon, cùm dixit, *Ignorans, ingressum, & introitum meum*, quo dicendi modo omnium rerum se inexpertem,& ignarum vocat. Suspicor autem in his locis,& similibus, dicendi modis subaudiendam esse similitudinis formam, quod in Hebræorum idiomate frequentissimum est. Sic explico illud quod de ipso affirmauit Dauid lib.2.c.3. *Ego autẽ delicatus, & vnctus Rex*,id est, Ego nunc sum constitutus Rex, qui tamen tam sum infirmus contra tot hostes,quasi delicatus forem, insuetus bello, & laboris impatiens, & Salomon de se, *Ego sum puer paruulus,& ignorans egressum,& introitum meũ.* Ego comparatione tantæ molis,quæ prudentiam, constantiámque desiderat,sum instar pueri paruuli,qui rerum omnium imperitus est.Idem videtur sensus verborum Dauidis de Salomone 1. Paral. c.22.quem comparatione domus, quam illi ædificandam tradit, instar pueri paruuli esse iudicat. Hæc mihi posterior sententia veri videtur similior; neque tamen priorem improbabilem iudico.

15. *Accepit namque filiam eius* (Pharaonis) *& adduxit in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum Domini*, &c.] Iuxta posteriorem sententiam quam magis putabamus verisimilem,difficile non est existimare viuente adhuc patre duxisse Salomonem Ægyptiam vxorem,cùm non longè ab anno vigesimo designatus fuerit,& appellatus Rex, quæ ætas satis erat matura coniugio; sed de hac re nihil est certum. Illud minus dubium, sub annum regni primum duxisse vxorem Naamam Amanitidem, ex qua suscepit Roboam, alioqui quando Salomoni parenti successit, non esset annorum quadraginta vnius.Quare verum existimo quod Hebræi docent, in *seder olam* cap. 16. vno anno antequam à viuis excederet Dauid, natum fuisse Roboam: vxorem ergo Ægyptiam quocunque illam tempore ad regium thalamum asciuerit in ciuitatem Dauidis induxit, donec ædificato templo, regiam vxori domum ædificauit; quam illi propriam esse voluit, de qua c.7.v.8.pluribus. Ædificasse etiam dicitur ciuitatis murum, quod repetit c.9.v.15.de quo Iosephus lib.8.c.2.*Cæterũ*, inquit,*Rex, cùm videret mœnia Hierosolymorum turribus, & propugnaculis ad securitatem egere,nec ea dignitati vrbis satis respondere, & muros instaurauit, & turres magnas in eis erexit.* Neque nouum est, vt quod ab aliquo instauratum est, aut amplificatũ, & in meliorem formam redactum, id ab eodem dicatur esse constructum.De quo nos plura in nostris commentariis in Danielem ad illud c. 4. v. 27.*Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domo regni?* Quòd enim ante Salomonem cincta fuerit mœnibus Hierosolyma à parente Dauide,habemus lib.2.Reg.c.5.v.9. & 1. Paral. cap. 15.v.7.

16. Vers.2.*Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum.*] Causam reddit cur Salomon prius templum, quàm domum suam ædificare voluerit; quia cùm nullus esset certus locus sacrificali negotio destinatus,populus sibi variis in locis excitabat altaria,quæ nunc appellantur excelsa,& ibi rebus operabatur sacris interim dum templum haberet,parum fortasse piè, immò, vt opinor, impiè,nisi illos inuincibilis error vendicaret à culpa.Nam licèt templum non esset:erat tamen tabernaculum Dei, quod translatum primùm est à Silo in Nobe, vt constat 1. Reg. 21. & inde in Gabaon, vbi etiam erat altare à Moyse constructum,vt habes 1.Paral.c.21.v.29. *Tabernaculum autem Domini quod fecerat Moyses in deserto,& altare holocaustorum ea tempestate erat* in excelso Gabaon,& 2. Par.c.1.v.3. Deinde in ciuitate Dauid,licèt non esset tabernaculum,quod compegerat Moyses; erat tamen aliud à Dauide constructum,& in eo area,vbi legitimè,ac pie possent immolari à populo sacrificia.In eo errore fuisse quoque Salomonem,opinor,antequam à Deo cœlitus hausisset sapientiam;quia ipse quoque sacrificasse dicitur in excelsis, de quo mox.Vt igitur Salomõ hanc à populo offensionem remoueret,quam postea cùm à Domino sapientiam accepisset, agnouit,ædificare templum voluit, antequam domum sibi atque vxori construeret.

17. Vers. 3. *Dilexit autem Salomon dominum ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quòd in excelsis immolabat,& accendebat thymiama.* ]Licèt,*diligere*,motum significet voluntatis,quę in rem amatam lubens acquiescit, & illi bene cupit; tamen sæpissimè in Scripturis sumitur pro officiis, aut operibus,quæ ab amore nascuntur.Sic puto Magdalenæ multa (Luc.c.7.) peccata dicuntur dimissa, quia dilexit multum,id est, quia multa præstitit officia,seu obsequia, quibus diuinam in se misericordiam inflexit, quæ amoris aut faces sunt, aut signa. Sic ἀγάπη quæ charitatem valet, aut amorem,pro munere capitur, quod alteri damus, cui bene cupimus, aut cuius miseriam leuare studemus,sicut etiam charitas appellatur donum, siue inopi,siue amico datum. Vnde tritum, *fac mecum charitatem*,& similia. Sanè Augustinus contra Faustum lib.10.c.10. *Agapæ nostræ pauperes pascunt, sine frugibus, sine carnibus.* Hieronymus ad Eustochium de custod. virgin. *Cùm manum egenti porrexerint,buccinãt:cum ad agapẽ vocauerint,præco conducitur.*Sic Salomon Deum dilexisse dici potuit,non solùm, quia propriè Deum ex animo amauit, sed quia illum coluit offerendis victimis, & aliis piis religionis officiis,quæ in diuinum obsequium lex, aut bene instituta natura præscribit.Sic enim ambulauit Salomon,quemadmodum fuerat à parente præscriptum.His autem, quæ Dauid Salomoni obseruanda præcepit, etiam fuerant quædam externa religionis opera. Quæ etiam appellari potuere charitas, aut dilectio, quia hæc plerumque solent,aut certè debent à charitate proficisci:licèt de interno etiam charitatis affectu hæc intelligi possint.De his præceptis,quæ iam Rex morti proximus tradidit Salomoni filio,habes lib.1. Par. c. 18.v.9.

18. *Excepto quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama.*] Non possum,vt maximè cupiam,Salomonem à culpa liberare, cùm immolasse dicitur in excelsis,& accendisse thymiama. Nam primùm sacrificasse extra legitimum locum, nempe extra tabernaculum,aut templum, aut non ad arcæ cõspectum, à quo tabernaculo, aut templo magna fiebat religionis accessio,sine speciali Dei dispensatione, ac pulsu (quomodo aliquando fecit Samuel,Dauid,Elias,& alij nonnulli non credo salua religione fieri potuisse. Quod probat multis Abulensis contra Lyram, & Hebræos hoc cap. q.2. Putabat autem Lyra ante constructum templum

plum fas esse aliis in locis excitari altaria; & victimas offerri. Probat autem Abulensis, quia ex quo subiecti fuerunt Chananæi, sicut cœperunt leges aliæ Israelitas obligare, sic etiam hæc decreta, ac designato sacrificiorum loco. Vnde videmus Iosue 21. omnes tribus, quæ traiecerunt Iordanem, voluisse pugnare contra duas tribus, & dimidiam, quæ citra Iordanem consederunt, quia altare excitarunt extra locum, qui ad sacrificia ex communi populi consensione destinatus. Erat autem præceptum Leuit. c. 27. v. 4. *Homo quilibet de domo Israel si occiderit ouem, aut bouem, siue capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino sanguinis reus erit.* Et Deut. 12. v. 13. *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum offeres hostias.* quod populo ante dixerat explicatè magis v. 5. Hoc idem tenet Ribera lib. 1. de templo c. 2. hac de re nos plura lib. 1. c. 6. ad illud, *Leuitæ autem deposuerunt arcam Dei.* & c. 7. ad illud, *Ædificauit etiam ibi Domino altare.* Vbi diximus aliquando id licuisse, in graui aliquo casu, & vbi nulla esset sacrificandi commoditas quod sæpe factum est, dispensante tamen, ac inspirante Domino.

19. Neque Salomon huic culpæ obtendere potest culpam ignoratæ legis: nam inter alia mandata quæ accepit à parente hoc etiam fuit, vt ex hoc loco non obscurè colligitur; dicitur enim omnia parentis præcepta obseruasse Salomon, hoc vno excepto, quòd immolabat in excelsis. Quasi dicat hoc etiam esse in præceptis à parente mandatum. Ex hoc loco Abulensis colligit q. 2. peccasse Salomonem immolando in excelsis. Hinc Ribera suprà optimè coniectat hanc esse causam cur inter Reges Iuda, & Israel tres tantùm Reges dicantur non peccasse, Eccl. c. 49. *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei.* Nam alij omnes, aut immolauerunt in excelsis, aut certè cùm possent, & deberent, non sustulerunt excelsa. Nam Dauid neque immolauit in excelsis, neque passus est immolare alios, vt ex hoc loco colligitur. Quòd extra tabernaculum aut templum immolauit aliquando, id fecit inspirante Deo, quia alibi aut nullo modo poterat, aut quia ipsa rerum dignitas exigebat. Quomodo sacrificauit in Hebron, quia tabernaculum tunc erat in tribu Beniamin, quæ tunc ab aduersariis tenebatur. Quo verò tempore sacrificauit in area Areuna Iebusæi, vellet quidem in Gabaon sacrificare, vbi altare erat, & tabernaculum: non potuit tamen, vt habes lib. 1. Paral. cap. 21. v. 30. *& non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obsecraret Deum, nimio enim fuerat in timore perterritus.* Quòd si in arcæ traductione ad ciuitatem Dauid in medio cursu sæpe sacrificium est, id exigebat tanti diei solemnitatisque celebritas, neque alieno in loco sacrificatum videbatur, cùm adesset arca, quæ sacrum reddebat, ac religiosum locum. De Ezechia enim dicitur lib. 4. Reg. cap. 18. v. 3. *Fecitque quod erat bonum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius. Ipse dissipauit excelsa & contriuit statuas, succidit lucos,* &c. Idem de Iosia habemus lib. 4. Reg. c. 23. v. 8. *Contaminauit excelsa, vbi sacrificabant sacerdotes de Gabaa vsque Bersabee.*

20. Immolare in excelsis, & accendere thymiama, pro quocunque sumitur sacrificiorum genere. Immolare latiùs patet; complectitur enim

*Immolandi verbum.*

A libamenta, & victimas. Thymiama oblatio est illarum rerum, quæ gratum ex se odorem exhalant, dum igne cremantur. Hæc impij diis alienis, id est, Gentilium simulacris offerebant in excelsis, ad quorum imitationem pij, id est, veræ religionis amatores, minùs tamen piè vero Deo in excelsis quoque, & lucis immolabant. In excelsis autem non solùm montes intelligo, & editum locum, sed etiam altaria, quæ iuxta sui notationem nominis aliquid significant altum, sicut vox Græca βαν & collem, significat & altare, & ideo fortasse Gabaon excelsum dicitur maximum, quia ibi altare fuit maximum, quod nempe à Moyse ex ære fabricatum est, de quo statim.

*Thymiama quid.*

*Excelsa altare etiam significant.*

Vers. 4. *Abiit itaque in Gabaon vt immolaret ibi:* 21.
B *illud quippe erat excelsum maximum.*] Sicut alia excelsa obibat Salomon sacrificij, ac religionis ergò, minùs tamen religiosè, ac piè, quia non aptus erat, atque legitimus pietati, ac religioni locus; sic etiam obire voluit religiosum locum, & excelsum maximum, quod erat in Gabaon, licèt longiùs à Hierosolyma distaret. Dicitur autem excelsum maximum, quia, vt nuper dicebamus, ibi religiosissimum erat altare, quod fabricauit Moyses simul cum tabernaculo, quod quia maximè erat in honore, maximum etiam existimabatur, & vocabatur excelsum. Fuisse autem sub id tempus in Gabaon tabernaculum, & altare, constat ex lib. 1. Par. c. 21. v. 19. *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto,*
C *& altare holocaustorum ea tempestate erat in excelso Gabaon.*

Vers. 5. *Apparuit autem Dominus Salomoni per* 22.
*somnium nocte, dicens: Postula quod vis vt dem tibi.*] Obierat Salomon frequenter excelsa alia, quæ non longè aberant à Hierosolyma, & ibi obtulerat, sicut alij de turba thymiama, & victimas. Id enim sonat illud, *In excelsis immolabat, & accendebat thymiama.* Et quia aliquid erat in illis sacrificiis, quod non admitteret, immo quod improbaret, & damnaret religiõ, ideo nullum à Deo oraculum, nullam à Deo promissionem accepit. Sed postquam in legitimo loco legitimum obtulit sacrificium, illúdque numerosum, & lautum, mille videlicet hostiarum in holocaustum; & aliquid in conficienda via laboris assumpsit (distat enim à Hierosolyma Ga-
D baon si Iosepho credimus lib. 2. de bello cap. 23. quinquaginta stadiis, id est, sex mille ducentis quinquaginta passibus, siue iuxta Brocardum tribus leucis) apparuit illi Deus in quiete, optionémque dedit, vt quod illi magis esset in votis, aut magis ex vsu fore existimaret, exposceret: quo nihil videbatur promitti posse, aut offerri prolixius.

Multa hîc quæri possent de diuinatione per 23.
somnium, & quo modo species offerat in quiete, per quas futurarum rerum euentus multo antè portendit, à quibus abstinere posse videor, quia opus est longum, & meo instituto non valde necessarium. Si quid ea de re videre studes accuratiùs,
E adi ex nostra societate Christophorũ Castrum in prolegomenis ad duodecim Prophetas minores. Martinum del Rio in disquisitionibus magicis. Pineda in Salomone præuio lib. 3. cap. 8. Quare ab his prudens abstineo, neque amplius dicam, quàm quod hic locus exigit ab interprete. Sed priùs aduerto hunc locum iterum explicatiùs tractari lib. 2. Paral. c. 1. vbi ad superiora additur, conuocatos esse à Salomone ad religio-

sum illud opus, & sacrificium splendidum eos omnes ex vniuerso Israële, quorum in populo illustre nomen, & singularis autoritas. *Præcepitque Salomon vniuerso Israeli, tribunis, & centurionibus, & iudicibus omnis Israel, & Principibus familiarum: & abiit cum vniuersa multitudine in excelsum Gabaon, vbi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus in solitudine.* Deinde coram tabernaculo fuisse altare æneum, quod à Moyse fabricatum est, & ibi oblatas hostias à Salomone. Sic enim v. 5. *Altare quoque æneum, quod fabricatus erat Beseleel filius Vrifily Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini, quod & requisiuit Salomon, & omnis Ecclesia ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hostias.*

24. Cùm igitur sacrificium illud nobile religioso, atque legitimo ritu peractum esset, ea nocte, quæ proximè consecuta est, apparuit Dominus Salomoni per somnium, vtique dormienti; quod etiam cum aliis sæpe fecerat, quibus per quietem pollicitus, aut minatus est plurima, aut futura prædixit, aut quod ab illis fieri vellet manifestauit. Sic autem Deus sibi in illo sacrificio luculento placuerat, vt illius voluntati, ac voto omnia cumulatè concesserit. Hæc sine dubio in votis contigerunt, quæ tamen plus habuerunt firmitatis ac ponderis, quàm quę homines vigilantes aut dicunt, aut promittunt. An verò quæ sequuntur, nempe Salomonis oratio, aut Dei promissa, aut dicta fuerint, aut audita à Salomone vigilante? obscurum est, de quibus nobis aliquid necessariò dicendum.

25. Constans est omnium sententia non solùm dormienti Salomoni apparuisse Dominum, sed etiam illum dormientem, & somniantem postulasse sapientiam, neque meruisse quicquam, quia non habuit eo rerum articulo vsum liberum arbitrij, sed ligatum à somno. Ita apertè D. Thomas 1.2.q.113.art.2. & 2. 2. q.154.art.5. ad 1. *Salomon*, inquit, *non meruit in dormiendo sapientiam à Deo, sed fuit signum præcedentis desiderij, propter quod dicitur talis petitio Deo placuisse.* vbi citat Augustinum lib.12.in Genes. ad litteram cap.14. Sunt qui putent sopitis à Somno sensibus, fieri tamen posse vt vigilet mens, quod non semper phantasmatum indiget ministerio, quod accidisse putant Salomoni hoc loco, quem orando in somnis existimant meruisse sapientiam, quam sibi postea diuinitus infusam agnouit. Ita Salmeron tom.3. tract. 22. Quod tenent Lyra, Dionysius. An id fieri possit, aut aliquando contigerit, non disputo, quia alienum est ab instituto meo; disputant alij accuratè, & longè. Vide Pereiram de obseruatione somniorum q.4. & lib.1. in Danielem q.7. vbi tandem concludit in hoc Salomonis somnio, aut somniantis oratione nullum fuisse meritum, & Pinedam in Salomone præuio lib.3.cap.8. Conimbricenses in parua moralia Aristotelis, de somniis cap.6. vbi de hoc Salomonis somnio. S. Bonauentura d. 25. q.6. ad 1. Ricard. de media villa quod lib.1. q. 17. vbi ex diuino priuilegio putant hi duo potuisse mereri Salomonem.

*Deus Salomoni dormienti apparet.*

26. In hac autorum concertatione, primùm mihi videtur, tam Dei promissionem, quàm Salomonis orationem, & sapientiæ singulare donum, & alia, quæ cum sapientia cœlitus collata sunt, accidisse Salomoni dormienti: oblati tamen somnij, & promissionis memori. Quod ipse Salomon cognouit statim, atque confessus est, v.15. *Igitur euigilauit Salomon* (postquam nimirum promissiones, & oratio, largaque impetratio eius præcesserant (*& intellexit quod esset somnium.*

Videtur Secundò neque in Salomonis somnio fuisse meritum, neque propriè orationem fuisse. Ita S. Thomas suprà cum Augustino, & aliis, quos citant, atque sequuntur Conimbricenses. Neque ratio est difficilis, si statuamus ibi nullam fuisse arbitrij libertatem. Tota difficultas est in explicando quomodo orationi Salomonis dicatur cōcessa fuisse sapientia, si oratio illa vacua fuit à mēte, atque consilio deliberante, & merum omnino somnium. At orationi suæ concessam esse sapientiam ipse docet Salomon sap. c.7.v.7. *optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Sed non inuenimus quo alio loco, & tempore sapientiam optauerit, illámque rebus aliis prætulerit, cùm rerum omnium illi foret optio permissa. Neque videmus alibi diuinitus illi infusam fuisse sapientiam.

27. *Salomō neque propriè orauit, neque meruit in somnio.*

28. Solutionem huius difficultatis, quæ non videtur esse leuis, adhibent S. Thom. & Augustinus suprà. Putant enim orasse hoc ipsum sæpe Salomonem vigilantem, & optasse sapientiam, quia aliter non putabat tantum populum posse in officio & religione contineri. Quare cùm hæc foret diu, ac sæpe meditatus, diu item, ac sæpe iudicauerat sapientiam rebus omnibus, quas homines amant, & admirantur, esse præferendam; idcirco illam vnam postularat à Domino, aliarum rerum immemor, quas huius comparatione nullius esse pretij iudicabat. Fieri porrò solet, vt quotidiana docet experientia, vt quæ meditabamur vigilantes interdiu, illa dormientibus sic occurrant expressis ad veritatem imaginibus, vt vanas rerum species non possit interdum homo solutus iam à somno à veris, solidísque distinguere. Huius rei exempla sunt plurima, & sanctorum patrum, & profanorum hominum præclara testimonia. Explicuit hæc multis Petronius Arbiter, cuius libet verba transferibere, quia nostro instituto, maximè sunt accommodata, quæ sumpsisse videtur ex Lucretio lib.4.

*Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus vmbris,*
*Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt,*
*Sed sibi quisque facit. Nam cùm prostrata sopore*
*Languent membra quies, & mens sine pondere ludit,*
*Quidquid luce fugit, tenebris agit, oppida bello*
*Qui quatit, & flammis miserandas sæuit in vrbes,*
*Tela videt, versátque acies, & funera Regum*
*Atque exundantes profuso sanguine campos.*
*Qui causas orare solent, Regésque, forúmque,*
*Et pauido cernunt incluſum corde tribunal;*
*Condit auarus opes, defossúmque inuenit aurum;*
*Venator saltus canibus quatit, eripit vndis,*
*Aut premit euersam periturus nauita puppim,*
*Scribit amatori meretrix: dat adultera munus,*
*Et canis in somnis leporis vestigia latrat.*
*In noctis spatio miserorum vulnera durant.*

*Quomodo Salomon orasse potuerit in somnio.*

Hæc eadem alij, vt Seneca in Octauia:

*Quæcunque mentis agitat infestus vigor,*
*Ea per quietem sacer, & arcanus refert,*
*Velóxque sensus.*

Longum esset referre quid profani dixerint, scripserúntque. Nonnus ait somnium imaginem esse eorum, quæ interdiu agimus, aut cogitamus, *Somnium*, inquit, *exemplar est operis peracti.* quod variis deinde exemplis confirmat,

*Somnium exemplar operis diurni.*

Neque

29. Neque minus ſancti grauiter,& frequenter.Gregor. Niſſenus lib.de opuſc. hominis, ſomnia quædam, quale fuit hoc Salomonium, ſimilia eſſe dicit citharæ, cuius fides etiam dum ceſſant, aut digiti,aut plectrum,adhuc tamen mouentur, & tinniunt. Idem Baſilius oratione 2. de precatione. *Noli propter ſtuporem, qui fit in ſomno, mediam vitæ partem inutilem facere, ſed tempus noctis diuide, cuius partem tribue ſomno, partem precationi, imò etiam & ipſe ſomnus pietatem meditetur: ſolent enim vtplurimũ hæ imaginationes quæ in ſomnis fiunt, veluti extremæ quædam reſonantiæ eſſe curarum diuturnarum.* Hic Baſilij locus caſum mihi videtur Salomonis proponere,qui ſæpe ante hoc tempus, & eadem nocte proximè ante ſomnum orationi intentus videtur aliarum rerum immemor ſapientiam à Deo poſtulaſſe. Quod cùm feciſſet toto animo in eam curam intento, cui ea cogitatio altiùs inſederat, nihil mirum, ſi quod proximè meditabatur vigilans, idem dormienti ſtatim occurreret.

*In ſomno quàm oratio.*

30. Ex his videtur effici quod ex S. Thoma, & Auguſtino ſuprà adducebamus, Deum non reſpondiſſe orationi, quam habuit, aut habuiſſe ſibi viſus eſt Salomon in ſomnis, ſed quam vigilans habuit aliis ſæpe temporibus,quæ orationi proximæ quàm ſimillima fuit.Quod etiam tenet Bonauentura d.15.q.6.dum dicit non placuiſſe Salomonem dormiendo,ſed ideo illi apparuiſſe Deum in ſomnis,quia vigilando,& præcogitando placuerat. Ex his etiam intelligitur quomodo Salomon priùs accuratè præſtiterit, quod ipſe aliis ad ſapientiæ ſtudium tantopere commendat ſap.6.v.15. *Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit.* Acquiſiuit enim illam vigilando,non ſomno deditus;aut inertiæ,licèt illam à diuina manu conſecutus ſit.

31. *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte.* ] Commune eſt Theologorum placitum apparitiones has quæ à Domino factæ fuiſſe in Scriptura dicuntur, factas eſſe per Angelos, qui quoniam quadam pro Deo legatione fungebantur, Dei nomine cum hominibus agebant. Qua de re pluribus nos in noſtris commentariis ſuper Acta ad illud c.7.v.30. *Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus.* Vbi qui Exod. 3. vocatur *Dominus*, eo loco dicitur *Angelus*. & rurſus idem ſtatim v.32. dicitur *Deus Abraham.*Neque aliter loquitur, quã ſi eſſet verus Deus, & non tantùm ſignificatus, & quaſi adumbratus in Angelo. *Ego ſum,* (ait Angelus Dei nuncius)*Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* & ſtatim rurſus v.33. *Dixit autem illi Dominus,* qui illico iterum vocatur Angelus v.35. & 38. vbi illa de Angelo dicuntur, quæ in vnum Deum conuenire poterant; quia nimirum Dei perſonam tamquam legatus referebat.Idem etiam apparet Gen.c.22.v.11. vbi Angelus dixit Abraham, *Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam, nunc cognoui quòd times Deum, & non pepercifti vnigenito filio tuo propter me.* & ſtatim v.15. *Vocauit autem Angelus Domini Abraham ſecundò de cœlo, dicens: Permemetipſum iuraui,*&c. ſic etiam iſte, qui apparuit Salomoni, Angelus fuit, vtpote Domini legatus nomen ſibi Dei aſſumit, & verba, quæ vni tantùm Domino conueniunt.

*Apparitiones quæ dicuntur Dei, per Angelos factæ.*

*Angeli Dei nomine, & in eius perſona ſæpe locuti.*

32. Verſ. 6. *Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patri meo miſericordiam magnam,* &c. ] Quæ nunc dormiens dicere, atque orare viſus eſt Salomon,illa eadem vigilans ſæpe,& nunc proximè dixerat. Hæc porrò oratio ita gratias agit Deo propter miſericordiam,qua parentem ſuum com-

A plexus eſt, vt nonnullas etiam rationes proponat propter quas,quod orat,à Deo poſſit,immò & debeat exorare. Ait enim accepiſſe Dauidem à Deo dona, quæ licèt à miſericordia profecta fuerint, vnde ipſa quoque miſericordia vocantur, tamen Dauidis merita fuerunt non exigua, cùm ambulauerit coram Deo in toto corde in veritate & iuſtitia. Neque defuncto Dauide finitæ fuerunt in eius genus, & familiam miſericordiæ. Nam illius loco ad thronum aſcendit, non ex alia tribu, vel familia, ſed ex illius ſemine, vt præſens teſtatur dies.Qui ſanè Rex non ab alio,quàm ab ipſo Deo conſtitutus eſt,(id enim valet,*Tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo,*)& id conſtat ex lib. 2.Regum c.7.v.12.& 1.Paral.c.28.v.15.quæ etiam
B ratio mouere debet Deum, vt illi, quem Regem ſuo populo præfecerat,de rebus,quę ad rectam illius adminiſtrationem pertinerent abundè prouideret; lib.2. Par. c.1. hoc ipſum magis explicatur, vbi Salomon diuinam fidem appellat. *Nunc ergo, domine Deus, impleatur ſermo tuus, quem pollicitus es Dauid patri meo:tu enim me feciſti Regem,* &c.

*Ego autem ſum puer paruulus,& ignorans egreſſum,* 33.
*& introitum meum.*]Nunc ſuam proponit indigentiam, & tanto munĕri facultatem imparem. Primùm ab ætate,à qua longè abeſt prudentia,& illa quæ appellari ſolet vſus diſciplina, id eſt, experientia:quæ enim experientia in illo,iudiciique maturitas, qui paruulus eſt, neque in rebus quibuſcunque aliquid habet definitum,& certum, quod
C ſequatur?(id enim valet egreſſum ſuum,& introitum ignorare) *Populus autem innumerabilis eſt,ſicut puluis terræ*(ſic habes lib.2.Par.c.1.) cuius habenas moderari eius eſt, in quo vulgaris non ſit aut experientia rerum, aut iudicij maturitas.Quoto verò anno regnare cœperit Salomon, iam à nobis paulo antè diſceptatum eſt.

*Dabis ergo ſeruo tuo cor docile,vt populum tuum iu-* 34.
*dicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum.*]
Lib.2.Par.c.1.v.10.paulo aliter.*Da mihi ſapientiam & intelligentiam,vt ingrediar,& egrediar coram populo tuo.* Ingredi, & egredi, iuxta Hebræorum idioma, idem eſt,atque adminiſtrare,& iudicare liberè,ſicut Principes faciunt ſupremi in aliqua republica,qui nullius premuntur imperio; qui quoniã
D clauem habent regni ( hæc enim imperij ſymbolum eſt )ingrediuntur, egrediuntúrque, quandocunque libuerit. Id quod vno iudicandi verbo hoc loco ſignificatum eſt.Cor autem docile idem fortaſſe eſt,quod *doctum*, & *intelligens*, vt reſpondeat ſapientiæ,& intelligentiæ,quam lib.2. Paral. c.1. poſtulaſſe traditur. Etenim nomina hæc, quæ non tam poſſeſſionem, quàm diſpoſitionem indicant,ſeu, vt dicunt Phyſici, non tam actum ſignificant ſecundum, quàm primum; interdum poſſeſſionem indicant,ſeu actum ſecundum, ſicut nomen huic ſimile *docibile*,pro *docto*,ponitur Ioan. 6. vbi Chriſtus, *ſcriptum eſt in Prophetis, erunt omnes docibiles Dei.* Hoc autem eſt apud Iſai.
E cap. 54. v. 13. *vniuerſos filios tuos doctos à Domino.*

*Ingredi & egredi poteſtatem ſignificat.*

*Actus ſecũdus pro primo.*

Sed tranſtulit hîc vulgatus optimè *docile* 35.
Hebr. לב שמע *leb Someahh*, id eſt, audiens. Sed reuera Principis in ea præſertim ætate, in qua tunc erat Salomon, ea ſumma videtur eſſe ſapientia,atque intelligentia,ſi ſe ab illis regi ſinat in quibus propter ætatem, & iudicij maturitas eſt, & vſu multiplex rerum experientia comparata: qui enim aliorum prudentiæ obſequentem ſe præbet, ille Dominus eſt illorum iudicij atque

*Propria iuuenum ſapientia docilitas.*

prudentiæ,quibus omnino vtatur pro suis.Atque ideo qui cor postulat docile,quódque facilè Regi ab aliis, atque formari possit, sapientiam postulat,& intelligentiam, qualis ab ætate iuuenili optari, & in ætate iuuenili maxima spectari potest. Quare si rem rectè expẽdas, ab hoc loco ille alius Paralipomenon in solo tantùm dicendi genere
36. dissentit. Sed alio præterea modo locus hic cum lib.1. Par. conciliari posset, & fortasse meliùs:libri etenim illi, vt à me alibi sæpiùs obseruatum est,multa explicant,quæ in libris Regum traduntur obscuriùs,multa addunt,quę ibi fuerant omissa. Petierat,opinor, Salomon à Domino sapientiam, & intelligentiam ad regium munus vtiliter exercendum: quod si illud non videretur concedendum saltem cor largiretur docile, vt sapientum consiliis adhæresceret. Hoc posterius ex verbis dierum Salomonis, de quibus infrà cap.11. v. 41.sumpsit, qui libros Regum concinnauit.Illud posterius addidit autor lib. 2. Paralip. neque tamen illud negauit de corde docili, sed quia iam traditum erat sacris monumentis, omisit; quòd autem sapientiam sibi, & intelligentiam petierit, illud,meo iudicio,manifestè confirmat, quòd infrà v.12. concessisse dicitur Deus id, quod Salomon postulasset: concessit autem cor sapiens, & intelligens, ita vt nullus cum eo dicatur esse conferendus sapientia. Hoc verò aliquid addit supra cor docile. Vide quæ nos ad illum locum statim.

37. Hîc porrò in hac Salomonis petitione multa sunt,quæ laudet, & discat prudens, & religiosus animus. Non enim putat, quæ homines plerumque admirantur, & captant, non opes, non delicias,non alia, quorum vsus aut malus est,aut non vbique bonus; sed sapientiam, & intelligentiam. Cúmque in hac multa sint, qnæ homines magis inflant,quam implent, & quorum vsus ad mores componendos minus est necessarius:illud tantùm postulat, sine quo munus datum sibi à Domino sustinere,ac præstare non potest. *Vt populum*, inquit,*tuum iudicare possit,& discernere bonum à malo.* Quæ petitio animi est religiosi, & qui neque suo muneri,neque populo suæ fidei concredito deesse vult. Sed quia si donum hoc proprium foret, neque alienis indigeret consiliis, placeret sibi insolens animus tanti sibi,ac proprij boni conscius, si petit tantùm cor docile,id petit vt se aliorum cõsiliis regi sinat, & quæ ab aliis traduntur siue ad rempublicam administrandam consilia, siue ad suos mores informandos præcepta cognoscat; aut certè vt se diuinis legibus, & Dei inspirationibus obsequentem præbeat,neque sui sibi iudicij nimis sit præfractè,& obstinatè tenax. Quod petiit sap. c.9. v.4. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.*

*Honesta Salomonis petitio.*

38. Vers. 10. *Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiusmodi rem.* ] Placuit Domino tanta Salomonis modestia,quòd nihil petierit vanum,aut inutile, quòd nihil sibi petierit propriũ, sed cum populo commune:immo quod ad populi tantùm spectaret vtilitatem exigeret. Illud *huiusmodi rem*, multa secum inuoluit,quæ si religiosus orator accuratiùs expendat, & euoluat, magna inueniet pro formanda vtiliter oratione, documenta. Primùm vim habet maximam ad conciliandam diuinam misericordiam propriæ pusillitatis, & infirmitatis non simulata, aut artificiosa confessio. Qualis fuit hæc Salomonis,qui se puerum confitetur,& ita rudem, vt ingressum suum, & egressum ignoret. Quod ita verè, & ex animo Salomonem feciſſe argumento est, quod idem, vt diximus, sæpius optauerat. Neque in somnis illæ solent occurrere rerum species,quæ non priùs altiùs insedernnt animis:hæc autem oratio nõ tam fuit hoc loco à vigilante expressa, quàm oblata dormienti.Deinde quia illa petit, sine quibus implere non potest, quod sibi à Domino datum est negotij.Nam si cor tantùm petit docile,illud non tam sibi petit,quàm populo, & illis, quos habiturus esset à consiliis, quando sibi cor petit, quod obsequatur libenter illis, quorum Dominus prudenti rerum cognitione pectus impleuerit. Qui hæc petit, prudenter orat, atque ideo accepit. Multi enim petunt, & non accipiunt, eo quòd & malè, & inutilia petunt, quæ Deus hominibus quasi pater filiorum amans concedere non vult.

*Humilitas optima ad orationem præparatio.*

*In oratione quæ à Deo petenda.*

Vers.11.*Quia postulasti verbum hoc, & non petiisti* 39.
*tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum,* ] Hæc communiter hominum deprecatio est, qui vt terrenis indormiunt, & inuigilant, sic in illorum oratione,& ore nihil magis assiduum. Vitam amant longam,sed de illius honestate non laborant: neque bonum diuitiarum vsum desiderant,sed cæco quodam impetu ad diuitiarum incrementa rapiuntur, inimicorum sitiunt sanguinem,& id curant maximè,vt cum aliorum siue iniuria,siue dolore dolori suo, atque furori satisfaciant. Hæc orant, aut cum horum studio ad orationem accedunt:ex quo fit, vt cùm diu, & vehementer orent, illorum vota Deus, & orationem non audiat.

*Sed postulasti tibi sapientiam, ad discernendum iu-* 40.
*ditium.*] Repulsam quoque tulisset, opinor, Salomon,si aliud sapientiæ genus postulasset, quod ad morum honestam conformationem non pertineret.Disciplinas,puta,physicas, & astronomicas,& genealogias stultas,illa denique,quæ ex sententia Hieronymi Salomon videtur damnare Eccles. c. 1.v.12. *Proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole.Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum,vt occuparentur in ea.*Quid enim Salomoni vsus afferrent cætera alia ad bene constituendam, moderandámque rempublicam, cognitiones videlicet herbarum, astrorum, & rerum aliàrum, quæ ita capiunt, & complent homines, vt illos neque contineant in officio, neque ad rectum vitæ modum illustrent, & informent. Illa verò cognitio, quæ æquum ab iniquo, & sacrum à profano distinguit, sic est Principibus necessaria,siue ipsi discant, siue à sapienti,familiarique consiliario accipiant, vt si ab illa ad iudicium imparatus accedat, hostis potius existimari debeat æquitatis, & legum, quàm illarum custos,& vindex.

*Quæ scientia his qui præsunt vtilis.*

*Ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi* 41.
*cor sapiens, & intelligens.* ] Cor docile sibi petierat Salomon,id est,audiens, & quod se ad sapientum attemperaret consilia,quæ vt diximus, propria, & maxima sapientia,atque intelligentia iuuenilis ætatis,vt suprà ex lib. 2.Par.c.1.probabamus. Videtur autem Salomon vtrumque à Domino postulasse,& sapientiam ad gubernandum, & ad aliorum consilia cor non indocile, vt paulo ante nobis visum est probabilius. Dedit igitur Deus iuxta Salomonis sermones, id est, iuxta illud, quod orauerat Salomon: nempe sapientiam, & intelligentiam, quod priori loco postulauerat, neque ingenium negauit docile, quod in adolescente singularis, & penè maxima commendatio est.

*In*

# IN CAP. IV. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*HOC Caput nihil continet aliud quàm Regis potentiam, regni fines, & quam habuerit in rebus tam domesticis, quàm publicis œconomicam, atque politicam administrationis formam. Sed est præcipua capitis pars in explicando quo apparatu, & sumptu, & regium nomen, & gloriam etiam apud exteras regiones ornauerit, sustentaritque: quæ scripta ediderit, quam apud omnes opinionem sapientiæ sit consequutus, vt denique à Regibus, populisque vniuersis legati mitterentur, qui illius audirent sapientiam, & de rebus dubiis consilia peterent, quæ apud illos instar oraculorum obtinebant.*

## CAPVT QVARTVM.

1. ERat autem rex Salomon regnans super omnem Israel:

2. Et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis:

3. Elihoreph & Ahia filij Sisa scribæ: Iosaphat filius Ahilud à commentariis:

4. Banaias filius Ioiadæ super exercitum: Sadoc autem, & Abiathar sacerdotes.

5. Azarias filius Nathan super eos qui assistebant regi: Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis:

6. Et Ahisar præpositus domus: & Adoniram filius Abda super tributa.

7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui prębebant annonam regi & domui eius: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant.

8. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim.

9. Bendecar, in Marces, & in Salebim, & in Bethsames, & in Elon, & in Bethanan.

10. Benheled in Aruboth: ipsius erat Socho, & omnis terra Epher.

11. Benabinadab, cuius omnis Nephath Dor, Tapheth filiam Salomonis habebat vxorem:

12. Baana filius Ahilud regebat Thanac & Mageddo, & vniuersam Bethsan, quæ est iuxta Sarthana subter Iezrael, à Bethsan vsque Belminda è regione Iecmaan.

13. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Auothiair filij Manasse in Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas.

14. Ahinadab filius Addo præerat in Nanaim.

15. Achimaas in Nephthali: sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in coniugio.

16. Baana filius Himaan Aser, & in Baloth.

17. Iosaphat filius Pharue, in Issachar.

18. Semei filius Ela, in Beniamin.

19. Gaber filius Vri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi, & Og regis Basan super omnia quæ erant in illa terra.

20. Iuda & Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes.

21. Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna à flumine terræ Philisthiim vsque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & seruientium ei cunctis diebus vitæ eius.

22. Erat autem cibus Salomonis per singulos dies, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ:

23. Decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium.

24. Ipse enim obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, à Thapsa vsque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu.

25. Habitabátque Iuda & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.

26. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium.

27. Nutriebántque eos supradicti regis præfecti: sed & necessaria mensæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore suo.

28. Hordeum quoque & paleas equorũ & iumentorum deferebant in locum vbi erat rex, iuxta constitutum sibi.

29. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem

titudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris.

39. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum,

31. Et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Ghalcol, & Dorda, filiis Mahol: & erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitum.

32. Locutus est quoque Salomon tria A millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque & mille.

33. Et disputauit super lignis, à cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.

34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiã Salomonis, & ab vniuersis regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.

---

# IN CAP. IV. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

Vers. 1. *Erat autem Rex Salomon regnans super omnem Israel.*]

1. HACTENVS Salomon executus est parentis mandata,& quasi legata sibi testamento, quibus & hominum offensioni, & iustæ querelæ satisfecit.Deinde implorata, impetratáque cœlitus sapientia, seipsum ad regni administrationem idoneè comparauit.Hoc capite sacer docet historicus quomodo res tam publicas, quàm priuatas, & domesticas constituerit. ex quo quanta etiam in ipsis regni primordiis fuerit Salomonis maiestas,& gloria,quiuis intelliget. Primùm docet totum Israelem habuisse sibi subiectum,quod nulli præter Dauidem antè,nec post se Regum Israelis accidit. Deinde quínam essent communibus rebus tam sacris,quàm profanis præpositi,edocet. De quibus agendum est nobis hoc loco parcè,cùm hoc tempore res sit minùs necessaria,neque adeò obscura, vt lucem desideret interpretis. Illud hîc notandum non hos omnes, qui dicuntur res Salomonis curare domesticas, aut communes reipublicæ, fuisse à Salomone constitutos: multi enim commemorantur, quos Dauid Pater profanis, aut sacris ministeriis præposuit:& alij, quos Salomon ab eo gradu deiecit, in quo viuente patre diu ministrauerãt,qualis fuit Abiathar, quem ipse excedere iussit à templo, & vitam agere priuatam inAnathoth,qui tamen v.4. cum Sadoc dicitur summum habere sacerdotium. Quare proponitur, vt arbitror, qualis Israelitici regni fuerit status non solùm quó tempore à Salomone administratum est, sed etiam cùm viuo parente,aut etiam ab eius morte proximè regnum obtinuit: nam videmus hîc nominari aliquos, quos Dauid ad certa quædam ministeria delegit 2.Reg.cap.8.& 1.Paralip.cap.18. In hac porrò enumeratione, vt bene obseruauit Abulen. quæst. 1. quidam per prolepsim anticipata narratione, quidam per anacephalæosin repetitis nominibus, ac ministeriis commemorantur.

2. *Duodecim præfecti pro Reges familiæ sumptib.*

Vers.7. *Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel.* ] Diuiserat Salomon, vt ex consequentibus manifestè liquet, regnum totum in duodecim præfecturas, quas Persæ Satrapias appellant,quibus totidem præposuit viros, qui in regiam cellam,ad mensarum instructum, necessaria suo quique tempore conferrent. cùmque duodecim mensibus conuertatur annus, pro singulis mensibus singulos quoque constituit annonæ curatores. Quo consilio æquale omnibus imponeB batur onus, neque vna regio de sitarcharum iniquitate queri posset,cùm quid in mensarum sumptus conferendum esset, singulis mensibus esset constitutum,& quantum illud esset,nemo ignoraret. Quærit Abulensis quæst.5. quid faciendum cùm annus tredecim constaret mensibus, quod necessariò contingit quarto quoque anno, cùm Hebræorum menses, quos lunæ cursus definit, & complet, vndecim diebus sit minor anno solari; quare necessarium est sæpe mensem vnum intercalari,à quo id habet annus ille, vt tredecim constet mensibus. Et respondet regionem vnam non magis ideo grauari,quàm aliam, sed tantùm mensium ordinem mutari.Nam quæ antea mense primo suppeditabat in regiam mensam sumptus, illa C sequenti,id est, secundo mense hoc ipsum præstabat; quod de aliis etiam omnibus intelligendum est.Mutato itaque mensium ordine,cætera eodem semper cursu progrediebantur.

Vers. 11. *Tapheth filiam Salomonis habebat vxorem.* ] Hic Salomon sine dubio Rex fuit,de quo nobis sermo. Quid enim socer hic nominaretur, cùm de aliorum nuptiis nullus sermo, nisi magna illi accresceret de Regis affinitate commendatio. Ex quo constat,sicut antea dicebamus, aliqua hîc dici per anticipationem, cùm hoc tempore filiam Salomon habere nõ potuerit coniugio maturam. Idem statim dicitur v.15.de Achimas,qui alteram Salomonis filiam duxit vxorem. Sed hæc,vt dixi, anticipata narratione retulit historicus, qui multo post hæc tempora ex verbis dierum Salomonis sacram concinnauit historiam. 3.

Vers.13. *In omni regione Argob,quæ est in Basan, sexaginta ciuitatibus magnis,atque muratis,quæ habent seras ferreas.*]Basan regio est iuxta sui nominis notationem,vbertatis eximiæ in tractu Galaaditano, vbi regnarunt duo Principes ex Chananæo genere, Sehon Rex Amorrhæorum, & Og Rex Basan. In ea fuit Argab,vt habes Deut. cap. 3. Vt autem hæc vberrima fuit, sic etiam ciuitates habuit frequentes,& lautas, quas habitarunt olim viri fortissimi,atque ideo vocata est Terra gigantum.Hæ porrò ciuitates sic dicuntur egregiè munitæ,vt ad cœlum vsque illarum mœnia hyperbolica forma dicantur attolli. Sic Deut.1. v.28. de quibus sic exploratores, *Maxima multitudo est,& nobis statura procerior:vrbes magnæ,& ad cœlum vsque munitæ:filios Enacim vidimus ibi.* Vbi vulgatus,*seras ferreas*, Hebraicus 4.

braicus textus habet בריח נחשת *beriach Nechoſeth*, id eſt, *vectes ferreos*. Cùm autem hoc nomen, *ſera*, latè pateat, & id ſignificat, quod portas firmat, obſtruítque, ne quis illas effringat, vel ſine magno labore, aut molimine intra ipſas irrumpat, fit vt modò pro portarum clauſtris, modò pro repagulis, aut vectibus vſurpetur. Aliæ ferme tranſlationes à vulgata, *vectes* tranſtulerat, ſiue, *repagula*. Erant autem murorum portæ ferreæ, quales nunc plurimæ ſunt in arcibus, aut in ciuitatibus, quarum diligens eſt, fideliſque cuſtodia. Aut certè ferreis intectæ laminis, aut ſic firmatæ vectibus, vt neque effringi poſſint, neque reuelli: ſanè ad firmitatem contra catapultas, & incendia, ipſæ quoque naues ad bellum conſtructæ nauale laminis integebantur æreis. Æneid. lib. 8.

*Ferrea portarũ clauſtra.*

*In medio claſſes æratas, Actia bella.*

De æratis, aut ferratis portis multus apud antiquos ſermo. Domus Priami portas habebat, ſeu poſtes ferratos, vt ex eo, quod eſt familiare in lautioribus, aut domibus, aut caſtris, finxit Maro lib. 2. Æneid.

*Ipſe inter primos arrepta dura bipenni,*
*Limina perrumpit, poſtéſque à cardine vellit*
*Æratos.*

Belli præterea portas intectas fuiſſe ferro, idem docuit Maro libro ſeptimo Æneid. vbi ſic de Iunone:

*Impulit ipſa manu portas, & cardine verſo*
*Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.*

Certè cùm Chananæorum currus ferrei dicuntur Ioſue cap. 17. v. 16. & Amos cap. 1. *plauſtra ferrea*, non intelliguntur facta è ſolido ferro, ſed laminis intecta, atque inſtructa ferreis. Quomodo 2. Reg. cap. 12. & 1. Paralip. cap. 20. vocantur, *ferrata carpenta*, ſic etiam ſeræ ferreæ, aut vectes ferrei ſunt, aut portæ è ferro bracteatæ. Si enim ſeræ ſint portarum clauſtra, quomodo vulgus frequentiùs vſurpat, nihil ſpeciale, ac magnum hîc audiremus, cùm ſeræ in priuatis etiam, & vulgaribus domibus non niſi perquam rarò ſoleant eſſe ferreæ.

6. Verſ. 20. *Iuda, & Iſrael innumerabiles, ſicut arena maris in multitudine, comedentes, & bibentes, atque lætantes.*] Oſtendit hîc, opinor, ſacer hiſtoricus quãta fuerint Salomonis tempore commoda pacis, qua tunc populus fruebatur, cùm infinita hominum multitudo lautè viueret, & epularetur ſplendidè, & iam ſoluta metu vitam ageret ſecuram, & lætam, quæ eò videntur ſpectare, vt quiuis intelligat, quamuis tales fuerint ſumptus in regiã menſam, quales ſtatim deſcribuntur, & illos ſuo quæque regio menſe ſuppeditet: nihilominus non illis conferendis grauari populum, ſed ſatis habere, ſibi, non ſolùm ad vſus neceſſarios, ſed etiam ad luxum, & delicias.

7. *Salomon autem erat in ditione ſua habens omnia regna à flumine terræ Philiſtim vſque ad terminum Ægypti offerentium ſibi munera.*] Senſus totius huius clauſulæ difficilis non eſt explicatio, atque connexio ſingulorum verborum obſcurior. Nihil enim aliud ſibi vult, quàm totam Iſraelitidem regionem ſubditam fuiſſe Salomonis imperio. In deſcribendis verò terminis, quibus illa regio definitur, non ſatis ex verbis, vt à vulgato interprete redduntur, certa poteſt informari ſententia. Neque enim apparet quiſnam ſit fluuius ille Philiſtim, qui ab ea regione promiſſionis terram circumſcribit. Neque video alibi illius fluminis fieri mentionẽ. Ego in aliis nõ video quid mihi admodũ ſatisfaciat, neque ipſe in mea mihi cogitatione ſatisfacio. In eo conueniunt omnes, neque ego hîc diſſentio, adhiberi hîc extremos terminos, qui promiſſionis terram definiunt, Euphratem videlicet, & fluuium Ægypti, qui Rhinocorura dicitur: hi enim fluuij Gen. 15. verſ. 18. memorantur. Sic enim Deus ad Abraham: *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vſque ad fluuium magnum Euphratem.* Ego duas hîc ſolutiones inuenio. eligat lector quam maluerit, niſi vtramque reiiciendam putet. Altera eſt, hîc aſſignari tres terminos terræ promiſſionis, alterum in Euphrate, alterum in Rhinocorura, alterum in regione Philiſtinorum, quæ regio maritima eſt, & tota littoralis, quam magna ex parte mare abluit Mediterraneum, quod in Scriptura ſacra mare ſæpius appellatur magnum. Hæc verò mari regio Iſraelitidem magna ex parte ab orientali plaga concludit: & ſæpe audimus mare magnum, quod etiam vocatur mare nouiſſimum, terminum eſſe terræ promiſſionis. Deut. 11. verſ. 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit, à deſerto, & à Libano, à flumine magno Euphrate vſque ad mare occidentale erunt termini veſtri.* Ioſue 1. verſ. 3. *A deſerto, & Libano vſque ad fluuium magnum Euphratem omnis terra* Hebræorum *vſque ad mare magnum contra* Solis *occaſum erit terminus veſter.* Cùm ergo terra ponitur Philiſtinorum, perinde eſt, ac ſi mare poneretur Mediterraneum, quia, vt dixi, regio illa tota littoralis eſt. His poſitis, ſic ego clauſulam iſtam diſtingo, vt illud, *à flumine*, à conſequenti ſeparem, & *terræ*, nouam orationem, ſeu propoſitionem exordiar, in hunc ſenſum. Habens omnia regna à flumine Euphrate, & *à terra Philiſtiim, id eſt, à mari magno vſque ad terminum Ægypti.* Et quidem ſi bene notatæ ſunt Hebraicæ voces, quas nunc habemus, neceſſariò eſt, illud, *à flumine*, à terra ſeparandum, cùm vox מן הנהר *min hanahar*, nõ ſit in ſtatu regiminis. Tunc verò repetenda eſt ante *terram*, præpoſitio, *in*, in hunc ſenſum, *à flumine, & à terra.*

*Termini terræ promiſſionis.*

Sed huic explicationi minus fauet, quod non eſt in editione vulgata, *terra*, ſed, *terræ*, fateor hoc iſti explicationi aduerſari maximè: neque enim vllo modo deſerenda vulgata tranſlatio; nihilominus, quia non apparet vllus in Palæſtina fluuius, qui ſtatui poſſit à plaga occidentali terræ promiſſæ terminus, aliæ nobis explicationes tentandæ ſunt. Fortaſſe vox נהר *nahar* non ſolum fluuium, ſed mare etiam ſignificat, maximè Mediterraneum, qui Occeani magni comparatione nomen obtinet fluuij; & tunc Palæſtinæ fluuius idem erit, ac mare Mediterraneum. Scio hæc minùs probatum iri curioſo lectori, neque ego omnino probo, aut aliis perſuadeo; ſed nihil video ab aliis probabilius. expecto quid alij melius afferant, & ſanè facient, quod ego lubens, & gratus accipiam.

*Vſque ad terminum Ægypti.*] Terminus iſte fluuius quidam eſt, qui ab Auſtrali plaga promiſſam à Domino regionem definit. Non eſt autem Nilus, à quo quàm longiſſimè abeſt Iſraelis regio, ſed fluuius alius exiguus, qui Rhinocorura, ſiue Rhinocolura dicitur à Septuaginta, quia iuxta ciuitatem eius nominis fluit. Vocatur item Sihor Ægypti 1. Paralipomenôn 13. verſ. 5. *Congregauit ergo Dauid cunctum Iſraëlem à Sihor Ægypti vſque dum ingrediaris Hemath.* Item torrens Ægypti, 2. Paralip. cap. 7. v. 8. & torrens deſerti, Amos cap. 6. v. 15. *Conteret vos ab introitu Hemath vſque ad torrentem deſerti.*

Verſ. 22. *Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ.*]

Hinc

*Ingentes sumptus in cellam, & mensam Salomonis.*

Hinc coniectare licet quàm prudenter domui suæ fuerit à Salomone consultum dum duodecim regionibus regni Israelitici totidem præposuit viros, qui necessarios tam luculentæ familiæ, ac mẽsæ sumptus curarent, maximè cùm in equos curules, & equestres, quorum ingens erat numerus, non possent recusari magna rerum impendia. Erant autem quotidiani sumptus in cella, & penu planè ingentes: triginta videlicet cori similæ, plures farinæ duplo. Corus, vt docuimus in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap. 45. vers. 11. *Vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori Ephi.* Est autem corus mensura quædam, quæ tam liquida, quàm arida metitur. Quod sumitur ex Ezechiele suprà v. 13. *Sextam partem Ephi de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro hordei: mensura quoque olei, batus olei decima pars cori est.* Corus Hebr. חמר *chomar*, quod aceruum significat; quare nullum est vas, quod tantum capiat, mensurétve, quantum cori nomen importat. Sicut nulla est pecunia, quæ talenti valorem adæquet; sed est potiùs quædam ingens pecuniarum summa. Neque apud Hispanos vlla mensura est, quæ dicatur *Cahiz*, sed est summa, seu aceruus frumenti, qui duodecies implet Hispanicam fanecam. Sic corus summa quædam est omni vasi mensorio capacior, quæ cùm metitur arida, ephi, cùm liquida, batum decies complet. Quantum tamen capiat corus diuinent alij, quibuscum nobis etiam esse diuinandum. Quidam corum tantum capere, aut numerare putant, quantum camelus, alij quantum asinus portare possit: & ideo asinum dictum esse credunt חמור *chamor*, quia illi חמר vnus, id est, corus vnus, pondus est. Ioseph. lib. 15. antiq. cap. 12. decem Atticos medimnos vno coro contineri existimat. In re vsque adeò incerta placet, quod Hieronymo placuit in prædictum Ezechielis locum, & Leuit. 27. v. 26. Isai. 5. v. 10. vbi pro coro vertit, *modios triginta.* Quod etiam opinatur Epiphanius lib. de ponderibus, & addit corum onus esse cameli, in quam sententiam magis inclinat Mariana libro de ponderibus, & mensuris cap. 10. Quòd si modius duos Hispanicos celemines implet, efficitur corum quinque fanecarum mensuram implere. Alij aliquid dicunt amplius, qua de re alij pluribus; mihi pro meo instituto in præsentia satis. Quare similæ centum & quinquaginta, farinæ trecentæ fanecæ in regiam mensam quotidie impendebantur. Similа flos est farinæ, vt ab Hispanis dicitur, id est, quod è farina magis est delicatum, ac purum, farina dicitur aut quod reliquum est extracta similа, aut certè ex qua nihil est ad aliorum delicias è culmo detractum: & id potiùs.

*Corus qua mensura.*

*Asinus cur chamor Hebraicè dictus.*

*Similа quid.*

12. Vers. 23. *Decem boues pingues, & viginti boues pascuales.*] Boues pingues illi dicuntur, qui peculiari aliquo studio ad mensarum delicias, & morosam potentiorum gulam saginantur, qualis erat saginatus ille vitulus, quo pater filium perditum post longos errores lætus excepit, Lucæ cap. 15. Pascuales verò, qui assumuntur è pascuis, quales sunt communiter illi, quibus populariter vescuntur homines, & qui non tam delicias, quàm alimenta captant, qualis erat vitulus, quem occidit mulier Pythonissa, vt Saulem penè, exanimatum reficeret; & quo Abraham tribus Angelis conuiuium instruxit hospitale: illa enim vitulum pascualem occidisse dicitur lib. 1. cap. 28. v. 14. hic verò de armento vitulum, & pascuis assumptisse Gen. 18. cap. 7. Quibus addebat arietes centum, præter alia plurima, quæ venationis nomine significantur, quales sunt cerui, capræ, Dorcades, bubali, & aues, quæ captæ sunt aucupio. Nam & hæ omnes venationis nomine continentur; & ad hæc aues altiles, id est, quæ præcipuo quodam studio, atque artificio pinguescunt. Vbi vulgatus *bubalus*, Hebr. est יחמור *iachmur*, cuius vocis significatio obscura, Hieronymus tam hîc, quàm Deut. cap. 14. v. 5. bubalum reddit, quod genus bouis est aggrestis, quod iam cicuratum est, & sub iugum ad opus rusticum actum. Alij è genere caprarum faciunt, quæ sunt Dorcades, & ibices, & quæ rupicolæ vocantur. Aues altiles Hebraicè ברברים *barburim*, quæ sunt iuxta suum præsepe, vbi semper habent paratam escam, siue in cauea, siue in alio laxiori quidem loco, inclusæ tamen. Quidam capones esse credunt, quibus execto libidinis ardore tenerior est multo, atque suauior caro.

Vers. 24. *Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ* 13.
*erat trans fluuium à Thapsa vsque ad Gazam.*] Quo loco sit Thapsa, nihil habemus ex Scriptura certum, neque aliquid de hac ciuitate apud interpretes inuenio, tantùm habemus 4. Regum 15. Thapsam à Manahem fuisse vehementer afflictam, vbi ostẽditur illam non abesse lõgiùs à Thersa. Quod si ita esset, non admodum patebat latè regnum Salomonis, cùm inter Thapsam, & Gazam non multum esset interiectum spatij. Quare arbitror aliam esse Thapsam in extremis finibus terræ promissionis; & fortasse intra, suo complexu, prouincias continebat alias, quas sibi Dauid fecerat vectigales; quæque Salomoni tributa ex fœdere pendebant. Quod autem illa Thapsa, de qua lib. 4. Regum, diuersa sit ab hac, videtur verisimile, quia hæc dicitur esse trans fluuium; illi autem alteri, si fuit vicina, atque subiecta Thersæ, conuenire non potuit, quia neque fuit trans flumen, siue Euphratem intelligas, siue Iordanem; cùm Thersa esset in finibus Israel, & caput olim decem tribuum; neque procul à Silo 3. Reg. cap. 14. v. 2. & Iosue c. 12. vers. 24. cum illis ciuitatibus numeratur, quæ erãt intra definitos terminos Israel, quæ tunc dicebantur trans Iordanem; quia reuera cùm ex Ægypto, & deserto in terram promissionis castra mouerent, trans Iordanem erant; neque in terram illam ingressi sunt, nisi Iordane transmisso. Atque ideo cum illis ciuitatibus connumeratur, quas esse in terra promissionis dubitare potest nemo. Hadrichomius Thapsam in ea parte tribus Manasse cõstituit, quæ est intra Iordanem. Abulensis in lib. 4. Reg. cap. 15. q. 22. in parte septentrionali statuit extrema terræ promissionis. Sanè nihil est certum. Esse vltra Iordanem, & pertinere ad illas tribus, quæ vltra Iordanem subsistere in regione Galaad, ex eo fit probabile, quia statim alij Reges externi, in eadem regione, trans Iordanem nimirum, esse dicuntur, hi verò sunt Syri, Ammonitæ, Moabitæ, & Idumæi. Illud mihi verisimile, quocunque loco hanc vrbem sitam esse putes, pertinere ad terminos Israel, prouinciásque non fœderatas, sed subiectas Salomonis imperio. Hæc enim omnia, quæ in regiæ domus sumptus conferebantur, ab illis curabantur duodecim præfectis, quos totidem Israelitici imperij prouinciis præposuit Salomon; suppeditari autem ab eo imperio facilè posse ad tot impensas necessaria, ex eo probat, quia à Thapsa ad Gazam vsque patebat Salomonis dominatus.

Quare non placet Iosephus lib. 8. antiq. cap. 2. 14.
qui hos sumptus conferri dicit ex barbaris, fœderatísque populis, quos Dauid sibi, Salomonique filio reddidit vectigales per alios præfectos, quos

in

in eam curam Rex ipſe conſtituit, quod cum ſcriptura ſacra nullo modo concinit, quæ præfectos dicit à Rege conſtitutos pro regio penu, & prouincias nominat, vnde ad illos ſumptus neceſſaria mittebantur. Sic autem ibi Ioſephus, poſtquam de præfectis egerat, de quibus ſuprà verſiculo 7. *Erant præterea Regi alij præfecti, qui Syriorum, cæterorúmque barbarorum Euphratem inter, & Ægyptum incolentium gubernabant regiones, tributa ex eis colligendo. Hi barbari conferebant in quotidianos regiæ menſæ ſumptus ſimilæ coros triginta, farinæ ſexaginta: Saginatos boues decem, & paſcuales viginti: & ſaginatos agnos centum, præter capturas venationum, quæ conſtabant ceruis, ac bubalis, prætérque aues, & piſces.* Scio à fœderatis populis conferri plurima, verùm illa, aut in extraordinarias menſarum impenſas, aut in templi, & ſacrificiorum ſumptus, aut alias ſubſtructiones ædificiorum, aut ornamentorum nitorem, & gloriam impendi potuerunt. Neque enim omnem Regum, lautorúmque hominum cenſum ſolus venter abſumit. Quantum regiis opibus ex externorum ſiue tributis, ſiue muneribus acceſſerit, dicemus ſuis locis. Interim vide 3. Reg. 10. verſiculo 15. & 24. & 2. Paralipomenôn 9. verſ. 1.

15. *Et cunctos Reges illarum regionum;*] nempe, quæ erant trans flumen, puta Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, Syriæ, Damaſci, & alios, quos ſubiugauit Dauid, fecítque tributarios, de quibus libro ſecundo Reg. capite octauo. Hæ enim regiones vltra Iordanem ſunt, atque vicinæ tribui Gad, & Ruben, & Dimidiæ tribui Manaſſe, quæ ſeparatæ ab aliis vltra Iordanem conſederunt. Obtinebat autem Salomon Reges illos, alio, quàm prouincias Iſraelitidas, iure, non ita vt illos moderaretur, aut in officio bonorum ciuium, aut in Hebræorum religione contineret, ſed vt ab illis ſtata, & certa ex pacto exigeret vectigalia: & ad alia præſtanda tunc ex pacto compelleret, quando publica ratio, & legitimus vſus poſtularet.

16. Salomoni quot equi, & currus. Verſ. 26. *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium.*] Curriles, ſeu etiam curules appellantur equi, qui aliter etiam dicuntur iugales, quia iuga ſubeunt, & currus trahunt. Sed certè ſi tantùm pro curribus, quadrigíſue copioſus iſte numerus comparetur, nimius apparet, cùm ſecundo Paralipomenôn capite 15. verſiculo 84. habuiſſe dicatur Salomon minorem curruum numerum, quàm vt illi tot equi curriles neceſſarij ſint. *Et facti ſunt ei mille quadringenti currus.* Pro quorum ſingulis, etiamſi quaternos conſtituas, quot habent, quæ dicuntur quadrigæ, quarum in Scriptura nomen ſæpius occurrit, his quinque millium, & ſexcentorum equorum numerus ſufficiet. Reſponderi poſſet tot equos ali à Salomone, non quia tot eſſent pro quadrigarum numero neceſſarij, ſed quia curruum onus graue eſt, & facilè equi ab ea vectatione laſſantur, voluit Salomon, vt alij eſſent, qui integri feſſis, laborantibúſque ſuccederent. Ita putat Abulenſis quæſt. 7. Sed dici meo iudicio poſſet longè veriſimilius, quod putat Pineda in ſuo præuio Salomone libro quinto capite 9.

17. Duo equorũ atque aſinorum genera. Quod priuſquam explico, obſeruo, ſicut in aſinorum genere duas obſeruamus ſiue conditiones, ſiue miniſteria, ſic etiam in equis. Nam alij ſunt aſini, quibus cum dignitate viri, etiã Principes vehuntur. De Iair iudice Iſrael dicitur Iudic. 10. habuiſſe *triginta filios totidem ciuitatum Principes, & aſcendentes ſeptuaginta pullos aſinorum.* Et Abdon Iudic 12. habuiſſe traditur *quadraginta filios, & triginte ex eis nepotes aſcendentes ſuper triginta pullos aſinarum.* Hi autem aſini Iudic. 5. verſiculo 10. *nitentes* vocantur aſini, id eſt, accuratiùs nutriti ad honeſtum, & elegantem vſum: ad Principes enim loquebatur, qui eo capite dixit, *Cor meum diligit Principes Iſrael*, &c. *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio*, &c. Alij ſunt non ad dignitatem, & honorem, ſed ad dura, ſordidaque miniſteria, nempe vt cogantur in iugum, & trahant ſiue plauſtrum, ſiue aratrum; aut dorſo ferant onera, qui doſſuales dicuntur. Hæc autem ὑποζύγια, ſiue ſubiugalia, quia iugo ſubiecent ceruicem. Talis erat aſina, & pullus illius, quibus Chriſtus Hieroſolymam ingreſſurus inſedit. Nam cùm ille pauper ingrederetur, & humilis, humili, ac vili aſello ingredi voluit, atque ideo non ſumpſit ex potentiorum ſtabulis nitentem aſinum; ſed humilem, & ruſticis aſſuetum miniſteriis, ex ruſtica villa: id enim valet *Caſtellum*, in quo aſina fuerat alligata, græcè Κώμη.

Sic ergo duo ego equorum genera conſidero: 18. alij enim ſunt, qui iugales, ſeu ὑποζύγιοι vocari poſſunt, qui plauſtra trahunt, aut aratra, aut quos clitellarios, ſeu doſſuales vulgus hominum vocat. Hi verò equi magnos vſus rationibus regiis afferre poterant, vel ad quadrigas, quarum tunc in bello magna commoditas. Nam paulo antè Palæſtini, vt habes lib. 1. Regum capite 13. verſiculo 5. in regione Iſraelitarum triginta millia curruum intulerunt, ſeu tot currus, in quibus triginta millia hominum vectari poterant. Deinde ad rem ruſticam, & ad templi, ſeu domus ſuæ conſtructionem; ad conuehenda ſaxa, & ligna, reliquaque ad tantum opus è regione longinqua materiam. Tot autem equos non habuit cùm primùm regnare cœpit; quia neque accepit à parente, neque ipſe commodè ex aliis regionibus comportare potuit. Sed quando iam ſeipſum magis in ſuo regno, & ſtatu confirmarat, equorum ad ingentem illam magnitudinem numerus excreuit. Hæc enim per prolepſim, id eſt, anticipata narratione ante ſuum tempus poſita ſunt, vt oſtendatur quanta fuerit ſupra Reges alios Salomonis poteſtas, & gloria.

*Et duodecim millia equeſtrium.*] Hîc ſine dubio 19. de illis equis eſt ſermo, qui ſternuntur ephipiis, & equites eum gloria, & dignitate portant, quorum minor eſt numerus, licèt non ſit exiguus, quia hi minus, quàm alij neceſſarij, cùm neque tunc aut arderent, aut timerentur bella, & tantùm viderentur ad regij ſplendoris oſtentationem comparati. In libro ſecundo Paralipomenôn capite primo, verſiculo 14. paulo aliter. *Congregauit Salomon currus, & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.* Conciliatio non difficilis: nam ſicut equi in omni ferme natione, maximè cùm ſermo eſt de re militari, pro equitibus ſumuntur, ſicut cuiuſuis ordinis inſtrumenta pro illorum hominum ordine ſumuntur, vnde miſſi dicuntur equi, quia miſſi ſunt equites, & in acie eſſe mille equos, quia tot ſunt equites, & mille haſtæ pro mille haſtatis, & tuba pro tibicine, & cornu pro cornicine: ſic etiam eques viciſſim pro equo interdum vſurpatur. Neque hic dicendi modus apud Latinos inſolens, qui equum nonnunquam equitem appellitant. Sic ſanè Seruius explicans illud Virgilij lib. 3. Georgic.

Eques pro equo, & cõtrà equus pro equite.

*Fræna Peletronij Lapithæ, gyroſque dedere*
*Impoſiti dorſo: atque equitem docuere ſub armis*
*Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.*

Idem Ennius citatus à Macrobio lib.6. cap.1. Ex quo fortasse sicut alia plurima sumpsit Virgilius,

*It eques, & plausu caua concutit vngula terra:*

Plura Aulus Gellius in hanc sententiam lib. 18. cap.1.vbi alia citat antiquorum Poëtarum carmina,& tandem addit. *Pleraque veterum atas & hominem equo insidentem, & equum, qui insidetur, equitem dixerunt. Propterea equitare etiam, quod verbum è vocabulo equitis inclinatum est, & homo equo vtens, & equus sub homine gradiens dicebatur.*

20. Sed est illa magis accommodata, atque obuia solutio, quam nuper adduxi, equitem hoc loco idem omnino valere, quod equum. Si enim Salomon equites habuit, quibus ad maiorem gloriæ suæ, atque diuitiarum ostentationem incederet, præsertim cùm prouinciam lustraret, aut quos, si quando bellum ingrueret, paratos haberet, & promptos, necessarium etiam fuit vt equos aleret pro equitum multitudine. Sanè progredi solitum Salomonem, cùm animi gratia foras egrederetur, paulo longiùs ab vrbe cum eleganti comitatu, equitatúque copioso, docet Iosephus lib. 8. cap.1. *Habuit*, inquit, *currus mille, equorum viginti millia. Hi cùm pulcherrimi fuere, tum ad cursum excitatissimi, vt collati ad cæteros omnes post se relinquerent. His decus addebant equites flos iuuentutis procera statura, promissóque capillitio conspicui, & tunicas à Sarrana purpura induti. Ad hæc ramentis auri capillos quotidie aspergebant, vt ad solarium radiorum contactum fulgore capitibus eorum reflecterentur. Hi armati, & pharetris succincti regium currum stipabant*, &c. Quod verò etiam pacato populo, & hostibus vndecunque silentibus paratum haberet ad quascunque inimicorum irruptiones exercitum, & copiosum equitatum ex Hebræo milite (neque enim externum conduxit, neque Hebræum vllum in agris, aut rebus rusticis occupari voluit) constat ex lib. 2. Paralip. cap.9. versiculo 22. *De filiis Israel non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & Principes, & duces & præfecti curruum, & equorum.* Et iterum ibidem cap.8. v.9. *De filiis Israel non posuit vt seruirent operibus Regis: ipsi enim erant viri bellatores, & duces primi, & Principes quadrigarum, & equitum eius: omnes autem principes exercitus Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum.*

*Salomonis equitatus.*

*Salomõ nullum ex Hebræis seruilibus addixit ministeriis.*

21. Antequam hinc emergam, duo mihi obseruanda. Alterum visum esse quibusdam tot equorum millia, aut certè magnorum illorum partem esse ex equabus, equísque admissariis ad fœcundam equini generis fœturam, quod in synopsi tradit Athanasius. *Gregem*, inquit, *habuit equarum, quas fœturæ gratia alebat, quadraginta millia; equorum verò currulium duodecim millia.* cuius sententiam alij minoris notæ secuti sunt, vt Cedranus in cõpendio; sed neque ex textu colligitur, neque alij probant. Septuaginta lib. 2. Paralip. cap. 9. quatuor millia numerant equarum: vnde tamen sumpserint non video.

*Salomon an equas ad fœturam habuerit.*

22. Alterum est, his quæ habemus hoc loco, & libro secundo Paralipomenôn capite primo non satis concinere quæ dicuntur libro secundo Paralipomenôn capite 9. versiculo 25. maximè, si quem nunc habemus Hebraicum textum, attentè consideremus. Latinus sic habet. *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum, equitúmque duodecim millia, constituítque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat Rex in Ierusalem.* Hebræus longè aliter. *Fuerunt itaque Salomoni quatuor millia stabulorum, equorum, & curruum, & duodecim millia equitum*, quomodo è recentioribus plerique conuertunt. Septuaginta, *fuerunt Salomoni quatuor mille fœminæ equæ ad currus, & duodecim millia equitum.* Si lectionem sequaris Hebraicam, sententia est non obscura, nec difficilis: tantùm enim numerantur stabula, siue equilia, vbi nutriebantur equi, & equites, qui aut illa curabant, aut equos ascendebant; de equorum verò numero, nullus sermo. Quare hic locus cum aliis nulla ratione pugnat. Sed quia nobis tenenda omninò est Vulgata translatio, & pro illa certandum, aliter hic locus exponendus, ita vt cum alio simili in hoc capite quarto libri tertij Regum omninò consentiat, in hunc modum. Habuit Salomon in stabulis curruum, id est, equorum currilium, quadraginta millia, & equorum equestrium, id est, ad cursum potius, & dignitatem, quàm ad onus, duodecim millia: quibus totidem respondent equites, qui illis insideant, & Salomoni seruiant siue ad regium fastum, siue ad bellicos vsus.

23. Hæc porrò stabula distributa erant in plures ciuitates, vbi tot equorum millia commodiùs alebantur, quæ ab equorum stabulis, seu præsepiis nomen accepere, sicut Hippo in Africa, quæ equile sonat, & Olysippo, seu Vlisippo in Hispania Lusitanica, quæ ab equis siue alendis, siue seruandis existimatur habuisse nomen. Id enim valet illud, *Constituítque eos in vrbibus quadrigarum.* Iosephus explicatiùs libro 8. capite secundo. *Distributis*, inquit, *oppidatim curribus, & in singula certo numero ad alendum præfinito, circa se quidem paucos reseruauit, loca verò vbi alebantur, curruum oppida appellauit.*

*Equorum stabula in variis locis à Salomone dispositæ.*

24. Quærit Abulensis hoc libro tertio capite decimo quæst. 11. & libro secundo Paralipomenôn capite primo quæst. 26. an peccauerit Salomon congregando tot equos, cùm Deuteron. capite 17. versiculo 16. videatur esse prohibitum. *Cùm fuerit*, inquit, *constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublenatus.* Et tandem illum vindicat à culpa saltem graui, cum quo sentiunt alij nonnulli. Ratio verò illorum est, quia neque Salomon illis equis vtebatur ad inanem maiestatis ostentationem, aut alias ob causas, in quibus aliqua appareret peccati turpitudo: qualis esset iniuria, qua populum opprimeret, & illum siue suis commodis, siue ornamentis exueret. Quæ tunc non fecit Salomon, licèt postea grauissimis se sceleribus infecerit: at principio iustitiam coluit, & diuinarum legum studiosus, & vindex fuit.

*Rex Israel equos plurimos habere non poterat.*

25. Sed plures alij in hac equorum multitudine non putant à Salomone abfuisse culpam; quia præceptum graue est, & verbis propositum non obscuris, & vt erat populus ille ingenio leui, & facilè permutabili, & ad omnem religionem volubili, ac prono, si equorum haberet commoditatem, & copiam, non solùm religionem, quod faxit sæpe, sed etiam patriam, quam religione potiorem habuit, facilè mutaret: & in Ægyptum, quod tempore Moysis aliquando tentauit, redire conaretur. Hæc grauis ratio fuit, propter quam iussit Dominus Iosue cap. 12. versiculo 4. vt quos caperet ab inimicis equos subneruaret, & quadrigas dederet incendio. Quod ipse fecit, & Dauid libro primo Paralipomenôn capite 18. versiculo 4. cùm mille cepisset hostium quadrigas

*Peccasse videtur Salomon in hac equorũ multitudine.*

omnes

omnes ſubneruauit equos, & ex tanto numero centum tantùm ſibi quadrigas reſeruauit, vt impleret præceptum, quod Regibus equorum multitudinem adimit. Quare plures Salomonem peccati damnant: quia hic numerus magnus eſt, quantus fortaſſe nullus fuit in tota terra promiſſionis, neque ante hoc tempus, neque fortaſſe poſtea. Hos enim equos neque comportauit ex terra Iſraëlitica, quia fortaſſe non inueniret, quoniam lex minus illorum fauebat propagandæ ſoboli; ſed adduxit ex Ægypto & Coa, 3. Reg. 10. verſiculo 28. *Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa: negotiatores enim Regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant.* Sic autem multis pòſt annis erant rari equi, atque equites in terra promiſſionis, vt dixerit Rapſaces Ezechiæ tempore, vt habes Iſai. 36. *Dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere aſcenſores eorum.* In quem locum ſic Hieronymus. *Quòd Ezechias illorum aſcenſores præbere non poſſit, non de imbecillitate venit populi Iudæorum, qui equitandi carebat ſcientia; ſed de obſeruatione mandatorum Dei, qui per Moyſem ſuper Rege præceperat Iſrael; non multiplicabit ſibi equos.* Neque ratio Abulenſis, meo iudicio, quicquam efficit; neque enim hanc equorum, quadrigarúmque multitudinem habuit Salomon in ipſo regni primordio, ſed cùm iamdudum in regio conſediſſet ſolio. Hæc enim per anticipationem hoc loco narrata ſunt, quia de Salomonis agebatur potentia. Et quidem 2. Paralipomenôn capite 9. verſiculo 29. hic idem proditur equorum, & quadrigarum numerus. & tamen tunc Salomonis regnum iam declinabat ad occaſum. Et fortaſſe ſumptus, qui in alendis tot equis non immodicus, in cauſa fuit, vt populum ita grauaret duriter, vt oppreſſus onere clamare ſit coactus ad filium Roboam, cùm primùm pater in viuis eſſe deſiit 3. Reg. 12. verſiculo 4. *Pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo, quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi.* Hanc quæſtionem eruditè, & latè tractarunt Nicolaus Serarius in cap. 11. Ioſue q. 7. & Pineda in Salomone præuio libro 7. cap. 14. ibi plura inuenies, à quibus ego prudens abſtineo.

26. Verſ. 27. *Nutriebántque eos ſupradicti Regis præfecti.* ] Duodecim illi præfecti, de quibus ſuprà verſiculo 7. ſicut ſuis quique menſibus ex variis regionibus regiæ menſæ neceſſaria miniſtrabant, ſic etiam tot equis eiſdem temporibus alimenta præbebant. & quia non equi omnes ſiue curules, ſiue equeſtres in aliis nutriebantur ſtabulis à Hieroſolyma remotis, ſed quoſdam ad familiares, & quotidianos vſus ſecum in vrbe retinuerat Salomon, vt conſtat ex lib. 1. Paralipomenôn capite 1. ideo præfecti illi duodecim non ſolùm aliis equis, ſed etiam his, qui nutriebantur Hieroſolymæ de opportuno pabulo prouidebant; quocunque loco illos Salomon traduceret: id enim valet quod ſtatim dicitur, *In locum vbi erat Rex.*

27. *Latitudo cordis Principibus maximè neceſſaria.* Verſ. 29. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam.* ] Sapientia ad rerum cognitionem ſpectat, de qua ſtatim à verſiculo 33. multa, vbi de rebus multis, earúmque proprietatibus diſputaſſe dicitur. Prudentia ad rerum tam communium, quàm priuatarum ſpectat adminiſtrationem, quæ iuxta diuerſos rerum articulos, & circũſtantias, aliter atq; aliter deliberat, cõſiliaque ſua nõ cadẽ ſemper ratione diſpenſat. Hęc maxima ſunt animorum ornamenta, & ad rectam adminiſtrationem neceſſaria ſubſidia. Sed eſt aliquid præterea neceſſarium, quod, ſi abſit à Principe, magnis reſpublica laborabit incommodis. Nouimus enim multos, quibus ſapientia inerat, & prudentia rara; quibus tamen anguſtus erat animus, & timidus, qui quod rectum eſſe nouerant, & ex vſu communi, ac proprio, illud tamen ad opus conferre non audebant; quia illos aut metus retardabat, aut ruſtica potius, quàm liberalis obſeruantia, ne quod facto opus eſſe iudicabant, id reipſa ſuo tempore præſtarent. Quod in re bellica experimur quotidie cum magno rerum publicarum incommodo; multi enim mirificam habent rerum militarium intelligentiam, quorum ſunt in rebus dubiis præclara conſilia, at anguſti ſunt ſpiritus, & minimè audaces, ex quo fit vt inanis ſit illorum ſapientia, & conſilia, licèt opportuna, à ſucceſſu tamen omnino vacua. Sanè de Alexandro illa eadem produnt hiſtorici, quæ nunc de Salomone legimus, licèt non eodem omninò gradu: nam in dubiis apparebat ſapientiſſimus, & quod in deliberando conſilium probauiſſet, ſtrenuè ſtatim, atque conſtanter executioni mandabat.

28. Eſt præterea latitudo cordis illius tanta, támque fœcunda capacitas, vt eodem tempore, quo illam conſecutus eſt, poſſit multa diſceptare diuerſa, & cùm varia ſint, de illis ſine impedimento reddere reſponſa. Item cùm multa occurrant diuerſa, quæ mentem diſtrahunt, quæ non facilè multis cum aliquo ſtudij, operæque pretio vacare poteſt, quæque dum multa ſequitur, nihil aſſequitur: Salomonis tamen animus ſic erat capax, ſic latus, vt illum nulla rerum turbaret, nulla confunderet magnitudo. Arena maris, aut puluis terræ, & ſimilia, in rerum magnarum, cuiuſcunque generis illæ ſint, comparationem adduci ſolent. Fortaſſe ideo Salomonis animus hyperbolicè cum arena comparatur, quaſi tot rerum cognitiones habuerint, quot in maris littore arenæ numerantur.

29. *Salomonis quanta ſapientia.* Verſ. 30. *Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum.* ] Fortaſſe hîc oſtenditur ſcientia mathematica, aut aſtronomica, quæ aſtrorum curſus, proprietatéſque conſiderat, & ex illorum varia ſiue natura, ſiue congreſſione, futuros rerum euentus coniectat, & præſenſit. In hac enim philoſophiæ parte excelluerunt Ægyptij, atque Chaldæi, qui hoc loco dicuntur Orientales, de quibus ſuprà capite 3. verſiculo 12. Hæc clariùs Sap. capite 7. verſiculo 17. *Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinúmque permutationes, & commutationem temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorũ, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſcondita, & improuiſa didici.* Ex quibus conſtat nihil latuiſſe Salomonẽ, quod humano ſolet ſtudio, atque doctrina cõparari ſolertia, &, quod perquam rarò contingit (ſi tamen aliquando contingit, niſi quibus id conſtat datum eſſe diuinitus) ſcientiarum omnium abſoluiſſe encyclopædiam.

30. *An Salomon Poëta & muſicus.* Verſ. 31. *Sapienter Ethan.* ] Quinam iſti fuerint, quos Salomon ſapientia ſuperauit, incertum eſt. Illud autem veriſimile Ethan fuiſſe aut poëtam, aut muſicum, qui Pſalmis aut concinnandis, aut pangendis eximiam daret, & ſuauiſſimam operam: vnde etiam coniectare poſſumus alios quoque, qui cum illo hoc loco annumerantur,

eiusdem esse ministerij, atque artis. Sanè Ethan inter cantores numeratur libro primo Paralipomenon capite 15. versiculo 19. & iterum nomen eius auditur in titulo Psalm:88. cuius hic est titulus, *Intellectus Ethan Ezraitæ.* Quare aut illum composuit,aut modulatus est:cùm autem comparatio fieri soleat inter eos,qui eodem continentur genere,vero est plusquam simile Salomonem musicæ quoque fuisse scientissimum : nam mirificum fuisse poëtam argumento nobis sunt Cantica canticorum ab illo composita,quibus nihil in eo genere potuit excogitari sublimius,nihil elegantius. Scio ab Hebræis, vt auctor est in tradition. Hieronymus, existimari his nominibus significatos esse,licèt obscuriùs,Abraham,Moysem,Ioseph, & duodecim Tribus Israël. Scio in *seder olam* cap. 20.hos existimari Ægyptiorum sapientes. Sed planè nomen Ethan Hebræos esse docet:& ita putat Iosephus lib.8. cap.2. quod communiter sequuntur interpretes.

31. Vers.32. *Loquutus quoque est Salomon tria millia parabolarum, & fuerunt carmina eius quinque, & mille.*] Non dubium est,quin plura carmina, paraboláque loquutus fuerit, scripserítve Salomon, quàm quæ nunc habemus. Vt enim alij exciderunt libri ex Scriptura sacra,qui non semel in eadem Scriptura citantur, sic etiam verisimile est excidisse multa carmina, paraboláque multas præter illa, quæ nunc legimus in Salomone prodita. An verò parabolæ; canticáque, quæ nunc habemus, in tribus parabolarum millibus, & quinque, ac mille carminibus contineantur, incertum est. Mihi magis verisimile est hæc ad illorum pertinere numerum, & ex eis iniuria temporum excidisse quamplurima. Illud obscuriùs; an hæc, quæ nunc habemus, & reliqua,quæ perierunt nobis, & quæ agnouerunt antiquissima sæcula,monumentis tradiderit Salomon, an ab illius ore acceperint alij, & vt grauia apophthegmata, dignaque memoria in scripta retulerint, incertum est. Quidam hæc iactata putant familiaribus hominum sermonibus, & non tam ex scriptis, quàm ex memoria ad familiarem vsum, & doctrinam exprompta, ac tandem postquam illorum periere non pauca collecta ab Ezechia, & in illum ordinem redacta, quem nunc habemus. Id verò indicat locus ille Prouerb.25.versiculo 1. *Hæ quoque parabolæ Salomonis,quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iudæ.* Quod si ita est, vt planè videtur verisimile,maximè cùm Salomon non dicatur scripsisse, sed loquutus fuisse parabolas, non eodem modo videntur ab Ezechiæ seruis & eodem ordine fuisse digesta,quo à Salomone prolatæ. De scriptis Salomonis vide plura apud Sixtum Senensem lib.2.Bibliothecæ.v.Salomon,vbi plus ea de re satis.

*Quæ nunc habemus Salomonis opera, nõ tã ab illo videtur scripta, quàm dicta.*

32. *Salomon in omni genere philosophiæ præstantissimus.*

Vers.33. *Et disputauit super lignis, à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* ] Quæ supersunt ad finem vsque capitis obscura non sunt : tantùm enim adhibita multarum, occultissimarúmque rerum cognitione docet scriptor sacer Salomonem magnum fuisse Philosophum, cùm nihil vsque adeò occultarit natura, quod ipse non fuerit assecutus, multa nostros effugiunt sensus, quia valde sublimia, qualia sunt cælestia, quæ ab humanis oculis longè recesserunt; alia, quia latent in terræ visceribus, neque ad nostros oculos, nisi adhibita solertia, & magno labore foras euocentur : alia, quia exigua sunt corpuscula, neque vllo humano sensu deprehendi possunt, nisi attentè quis, ac sedulò in illorum cognitionem incumbat. Nihil tamen horum Salomonis latuit intelligentiam. Quod de seipso ait Sap.7. *Quæcunque sunt absconsa, & improuisa, didici.* Absconsa sunt cœlestia, quia à nostris sensibus altè sublata; at cognouisse se dicit, *anni cursus, & stellarum dispositiones*, quod facit Astrologus. Absconsa sunt in terræ visceribus, & altè defossæ plantarum radices,illarũ tamé virtutes ad multiplices effectus assequutus est:quid argenti, atque auri,quid pretiosorum lapidum, in reconditis terræ venit obdurescere, exactè cognouit. Ventorum vim, & proprietates, volucrum naturam, lapsus, & cantus, quæ vagantur in aëre non ignorauit, non multiplices naturas belluarum, quæ gradiuntur, aut serpunt super terram, non piscium, etiamsi se in profundissimis aquarum latebris abscondant, cùm tamen infinita propè sint genera aquatilis naturæ. Alia enim sunt altè demersa, alia innatant, alia fluitant, alia ad saxa natiuis testis adhærescunt. Hæc aperta sunt, & facilè patent ex textu tum hoc loco, tum Sap.7. Illud obscurius, quod ad extremum additur,disputasse nimirum Salomonem de lignis, id est,de plantis,vbi ars illius medica declaratur à cedro ad hyssopum vsque,quæ in parietibus nascitur, atque ideo non potest esse non exigua.

Quid sit hyssopus obscurum est; illud videtur certum, herbam esse exiguam, quia cedro opponitur Libani, qua Hebræis nulla planta visa fuerat, aut existimata procerior; quia in sua se regione continuerant, neque alia norant arborum genera, quæ cedro sunt multo magis sublimia. Vbi Vulgatus, *hyssopus*, Hebraicè est אזוב *ezob*, de cuius significatione mirè variant interpretes. Hebræi origanum esse putant, sic sanè Rab. Dauid in suo Miclol vocem adhibuit Hispanicam אוריגנו *oregano*. Sed neque hæc herba vsqueadeò humilis est, neque in pariete communiter nascitur. Abulensis quæst.8. spartum esse putat, ex quo funes fiunt. Sed vnde id coniectet non video; cùm sparto sint aliæ viliores herbæ, & ipsum non proueniat in pariete, parietinísue, sed in campis latissimis, sicut passim in Hispania videmus. Adde quòd hîc aliquid propositum videtur Hebræis familiare, certè non ignotum; at fortasse Hebræorum nullus, qui ea Salomonis ætate vixit, spartum viderat, cum herba illa in vna tantùm nascatur Hispania, vt auctor est Plinius libro 19. capite 2. Nam,si quod in Africa, vile est,& inutile. Quare vtcunque sit in Palæstina non apparet. Leuinus Lemnius adiantum putat libro de herbis biblicis cap. 16. cui Pineda subscribit in suo Salomone præuio lib.3.cap.22.quia hæc herba ad rem medicam magnos vsus habet, & in parietibus nascitur humilibus,& in puteis,& speluncis,vbi iuges sunt aquæ,quibus assiduè aspergitur,aut rigatur herba; & ideo ab Hispanis dicitur *culantrillo de pozo*. Cui cogitationi illud nonnihil fauet,quòd hîc illa nota esse dicuntur Salomoni, quæ & ipsa maximè sunt manifesta,& quæ maximè occulta;tum etiam quæ magna sunt, & exiguo suo quæque modo vehementer. Cedrus procera est, & ea de causa manifesta maximè; adiantum, vt constat, admodum exiguum,& quia in puteis nascitur,locísque obscuris, & humentibus, & intra ipsum penè terræ sinum, atque complexum, quod nunquam sol attingit, aut certè rarò, ac modicè, obscurum

33. *Hyssopus quid.*

obscurum est: vt ergo Salomon dicatur nouisse exigua, & magna, & tam occulta, quàm manifesta, nihil videbatur posse afferri magis idoneum, quàm cedrus, & adiantum.

34. Ego nunc dubito אזוב *ezob*, optimè à nostro interprete, tum hîc, tum etiam aliis multis Scripturæ sacræ locis *hyssopum* esse redditum. Quod, vt cogitem, rationes me non leues, ni fallor, adducunt. Duo hyssopi genera Dioscorides agnoscit lib. 3. cap. 26. montanum, & hortense. Prioris generis magna vis est in caracinis vulgo Hispanorum, *Alcarria*, vbi ego extremis hisce temporibus ætatis meæ commoratus sum, & hæc, quæ nunc molior, magna ex parte confeci. Ibi familiaris hyssopus illa, quę montana dicitur, nascitúrque plerumque in locis asperis, saxosis, imò inter saxa, ex quibus tractus ille ad vinearum, hortorúmque custodiam, maceriam ædificat; quæ reuera vocari potest paries, sicut etiam paries dicitur murus è lapide constructus. Cùm autem parietes, qui in regione Israëlitide, quæ tota saxosa est, excitentur è saxis, vt ipsa regionis natura postulat, herba quæcunque inter illa saxa nascitur, in pariete dicitur nasci. Sanè ipsum nomen, *maceriæ*, in Scriptúra frequens est: est autem maceria paries è lapidibus, aut lapides in parietis modum aptè dispositi. Hinc audimus cauernam maceriæ, vbi Cant. 2. commorari dicitur columba, & colubrum sæpe in maceria, aut septo latere legimus; quod non contingeret, nisi essent è lapide compacta, in quibus pro columbarum nidis, & serpentium latibulis, opportuni relinquuntur sinus, atque foramina. Sic Eccles. capite 10. versiculo 8. *Qui dissipat sæpem mordebit eum coluber.* Amos 5. vers. 19. *Innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.* & clariùs Prouerb. 24. vers. 31. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti*, &c. *& maceria lapidum destructa erat.* In his ergo maceriis nasci hyssopum verisimile est; sicut in aliis locis, & nos sæpe vidimus, & alij se vidisse testantur. Sanè Pena nasci hyssopum tradit in locis asperis, & saxorum angustiis.

Quòd hîc scriptor sacer hyssopi meminerit,
35. cùm de humili herbella ageret, cùm aliæ plures essent magis ignobiles, atque humiles, ea ratio est, quia cedrus, & hyssopus variis locis inueniuntur in Scriptura sacra coniuncta. Vnde hæc duo prouerbiali, vt reor, specie ab Hebræis tunc vsurpantur, cùm nihil significant in aliquo genere esse reliquum, aut cùm omnia significare volunt. Quomodo dicimus, *à vertice ad calcem: à Regis vsque ad ancillæ filium: à pauperum tabernis, vsque Regum turres*, & similia. Notum, opinor, hoc prouerbium, quia in lustratione, expiationeque ligno cedrino adiungebatur hyssopus, ex quibus fiebat aspergillum. Num. capite 19. versiculo 6. & Leuit. cap. 14. versiculo 4. 6. 49. 51. 52. Cùm ergo ista duo tam inter se dissimilia iungerentur, quid mirum si in prouerbiali dicendi modo coniungantur, de cedri, hyssopíque virtute medica illorum disputare est, qui res tractant medicas. certum tamen est vtriusque magnos esse ad medicinam vsus, atque ideo non inutilem fuisse Salomoni aut cognouisse sibi, aut tradidisse aliis, quid de vtriusque virtute consecutus sit.

36. *An Salomon magiam didicerit.* Hæc & similia alia, quæ vim explorant naturæ, componúntque mores, & diuina intuentur, nemo dubitat honesta esse, & à Salomone indagari, atque tractari potuisse. At fuerunt alia, quæ aut Salomon didicit sua industria, neque satis pio laudabilique conatu; aut certè ab aliis illi tribuuntur immeritò, à quibus abesse posse non videtur superstitio. Qualis est magia, non illa naturalis, quæ ex causarum multiplici congressu futura cõiectat; sed quæ diabolicis seducta præstigiis non tam instituit hominum mentes, quàm transuertit, & cæcat. Hanc verò magiam neque nouit neque exercuit Salomon, nisi cùm à diuina religione, & cultu, dum suo genio, atque Gentilium fœminarum voluntati intemperanter indulget, ad Gentilium mores, & sacra defluxit. Tunc enim sicut alia plurima flagitiosissima meditatus atque complexus est, sic etiam hîc artem ab ipsis etiam gentibus non omnino probatam didicisse, atque exercuisse videri potuit. De qua tantùm dicam, quæ de illius efficacitate, atque vsu tradit Iosephus lib. 8. antiq. cap. 5. illorum liberum iudicium aliis relinquo, qui ea de re consulere poterunt. S. Thomam quæst. 6. de potentia art. 10. ad 3. & Victoriam relectione de magia. Sic autem Iosephus. *Ea de re diuinitus consecutus est ad vtilitatem, & medelam hominum, quæ aduersùs dæmones est efficax. Incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur, & coniurationum modos scriptum reliquit, quibus cædentes dæmones ita fugantur, vt in posterum nunquam reuertantur. Atque hoc sanationis genus nunc vsque plurimum apud nostros pollet. Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum in præsentia Vespasiani, & filiorum, & tribunorum, reliquorúmque militum multos arreptitios percurrantem. Modus verò curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci annulo (hic aliter dicitur Salomonis clauicula) sub cuius sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicata, ad cuius olfactum extrahebat per nasum dæmonium, & collapso mox homine adurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens autem Eleazarus his, qui aderant ostendere suæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum, aut pollubrum aqua plenum, imperabat dæmonio hominem exeunti, vt his subuersis signum daret spectantibus, quòd reliquisset hominem.* Hæc Iosephus: quid de Salomonis exorcismis, clauicula, aut annulo, aut vi magica alij senserint, & quid ea de re scriptis prodidisse existimatur, tradit Pineda libro tertio capite 29. in Salomone præuio, vbi putat illorum plurima esse nugatoria, & falsò ab aliis Salomoni suppositа, quod mihi etiam semper visum est. Quo modo hos Salomonis libros de re physica ac medica Ezechias combusserit, vide infrà lib. 4. c. 18. vers. 8.

*Clauicula Salomonis.*

Vers. 34. *Et veniebant de cunctis populis ad audiendum sapientiam Salomonis.* ] Magnum erat artis, & humanæ potestatis, liberalitatisque miraculum Salomonis templum, quod ad suum conspectum curiosos hominum oculos vndecunque terrarum aduocare poterat, sed planè maius in Salomone naturæ, à diuina tamen liberalitate cumulatæ miraculum, in quo tanta splenduit doctrina, tanta sapientia, vt Eccl. capite 47. versiculo 16. cum flumine comparetur, quod & alueum complet, & interdum exundans circumiectos rigat, & fœcundat agros. Sic autem ibi de Salomone. *Impletus es quasi flumen sapientia, & terram retexit anima sua* (id est, aperuit quæ in terra ad illud vsque tempus fuerunt occulta, siue, vt alia habet lectio, texit & inundauit terram, sicut flumen, quod dum excedit ripas, terram operit fluctibus) *& replesti in comparationibus ænigmata, ad insulas longe diuulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua, in cantilenis, & prouerbiis,*

37. *Salomonis illustris fama.*

*& comparationibus, & interpretationibus mirata sunt terra.* Id planè videtur hoc loco significari. Nam cùm Salomonis sapientia totum compleſſet orbem, &, vt vſu plerumque euenit, aliquid rumor adderet veritati, fiebat vt multi audiendi, videndíque Salomonis ſtudio longiſſimam ſuſciperent peregrinationem, & ab extremis terræ finibus venirent Hieroſolymam: quod de regina Saba legimus infrà cap. 10. & clariùs Matth. 12. v. 42. *quæ venit de finibus terræ audire ſapientiam Salomonis.* Hęc verò tanta multitudo à Salomone edocta latè diſſeminauit traditas à Salomone parabolas, cantica, & ænigmata, quorum argutias, & pondera admirabatur terra. Neque illuſtris illa Salomonis templi, atque admiranda moles tam adducebat peregrinorum hominum curioſos oculos Hieroſolymam, quàm illorum curioſas aures, vt tantam Salomonis ſapientiam audirent. Quod de Tito Liuio ad Paulinum ſcripſit Hieronymus, hoc de Salomone poterat ſcripſiſſe verius. *Ad Titum Liuiũ,* inquit, *lacteo eloquentiæ fonte manantem de vltimis* A *Hiſpaniæ, Galliarúmque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandúmque miraculum, vt vrbem tantam ingreſſi, aliud extra vrbem quærerent.*

Huc facit quod ex omni natione viri Princi- 38.
pes difficiles quæſtiones, ſiue de moribus, & officiis, ſiue de occultis naturæ ſacramentis, ac viribus ad Salomonem per literas tamquam ad vnicum orbis oraculum referebant. Ita ſanè Ioſephus lib. 8, cap. 2. de Hiram Tyriorum Rege. *Quæſtiones,* inquit, *ænigmaticas Tyriorum Rex ad Salomonem tranſmiſit, rogans vt eas explicaret, & dubitationem ſibi omnem eximeret. At ille callens huiuſmodi rerum, ac* B *naturæ prudentiſſimus nihil inexplicatum relinquebat, ſed omnia ratione peruincens, & perſcrutatus eorum intellectum, apertiſſimè declarabat.* Alia adducit ibi Ioſephus ex aliena ſententia de quæſtionibus ſiue à Salomone ſolutis, ſiue à Salomone propoſitis, quę neque ipſe probat, nequevidentur eſſe probabilia.

---

# IN CAP. V. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*MITTIT Rex Tyri Hiram legatos ad Salomonem, qui illi de regia dignitate gratulentur, & Salomon vicißim ad Hiram, ſibi vt commodet de lignis, ſaxis, latomis, rebúſque aliis ad templi fabricam neceſſariis, quam ex Dei mandato iuxta formam à parente traditam moliebatur. Acquieſcit facilè Tyrius Salomonis voto, pollicetúrque omnia largus, & lubens, modò ad domeſticos ſumptus ex Iſraelitide terra frumentum, oleúmque largiatur, quorum inopia laborat Tyrus; cùm tamen regio Chanaanitis ex illis terræ fructibus habeat vberes, vernaculóſque prouentus. Annuit Salomon, & deinde pace, fœdereque inter illos compoſitis, miſſis vtrinque ſeruis, qui ligna, lapideſque cæderent, dolarént que pro templi operoſa, eximiáque molitione, cæſa, & ruta cœpit parari, comportarique materies.*

## CAPVT QVINTVM.

C

1. MIſit quoque Hiram rex Tyri ſeruos ſuos ad Salomonem; audiuit enim quòd ipſum vnxiſſent regem pro patre eius: quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore.

2. Miſit autem Salomon ad Hiram, dicens:

3. Tu ſcis voluntatem Dauid patris D mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum eius.

4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: & non eſt ſathan, neque occurſus malus.

5. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus Dauid patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum nomini meo.

6. Præcipe igitur vt præcidant mihi ſerui tui cedros de Libano, & ſerui mei ſint cum ſeruis tuis: mercedem autem ſeruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: ſcis enim quomodo non eſt in populo meo vir qui nouerit ligna cædere, ſicut Sidonij.

7. Cùm ergo audiſſet Hiram verba Salomonis, lætatus eſt valde, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum.

8. Et miſit Hiram ad Salomonem, dicens Audiui quæcumque mandaſti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & abiegnis.

9. Serui mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea in ratibus in mari, vſque ad locum quem ſignificaueris mihi; & applicabo ea ibi, & tu tolles ea, præbebiſque neceſſaria mihi, vt detur cibus domui meæ.

10. Itaque

10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina,& ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius.

11. Salomon autem præbebat Hiram, coros tritici viginti millia, in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei:hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.

12. Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni,ſicut locutus eſt ei:& erat pax inter Hiram & Salomonem, & percuſſerunt ambo fœdus.

13. Elegítque rex Salomon operarios de omni Iſrael, & erat indictio triginta millia virorum.

14. Mittebátque eos in Libanum,decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita vt duobus menſibus eſſent in domibus ſuis: & Adoniram erat ſuper huiuſcemodi indictione.

15. Fueruntque Salomoni ſeptuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte.

16. Abſque præpoſitis qui præerãt ſingulis operibus, numero trium millium & trecentorum,præcipientium populo & his qui faciebant opus.

17. Præcepítque rex,vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos, in fundamentum templi,& quadrarent eos:

18. Quos dolauerunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram: porrò Giblij præparauerunt ligna & lapides ad ædificandam domum.

---

# IN CAP. V. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers.1. *Miſit quoque Hiram Rex Tyri ad Salomonem ſeruos ſuos.*]

1. CIVS rei gratia illi legati Tyrij ad Salomonem miſſi ſint,Scriptura apertè non refert: eſt tamen veriſimile eo conſilio miſſos ab Hiram, vt de regno, quod de omnibus Dauidis filiis vnus obtinuerat, quódque cum tanta populi approbatione moderari cœperat, gratularentur,& ſocietatem, & fœdus iam olim initum cum parente, noua illa, atque officioſa legatione cõfirmaret. Quod indicat illud,quod ſtatim ſequitur. *Audiuit enim quòd ipſum vnxiſſent Regem pro patre eius.* Putat autem Abulenſis q. 1. legationis huius officium obiiſſe Tyrios, antequam infuſa eſſet Salomoni ſapientia, quod etiam mihi placet, quia noſſe breui,ac facilè potuit Hiram quo tempore Salomon vnctus eſſet in Regem, cùm non procul Tyrus ab Hieroſolymis abeſſet. At ſi ad hoc tempus, id eſt, ad quartum annum eſſet dilata, nimis eſſet ſera, & importuna gratulatio.

2. Vers. 2. *Miſit autem Salomon ad Hiram, dicens.*] Salomonis ad Tyrium mandata legatio obſcura non eſt: tantùm enim continet, quàm fuerit Dauidi in votis ſtabile domicilium Domino conſtruere; neque tamen potuerit ſuo ſibi deſiderio ſatisfacere, quia neque dum erat pacatum imperium quo turbato dari non poterat tam illuſtri moli,quàm deſignarat animo,ſedula, vt optabat, & vtilis opera. Quam requiem cum Dei beneficio tam eſſet ipſe abundanter conſecutus,eo incumbebat toto ſpiritu, ac ſtudio, vt quod parenti non licuit id ipſe quamprimum, & quàm maximè poſſet, luculenter abſolueret.

3. Vers.4. *Non eſt Satan, neque occurſus malus.*] Satan hoc loco non eſt diabolus,ſed qui noſtris cõſiliis aduerſatur,quales ſunt hoſtes,qui dum bella mouent,pacem noſtram, atque otium turbant, & dum noſtras cogitationes, & vires ad ſe vocant, aliis nos curis vacare non ſinunt. Tales fuerunt hucuſque Palæſtini, Moabitæ, Idumæi,& alij vicini populi, quibus cum Hebræis fuit durum, & penè familiare bellum. Talis Abſalom,talis Seba, qui publicam pacem, & pacatos animos importune turbarunt; talem denique ſe præbebat Abiſai 2.Reg.c.19.qui,dum ignoſcendo,atque parcendo demereri ſibi vellet populares animos Dauid, illum tamen ad vindictæ ſtudium inflammabat, dum venia Semei vocabat indignum, cui dixit Dauid v.22.*Quid mihi,& vobis filiis Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in Satan?* Ait igitur Salomon,neque ſibi eſſe nunc aduerſarium, qui ſuas cogitationes aliò auocet, neque impedimentum vllum, quominus totum ſtudium,ac vires in deſignatam animo templi molem impendat.

4. Vers. 6. *Præcipe igitur, vt præcidant mihi ſerui tui cedros de Libano.*] Libanus à ſeptemtrione terram promiſſionis definit, qui ad Tyrios pertinet, & Sidonios,de quo multa, ac ſæpe Scriptura prædicat. Sed cùm aliarum arborum, earúmque pulcherrimarum feraciſſimus ſit, laudantur omnium maximè cedri,quæ proceritatis ſunt eximiæ, & odoratæ materiæ;ex quibus ligna ſumuntur ad ſpeciem, dignitatémque domorum, quas ſibi viri Principes ad ſplendorem, atque delicias conſtruunt. Vnde ſæpe audimus è cedrinis compacta lignis,quæ pulchra ſignificare volumus,& pretioſa. Cur autem tam firmæ ſint,atque proceræ arbores iſtæ, quas in loco ſublimi concutit quidem, ſed non euellit ventus, eam Hieronymus rationem adducit ad illud Oſeæ cap.14.*Ero quaſi ros Iſrael,germinabit quaſi lilium,& erumpet radix eius, vt Libani,*&c. *Cùm creuerimus in Domino,mittemus radices noſtras,ſicut arbores Libani, quæ quantum in auras conſurgunt vertice,tantum in ima radice demergũt, vt nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant.* Sumpſit ex Virgilio,qui hæc eadem prodidit de quercu lib.4.Æneid.

*Ipſa hæret ſcopulis,& quantum vertice ad auras*
*Æthereas,tantum radice ad tartara tendit.*

Hìc Hieronymus exemplar agnoſcit illorum, qui in virtute velint magnos quotidie facere proceſſus. Neque enim vnquam in ſublime conſurgent, niſi ſe priùs per humilitatem in profunda demergant,

5. *Humilitas ſpiritualis ædificij fundamentum.*

gant, neque templum ſtabile quiſquam ædificabit, niſi ex materia cedrina, ex ea, inquam, materia, quæ non magis ſe ſurſum attollit, quàm deorſum deprimit. Optimum ſanè ſymbolum myſtici templi, in quo Deus libenter habitat, atque conſtanter, neque minus, quàm in cœlo gloriosè. Sic ſanè putabat Iſaias, qui 57. v. 15. humilem ſpiritum, in quo Deum habitare dicit, cum templo, imò cum ipſo cœlo componit. *Hæc*, inquit, *dicit excelſus, & ſublimis, habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius in excelſo, & in ſancto habitans, & cum contrito, & humili ſpiritu.*

6. Cùm autem cædendi, atque poliendi eiuſmodi ligna, non ita magnum vſum, aut artem haberent Hebræi, aut certè illorum non ita multi, maximam verò Tyrij, atque Sidonij, qui bonam illius montis partem inhabitant: perit Salomon ab amico ſibi Tyriorum Rege, vt hominibus, quos illius artis habuerit maximè peritos, id negotij mandet, vt materiam è Libano comparent cæduam, ad templi fabricam, quarum ipſe laborem, & quamcũque aliam operam iuſta mercede compenſabit, quibus ex Hebræis ipſe ſocios adiunget. Quid autem pro operarum ſumptibus collaturus ſit, explicat lib. 2. Paralip. c. 2. v. 10.

7. Verſ. 7. *Benedictus Dominus Deus hodie.*] Excepit Tyrius Salomonis mandata non illibenter, & gratias egit Deo, quod pro parente Dauide iam mortuo ſuffectus eſſet in regno filius, de cuius ſapientia nihil poſſet aut timeri abſurdum, aut ſperari vulgare. Quare omnia ad Salomonis vota prolixè pollicetur. Quærit hic Abulenſis q. 6. cui Deo benedixerit Rex iſte Tyri, à quo datum eſſe prædicat Dauidi filium, in quo tantum ſapientiæ foret expertus? Nam ille nihil minus, quàm de Hebræorum Deo cogitabat, & Deos ipſo etiam Salomonis tempore coleret alienos. Neque enim ipſe aliam complectebatur religionem, quàm quæ Tyriis, atque Sidoniis, quibus ille tunc præerat, venerationi fuit. At cùm euerſus eſt Salomonis animus, & ad mulierc ularum vota, ſeu libidinem Gentilicis ſe ſacris, & ſordibus implicuit, infrà c. 11. v. 5. coluiſſe dicitur Aſtartem Deam Sidoniorum, & apud Ioſephum lib. 8. ant. c. 2. Herculi, & Aſtartæ inſtauraſſe dicitur templa, & primus omnium ſtatuam Herculi excitaſſe. Illos ergo Deos laudaſſe videtur, quos colebat: vt quid enim laudaret alienum, à quo abhorrebat Ethnicus animus? At ſtat contrà, quia illum laudat Deum, à quo Salomon ſapientiam accepiſſet: ſed quis credat cogitaſſe Tyrium ab illo Deo, quem ipſe venerabatur tantum illud donum Salomoni datum quem in illo meliori ſtatu execrabatur Salomon?

8. Mihi videtur omnino certum à Tyrio Rege verum Deum, quem colebant Hebræi, licèt ille ab eo alienum haberet animum, eſſe laudatum. Quod ideo mihi perſuadeo, quia licèt Hebræi præter Deum, quem ipſi vnum, & verum agnoſcebant cæteros, quos admirabatur væſana gentilitas Deos non putarent, ſed impura quædam, & execranda monſtra; at Gentium pleræquæ non ita ſuos venerebantur Deos, vt aliena numina, aut vana putarent, aut contemnenda. Teſtes ſunt Romani, qui pro diis omnibus commune erexerunt templum, quod θεῶνα vocarunt: teſtes Athenienſes, qui ne à ſua religione quemquam excluderent Deorum, ignotis etiam diis, quorum ipſi nec nomina quidem vnquam audiſſent, aras excitabunt. Sed habemus in ſcriptura ſacra exempla non obſcura illorum, qui ſuis ita inhæſere ſacris vt aliena probarent, & verum Deum laudandum, atque colendum eſſe duxerint. Colebant Palæſtini Dagonem, & eiuſdem farinæ alia deorum monſtra: nihilominus Hebræorum Deum timuerunt, atque ideo ad aſpectum arcæ, quam in caſtrorum medio Hebræi tamquam tutelarem, & ducem collocarunt, graui metu, & triſti cogitatione perculſi dixerunt lib. 1. Reg. c. 4. v. 8. *Væ nobis, quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga.* Et captam in loco, quem ipſi maximè ſacrum exiſtimabant, poſuerunt. Deinde lib. 3. Reg. c. 20. v. 28. Syri Hebræorum Deum potentiſſimum eſſe fatebantur in montibus. Darius Perſarum Rex, cùm Deos coleret alienos, Iudæorum Deo tantum tribuebat, vt ab illo ſalutem, & libertatem ſperari poſſe diceret. Sic enim ad Danielem, quem inuitus in lacum leonum immitti iuſſit. Dan. 6. v. 16. *Deus tuus, quem colis ſemper ipſe liberabit te.* Immò & Reges cùm aliquid diuinum putatent à Iudæis coli, à quo ſperari poſſet ſalus, & propoſitus ſuis votis euentus, dona ſæpe miſerunt ad Salomonis templum, & largiter in ſacrificiorum ſumptus. De quibus lib. 2. Machab. c. 3, v, 2. *fiebat, vt & ipſi reges, & Principes locum ſummo honore ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent: ita vt Seleucus Aſiæ Rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes.* Et ex his conſtat quomodo Rex Tyri licèt Gentilis eſſet, & Deorum vanis ſuperſtitionibus addictus, benedixerit tamen Hebræorum Deum, qui tantam Salomoni ſapientiam indulſiſſet; quia in eo aliquid exiſtimabat eximium, quod ea laudatione dignum arbitrabatur. Hoc verò apertè conſtat lib. 2. Par. c. 2. v. 12. vbi cùm de hac re ſermo eſſet, dixit Hiram verbis expreſſis. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit cœlum, & terram, qui dedit Dauid Regi filium ſapientem*, &c.

*Gentilium multi ita ſuos deos coluerunt, vt Deum etiã verum venerarentur.*

Quærit hîc Abul. q. 5. cur nunc Salomon de lignis cædendis, comportandiſque tantopere laboret, cùm iam antè ſatis, ſupérque de illis prouiſum à parente fuerit; immo & de latomis, fabríſque lignariis, quos ex Tyriis, Sidoniíſque accerſiri ſtudet. Sic autem Dauid ad filium, cui templi molitionem commẽdat lib. 1. Par. c. 22. v. 14. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini*, &c. *ligna, & lapides præparaui ad vniuerſa impendia. Habes quoque plurimos artifices latomos, & cementarios, artifícſque lignorum, aut omnium artium.* dictum etiam fuerat ſuprà v. 4. *Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonij, & Tyrij deportauerunt ad Dauid.* Reſpondet Abulenſis aliquid amplius cogitaſſe Salomonem, quàm quod fuerat à parente præſcriptum (quod ſanè fieri potuit, ſeruata forma, quam Dauid acceperat à Deo; cùm multa eſſent in templo, quæ ſpectarent non tam ad templi propoſitum exemplar, quàm ad eius maieſtatem, & amplitudinem) atque ideo plus lignorum comportandum fuit, quàm quod fuerat à parente prouiſum. Aut certè, quia aliam quoque fabricam animo deſignarat Salomon, ad quam neceſſaria videbatur vis maior cedrinæ materiæ: ideo de lignorum maiori copia laborat. Cõſtituerat autem regiam ſibi fabricari domum, & aliam pro Pharaonis filia, quam vxorem duxit, aliam item domum, quam appellauit ſaltus Libani. Pro tanta verò molitione non videbatur ſatis id, quod à patre comparatum eſt. Quòd autem nouos etiam à Tyrio artifices requirat, ea ratio eſt, quia Sidonij, & Tyrij, quibus magis erat Libanus notus, magis erant in cædendis lignis exercitati, quæ

quæ deferebant ad mare, quibus tam domesticas quàm alienas onerabant naues. Vnde magnos sibi sumptus faciebat Tyrus; & ideo illorum sibi operam mercede proposita locari iubet. Neque aliud exigit, nisi vt ligna cædant, & adducant ad littus, nempe Ioppe, vt habes 2.Paral.c.2.v.16. ratibúsque componant: nam ad illa polienda, glyphicéque fingenda, alios fortasse habuit Salomon ex sua religione meliores artifices, quales, vt nuper vidimus, congregarat pater, qui videntur fuisse non Hebræi genere, sed religione, proselyti videlicet, qui ex aliena professione, ac genere ad Hebræorum se sacra, & religionem adiunxerant. Sic enim lib.2.Par.c.22.v.2. de Dauid, *Et præcepit vt congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides, & polien-dos, vt ædificaretur domus Dei.*

10. Vers. 8. *Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & abiegnis.*] Libanus vt vario abundat aromate, sic variis etiam abundat arboribus, quarum pretiosa est, & odorata materies, qualis est cupressus, buxus, abies, & cedrus, omnium maximè procera, & nobilis. Ex his ad templi, regiæquæ basilicæ constructionem, eam Tyrius materiam promittit, quæ ad illam nobilissimam fabricam maximè videbatur idonea: quæ nimirum ex abiete sumitur, & cedro; libro 2. Par.c.2.v.8. Plura petit Salomon. *Sed & lignea*, inquit, *cedrina mitte, & arceuthina, & pinea de Libano.* Quæ omnia misit Hiram. In hoc verò loco omissa sunt posteriora hæc ligna, quia minus ad templi fabricam necessaria, & ideo minor illorum vsus.

11. *Tyrus frumenti inops.* Vers. 9. *Præbebisque necessaria mihi, vt detur cibus Domui meæ.*] Erat Tyrus in mari, & licèt non procul à continenti, cincta tamen vndecunque fluctibus, & imposita rupi, quæ licèt admittere posset ligonem, & vomerem; sic tamen erat angustata finibus, vt non nisi admodum exigua sperari messis possit. Libanus præterea ille vicinus ciuitati, atque insulæ, vtpote saxosus, & asper magis erat plátis, illísque sylueſtribus, quàm segeti opportunus. Quare nisi aliunde illuc inueheretur frumentum, fame sine dubio ciuitati vsque adeò frequenti, ac lautæ, pereundum erat. Hoc ergo studium cædendi, comportandíque ligna de Libano, hac vnà mercede Tyrius compensari postulat sibi, vt liceat ex Israelitide terra ad sterilem illam ciuitatem, & rebus omnibus indigentem, ad naturæ subsidium, frumenta comportari permittat; neque gratuitum sibi concedi postulat, sed venale frumentum. Ita indicat Iosephus lib.8.c.2. Neque ad hanc sententiam difficilis est sacer textus. Sic autem Iosephus. *Tu vero* (ait Hiram) *hanc nobis gratiam repones, vt exportandi ad nos frumentum potestatem facias, quo vtpote insulares maximè indigemus.* Hæc fortasse petiit Rex Tyri pro ciuitate tota, pro sua verò domo, atque familia alia, quæ essent tot lignorum, grauísque vecturæ mercedis loco, de quibus statim. Sed vt erat Salomon ingenio liberali, præter hæc omnia oppida viginti tradidit in terra Galileæ, de quibus infrà c.9.v.11

12. *Hiram officia largè à Salomone compensata.* Vers.11. *Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei.*] Capite præcedenti, cùm de quotidianis Salomonis sumptibus ageremus, explicuimus quid esset corus, quantum caperet, & quomodo esset aridorum, liquorúmque mensura, quare de illo non est, cur iterum agamus. Præbebat autem Salomon Regi Tyri quotannis ad suæ familiæ sumptus frumenti coros viginti millia; olei verò puri, atque præcipui coros viginti, quos, opinor, exoluit annis viginti: tandiu enim durauit templi regiæque basilicæ superba molitio. Nam templi septem annis ædificatum est, c.6. v.37. Domus verò regia tredecim c.7. v.1. tandiu autem videtur Hiram ligna cedrina, atque abiegna ex pacto contulisse. Addit autem Iosephus lib.8.cap.2. non solùm à Salomone frumentum, & oleum, sed etiam vinum fuisse concessum. *Sed & ipse* (nempe Salomon) *maximis donis Hiramum est remuneratus, singulis annis frumentum ei mittens, & vinum, atque oleum, quibus maximè opus habebat, vt diximus, eo quòd insulam incoleret.* Quid porrò ad operariorum sumtus victúmque contulerit, habes lib.2.Paralip.cap.2. vers.10.

Vers. 13. *Elegitque Salomon operarios de omni Israel, & erat indictio triginta millia virorum.*] Viri Israelitæ sub hæc tempora ad opus rusticum, aut onus aliquod graue non vocabantur, quia hęc exercebant, atque subibant externi, aut qui bello subacti, aut certè mercede conducti. Ita Iosephus lib. 8.c.2. *Salomon autem Rex reliquias Chananæorum, quæ Libanum vsque ad vrbem Amathen colebant, & imperium eius detrectabant, sub imperium eius redactas tributum pendere coegit, & per singulos annos certum numerum seruorum, & colonorum, qui per agros distribuerentur, exegit: Hebræorum enim nemo ad seruiles operas adigebatur, neque erat æquum, vt cùm tam multas gentes Deus sub eorum imperium redegisset, ex his potius quàm de ciuibus eiusmodi conditiones homines censerentur. Sed omnes arma, & currus, atque equos, & rem militarem tractare malebant. Chananæis verò, quos ad seruitutem abduxit, sexcentos præposuit, qui procuratores essent regij, & sua cuique opera, atque negotia præscriberent.* Quod etiam è sacro textu non obscurè colligimus. Nã Dauid, vt habes lib.1.Par.c.22.v.2. quotquot essent in Israele proselyti, ad illud opus congregari iussit. Et Salomon, cùm iam adesset templi ædificandi maturitas lib.2. Par.cap.2.v.17. *Numerauit omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater eius: & inuenti sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcẽti, fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent, tria autem millia, & sexcentos præpositos operum populi.* & apertiùs infrà c.9.v.22. vbi cùm sermo esset de templi fabrica, dicitur, *De filiis autem Israel non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & Principes, & duces, & præfecti militum, & equorum.* *Israëlitæ nobiliora curabant, externi ad viliora destinati.*

*Erátque indictio triginta millia virorum.*] Ex tot hominum millibus ex genere Israelitico triginta fuerunt millia, vt præessent, opinor, operariis, curaréntque ne cessaret, aut frigeret opus. Neque omnes simul illi vacabant studio; sed tertia illorum pars, ita vt singulis mensibus vna illorum millium decas vacaret operi sibi commendato, & deinde duobus mensibus cessaret ab illo siue opere, siue præfectura, & maneret domi, donec post duos menses sua cuique vicissitudo rediret. Ex quo apparet quàm suæ gentis amans fuerit Salomon, qui sic voluit suos in publicis operibus occupare, vt non opprimeret, sic exercerét humaniter, vt non lassaret. An verò in annum vnum illa triginta millium virorum esset indictio, id est, indiceretur eis edicto regio, vt vno anno ea vicissitudine operi vacarent, aut quandiu duraret illa operis molitio, incertum est, in vtramque sententiam pronus est textus.

Vers. 17. *Præcepit Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.*] Incipit iam Salomon ad magni fundamentum

mentum operis aptare materiam. Iubet primùm vt magni, & ex materia firma speciosa, & nobili excidantur lapides, qui in fundamẽto positi illius augustæ domus pondera sustineant. Lapides autem pretiosi dicuntur, non quales nos communiter appellamus, quos in annulis, aut coronis includimus, sed qui ab artificibus, quíque domos habere student splendidas, & lautas, magno habentur in pretio, quales sunt Parij lapides, exquisita marmora, & quæ ex nobilibus eruuntur lapidicinis. Sanè idem Salomon domum sibi, & Pharaonis filiæ è lapidibus pretiosis construxisse dicitur infrà c.7.v.9.id est, è marmore candoris eximij, vt docet Iosephus lib.15. ant.c.14. qui dicit structuram totam ex lapidibus candidis fuisse compactam. Eo autem loco regiam domum ab ipsis etiam fundamentis constare lapidibus pretiosis, docet historicus sacer. *Omnia*, inquit, *de lapidibus pretiosis*, &c. *à fundamento vsque ad summitatem parietum & extrinsecus vsque ad atrium maius. Fundamenta autẽ de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis.* Ideo verò de fundamentalibus saxis, eorúmque dignitate, ac pretio hîc speciatim videtur inducta sermo; vt ostendatur neque labori, neque sumptui in hac templi fabrica à Salomone parcitum; quæ enim saxa toti substernuntur moli, neque oculis hominum sunt proposita, quia altiùs infossa, tudia esse plerumque solent, & vasta, in quibus non tam spectatur pulchritudo, ac pretium, quàm magnitudo, & firmitas. At Salomon ad lapidum firmitatem, & molem pretium quoque, & venustatem adhibuit. Quanta fuerit lapidum illorum magnitudo non constat, sed coniectura sumitur grauis ex illis lapidibus, quos in structuris aliis Salomon pro fundamento substrauit. De quibus 3. Reg. c.7. v.10. *Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem, siue octo cubitorum.*

Vers. 18. *Quos dolauerunt cæmentarij Salomonis & cæmentarij Hiram.*]Vt lapides illi pretiosi erant, sic etiam quadrati erant, & egregiè dolati: neque enim in eo opere, quod diuino seruirẽt cultui, cõstruendo quicquam esse voluit impositum, & vastum, etiamsi humanos lateret oculos, quia latere non poterat diuinos. Dolati fuerunt à seruis Hiram, & ab illis, quos Salomon ad opus illud mercede conduxit: qui sanè non fuerunt Hebræi, sed ab aliis nationibus asciti. Nam, vt diximus suprà, & constat ex c.9. v.22. ex filiis Israel noluit Salomon quemquam seruilem operam nauare; sed aut curare sua, aut illa obire ministeria, quæ ingenuos animos decent. 16.

*Porrò Giblij præparauerunt ligna, & lapides ad ædificandam domum.*]De his Gibliis egimus in nostris commentariis super Ezechielem c.27. ad illud v. 9. *Senes Giblij, & prudentes eius habuerunt nautas.* Hi verò sunt de quibus Ps.82.v.8. *Gebal, Ammon, & Amalec cum habitantibus Tyrum.* Ex quibus verbis non difficilè intelligitur, Giblios, qui orti videntur à Gibal, à Tyriis esse diuersos, sicut alij populi, qui eodem cum illis ordine numerantur: Hi autem videntur serrandi, atque quadrandi lapides, & dolandi ligna peritiam habuisse, & operam suam aliis locari soliti. Neque alios esse puto cæmentarios, quos proximè diximus cum cæmentariis Hiram ad construendam domum præparasse materiam: qui Salomonis dicuntur cæmentarij, quia illos Salomon proposita mercede ex aliena regione ad templi fabricam euocauit. 17.

# IN CAP. VI. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*IN hoc capite templi species accuratè describitur, in cuius constructione, neque mallei, neque alicuius ferramenti sonitu moles illa sacra personuit. Quod pium, atque ardens Regis studium ita Domino placuit, vt in medio ipsius operis cursu iterum Deus Salomoni promiserit, quod antè patri, & ipsi proximè. Nempe si diuinis præceptis constanter, atque fideliter adhæserit, stabilem futuram regiam sedem in Dauidica Domo, & insuper habiturum se in illo populo præcipuum quoddam, & certum domicilium, neque esse vnquam à se deserendum populum Israel, cuius paulo antè Salomon habenas acceperat.*

## CAPVT SEXTVM.

1. FActum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de Terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel ædificari cœpit domus Domino.

2. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.

3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.

4. Fecitque in templo fenestras obliquas.

5. Et ædificauit super parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu.

6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium

tabula

tabulatum ſex cubitorum latitudinis,& tertium tabulatum ſeptẽ habens cubitos latitudinis. Trabes autem poſuit in domo per circuitum forinſecus, vt non hærerent muris templi.

7. Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt: & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo cùm ædificaretur.

8. Oſtium lateris medij in parte erat domus dextræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.

9. Et ædificauit domum,& conſummauit eam:texit quoque domum laquearibus cedrinis.

10. Et ædificauit tabulatum ſuper omnẽ domum quinque cubitis altitudinis,& operuit domum lignis cedrinis.

11. Et factus eſt ſermo Domini ad Salomonem,dicens:

12. Domus hæc,quam ædificas,ſi ambulaueris in præceptis meis,& iudicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea gradiens per ea: firmabo ſermonem meum tibi, quem locutus ſum ad Dauid patrem tuum.

13. Et habitabo in medio filiorum Iſrael, & non derelinquam populum meum Iſrael.

14. Igitur ædificauit Salomon domum,& conſummauit eam.

15. Et ædificauit parietes domus intrinſecus tabulatis cedrinis, à pauimento domus vſque ad ſummitatem parietum,& vſque ad laquearia,operuit lignis cedrinis intrinſecus: & texit pauimentum domus tabulis abiegnis.

16. Ædificauitque viginti cubitorum ad poſteriorem partem templi tabulata cedrina, à pauimento vſque ad ſuperiora:& fecit interiorem domum oraculi in ſanctum ſanctorum.

17. Porro quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus oraculi.

18. Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas & iuncturas ſuas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis veſtiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete.

19. Oraculum autem in medio domus,in interiori parte fecerat,vt poneret ibi arcam fœderis Domini.

20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo: ſed & altare veſtiuit cedro.

21. Domum quoque ante oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit laminas clauis aureis.

22. Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur: ſed & totum altare oraculi texit auro.

23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis oliuarum, decem, cubitorum altitudinis.

24. Quinque cubitorum ala cherub altera:id eſt: decem cubitos habentes à ſummitate alæ vnius vſque ad alæ alterius ſummitatem.

25. Decem quoque cubitorum erat cherub ſecundus:in menſura pari, & opus vnũ erat in duobus cherubim:

26. Id eſt,altitudinem habebat vnus cherub decem cubitorum, & ſimiliter cherub ſecundus.

27. Poſuitque cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas ſuas cherubim,& tangebat ala vna parietem, & ala cherub ſecundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi ſe inuicem contingebant.

28. Texit quoque cherubim auro.

29. Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cælaturis & torno: & fecit in eis cherubim; & palmas, & picturas varias, quaſi prominẽtes de pariete,& egredientes.

30. Sed & pauimentum domus texit auro intrinſecus & extrinſecus.

31. Et in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum, poſtéſque angulorũ quinque.

32. Et duo oſtia de lignis oliuarum: & ſculpſit in eis picturam cherubim, & palmarum ſpecies, & anaglypha valde prominentia: & texit ea auro: & operuit tam cherubim quàm palmas,& cetera,auro.

33. Fecitque in introitu templi poſtes de lignis oliuarum quadrangulatos:

34. Et duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus:& vtrumque oſtium duplex erat,& ſe inuicem tenens aperiebatur.

35. Et ſculpſit cherubim,& palmas,& cælaturas valde eminentes:operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.

36. Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.

37. Anno quarto fundata eſt domus Domini in menſe Zio:

38. Et in anno vndecimo,menſe Bul(ipſe eſt menſis octauus) perfecta eſt domus in omni opere ſuo, & in vniuerſis vtenſilibus ſuis:ædificauitque eam annis ſeptem.

IN.

# IN CAP. VI. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

1. CVM ad illam partẽ Ezechielis commentationem producerem, in qua de eodem argumẽto, quod nunc aggredimur, est sermo, de fabrica nimirum illius templi, cuius forma ab Ezechiele proponitur, in quam intenti, qui à Babylonico iugo in patriam essent reuersuri, nouum templum ad veteris similitudinem excitarent, præfatus sum aliqua, quibus & rei difficultatem ostendi, & quam illius tractationem horrerem, ingenuè, & verè significaui. Idem quoque facerem hoc loco, quia idem mihi rursus proponitur labor, idem metus, nisi hoc idem antè feciſſem. Sèd eo mihi labore superſedendum est, ne actum agam, & molestus illis sim, quibus placere studeo. Promptum est præfationem illam videre, quæ est ad caput 40. Ezechielis, ex quo constabit, quàm pauca sint siue à Scriptura, siue à Iosepho, siue ab aliis scriptoribus infirmaque subsidia, & quid illi, à quibus omnia summa sperari posse videbantur, de re tota iudicent. Quare in re vsque adeò implexa ita me geram, vt neque alienam à Theologo tractationem assumam, nempe architectonicam (quia hæc artem desiderat, quæ procul abesse solet à Theologo) neque tamen omninò abstineam, ne nihil agam; sed modicè pro mea facultate, & captu id, quod à textu, saluo pudore declinare non possum, stringam potius, quàm ad exactam regulam, & amussim explorem. Illud interim admoneo, licèt in Ezechielis templo, in quo nos explicando nonnihil operæ aliquando posuimus, huius Salomonij expressum quoddam exemplar appareat, nonnulla tamen, eaque non pauca fuisse diuersa, quæ mutari pro variis temporum, facultatúmque rationibus oportuit; ea nos produximus variis in locis in nostris commentariis in Ezechielem. Quare si quid à nobis allatum fuerit in Salomonij templi explicanda fabrica aliter, atque in Ezechielis templo describendo nobis visum est, neque nobis ipsis videbimur, neque Scripturæ contrarij, cum non sit eadem omnino Salomonij templi & Ezechielis forma.

2. Vers. 1. *Factum est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel ædificari cœpit domus Domino.* ] Hic locus maximè est ab autoribus notatus, qui plurimum lucis affert rei chronologicæ, quæ & ipsa per se obscura est, & his maximè sæculis, quæ inter Ægyptiam libertatem, & templi fabricam interceſserunt impedita. Cùm igitur ab exitu filiorum Israel ex Ægyptia seruitute annus ageretur quadringentesimus octogesimus, huius extremi anni secundo mense aggressus est Salomon illud totius orbis grande miraculum, templum nempe, quo nulla hominum ætas quicquam vidit aut opere magis eximium, aut maiestate magis augustum. Tot autem annos ab Ægyptio sæculo ad hæc vsque sæcula deducere per singulas ætates difficile est, quia de tempore, quo aliqui cum potestate vixerunt, à quibus annorum ducitur summa, nihil habemus ex Scriptura certum; & nõnulla inter-regna, id est, tempora ab Israelitico rectore vacua, rem nobis reddunt vehementer implexam, neque singulorum ætates, & illorum definita spatia possumus, nisi diuinando colligere. Hoc tamen certum illos annos interiectos esse, qui nunc à sacro proponuntur historico, quorum prorsus ignoraretur summa, nisi locus iste rei maximè incertæ certam lucem afferret.

3. Mensis secundus dicitur, qui proximè succedit æquinoctio verno, id est, qui desinentem excipit mensem Nisan, qui primus numeratur in mensibus anni. Hìc verò obseruandum pro diuersis Hebræorum temporibus, varia illorum menses habuisse nomina, vt diximus iam olim in nostris commentariis ad caput 1. Zachariæ. Antequam populus Dei in Ægyptum descenderet, aliud videtur habuisse annorum exordium, alia mensium nomina. Quæ tamen omnia cùm inter Ægyptios agerent (quod non videbatur recusari potuisse) ad Ægyptiorum temporariam rationem, atque mensuram retulerunt, illorum porrò mensium nomina, quæ tot fuisse verisimile est, quot fuerunt in anno lunæ vicissitudines, ac conuersiones, pauca ad posterorum ætatem peruenere. Cùm autem Deus sub Hebræorum exitum edixerit, vt mensis qui postea vocatus est Nisan, primus esset in mensibus anni, menses alij sua deinceps deposuere nomina, & à numero, quo ab hoc primo mense recesserunt, vocati sunt secundus, tertius, quartus, &c. Cùm verò ante Moysem, qui primum hoc accepit præceptum, nullus scriptor extiterit, qui Hebræorum gesta monumentis tradiderit, factum est, vt reliqua mensium nomina, vtpote nunquam audita, aut mandata literis, exciderint. Non tamen adeò periere funditus, vt non aliqua eorum sera posteritas acceperit. Quare audimus hîc *Zio*, qui secundus est mensis, & infrà v. 38. *Bul*, qui mensis est octauus & deinde c. 8. *Ethanim*, qui mensis est septimus, & ipsius Moysis tempore mensis primus dicebatur *Abib*, quem vulgatus vocat mensem nouarum frugum, Exod. 13. v. 4. Postquam autem filij Israel iterum ex patriis finibus exceſserunt, ad Babylonios relegati, vt alia didicere Chaldæorum vocabula suorum immemores, sic etiam cùm redirent, Chaldaica mensium nomina secum in patriam inuexerunt. Vnde qui olim dicebatur *Abib*, & postea mensis primus, vocatus est *Nisan*, qui priùs *Zio*, deinde mensis secundus dictus est *Iiar*, qui *Ethanim*, id est, octauus, *Marche-suan*. Mensis porrò *Zio*, qui primus est, pro vario lunæ principio, atque incremento, modò in nostrum Martium, modò in Aprilem, & in vtrumque mensem sæpius incurrit.

*Ante tempus Ægyptium alia videntur Hebræi habuisse mensium nomina.*

*Post exitum de Ægypto à numero vocati menses.*

4. Vers. 2. *Domus autem, quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in latitudine,* &c. ] Cubitus illa humani corporis pars est, quæ à flexu, seu à curuatura brachij ad extremos vsque protenditur digitos, qui pro varia hominum magnitudine, varia etiam potest esse mensura. Quare, vt certa esset illa mensura, quam Hebræi magis habuere familiarem, certum statuere modum, non ab hominum cubitali longitudine, quæ non est semper eadem, sed à lege certa, ita vt legalis esset, non omnino naturalis illa mensura. Est autem duplex cubitus, quidam communis dicitur, qui quinque palmis constat, id est, viginti digitis.

*Cubitus duplex, & quæ mensura.*

Alius

Alius legalis, cuius vsus est in templo, qui ad communem cubitum vnum addit palmum, constatque digitis 24. quo cubito in demetiendo templo vsus est Ezechiel, sicut hoc loco Salomon, vt liquet ex cap. 43. v. 13. *Ista*, inquit, *mensura altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum* (nempe communem) *& palmum.* De cubito disputant alij pluribus; & nos nonnihil in c.40.Ezechielis numero 20.mihi de hac re accuratiùs disputandi, neque otium est, neque animus.

5. Ædificauit Salomon primùm, quod in tota illa ampliſſima, atque auguſtiſſima mole futurum erat ſacratius, & auguſtius; nempe partem illam, quæ propriè dicitur templum, ſeu domus Dei, quam ſexaginta cubitos in longitudinem porrexit, in latitudinem viginti, triginta verò in altitudinem eduxit. De qua nos pluribus in noſtris commentariis ſuper Ezechielem, vbi eadem traditur ſecundi templi, id eſt, domus Domini menſura. Quomodo verò hæc domus, ſeu templum in duas partes diuidatur, in oraculum videlicet, ſeu Sancta Sanctorum, & in ſancta, dicemus ſuo loco, atque ordine.

Illud nunc difficile, quod poſtea ſuo loco expendemus attentiùs; nam altitudo, quæ
6. nunc triginta cubitorum eſſe dicitur, ſtatim v. 20. in ea parte, quæ Sancta ſanctorum, ſeu oraculum operit, viginti cubitorum eſſe traditur, ſed, vt diximus, de hac re poſtea, ne videatur immatura diſputatio.

Verſ. 3. *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta menſuram latitudinis templi, & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.*] De hac porticu egimus pluribus in noſtris commentariis ſuper Ezechielem: eſt autem porticus, ſeu veſtibulum non tam domus pars, quàm illius appendix, id videlicet quod à domo proiectum extrorſus illuſtrium domorum portæ prætenditur. Sic ſanè Aulus Gellius lib. 16. cap. 5. ex Cæcilij Galli ſententia. *Veſtibulum eſt non in ipſis ædibus, neque pars ædium, ſed locus ante ianuam domus, vacuus, per quem à via aditus, acceſſuſque eſt ad ædes, cum dextra, ſiniſtráque inter ianuam, tectaque, quæ ſunt viæ iuncta, ſpatium relinquitur, atque ipſa ianua procul à via eſt area vacanti interſita.* Hæc Hiſpanorum vulgo, *lonia* vocatur. Hæc itaque porticus ſeu veſtibulum templi, ſeu domus Domini ianuæ prætendebatur, frontémque totam domus occupabat. Cùmque domus latitudo viginti eſſet cubitorum, fiebat neceſſariò, vt longitudo porticus, quæ latitudini reſpondebat domus, totidem eſſet cubitis extenſa; latitudo verò porticus, id eſt, quod extrorſus à ianua proiicitur, decem cubitorum eſt; dicitur autem latitudo, licèt domus longitudini reſpondeat, quia longior eſt murus ille veſtibuli, qui domus latitudinem adæquat, quàm qui extra domum à ianua protenditur.

De huius porticus altitudine nihil hîc habe-
7. mus, eſſe verò ſupra altitudinem domus ipſius, conſtat ex lib.2. Paralip. cap.3.v.4. *Porticum verò ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta menſuram latitudinis domus cubitorum viginti; porrò altitudo centum viginti cubitorum erat.* Ex quo conſtat porticum multo eſſe altiorem domo Domini, id eſt, templo, quod dicitur *ſancta*, in quo eſt candelabrum, menſa propoſitionis, & altare thymiamatis, & oraculo, quod Sancta Sanctorum appellatur; in quo erat fœderis arca repoſita. Si verum eſſet quod Ioſephus docet lib.8. antiq. c. 2. templum impoſito alio ædificio in centum, & viginti cubitorum altitudinem eſſe ſublatum, non eſſet difficilis ratio, cur domo Dei illius porticus tam eſſet excitata ſublimior; ſed, vt alibi ſæpe, infantilem hoc loco errorem admittit Ioſephus. Ego ſic exiſtimo, ſicut in magnorum Principum aulis, ſacríſque baſilicis excitari ſolent altiſſimæ turres, quæ non ſolùm illis ornamento ſunt, ſed etiam munimento; ſic etiam in domo illa auguſtiſſima, & omnium, ſine controuerſia, maxima, aliquid eminentiſſimum eſſe oportuit, quod loci illius magnitudinem oſtenderet. Neque vlla pars videbatur ad illum finem eſſe commodior, quàm quæ adiuncta erat domui Dei, maximóque ſacrario, & illud à reliquis templi ædificiis ſecerneret. Hæc mea cogitatio eſt, alij alias rationes, aut inueniunt, aut fingunt, meliùs fortaſſe; ſed hæc mihi non admodum videtur abs re. Neque videtur in hoc opere tantæ molis, atque artis, illud fuiſſe omittendum ornamentum, quod aliis locis alij, neque adeò artis architectonicæ periti, neque ideò lauti, atque potentes addidere.

Verſ. 4. *Fecitque in templo feneſtras obliquas.*] 8.
Licèt ædificium totum, quod ſancta, & ſancta Sanctorum amplectitur, templum appelletur, aut domus Dei; tamen pars prior, quæ Sancta dicitur, & in quam ingrediuntur quotidie ſacerdotes ad varia miniſteria, templum dicitur, aut domus: alia verò interior, vbi ſeruatur arca, & in quam ſacerdoti ſummo patet ingreſſus, idque ſemel in anno, adyta vocatur, & oraculũ; quia inacceſſus eſt locus, & inde Deus ad interrogata reſpondet. Ad hanc igitur exteriorem partem templi, dicuntur additæ feneſtræ, obliquæ tamen, nequis ex adiuncto ædificio inſpectare poſſet quod intus fieret, & locus ille, alioqui futurus tenebricoſus, ſolari luce non careret. Illæ autem feneſtræ in eo erant domus ſpatio, quod ſecundo, aut tertio tabulato reſponderet, & hoc poſterius mihi verius. Agemus autem de his eo tempore commodiùs, cùm ventum fuerit ad tria tabulata, de quibus mox. Fuerunt itaque feneſtræ, quæ tantùm ſpectarent ad exteriorem domus partem, vbi candelabrum erat, & menſa: nam interiorem aliam, quam oraculum appellari diximus, ſpectare non licebat, adeò ſaltem familiariter. Vbi vulgatus *obliqua*, Hebr. eſt. אטומות *atumoth*, quod clauſum aliquid ſonat. Id verò multis modis poteſt contingere, nimirum cùm eo fiunt artificio, ne totæ pateant feneſtræ, aut lucem rectâ ad interiora non tranſmittant. Poſterioris modi ſunt obliquæ, quæ tranſuerſum recipiunt, & effundunt lumen, Hiſpani, opinor, *ſaeteras*, vocant; prioris, quæ extrinſecus ſunt anguſtæ, magis verò à parte interiore latæ, aut contrà, aut quæ interraſili ſaxo, aut ligno fiunt, aut reticulis, ſiue cancellis implicantur; illas *claraboias*, has *geloſias* vocat Hiſpanus. Septuaginta ſic reddunt διδυλωμένας, id eſt, *cancellatas* ſeu *reticulatas*, & *occultas*. Symmachus τοξικὰς conuertit, quas nos *ſagittarias* diceremus, quomodo Hiſpani ad horũ ſimilitudinẽ *Saeteras* vocãt. De his feneſtris obliquis egimus ſuper Ezechielẽ ad c.40. *Et feneſtras obliquas in thalamis.*

Verſ. 5. *Et ædificauit ſuper parietem templi tabulati* 9.
*per gyrum in parietibus domus per circuitum templi,*

*& oraculi, & fecit latera in circuitu.*] Opus hoc nõ tam pertinet ad templum, & oraculum, quàm ad illorum ornamentum, atque custodiam, quia illud sic ad omne latus ambit & munit, vt tamen non attingat; atque ideo Ezechielis cap. 40. sæpius appellatur *ædificium separatum.* & v. 6. cùm sermo esset de hoc siue separato, siue laterali ædificio, dicitur, *In lateribus per circuitum, vt continerent, & non attingerent parietem templi.* De hoc triplici tabulato, seu ædificio separato egi latiùs in cap. 41. Ezechielis, atque adeò hic de illo pluribus non agam, quàm quòd locus ipse à nobis exegerit: exiget autem, vt opinor, non admodum multa. Vellem quidem exegisset nihil, vt me ab hac implexa, atque molesta disputatione citiùs expedirem.

10. Super aliquando idẽ quod iuxta. Et primùm obseruo illud, *super*, non significare, quod apud Latinos *frequenter*, sed esse idem aliquando, quod *iuxta*, quod Hebræis perquam familiare est. Ex multis pauca hæc exempla accipe. Exod. 16. *Quando sedebamus super ollas carnium.* Num. cap. 20. *Locutus est super Iordanem, & Iericho.* Psal. 23. *Fundauit terram super aquas.* Psal. 136. *super flumina Babylonis, ibi sedimus.* His locis non dubito, quin *super* non valeat, quod propriè, communitérque significat. Sed idem, quod *propè*, ac *iuxta:* neque terra super aquas est, sed iuxtà, quas littoribus claudit: neque super flumina sedebant Israelitæ captiui, sed ad fluminum ripas prope aquas.

11. *Tabulata per gyrum.*] Ædificium illud separatum, apud Ezechielem appellatur latus. Hebr. צלע *selagh*, quæ vox latus significat, & costam, quæ molem hominis compingit, & sustinet. Quod nomen apertè significat illius triplicis tabulati situm, & officium: est enim ad latus templi, sicut costæ sunt ad latus animalis, quæ illius nobilissimam partem, id est, cor, circumdant, & muniunt. Per gyrum autem circumuallant domum totam; nisi quâ ab orientali plaga munitur à porticu. Cur apud Ezechielem hoc ædificium centos cubitos habere dicatur in longitudinem, diximus in nostris commentariis ad illum Ezechielis locum.

12. Vers. 6. *Tabulatum, quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis: & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis.*] Cur hæ contignationes, seu tabulationes eandem latitudinem habuerint, diximus ad locum Ezechielis citatum, vbi etiam hæc latera, seu costæ domus Domini in sede minùs sunt latæ, & quo magis attolluntur, magis etiam suam latitudinem laxant. Hæc porrò videtur esse ratio, quam antequam explico, obseruo illud ædificium habere tres cubiculorum ordines ea ratione dispositos, vt ab imo per cochleam ascendatur ad medium, & ab eo per cochleam ad tertium, & summum. Obseruo secundò sicut in templi latitudine, seu longitudine, tantùm considerabamus spatium illud vacuum, quod parietes definiunt, & cohibent, neque de murorum crassitie quicquam assumitur ad latitudinis mensuram, & modum; sic etiam in hoc ædificio separato, & in tabulatis, quæ triplici cubitorum ordine in singulis siue costis, siue pilis, quæ in eo muri ambitu ad turrium similitudinem instruuntur, vt diximus suprà ad Ezechielis citatum locum, tantum latitudinis mensura sumitur ex spatio vacuo, quod in cubiculis singulis relictum est. Ex illis autem cubiculis non exiguam partem sibi vendicat cochlea, per quam ab inferioribus ad superiora paratur ascensus. Quare infimum cubiculum, seu tabulatum duobus est cubitis augustius supremo, cùm hoc septem, illud autem quinque cubitorum latitudinem contineat; quia supremum nullam habet cochleam, quia ex eo nullus est ad alterum tabulatum accessus. Medium verò sex habet cubitos, quia cochleam habet, qua caret tertium, neque ita latam, quam habet primum: ea, opinor, de causa, quia ex infimo ad duo cubicula, ex medio tantùm ad vnum ascenditur cubiculum, atque ideo tam lata non debuit esse cochlea, quia paucioribus seruit. Quomodo ex infimo cubiculo ad alia per cochleam ascendatur, habes statim v. 8. Alij alias rationes inueniunt, &, vt opinor, meliores, sed fortasse, quemadmodum ego, ipsi quoque diuinant.

13. *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non hæreret murus templi.*] Quas hîc appellat trabes sacer historicus, Ezechielis c. 41. v. 6. *eminentiæ* dicuntur; quia ex templi muro prominent instar dentium, quæ Dei domum cum ædificio separato coniungunt. Cùm enim paulo altiùs attollerentur illa siue latera, siue costæ aut pilæ, eminentiæ, aut trabes, quæ insertæ, aut instratæ erant templi parieti, sic illa extrinseca tabulata amplectebantur, vt tangi ab illis parietem non sinerent, & tamen ab iisdem illo continerentur, firmarentúrque complexu.

14. In his lateribus, siue costis, quæ instar obtinent turrium, cubicula fuerunt, quæ Ezechielis sæpe citato loco Gazophilacia dicuntur. In his seruabantur pro variis templi ministeriis instrumenta varia, vt vestes, & vasa, & si quid aliud exigit sacrificalis opera. In quibus etiam videbantur excubasse sacerdotes, qui custodirent templum, & ea fortasse de causa sunt obliquæ, seu cancellatæ fenestræ, vt è superiori loco viderent non reserato templo, an esset ad religiosum aliquod opus, aut aliquem inopinatum euentum sacerdotum necessaria opera. Sanè olim ante templi fabricam in tabernaculo dormiisse, qui custodirent illud, docet Samuel qui sub Heli lib. 1. Regum in templo dormiisse dicitur, qui si nactus esset hoc separatum domicilium, in aliquo illius gazophylacio tam ipse dormiret, quàm Heli sacerdos; quorum alter somnum captauit in tabernaculo, alter, si extrà, certè in loco tabernaculo vicino, atque [illegible] iuncto: quando toties Samuel, cùm tamen [illegible] tabernaculo non efferret pedem, ad senem aduolauit.

15. Vers. 7. *Domus autem, cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita.*] Multa hîc dicuntur à multis, quæ non tam facilè sibi persuadent viri, qui hæc paulò explorant accuratius, quàm affirmantur ab aliis. Theodoretus quæst. 21. Dicit sic huic fabricæ à Deo maturè fuisse prouisum, vt vltrò occurrerent dolati lapides, aut sic apti ad concinnam fabricam prodirent è sua naturali sede, vt nullam cæmentariam, seu fabrilem operam, aut instrumenta requirerent. Quare sicut effodiebantur à terra illaborata, atque adeò intacta in suis quæque sedibus locabantur. Theodoretum, sicut sæpe, sic etiam hoc loco

sequi

sequitur Procopius; cuius opinionem satis confutat nouum hoc esse, & sine vlla necessitate, aut Scripturæ fundamento miraculum. Alij nescio quid somniarunt de cuiusdam vermiculi, tam acri, atque efficaci sanguine, vt saxa diuidat, & variè applicatus à Latomo varias inducat, sine vllo malleorum strepitu, aut saxorum crepitu figuras. Sic putant quidam ex Hebræis, quibus facilius est fingere (maximè quod vident admirabile) quàm probare quod fingunt. Neque est, cur in hac cogitatione confutanda operam perdam, cùm ipsa sua se improbabilitate, & futilitate iugulet. Alij serratos esse dicunt lapides, non securi, ac celte, aut scalpro politos: atque ideo ab hac constructione alia instrumenta omnia, vna excepta serra, fuisse sublata, alij dolatos putant, & aliis instrumentis sectos, atque quadratos lapides pro separato ædificio, quod propriè, vt diximus, templum non est, sed templi extraria quædam appendix: at pro lapidibus templi secandis, atque poliendis nullum fuisse adhibitum fabrile ferramentum. Sed istæ meræ nugæ sunt, quæ suam sibi futilitatem ostendunt, & multa contorquent, quæ non obscurè ipse sacer textus ostendit.

16. Quare dicendum est quod censuerunt frequenter alij, ideo cùm ædificaretur domus, nullum auditum esse ferramentorum sonitum, aut saxorum crepitum, quia non in templo, aut area, vbi sacra illa moles excitata est, secti fuerunt, aut quadrati lapides, aut alia quauis exculpti cælatura, sed in monte in ea ipsa lapidum sectura. Quod fieri non difficile potuit: immo & factum sæpe fuisse audio in magnorum operum substructionibus. Quid enim obstat quominùs saxa procul ab ædificio accipere possint formam, & modum, quem sedes ipsis in opere toto destinatæ desiderant. Accedit deinde alia non exigua commoditas, nam quantum de lapide sculpendo detrahitur, tantum de pondere, difficultatéque vecturæ decedit.

17. Vers. 8. *Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ.* ] Multa diximus esse latera in opere separato, quæ costas etiam appellari diximus, quæ quasi pilæ quædam, seu turres erant ad templi firmitatem. In eo latere, quod medium erat inter omnia, quódque mediam etiam domus partem spectabat, à latere dextro erat ostium, vt opinor, familiare tantùm sacerdotibus, per quod subducerent, introducerénteque, quæ tanti loci legitimus cultus postularet. Multa enim videbantur per orientalem portam, & porticum, de qua suprà pluribus exportari, quales sunt cineres ex altari thymiamatis, aut lampades, cùm essent concinnandæ, aut mundandæ, ad quam rem magnos potuit vsus præstare cæcum illud ostium, quod neque procul erat ab altari, & mensa, neque notum erat laicæ, atque profanæ turbæ. Ex eo autem ostio oriebatur cochlea, per quam ex medio cubiculo ascendebatur ad tertium, in illo videlicet latere, seu costa, quæ proprior erat ostio (nam aliæ etiam costæ, seu latera propriam habuere cochleam, per quam peruius erat vsus in illis cubiculis, seu gazophylaciis, quæ in singulis esse costis superiùs dicebamus) ex quo constat extrinsecus cæcum esse medium illud ostium, quia media illa cochlea, (id est, occulta scala, quæ templi ostium, & templum ipsum cum costa coniungebat) ab ipso templi ostio nascebatur.

Ille porrò dicendi modus, *domus dextra*, pro dextra parte domus, vsitatissimus est apud Latinos, qui sic, v. g. loquuntur. *Mons summus, syluestris, medius compascuus, infimus irriguus*, id est, *summa pars montis*, &c. 18. *Domus dextra, pro dextra parte domus.*

Vers. 9. *Et ædificauit domum, & consummauit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis:*] Postquam domum consummauit constructam è pretioso, quadratóque lapide, noluit vt quicquam è toto opere lapideum appareret, vt dicit statim v. 18. *Omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.* Quod fecit in templi parietibus, id quoque in tecto omitti non oportuit; quod domus pars est, quæ venustatis plurimum, & dignitatis habere solet. Impositit ergo parietibus tectum, ex qua materia non habemus ex textu: fortasse fuit opere fornicato, concameratum è lapide; sed ex quacunque materia constructum fuerit; constat illud contectum fuisse cedro multis illustri laquearibus, id est, lineis, quæ præclaro artificio variis se modis, & nexibus implicabant; id propriè laquearia sonant; sed patet latiùs vsus vocabuli: quacunque sculptura cæletur tectum, laqueare appellatur, & ex eo ornatu laqueatum dicitur tectum. Sic cœlum, in quo non sunt eiusmodi laquei, laqueatum appellauit Manilius lib. 1. 19. *Lequearia quæ.*

*Hæc igitur texunt æquali sydera tractu*
*Ignibus in varias cœlum laquearia formas.*

Quare laqueare vocabulum nullum in templi tecto indicat picturæ genus, nec sicut cœlum laqueatum dicitur, quia magnus ille fornix distinctus est, & variatus astris: sic templi tectum, quod instar obtinet cæli quacunque cælatura splendeat, & radiet, laqueatum, siue laquearibus illustratum appellari potuit.

Vers. 10. *Et ædificauit tabulatum super omnem domum.* ] Egerat hactenus de tabulatis, quæ circumdabant, atque firmabant domum, nunc de alio agit maiori tabulato, quod totam operit domum, & facit ne proximum, ac proprium templi tectum calcari à quouis, atque contemni possit. Notum est plana esse Palæstinæ tecta, in quibus multa fieri non incommodè, possunt quæ in fastigiatis, atque acuminatis, qualia sunt nostra, fieri neque incommodissimè, possunt qualia sunt deambulare, lectos ibi, & tabernacula sternere, habere conuentus, atque conciones: quæ omnia, vt amoueret Salomon à templi tecto, tabulatum addidit fastigiatum, quod supra extremos templi parietes suspendit. In quo vsque adeò homines deambulare non possent, vt neque pedibus in eo sine periculo consisterent. Sanè hoc tanti sacrarij religio expostulabat, ne quid indecorum ab hominum vestigio, siue ab aliquo opere profano pateretur. Non erat in ædificando, seu instaurando templo magis pius Herodes, quàm fuit Salomon, neque & magis habuit facultatis, aut otij, vt quæ designaret animo, reipsa compleret; at, vt autor est Iosephus lib. 6. de bello, cap. 6. tam voluit templum esse non profanum, tam purum etiam ab eo, quod ab auium, 20. *Domus Domini tecta fastigiato tecto.* *Templi mūditiæ quomodo à Salomone, & Herode consulum.*

naturali purgatione solet accidere, vt rationem inuenerit, perfecerítque, ne supra templum considerent auiculæ. In *summo*, inquit, *templum aureis verticibus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur.* Hoc porrò tabulatum altum erat cubitis quinque, ab ea videlicet parte, quæ media est, & summa, à qua ad parietem vsque structura descendit; vbi iam altitudo nulla est. Hoc porrò tabulatum ab Hispanis *camaranchon* dicitur, siue *desuan.*

21. *Et operuit domum ligni cedrini.*] Sicut tectum proximè aut compegit è cedro, aut cedro vestiuit; sic etiam nunc fecit in parietibus, in quibus nihil, nisi cedrinum apparere voluit.

22. Vers. 12. *Domus hæc, quam ædificas, si ambulaueris in præceptis meis*, &c,] Cùm primùm Salomon domum absoluit, & summo tabulato perfecto, summum illi fastigium imposuit: quasi Deus in illa sibi fabrica placeret, confirmat Salomoni quæ de illo priùs parenti promiserat: ita tamen si nunquam à diuinorum mandatorum obseruantia recedat. Hæc obscura non sunt: ordo tamen literæ non parum obscurus, & implexus est. Neque enim apparet quid illud, *domus mea*, in hac clausura sibi velit, aut quæ sit horum verborum accommodata syntaxis, cùm partem illam suspensam videamus, neque vocem subesse vllam, à qua regatur. Ego illum nominatiuum absolutè hîc positum intelligo, quod esse apud Hebræos in vsu aliis sæpe in locis à me dictum est. Isai. cap. 11. ad illud, *In die illa radix Iesse*, & Zachar. cap. 7. *Nunquid ieiunium ieiunastis mihi?* Exempla sunt plurima, tu pauca hæc accipe. Isai. 11. In die illa radix Iesse, *qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Psal. 10. v. 4. *Dominus in cœlo sedes eius.* Isai. 34. v. *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* Cùm autem occurrit huiusmodi Hebræorum forma, nominatiuus ponitur in casu pronominis, si forte succedere contingat, pronomine sublato. Quare hæc exempla sic ordino. *In illa die radicem Iesse gentes deprecabuntur. Domini sedes in cælo. A populo auferetur iniquitas.* Ad hunc modum ego sic expono subiectum locum. Sed primum statuo illud, *In medio filiorum Israel*, positum esse pro templo, aut domo Domini, quia Deus habitare dicitur in medio Israel, quoniam speciali, & præcipuo quodam modo in templo inhabitat, quod est in Israel. In hanc eamdem sententiam dixit Deus Leuit. 26. v. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea.* Illud ergo, *domus mea*, ad illud refero. *In medio filiorum Israel*, & pro illo substituo in hunc sensum, *In domo hac, quam ædificas, habitabo, & non derelinquam populum meum Israel, dummodo mandata mea religiosè seruaueris.* Itaque promittit Salomoni se in illius domo habitaturum semper, ex quo populi sequitur salus, & libertas, dummodo ab ipsius præceptis non recedat.

REGVLA. *Nominatiuus absolutè positus.*

23. *Et ædificauit parietes domus extrinsecus tabulatis cedrinis, à pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad laquearia.*] Cùm domum absoluisset, lapideis parietibus à pauimento vsque ad operis laqueatam testitudinem, materiam induxit cedrinam; pauimentum porrò ipsum abiegna tabula constrauit.

24. Vers. 16. *Ædificauit viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata.*] Tota domus triginta patebat cubitis in longitudinem, ex quo quod templum dicitur, siue domus exterior, quadraginta sibi cubitos vendicabat. Ex quo fiebat, vt domus interior, quæ Sancta Sanctorum dicitur, siue oraculum viginti tantùm cubitis in longitudinem pateret. Hanc igitur interiorem partem, sicut in exteriori fecerat, à pauimento ad summam testitudinem è cedrina materia tabulis obduxit.

25. Vers. 17. *Porrò quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.*] Templum pro foribus oraculi, id est, quod *sancta*, aut *domus exterior*, quæ est ante fores interioris domus, quæ est in eo pariete, qui domum vnam ab altera distinguit. Hæc autem necessariò cubitos habet quadraginta, quia ex sexaginta quibus tota domus constat, interior domus, viginti detraxit. *Templum pro foribus oraculi quid.*

26. Vers. 18. *Et cedro omnis domus extrinsecus vestiebatur, habens tornaturas, & iuncturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes.*] Agit hîc, opinor, de vtraque domo, id est, de sanctis, & Sanctis Sanctorum, quarum parietes dicit esse tectos è cedro, cui inerant cælaturæ variæ, atque emblemata, & in ipsius iuncturis tantum erat artis, atque decoris, vt non à necessitate compactæ, sed ab arte quæsitæ viderentur. Cælaturæ porrò dicuntur eminentes, quia non erant incisæ tabulis, & in illis excauatæ, sed extantes è tabula modicè, quæ, vt opinor, ab Hispanis dicuntur *de medio relieue.* Quarum verò rerum figuræ hoc cælaturæ genere expressæ fuerint è tabula, dicemus postea suo loco commodiùs. Nunc sat fuerit, quid translationes aliæ nobis ostendant, paucis indicare, pòst fortasse pluribus. Hebraicus textus, *Cedrus ad domum intrinsecus, sculptura instar fundæ, & colocyntharum.* Chaldaicus, Et *fecit cælaturas ad similitudinẽ ouorum, & funiculorũ, & liliorum.* Tigurina, *Porrò asseres ipsi cedrini, qui erant intus in ædes, extrudebant nodos prominulos, floréfque apertos.* Pagninus, *sculptæ erant sculpturis instar pomorum, & cælaturis instar florum.* Hispanica translatio, *E de cedro era la casa de dentro arfollada de laços redondos, è auerturas de flores.* Caietanus, vt accepit à suo Hebræo, *Incisiones artificiosæ, & incisiones ad instar gemmantium, seu florentium ramusculorum.* Longum esset rationem reddere, vnde ortæ fuerint tot, támque diuersæ translationes, satis nunc fuerit ostendisse nostrum interpretem generatim explicuisse tabularum variam cælaturam; alios verò explicuisse distinctiùs. Quare alij aliis, vt opinor, contrarij non sunt, quia eadem significant omnes; alij tamen aliis magis explicitè. Fortasse istæ cælaturæ sunt cherubim, & palmæ, & alij flores, de quibus postea.

27. Hæc dixi, quàm breuissimè, & commodissimè potui. Sed est hic modus plurimum, vt apparet, implexus, quem exoluamus oportet: nam cùm hoc loco domus ex asseribus cedrinis dicatur obducta; tamen Paralip. 2. cap. 2. v. 5. abiegnis traditur tabulis vestita. *Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis.* Sed meminisse oportet id, quod aliis locis à nobis obseruatum est, quódque & fuit antea, & futurum erit sæpe nobis magno vsui, nempe in Paralipomenis, vt ipsa indicat vocabuli notatio, non omnia adhiberi, quæ gesta sunt, quæque monumentis mandari sunt digna; sed quæ in libris Regum fuerunt prætermissa. Tecta reuera fuit vtraque domus tabulis cedrinis, idque maiori, vt apparet ex parte: & ideo in libris

Regum

Regum de hac materia cedrina multus sermo; de abiegna ideo nullus, quia de abiete parum, aut multo minùs. Hoc tamen scriptor Paralipomenôn omissum esse noluit, sed dixit ad tegendum lapides aliquid etiam insertum ex abiete. Quare in plurimis aliis Paralipomenôn locis addenda est particula *etiam*, quæ non negat contigisse aliquid, sed aliud quiddam præterea addendum, quod reuera contigit, sed omissum est. Quare sic explico, ac lego locum proximè citatum *domum quoque maiorem texit, tabulis ligneis etiam abiegnis.* Et fortasse id spectat coniunctio *quoque*, quæ non tam domum domui, quàm tabulis cedrinis tabulas abiegnas associat. De pauimento abiete constrato nihil hîc dicit Paralipomenôn scriptor, quia in libris Regum satis fuerat significatum expressè.

28. Vers. 19. *Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, vt poneret ibi arcam fœderis Domini.* ] Hoc loco *domus* totum spatium significat, quod domum vtramque complexum est. *In medio*, vt alibi millies, tantùm indicat aliquid esse in aliquo loco, licèt ab illo non æqualiter distent extrema. Quomodo Tyrus dicitur esse in medio maris, quia vndique marinis cingitur fluctibus, licèt exiguo tractu distet à littore. In parte igitur magis interna, id est, ad orientalem regionem illius spatij, quod in longitudinem numerat cubitos sexaginta, constituxit oraculum, id est, Sancta Sanctorum, vt in eo constitueret arcam, qua nihil erat inter sacra vasa magis augustum, nihil sacratum magis.

29. Vers. 20. *Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis.* ] Hîc multi hærent non sine causa, cùm domus tota habuisse dicatur triginta cubitos altitudinis: nunc autem in Sanctis Sanctorum, quæ domus illius quædam pars est, decem ex illo numero discesserint. Quare variè aut soluunt, aut fortasse magis implicant hunc nodum. Quidã hîc nõ de toto oraculo agi putant, sed de pariete medio, qui oraculum à templo, id est, ab exteriori parte discludit. Existimant enim parietem illum intergerinum ad viginti cubitos tantùm excitari; relinqui autem superne vacuum, & apertum decem cubitorum spatium, vt per illud fumus ex altari thymiamatis ingrederetur ad oraculum, ne illo quotidiano, & religioso careret obsequio. Huius sententiæ pauci non sunt, ita Lyra, Ricardus, Auctor historiæ scholasticæ, Beda lib. de templo Salomonis c. 10. Sed sanè paries ille medius non magis ad interiorem, quàm ad exteriorem domum pertinet; quare non magis interior, quàm exterior diceretur habuisse viginti cubitos altitudinis. Deinde, quia non bene existimari posset oraculum habuisse viginti altitudinis cubitos propter illum parietem, quia paries oraculum non est, & suam propriam oraculum haberet altitudinem, & sicut de tota illius longitudine, & latitudine, sic etiam de altitudine tota videtur institutus sermo. Vatablus sequutus Hebræorum vanissima commenta, ideo arbitratur ad viginti cubitos, quia spatium illud auro tegebatur: reliquum autem, quod ad viginti supererat, pretiosis lapidibus erat instructum. Sed neque id ex vlla Scriptura sacra sumitur, neque ad illum cubitorum numerum ratio hæc satis esset idonea. Alij oraculi parietes excitari dicũt cubitos viginti, quidquid præterea deficit ad triginta illud suppleri à trabibus, quibus totius domus, quæ triginta numerabat altitudinis cubitos, contignationi iungebatur, quod videntur intellexisse Septuaginta, dum ita vertunt, *Et ædificauit viginti cubitos à summo muri latus vnum à pauimento vsque trabes.*

Ego simpliciùs hæc accipio, & tantùm arbitror viginti cubitos tum oraculum fuisse, sicut triginta templum; ita vt à pauimento ad tectum oraculi laqueatum, quæ est illius altitudo simpliciter, non plus numerantur, quàm viginti cubiti. Neque video quid hîc appareat absurdi, aut extra rationem, atque symetriam architectonicam, si oraculi minor sit altitudo, quàm templi, cùm etiam longitudo eadem proportione minor sit. Neque videbatur decere, vt interior illa domus, quæ decem cubitis erat exteriore minor, eandem cum illa haberet altitudinem. Quid si augustum est, & religiosum magis demissum esse illud conclaue, quàm eleuatum, & excelsum, sanè sicut tertia pars totius domus, nempe vestibum, duabus aliis partibus multo sublimior, in qua multo minus inerat sanctitatis; sic secunda pars, quæ minus, quàm tertia erat augusta, potuit esse sublimior. Hic videtur simplicissimus, atque obuius sensus, quem primùm affert litera; neque alius mihi potior est: cuius cùm ego rationem quærerem, duplex occurrebat: altera, quia domus illa minùs patens maiorem aliis reuerentiam, & religiosum timorem exhibebat, cùm nihil in eo penitiori conclaui esset, quod non videretur diuina maiestas expleuisse. Nam cùm altare esset in illo, & supra altare arca, & in ea duo cherubim, verisimile est illorum capita, aut tetigisse summum oraculi laqueare, aut ab illo non abfuisse multum. Quòd autem altare esset in æde interiori, super quam collocaretur arca, non difficile discimus ex hoc ipso capite, vbi altare fuisse dicitur in oraculo, cùm statim de exteriori domo, quasi de re loquatur omnino diuersa, cùm egisset de tabernaculi mensuris, addidisséque, *operuit illud, atque vestiuit auro purissimo*, statim subiecit, *sed & altare vestiuit cedro*, altare, inquam, oraculi: neque enim de exteriori domo agere aggressus est, nisi ab hoc loco. Ait enim, *domum quoque ante oraculum operuit auro.* quod statim v. 22. vbi apertè illud oraculi vocat altare, *totum altare oraculi texit auro.* Super hoc altari erat arca: neque enim vnquam placuit, quod existimarunt quidam arcam fuisse super nudum pauimentum. Cùm ergo Cherubini denos habeant altitudinis cubitos, si altari, atque arcæ totidem tribuamus, nihil erat vacuum à pauimento ad summum vsque laqueare. At, vt ex hoc eodem capite constat, Cherubinorum alæ totum occupant latitudinis spatium, cùm illorum alæ, quæ effinguntur expansæ, vtramque oraculi partem contingant.

30. *Exterior pars domus Dei altior quàm interior.*

31. *Quomodo sancta sanctorum diuina maiestas impleuerit.*

Hæc mihi coniectura leuis non est. Quod si minus placet, (neque enim mihi omnino probatur) accipe rationem alteram, quæ plus habet verisimilitudinis. Et primùm obseruo in eodem loco ædificatum esse templum ab Ezechiele descriptum, in quo prius à Salomone ædificatum fuerat. In illo autem videmus accliuem fuisse aream, &, ex vno atrio in aliud & ab hoc iterum in aliud, & ex illo ad priorem partem domus per gradus ascendi. Quare si parietes forinsecus essent æquales, necesse est, cùm inæquale foret pauimenrum, singularum etiam partium altitudinem esse prorsus inæqualem. De templo autem Ezechielis non obscurè constat. Nam cap. 40. v. 6. ab externo muro ad primum

32.

primum atrium per gradus ascenditur, & deinde ex aliis ad alia loca similiter; ex quibus sæpe per septem, aut octo gradus paratur ascensus. Lege c.40.v.6.22.22.34.37. Ex atrio autem sacerdotum ad templi vestibulum per octo ascendebatur gradus,v.49. Cùm autem templi area quo magis accederet ad Occasum magis esset accliuis, verisimile est ab exteriori æde, ad interiorem per plures gradus futurum ascensum, quia pauimentum multo altius. Quare ex eo pauimento ad tectum, quod vtrique domui æquale fuit,longè videtur interiori quàm in exteriori domo fuisse altitudo minor. Dixi quod mihi minus videtur absre, neque id cuiquam persuadeo; opto ab aliis aliquid afferri,quod magis curioso lectori satisfaciat, aut quod displiceat minus.

*Templi pauimentum non æquale.*

33. *Et operuit illud,atque vestiuit auro purissimo.*] Iam diximus vtramque domum sic fuisse tectam abiegnis tabulis, & cedrinis, vt nullus appareret lapis, ex quo totum illud opus extructum fuerat.In tabulis porrò eminebant cælaturæ variæ, de quibus suprà, cherubini videlicet, & palmæ, & alia quamplurima, quæ mira quadam varietate augustum illud sacrarium exornabant. Sed dicet frustrà in sculpendis tabulis operam esse consumptam, cùm tota illa varietas inductis aureis laminis esset occulta. Respondeo inductas quidem fuisse laminas aureas; non tamen ita crassas, vt non potuerint sic inflecti tractarique molliter, & accipere illas rerum formas, quas suppositæ tabulæ ad sigillorum similitudinem inducerent, qualia nos plurima quotidie videmus.

34. *Sed & altare vestiuit cedro.*]Multi hoc altare fuisse putant thymiamatis, quod erat in exteriori domo, sed placet quod proximè dixi, neque habeo, quid præterea addam. Hoc porrò altare, quod sine dubio constructum erat è lapide, alioqui cur tegeretur cedro? laminis quoque aureis obductum est. Sic enim statim v. 22. *Sed & totum altare oraculi texit auro.* Adde quòd non videtur,cur vestiri cedro potuerit altare thymiamatis, cùm tantùm, quæ è lapide essent constructa, tabulis essent cedrinis vestita:at altare thymiamatis non erat è lapide,sed è lignis settim, Exod.30.v.1.*Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis settim.* Cur autem materia lignea alia etiam lignea esset includenda? maximè cùm statim v.3. aureis laminis dicatur esse vestiendum? Neque parum hanc cogitationem firmat Paulus ad Hebr. c.9. v.3. vbi cùm in priori domo, quam ibi primum appellat tabernaculum, candelabrum, & mensam, & propositionis panes posuisset, in sanctis Sanctorum post velamentum, quod vnam domum secernebat ab altera, arcam inclusit, & thuribulum: est autem thuribulum, vt multis docet Abulensis hîc q. 16. altare in quo accenditur thymiama. Qui tamen in eo mihi non placet, quod illud in priori basilica constituit, neque aliud esse putat ab eo, quod altare dicitur thymiamatis, cùm à Paulo significari apertiùs non potuerit esse intra velum, id est, in interiori domo. Audi Paulum. *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra,& mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta Sanctorum aureum habens thuribulum & arcam testamenti.* Si thuribulum altare est, satis apertè locutus est Paulus. Sed fortasse altare non est, sed aliud aliquod vas ex sacra supellectili. Porrò in secundo Par.c.3.v.8.in domo interiori tegenda aureis laminis quasi sexcenta talenta dicuntur esse consumpta.

*Thuribulũ quid.*

*Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis.* ] Sicut oraculum totum texit auro, sic etiam domum exteriorem; neque in illis quidquam apparere voluit, quod non esset ex auro; vsque adeò vt claui, quibus figebantur, ac firmabantur laminæ, essent etiam aurei in vtraque domo. Horum verò singuli pondus dicuntur habuisse quinquaginta siclorum, id est, vnciarum viginti quinque sic citata sæpius cap. Paralip. v. 9. *Sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent.* 35.

Vers. 23. *Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis oliuarum decem cubitorum altitudinis.* ] De cherubinorum forma, & nomine multa nos in nostris commentariis ad cap. 1. & 10. Ezechielis. 36. *Cherubinorum quæ forma.*

Quales autem fuerint hi cherubini, quos à Salomone audimus in oraculo constitutos, non est coniectare difficile, cùm illorum altitudo describitur decemcubitalis, & alarum longitudo,quarum quæuis habet cubitos quinque, quæ non videntur, nisi in humanam naturam & speciem cadere potuisse, & quidem non aliæ figuræ in hoc templo, ac loco aut finguntur ab artificibus, aut intelliguntur à Patribus.Humanam certè formam indicat c.3.Par.v.13. *Ipsi autem stabant erectis pedibus,& facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* Iosephus lib.3. ant. c.6.& lib.8.c.2.ait cherubinorum formam nulli vnquam visam fuisse mortalium, neque vllum quænam illorum esset species nosse potuisse. Nihil hîc dico de cherubinis aliis, quos vidit Ezechiel, quorum alia est, neque parum dissimilis figura,ac ratio.

Vers. 27. *Extendebant autem alas suas cherubini,& tangebant ala vna parietem,& ala cherub secundi tangebat parietem alterum; alæ autem alteræ in media parte templi se inuicem contingebant.* ] Ex his non difficile est statuere,quæ esset positio, atque habitus horum cherubinorum: assistebant etenim arcæ, & explicabant quincubitales alas ea ratione vt exteriores vtrumque attingerent oraculi parietem,interiores se mutuò contingerent, ita vt mediam arcam sua veluti adumbratione tangerent. Illorum autem faciem conuersam esse ad exteriorem domum,id est,ad orientalem plagam,c.3.Par. v.13.docet. *facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* Hi porrò cherubini statuario opere perfecti sunt ex oleagina materia, quia hæc, vt auctor est Vitruuius, neque cariem sentit, neque vetustate corrumpitur, cui inductæ sunt aureæ laminæ, vt in tota domo nihil appareret,nisi aureum. 37.

Antequam ex his cherubinis emergat commentatio, statuamus oportet discrimen, quod inter illos interest,quos in tabernacnlo Moyses, & eos, quos Salomon in templo fabricari iussit. Primùm illi Mosaici fuerunt ex auro solido, ac ductili, & accommodati ad tabernaculi angustias minoris multo molis,deinde habitu corporis longè diuerso, stabant aduersis vultibus mutuò se spectantes in extremis aduersisque partibus propitiatorij, atque arcæ, alis quidem extensis, non tamen ita, vt altera parietem,altera alterius alam attingeret,sed vtraque tangebat vtramque,& medium amplectebatur, & obumbrabant propitiatorium. At cherubini Salomonij denis erant cubitis alti,& oleagina materia, aureis tamen laminis inclusa, neque se aduersis intuebantur vultibus, sed obuersi ad exteriorem basilicam, orientalem intuebantur plagam, & alis aliter extensis,altera tangebat consortis alam, altera parietem tẽpli. Salomonij cherubini satis hîc apertè describuntur. 38. *Discrimen inter Cherubinos quos Moyses, & quos Salomon fabricauit.*

buntur. De Mosaicis habet Exod. cap. 25. vers. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero, vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciántque se mutuò versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* Quod autem hîc fieri præcipitur, id factum ostenditur postea cap. 38. v. 7.

Vers. 29. *Et omnes parietes templi per circuitum* 39. *sculpsit variis cælaturis, & torno, & fecit in eis cherubin, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.* ] De vtraque Domo isthæc accipio, quæ variis à Salomone modis cælata est. In picturis variis, varia item ornamenta contineri puto; qualia in Principum aulis spectamus, & in templis, in quibus varia spectantur emblemata, & ingeniosorum operum argumenta. In quibus flores numero, & plantas, tum etiam animalia, quæ aliis in locis ad templi, seu sacræ supellectilis ornatum exprimuntur. De quibus postea pluribus cap. sequenti. Numerantur autem præcipuè cherubini, & palmæ in illis, opinor, cælestes spiritus intelliguntur, qui toti sunt in diuinis laudibus, in his Israëlitæ, quorum studia eò spectare debent, vt cherubinis in eo laudandi conatu sint quamsimillimi. Porrò palmam symbolum esse Iudææ probat & ipsa loci natura, quæ palmis abundat, & palmæ ipsius nobilitas, quæ symbolum esse debuit regionis omnium nobilissimæ, de qua Ezechiæ cap. 20. v. 6. *Quæ est egregia inter omnes terras.* Vide quæ nos ad illum locum de terræ promissionis bonitate, atque fœcunditate. Sanè Vespasianus Imperator suam de Iudæorum populo victoriam, in palma quasi iam domita expressit, ad cuius radices sedebat fœmina habitu captiuæ, & vultu lugubri. Hoc symbolum passim in Vespasiani numismate videmus. Hæ porrò cælaturæ sic sunt efformatæ in abiegna, cedrináque materia, quas etiam exprimunt ex auro superinductæ laminæ, vt extare videantur è tabulis, & ex pariete prodire, quod Hispani dicunt *de talla, o relieue.*

40. Illud hîc difficile, quomodo possit torno in sculpenda materia vllus esse locus, cùm tornari non possit materia, id est, in gyrum volubili circumactu conuerti, vbi vulgatus *torno*, Hebr. est מקלעה *micleah*, quæ etiam vox supra reperitur vers. 18. Vbi noster interpres reddidit *tornaturas*, alij aliter, atque aliter, vt eo loco diximus, vocem hanc conuertunt. Quidam *fundam*, alij oua, alij poma, alij colocynthidas. Noster ibi optimè *tornaturas*, & hîc *torno* reddidit, quia poma, oua, colocynthidæ, & similia torno plerumque efformari solent, quia hæc rotunda sunt, & vt illam globosam speciem assumant, in orbem assidua circumductione versantur. Qui *fundam* verterunt, id in ea voce spectarunt, quod funda, cùm eiaculatur lapidem, in gyrum priùs circumducitur, & quasi rotatur circa caput; & ideo ab eadem radice, à qua מקלעה dicitur קלע. Ego hoc loco illa puto significari hîc in *torno*, quæ superiori loco in tornaturis. Sed in vtroque loco difficile est statuere, quomodo illæ vocari possint *tornaturæ*, aut hæc *elaboratæ, aut tornatæ, perfectæ torno*, cùm fieri posse non videatur, vt à torno tabulæ aliquam cælaturam accipiant.

41. Ego à viris eius artis peritis, quos ea de re consului orbiculatas figuras toreuticè, id est, tornaria opera in tabulis tornari, ac rotundari posse. Et quidem verbum Græcum τορεύω, quod propriè tornare valet, nonnunquam propter vicinitatem

*Torno idē interdum quod sculpo.*

A *sculpo* etiam significat; vt norunt, qui vel mediocriter Græce sciunt: vnde τόρευμα dicitur opus quoddam à Phidia egregio sculptore perfectum, non torno, sed cœlo Mart. lib. 4. Epig. 39.

*Solus Phidiaci toreuma cœli.*

Idem lib. 3. epigr. 31. in Phidiæ toreumate pisces describit. Adde quòd tornus etiam idem nonnunquam valet, quod *cœlum*, aut *scalprum*, aut aliud quodcunque instrumentum fabrile. Sanè torno elaboratam esse vitem in poculo, canit Virgil. ecloga. 3. *Tornus idē quod cœlū, aut scalprū.*

*Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis,*
*Lenta quibus torno facili superaddita vitis*
*Diffusos hedera vestit pallente corymbos.*

Vers. 30. *Sed & pauimentum domus texit auro* 42.
*intrinsecus & extrinsecus.*] Pauimentum suprà v. 15.
B tectum fuisse dicitur abiegnis tabulis: nunc autem addit inductas esse hisce tabulis aureas laminas, idque non solùm intrinsecus, id est, in interiori domo, seu oraculo, sed etiam extrinsecus, id est, in templo, aut exteriore basilica. Ex quo apparet nihil esse in vtraque domo, quod non splenderet auro, quia præter aurum nihil apparebat exteriùs.

Vers. 31. *Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis* 43.
*oliuarum, postésque angulorum quinque.*] In sequenti versu duo oraculi describuntur ostia de lignis angulorum quinque miris modis ornata, cherubinis videlicet, & palmis, & aliarum rerum imaginibus è tabula extantibus, quæ vocat anaglypha. In his porrò totidem addidit ostiola, item
C pentagona; id est, quæ quinque quemadmodum postes habuerunt angulos; sicut in antiquis operibus aliqua nunc etiam videmus. Sunt autem *anaglypha* cælaturæ asperæ, & eminentes è plano, quales sunt flores, & plantarum, & animalium expressæ figuræ, quibus, vt diximus, vtraque domus erat ornata. *Anaglypha quid.*

Vers. 33. *Fecítque in introitu templi postes de lig-* 44.
*nis oliuarum quadrangulatos.*] De ostiis templi iam agit, id est, exterioris basilicæ, quæ dicitur *Sancta*, vbi quatuor constituit angulos, cùm quinque posuerit in ostiis, atque ostiolis oraculi. Quòd sine dubio arcano aliquo sacramento non vacat: quinarius enim angulorum numerus, qui ad Sancta
D Sanctorum, id est, ad Dei arcana sacramenta, & in adyta, atque inaccessa sacraria deducit, per quinque vulnera aperit ingressum. Quis enim cœli porta nisi Christus? Sanè ipse Ioan. c. 10. ostium se esse dicit. quare ille vt mystici illius sacrarij figuram impleret, quinque angulorum stigmata notari debuit. *Quinque Christi vulnera in quo significata.*

Vers. 34. *Et duo ostia de lignis abiegnis altrinse-* 45.
*cus, & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur.*] Duo hæc ostia, quæ esse diximus in ingressu exterioris domus, se inuicem spectabant altrinsecus, & seipsa complexa obstruebant aditum his, quos arcere oportebat, diuisa illum aperiebant templum ingressuris. In quolibet autem illorum alterum erat ostiolum, ita alteri in-
E sertum, & inclusum, vt in vnum aliquid cum altero coaluisse videretur; adeò vt se mutuò tenerent, neque cùm aperirentur simul esse desinerent: nam ostiolum, quod in alterius voluitur complexu, ac sinu, ab eo non diuellitur, neque ostium maius, cùm sese laxat, & aperit, alterum dimittit. Hanc meam cogitationem firmat Ezechiel cap. 41. v. 23. *Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario, & in duobus ostiis ex vtraque parte bina erant ostia, quæ in se inuicem plicabantur.* Plicari autem inter se ostia cum ostiolis idem esse puto,

quod in vno ostio duo esse ostia; quemadmodum in animali fœto duo sunt animalia. & ideo hîc ostium dicitur duplex,& duo ostia à seipsis vicissim teneri,quia inter se plicantur. Abulen. q.19.historiæ scholasticæ Ribera de templo cap. 10. alium excogitarunt modum, aptiorem fortasse; sed nescio quomodo placere mihi nunquam potuit: sicut aliis fortasse maiori suo merito hæc mea cogitatio non placebit.

46. Vers.35. *Et sculpsit cherubim,& palmas,& cælaturas*,&c.] Sicut vtramque domum tabulis obduxit abiegnis,& cedrinis, ex quibus varias eduxit rerum species,quas laminis ex auro solido vestiuit: sic etiam portas eodem cælauit modo, atque ordine,nisi quod anaglypha illa, seu cælaturæ multo magis eminebant è tabula, & cùm alibi de laminarum forma dictum esset nihil,nunc ad regulam dicuntur esse quadratæ, studio videlicet magis accurato. Cuius rei ea potuit esse grauis,& sola fortasse ratio,quia neque omnibus licuit in exteriorem tabernaculi partem ingredi, & in interiorem vni tantùm sacerdoti maximo, idque semel in anno. Quare his,qui ab vlteriori arcebantur ingressu, ex ipsa templi, oraculique fronte ostendendum fuit, qualis existimari posset cultus, & species interior.

47. *Velũ templi quale.* Antequam exeamus à templo ad sacerdotale atrium,de quo statim,addamus oportet quæ omissa fuerunt ab scriptore sacro,& addita ab eo, qui Paralipomenôn libros concinauit. Primum omissum fuit velum, quod extensum fuit ante murum illum medium, qui interiorem domum ab exteriori discludit. De quo Exod. cap.26. vers.31. hoc autem velum pulcherrimum erat materia versicolore artificiosè contextum. De quo iisdem propè verbis Exod.26.& lib.2.Paralip.cap.3.*Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura,cocco, & intexuit ei cherubim.* Habuisse præterea figuras alias, quas in templi lateribus, ac foribus dicebamus, ex eo liquet, quia in eo opere plumario, id est, Phrygio mira in velo dicitur, aut surili, aut textili opere addita varietas. *Facies*,inquit,*& velum de hyacintho, purpura,coccóque bis tincto, & byssо retorta opere plumario, & pulchra varietate contextum.* Hoc autem velum in tabernaculo Moysis ex quatuor columnis suspendebatur de lignis settim. In templo fortasse Salomonis alia ratio fuit, quia stabilis erat,& firmus murus,qui velum illud multo quàm columnæ meliùs suspendere, ac sustinere posset, sed de hac re mox.

48. *Purpura quid.* De his autem coloribus, qui velum istud variant,atque distinguunt, alij pluribus agunt: nos hîc paucis. Hyacinthus color violaceo est, atque cœlesti similis, qui etiam dicitur Ianthinus, quo succo imbuta lana maximo olim in pretio habebatur. Purpura non vnius est,aut simplicis coloris, quæ aliquid interdum obscurius, & aliquid violaceo simile obiicit, quæ quia piscium quorumdam imbuitur sanguine, quorum ad illud infectorium opus non eadem est vis,ac natura; fit vt neque semper idem sit color,& aliter,atque aliter pro diuersa sanguinis proprietate rubeat. Fuit autem purpura,qua in tingenda lana vtebantur Hebræi,omnium nobilissima,quia à Tyro adducebatur, ciuitate proxima, quæ maximo propter suum nitentem,atque hilarem splendorem,apud omnes gentes habebatur in pretio. Quare qui Tyriam dixit purpuram, nihil potuit in eo genere dicere nobilius. Hæc autem etiam *Sarrana* dicitur, vox quæ ab Hebræa radice originem habuit. Tyrus enim Hebr. צור *Sor* appellatur.

*Vnde purpura dicta Sarrana.*

A Coccus aliud est purpuræ genus, quod tamen non imbuit conchyliorum sanguis, sed granum quoddam arbusculæ, quæ, auctore Plinio lib.16. cap.18.*cusculum* appellatur,cuius in Hispania maxima vis. Coccus autem Græcè κόκκος, granum significat. Hic autem coccus bis dicitur esse tinctus,priùs in vellere antequam lana duceretur in fila;deinde iterum ipsa filamenta,aut textus ipse è prioribus filis. Id porrò vsitatum esse etiam apud alios,probat nomen δίβαφα, seu δίβαφος, quæ vox bis tinctum valet,quam non vulgò homines, sed qui sunt in magistratu, induunt. Byssus genus est lini tenuissimi,cui eximius inest candor. De quo nos in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap.16.*& cinxi te byssо*. Vbi ostendimus,contrà quàm aliqui opinati sunt, candidam esse byssum,& nullo modo rubeam. 49. *Coccus quid.*

B Vers.36. *Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri.*] Hoc atrium sacerdotale est,quod erat adiunctum templo; immò quod suo complexu templum continebat: constructa autem fuisse alia præterea atria,de quibus pluribus egimus in Ezechielem à cap.40.probat illud,*interius*, quod planè indicat alia fuisse atria exteriora. De hoc autem atrio breuiter agit hîc sacer historicus,cùm tamen in eo sint non pauca, quæ & difficultatis habent plurimum,neque indigna sunt spectatu,atque cognitu. Multa hîc de tribus hisce ordinibus dicuntur à multis,quæ hîc referre longum esset. Tantùm dicam singulos ordines non esse spectandos C in singulis lapidibus,ita vt non sit atrij illius altitudo maior,quàm quæ à tribus lapidibus ordinatè positis,& ab vno cedrorum ordine,qui tantumdem occupet spatij, quantum lapis vnus impleri possit. nimis enim esset demissus murus ille,qui interius illud atrium circumfundit, & munit. Neque aut imposita,aut interiecta cedrus satis muro firmitatis adderet. Puto ergo hæc tria significari tabulata,seu contignationes,quibus totidem sunt additæ deambulationes suffultæ columnis, quorum duo primi ordines è lapide sunt pretioso,& egregiè polito: tertius verò è cedro,sicut aliæ quoque columnæ,quæ, sicut ex capite sequente constabit vers.2. è materia cedrina dolatæ sunt. Seu D certè, quod magis probo, ex tribus contignationibus erat ex cedro suprema, cùm inferiores duæ essent ex lapide: ne si etiam foret è lapide, tantum pondus inferiores contignationes sustinere non possent;sicut statim cap.7. vers.3. tabulatis,id est,contignationibus cedrinis,vestita dicitur esse camera Salomoniæ domus. *Et tabulatis cedrinis vestiuit cameram, quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur.* Hebr. *& tecta in cedro desuper super costas.* Tigurina,*contabulatúmque fecit cedrinum supernè*. Id mihi colligere posse videor ex Ezechiele cap.42.vers.3. Vbi idem atrium sacerdotale describitur,vbi tres dicuntur esse porticus tribus cubiculorum ordinibus instructæ, vbi certius cubi- E culorum, seu gazophylaciorum ordo dicitur esse humilior,v.5. *Vbi erant gazophylacia in superioribus humiliora*. Hæc ego timidè non tam affirmo,quàm coniecto, quia res est obscura, neque ab architectonica,cuius sum ignarus,aliquid habere possum subsidij. Hac de re vide nostrum Villalpandum 2. tom. libro quinto capite 9. vbi de hoc loco accurate,& fusè. Mihi satisfuerit ex hisce vepretis vtcunque erepsisse. Qualiscumque sit hic ordo, idem seruauit iterum Salomon dum suam domum ædificaret, vt constat capite sequenti versiculo 12. 50.

Vers.37.

Vers.37. *Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio, & in anno vndecimo mense Bul (ipse est mensis octauus) perfecta est in omni opere suo.* ] Cùm anno Salomonis quarto, mense secundo ædificari cœperit domus domini, & anno eius vndecimo, mense octauo consummata fuerit, consequens est, vt in ea fabrica septem fuerint anni consumpti. Tantum enim temporis inter annum quartum, & vndecimum interiectum est: insuper sex menses, quot sunt à mense secundo, in quo cœptum est opus ad mensem octauum, in quo finitum est. Sed illi sex menses hîc omissi sunt, quia ab anni mensura, id est, à perfecto numero deficiunt. Est enim vsitatum in Scriptura sacra, vt imperfecti numeri, A siue perfectum excedant, siue ab eo deficiant, omittantur, simile omnino habuimus exemplum in Dauide, qui cùm lib.3.Reg.cap.2. v.11. dicatur septem annos regnasse in Hebron: lib.tamen 2. Reg.cap.5.v.15.regnasse traditur annos septem, & menses sex. Hoc itaque spatio tam ampla, atque luculenta templi moles, quàm omnia instrumenta ad sacrum ministerium perfecta sunt. Mensis octauus, qui nostro respondet Octobri, quique aliter appellatur *Marchesuam*, ideo ab Hebræis dicitur *Bul*, vt nonnulli putant, quia tunc solent pluuiæ frequenter contingere, à voce מבול *Mabul*, quæ diluuium significat, à qua etiam notatione à Chaldæis vocatur *Marchesuan*.

# IN CAP. VII. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*CVM Septimo postquam cœpisset anno, domum Dei Salomon absoluisset, aliud opus aggreditur ex eadem, qua superiùs comportata materia è Libano, & egregio opere perfecta. Ædificauit enim vnam sibi domum, & alteram, quam saltum appellauit Libani. Deinde tertiam pro Pharaonis filia, quam vxorem duxerat. Quò verò maiori quadam arte, & opere præclaro varia pro vario templi ministerio conflarentur, aut cuderentur vasa, missus est ab Hiram eximius quidam artifex, cuius in ære cælando, atque fingendo sapiens laudabatur, & solers ingenium. Quod reliquum est capitis, id totum in vasorum, columnarúmque splendore, ac varietate describenda consumitur.*

## CAPVT SEPTIMVM.

1. DOmum autem suam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit.

2. Ædificauit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis: & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.

3. Et tabulatis cedrinis vestiuit totam cameram, quę quadraginta quinque columnis sustentabatur. Vnus autem ordo habebat columnas quindecim. C

4. Contra se inuicem positas,

5. Et è regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, & super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.

6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis: & alteram porticum in facie maioris porticus: & columnas, & epistylia super columnas.

7. Porticum quoque solij, in qua tribunal est, fecit: & texit lignis cedrinis à pauimento vsque ad summitatem.

8. Et domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam vxorem duxerat Salomon) tali ope- B re, quali & hanc porticum.

9. Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quàm extrinsecus serrati erant: à fundamento vsque ad summitatem parietum, & extrinsecus vsque ad atrium maius.

10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem siue octo cubitorum.

11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similitérque de cedro.

12. Et atrium maius rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, & vnius ordinis de dolata cedro: necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus.

13. Misit quoque rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro.

14. Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cùm veniisset ad regem Salomonem, fecit omne opus eius.

15. Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam: & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.

16. Duo quoque capitella fecit, quæ po-

nerentur

nerentur ſuper capita columnarum, fuſilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum:

17. Et quaſi in modum retis, & catenarum ſibi inuicem miro opere contextarum. Vtrumque capitellum columnarum fuſile erat ſeptena verſuum retiacula in capitello vno, & ſeptena retiacula in capitello altero.

18. Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum, vt tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatem, & malogranatorum: eodem modo fecit & capitellō ſecundo.

19. Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.

20. Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum deſuper iuxta menſuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli ſecundi.

21. Et ſtatuit duas columnas in porticu templi; cúmque ſtatuiſſet columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachin: ſimiliter erexit columnam ſecundam, & vocauit nomen eius Booz.

22. Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij poſuit: perfectúmque eſt opus columnarum.

23. Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum à labio vſque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo eius, & reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.

24. Et ſculptura ſubter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines ſculpturarum ſtriatarum erant fuſiles.

25. Et ſtabat ſuper duodecim boues, è quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare ſuper eos deſuper erat: quorum poſteriora vniuerſa intrinſecus latitabant.

26. Groſſitudo autem luteris, trium vnciarum erat: labiúmque eius, quaſi labium calicis, & folium repandi lilij: duo millia batos capiebat.

27. Et fecit decem baſes æneas, quatuor cubitorum longitudinis baſes ſingulas, & quattuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis.

28. Et ipſum opus baſium, interraſile erat: & ſculpturæ inter iuncturas.

29. Et inter coronulas & plectas, leones & boues & cherubim: & in iuncturis ſimiliter deſuper: & ſubter leones & boues, quaſi lora ex ære dependentia.

30. Et quattuor roræ per baſes ſingulas, & axes ærei: & per quattuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles, contra ſe inuicem reſpectantes.

31. Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate: & quod forinſecus apparebat, vnius cubiti erat totum rotundum, paritérque habebat vnum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: & media intercolumnia, quadrata non rotunda.

32. Quattuor quoque rotæ, quæ per quattuor angulos baſis erant, cohærebant ſibi ſubter baſim, vna rota habebat altitudinis cubitum & ſemis.

33. Tales autem rotæ erant, quales ſolent in curru fieri: & axes earum, & radij, & canthi, & modioli, omnia fuſilia.

34. Nam & humeruli illi quattuor per ſingulos angulos baſis vnius, ex ipſa baſi fuſiles & coniuncti erant.

35. In ſummitate autem baſis erat quædam rotunditas dimidij cubiti, ita fabrefacta, vt luter deſuper poſſet imponi, habens cælaturas ſuas, variaſque ſculpturas ex ſemet-ipſa.

36. Sculpſit quoque in tabulatis illis quæ erant ex ære, & in angulis, cherubim, & leones, & palmas, quaſi in ſimilitudinem hominis ſtantis, vt non cælata, ſed appoſita per circuitum viderentur.

37. In hunc modum fecit decem baſes, fuſura vna, & menſura, ſculpturáque conſimili.

58. Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter vnus, erátque quattuor cubitorum: ſingulos quoque luteres per ſingulas, id eſt, decem baſes, poſuit.

39. Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad ſiniſtram: mare autem poſuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem.

40. Fecit ergo Hiram lebetes, & ſcutras, & hamulas, & perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini.

41. Columnas duas, & funiculos capitellorum ſuper capitella columnarum duos: & retiacula duo, vt operirent duos funiculos, qui erant ſuper capita columnarum.

42. Et malogranata quadringinta in duobus retiaculis: duos verſus malogranatorum in retiaculis ſingulis, ad operiendos funiculos capitellorum: qui erant ſuper capita columnarum.

43. Et baſes decem, & luteres decem ſuper baſes.

44. Et mare vnum, & boues duodecim ſubter mare.

45. Et

45. Et lebetes, & scutras, & hamulas: omnia vasa,quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant.

46. In campestri regione Iordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth & Sarthan.

47. Et posuit Salomon omnia vasa:propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.

48. Fecítque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum,& mensam, super quam ponerentur panes propositionis,auream:

49. Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram, contra oraculum,ex auro puro:& quasi lilij flores, & lucernas desuper aureas: & forcipes aureos.

50. Et hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola,& thuribula, de auro purissimo:& cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, & ostiorum domus templi ex auro erant.

51. Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificauerat Dauid pater suus, argentum & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.

---

# IN CAP. VII. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

Vers.1. *Domum autem suam ædificauit Salomon tredecim annis.*]

1. SEPTEM annorum Salomon, & sex mensium in construendo templo operam posuerat, quo iam omninò perfecto animum adiecit, vt sibi regiam domum egregio planè opere, & regia magnificentia moliretur, quod tredecim tandem annis consecutus est. Quare viginti annos in vtraque domo perficienda consumpsit. An verò hoc temporis spatio aliæ quoque domus extructæ fuerint,altera pro Pharaonis filia; altera, quæ à saltu Libani nomen accepit, controuersia est. Abulen.quæst.3. in hoc tempus aliarum quoque domorum constructionem confert,cui subscribit Pineda lib.5.Salomonis præuij cap. 6. qui etiam suspicatur domum Reginæ, & domum saltus Libani non esse ab ampliſſima Regis basilica diuersas, sed varias eiusdem domus partes; sicut in Principum domibus, & videmus modò, & maximè vsitatam fuisse olim audimus.

2. Sanè pro fœminarum habitatione in Principum domibus membrum esse diuersum, & à virorum commoratione separatum. Vnde sicut pars illa domus,vbi viri degunt,ἀνδρεῶν appellatur,sic vbi fœminæ separatim habitant γυναικεῖον. Quare qui vxorem ducunt,pro vxore, comitatúque muliebri certum aliquem secessum in domo interiori designant. Plautus in Mostellaria: *dare vult vxorem filio quantum potest:ad eam rem facere vult nouum gynæceon.*Esse autem pro fœminis ædium aliquam partem separatam,vt omittam profana,Scripturæ sacræ multa docent exempla. Esther cap. 1. seorsum à viris fœminæ discumbunt: & Herodias non eodem, quo Herodes loco conuiuium init in Herodis natalitio die.Iacob diuersum tabernaculum habuit à Rachel, & Lia, Genes. 31. & Sara Gen.24. diuersum tabernaculum dicitur habuisse. Eamdem porrò domum habuisse cum Salomone, Pharaonis filiam, licèt non eamdem domus partem,illud indicat,quod lib.3.Reg.cap. 3. v.1.dicitur de Salomone. *Accepit filiam eius* (Pharaonis) *& adduxit in ciuitatem Dauid, donec compleret domum suam*,id est,domum Salomonis, vt probat pronomen masculini generis. Hæc sententia valde mihi probatur. De domo Libani alia fortasse ratio est. nam licèt in domo regia hortus esse posset, & Christus ad leuandum animos, qui à monte Libano, qui speciosus est, & auræ salubris, nomen accepit. Sicut vsu sæpè euenit, vt locus aliqua proprietate,aut prouentu nobilis suum locis aliis nomen accommodet. Sic Academia,qui locus erat Athenis literis,& literatis illustris, nomen attribuit Ciceronis villæ, vbi de rebus philosophicis disputatio frequens, & locis ad quæ,tamquam ad bonarum disciplinarum emporia fiunt doctorum hominum conuentus. Sic Eurippi dicuntur aquarum omnes sinuosi decursus. Sic Tempe, seu Hesperidum hórti, dicuntur loca, quæ salubris perflat aura, & mirifica florum, aromatúmque suauitas.Ad hunc modum licèt à Salomonis, aut suburbana villa (de quo nihil certum affirmare possum) procul abesset à Libano; tamen nomen sumpsit à Libano,cuius erat nota,&, vt arbitror, prouerbialis amœnitas.

3. *Locus aliqua proprietate nobilis suum aliis locis nomen accõmodat.*

Quia verò de templi structura proximè egerat, ne à proposita materia recederet, aliarum domorum structuram pertexit, quod eo fit opportunè magis,quia inter harum domorum, & templi fabricam nonnulla intercedebat similitudo, quare ex vna ad aliam difficilis non fuit migratio. Hæc porrò fabrica,illiúsque minuta descriptio ad versum vsque 13.producitur.Inde alia traduntur plurima, quæ tametsi ad templi fabricam, & corpus non pertineant; pertinent tamen ad varia sacrorum, templíque ministeria. In his posterioribus explicandis aliquam nos operam ponemus.Priora verò,quę nihil aliud continent;quam constructionem,& formam profanæ domus, prorsus omittemus,quia nihil occurrit firmum, in quo acquiescat animus,neque illi,qui ad studij contentionem, atque ingenij perspicacem aciem aliquid etiam artis attulerunt, sibi omninò in sua cogitatione satisfaciunt. Neque nobis plus placebunt nostra, vbi multum, diúque sudauerimus, quàm placent aliena:non quia non accurata, & acuta, & fortasse vera, sed quia pro nostri ingenij imbecillitate non assequemur. Informare sanè aliquam imaginem facilè est:illam autem cum textu commetiri difficile.

4.

Vers.13. *Misit quoque Rex Salomon,& tulit Hiram*

5.

Fœmina seorsum habitabant à viris.

*ram de Tyro filium mulieris viduæ de tribu Nephthali patre Tyrio.* ] Sicut tempore Moysis fuit insignis quidam artifex nomine Beseleel, Exod. 31. qui omnia instrumenta, & vasa, pro multiplici templi ministerio conflauit, perfecitque; sic hoc tempore insignis fuit artifex nomine Hiram ex Tyrio patre, & Israelitide genitrice natus, cuius in ære conflando, cudendo, atque informando mira erat dexteritas. Hunc Salomonem euocauit è Tyro, vbi paternos habuit natales, & vbi artem illam nobilem didicerat, cuius opera illa perfecit, quæ nunc pluribus autor numerando, & describendo persequitur. Circa hunc Hiram, qui commune nomen habuit cum Rege Tyri est aliquid, quod hîc obseruato opus est, quia hoc loco natus esse dicitur patre Tyrio, & matre Israelitide de tribu Nephthalim. Sed lib. 2. Paral. cap. 2. Hiram Rex Tyri, Tyrium fatetur esse parentem; matrem verò ex tribu Dan prognatam esse dicit. *Misi*, inquit, *tibi virum, &c. filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius.* Variè à variis hæc duo loca conciliantur. Ego nullum alium modum inuenio meliorem; quàm errasse Tyri Regem in assignando Israelitico genere. Neque nouum est, vt alieni, quibus fides non debetur canonica, in historia sacra frequenter erient, quorum verba Scriptura refert, non probat. Vt pluribus docuimus lib. 1. cap. 4. num. 11. ad illud v. 8. *Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.*

6. Vers. 15. *Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam.* ] Multus est historicus sacer in describendis duabus columnis æreis, quæ in templi vestibulo Salomon statui iussit, quarum alteram appellauit Iachim, quæ idem valet, quod firmitas, alteram Booz, quæ robur sonat. Hæ decem, & octo cubitos habebant altitudinis, quibus cubitorum quinque impositum est capitellum. Idem docet Ieremias capite 52. versiculo 21. vbi has columnas ablatas esse dicit à Chaldæo, vbi eamdem mensuram esse tradit, addítque intrinsecus esse concauas, & illarum grossitudinem digitorum esse quatuor. Illarum circumferentiam, seu ambitum Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 2. duodecim cubitorum esse dicit. & sanè id indicat non obscurè locus hic, in quo nunc versamur versiculo 15. *Et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.* Quòd verò hîc non sint intelligendæ duæ columnæ simul, sed quæuis seorsum, facilè intelligitur ex Ieremia suprà, qui locum hunc iisdem penè verbis expressit. *Decem, & octo altitudinis cubiti erant in columna vna, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam.* Ita Abulens. quæst. 8. Vatablus, Caietanus, Ribera libro secundo de templo capite 14. Est autem linea seu funiculus, non aliquod columnarum ornamentum, qualis, v.g. fascia, spira, sed mensura, quæ vt totam columnam perisphyriam amplectatur, necesse est haberet duodecim cubitos longitudinis. Vnde facilè constat quanta sit columnæ crassities, cùm diameter columnæ quatuor sit cubitorum, quia hic duodecim horum cubitorum tertia pars. Neque hîc laboro an iuxta architectonicen hæc sit apta, atque legitima columnarum symmetria. Neque enim hæ aliquod præstant columnarum officium, cùm nullum sustineant pondus, neque illarum capitella eius sint figuræ, quæ magnam aliquam molem sustentare possint: dicuntur autem columnæ, quia moles sunt, quæ sursum attolluntur, longæ magis, quàm latæ. Quomodo complura alia, quæ magis à columnarum lege, atque mensura recedunt, columnæ nihilominus appellantur. Sic millies legis columnam ignis, & columnam nubis in Exodo, & in Numeris: columna fumi Iudic. 20. versiculo 38. Neque video, licet in duabus hisce molibus columnarum ad leges architectonicas non fuerit seruata symmetria, quo alio nomine potuerint significari commodiùs.

Sed est huic sententiæ aliquid difficile à lib. 2. Paralipomenôn capite 3. versiculo 15. vbi hæ columnæ triginta quinque cubitos altitudinis habere dicuntur. Quidam fatentur quidem columnas esse cubitorum 18. si tantùm scapum, qui propriè dicitur columna, consideres: at si his annumeres capitella, epistylia, basis, lilia, & si quid aliud ad columnarum ornatum adhiberi solet, facilè 35. cubitorum mensuram impleri. Ita Abulen. quæst. 8. Caietanus, Villalp. tom. 2. lib. 3. cap. 48. Sed sanè Paralipomenôn cap. illo 3. post trigintaquinque cubitos, alij quinque pro capitellis cubiti numerantur. 7.

Mihi placet magis quod visum est Vatablo, & Riberæ suprà, & Marianæ in lib. 2. capite 3. Paralipomenôn, qui putant eo loco non vnius columnæ separatim, sed vtriusque simul notari longitudinem. nam si decem & octo cubitos duplices, triginta sex efficies. Sed est adhuc dubium, quia in lib. 2. Paralipomenôn non triginta sex, sed triginta quinque numerâtur cubiti. Vatablus sic nodũ hũc dissoluit, fuisse quidem in vtraque columna cubitos triginta sex; ideo autem dici triginta quinque, quia cubitus dimidius in illarum qualibet videri non poterat. Ego aliter puto nodum istum expediri posse faciliùs. Atque ideo repetendum puto id, quod aliis pluribus in locis obseruaui. Primùm imperfectos numeros in Scriptura sacra interdum omitti, interdum adhiberi pro perfectis. Cuius rei duo in hoc capite habemus exempla. Alterum in principio, vbi consumpti dicuntur in ædificando templo septem anni, cùm tamen alij sex menses illis annumerandi sint; sunt tamen omissi, quia ille imperfectus numerus annum non implebat. Alterum versiculo 42. vbi malogranata quadringenta in duobus retiaculis esse dicuntur centena vtique in singulis granatorum versibus, qui singula retiacula cingebant; & tamen Ierem. capite 52. versiculo 2. quilibet malogranatos ordo, nonaginta sex dicitur habuisse. Sic ergo cùm quælibet illarum columnarum tantùm haberet cubitos septemdecim, & dimidium, libri 3. Regum scriptor dimidium illum integrum reddidit, & 18. cubitos habuisse tradidit, sicut etiam nunc in quolibet ordine centum dixit esse malogranata, cùm tamen ex illo numero quatuor defuissent. 8.

Obseruandum item in Paralipomenis quædam addi, quæ in libris Regum omissa sunt, quædam explicari magis, quæ tradita videbantur obscuriùs. Verè dictum est ex Scripturæ sacræ, & omnium penè gentium consuetudine (quæ in numerando non putat exigui numeri habendam esse rationem) in qualibet columna duodeviginti fuisse cubitos; sed quia si rem exactiùs ad amussim explores, dimidius ab eo numero cubitus deficit, illud explicuit magis scriptor Paralipomenôn, cùm in duabus columnis non 35. sed 36. cubitos numerari tradidit. 9. *In Paralipomenôn libris quædam additur, quædam explicantur, quæ in libris Regum fuerũt omissa, vel obscura.*

Vers. 16. *Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære.* ] Describit exactè capitella, in quibus plurimum erat artis, & ingenij. Hîc duo habes in extremo columnarum fastigio, capitella videlicet, & capita. capita sunt quæ aliter vocari possent epistylia, quæ ideo sic 10.

appellan-

appellantur, quia ſummam ſcapi partem proximè contingunt. Capitellum hîc moles eſt rotunda in ſphæræ modum,quæ totum opus conſummat, & complet,& epiſtyliis inſidet, vtrumque coniungitur Paral.c.4.v.12.*Fecit columnas duas,& epiſtylia,& capita,& quaſi quædam retiacula, quæ capita tegerent ſuper epiſtylia.* Erant autem capitella ex ære fuſili, id eſt,opere conflatorio perfecta. Hiſpanica tranſlatio *Vaziadiſos.*

11. Verſ.17. *Quaſi in modum retis, & catenarum ſibi inuicem miro ordine contextarum.*] Duorum capitellorum altitudo quinque erat cubitorum: illorum autem ars,& elegantia mirabilis.Tegebantur enim quibuſdam reſticulis reticulato,& concatenato opere, quæ miro inter ſe ordine complicabantur. lib.2.Paral.cap.3.v.16.ſimili arte,ac modo conſertæ dicuntur,& ornatæ reſticulæ, quo in oraculo, id eſt,in parte domus interiori.*Nec non & quaſi catenulas in oraculo,*id eſt,quæ ſunt in oraculo. (nam ibi relatiuum ſubauditur, quod eſt Hebræis familiare.)Ex quo loco diſcimus qualis eſſet interioris domus textus,& ornatus.

12. *Septena verſuum retiacula in capitello vno.* ] Hîc miri ſunt interpretes, qui variè informant hunc capitellorum ordinem,& ornatum. Quidam hæc retiacula ſeparata eſſe putant à capitellis, & non tam educta, atque expreſſa ex capitellorum ære, quaſi illius propria, & continens pars, quàm extrinſecus allata,&eo modo capitellis appoſita,quo humano capiti contextum è ſerico, aut aureo filo reticulũ imponitur,qua ſimilitudine vtitur Theodoretus q.22.*Poſuit comam quamdam retiformem appenſam habentia mala punica.*Alij è ſolido capitellorum ære eductas eſſe putant,illas ſiue reſticulas,ſiue lineas, & in illarum areolis incluſas eſſe putãt, aut ſuſpenſas illarum rerum imagines, quæ capitella diſtingunt, & exornant, lilia puta, malogranata,& ſi qua alia ſunt illius egregij operis argumenta.Ad vtrumque patet litera, tu de re, vt voles,ſtatue,me non inuito;quia nihil in vtraque sẽtentia diſtortum eſſe video, neque in reipſa quocunque ſumatur modo,video eſſe multum diſcriminis.Eò tamen magis inclinat aſſenſio, vt retiacula ſeparata eſſe à capitello credam, & tamquam aliquid alienum,appoſita magis,quàm ex illo educta,ſeu nata.Quod ideo mihi perſuadeo,quia ſæpe retiacula ſuper capitellum impoſita eſſe lego; immò ab illis capitella tegi.hoc c.v.18.& v.42.& l.4 c.28.vbi capitellum trium cubitorum eſſe dicitur,. cùm alibi ſæpe quinque habuiſſe cubitos dicatur; quia nimirum impoſita retiacula,quæ aliquid erãt à capitello diuerſum,duos habuere cubitos, cùm verſus retiaculorum hoc loco circulus quidã, ſeu potiùs ſpira videri poſſit,qui capitellum ambit;nõ tamen ita,vt circuli finis cum ipſius principio cõiũgatur,ſed deflectatur modicè,quomodo ſol ſuos in cœlo circulos deſcribit:tamẽ potiùs credo perfectum eſſe circulum,qui duplicata linea,ſeu funiculo, eóque in reticuli modo implicato capitella circumdat.Erant autem ſeptem illi duplicati,catenatíque verſus,ex quibus quadraginta pendebant malogranata,de quibus poſtea.Hæc autem pẽdere dicuntur apud Ierem.c.52.v.23.vbi duas hoſce columnas & malogranatorum modum,& numerum latè deſcribit. *Et fuerunt,*inquit,*malogranata nonaginta ſex dependentia.*modò à retiaculis circumdata, vt eodem loco, *Et omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur.*modò interpoſita,2.Paral.c.3. v.16.*Malogranata etiam centum, quæ catenulis interpoſuit.*Quæ ſit horum nominum ratio, ſuis poſtea locis commodiùs explicabimus.

*Gaſp.Sanctij Com.in lib.Reg.*

A Verſ.18. *Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum, vt tegerent capitella,quæ erant ſuper ſummitatem malorum granatorum.*] Duo dicuntur ordines retiaculorum,quia duæ reſticulæ variè in ſeipſis contortæ,& implicatæ ſeptenis verſibus interiora capitella cingebant,tegebántque.qui duo reticulati ordines erant ſuper illa malogranata, quæ ex ipſis pendebant, quia id rerum natura fert,vt quod ab alio pendet,inferius ſit.quemadmodum fructus ramis plerumque ſubeſt,à quibus naſcitur,& pendet.

Verſ.19. *Capitella autem,quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant in porticum quatuor cubitorum.* ] Hæc capitella,quæ capitibus inſidebant columnarum,illa ſunt,quæ à retiaculis in medio ipſorum complexu claudebantur:illa verò B fabricata dicuntur opere lilij, quia in illis variæ liliorum,& aliorum florum,quæ liliorum nomine continentur, erant expreſſæ formæ, inter quas eminebant,quaſi in eo opere præcipua,malogranata. 13.

*In porticum quatuor cubitorum.*]Hîc mirè inter ſe diſſident interpretes:quorum tamen nemo in ſua ſibi cogitatione ſatisfacit. Ego, qui hinc auolare ſtudeo,cùm alios, qui hac in re multa intelligunt magis,hærere videã; non laboro quid alij ſentiãt, quia neque probare poſſum omnia, neque aliorũ cogitata refellere iucundum eſt. Illud mihi non omnino diſplicet,ſi, quod alij ſentiunt, capitella, de quibus hîc ſermo eſt,quinis conſtarent cubitis; C malogranatis vnum ex illis occupari cubitũ,atque ideo quatuor cubitos eſſe reliquos,qui liliis,atque floribus ornarentur: tunc autem hic eſſet ſenſus. Quatuor cubiti capitellorũ,quæ in porticũ,id eſt, in porticus ornatum erant ſculpta, liliis ornabantur,& floribus.Sed,vt diximus ſuprà,ex c.45.lib.4. Regum,capitellum illud interius tres tantùm cubitos numerabat. 14.

Sed erit hæc cogitatio minùs difficilis, ſi in interiori ſphærula, ſeu capitello quinque cubitos numeres,ita tamen vt illos ad exterius capitellũ, id eſt,ad retiaculorum longitudinem referas; ita vt partes illæ minores, quæ maioribus ſuperioris capitelli directè reſpondent, tot dicantur eſſe cubitorum,quot partes ſuperiores habuere.quemad- D modum,licèt terra cœlorum ambitu multo ſit inferior;tot tamen dicitur habere gradus, quot cœlum.Et huic ego cogitationi magis adhæreo, tum quia hæc ſpecies capitello plurimum affert venuſtatis,tum quia alia multa reddit non obſcura,aut difficilia,quæ alioqui plurimum videbantur difficultatis habitura.Neq; enim intelligi poteſt quomodo duo retiacula,id eſt,duo retiaculorum ordines,ſeu verſus, totidem in capitello tegerent, ex quibus illa dependerent malogranata, niſi illa in medio capitelli, aut retiaculi ſuperioris collocentur,ita vt vtrinque duo maneant cubiti,quo occupãt ex ſeptenis verſibus, ſeu ordinibus tres vtrinque verſus.Porrò duos eſſe funiculos,ſeu reſticula E in medio interioris capitelli, habemus hoc ipſo loco,& infrà clariùs v.41. 15.

Alij ſupra columnæ ſcapum tria conſtituunt capitella,vnum,quod vocari epiſtyliũ poteſt,quod extremam occupat ſcapi ſedem, quod aliorũ duorũ ſedes,& fundamẽtum eſt.Huic proximè inſidet capitellũ aliud interius, quod triũ videtur habere cubitorũ longitudinẽ,tertiũ reticulatũ,quod aliud in ſuo cohibet cõplexu,neque illius abſcõdit pulchritudinẽ,cũ per frequẽtes faneſtellas,ſeu catenatos annulos,quidquid intus operis,& ornamẽtorũ eſt,facilè pateat.Horũ triũ capitellorum meminit 16.

hic locus: nam v.19. dicuntur esse *capitella super capita columnarum.* & v.20. *rursus alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensuram columnæ.* Deinde aliud addit capitellum, dum ait, *contra retiacula,* id est, è regione retiaculorum, siue retiaculis correspondens, & meo iudicio clariùs lib.2. Paral. cap.4.v.12. *Compleuit columnas duas, & epistylia, & capita, quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia,* id est, quæ erant super epistylia. Epistylium illud, quod columnam definit, & capitellum excipit, quatuor esse existimatur cubitorum, quod liliorum opere fabricatum est. & cùm alia mihi cogitatio non displiceat; hæc tamen placet multo magis, & ad hanc, quod reliquum est capitis, non inuitus attempero.

18. Vers.20. *Et rursus alia capitella in summitate columnarũ desuper iuxta mensuram columnæ.*] Super illa, quæ proximè appellauimus epistylia, quæ erat in summa scapi parte sculpta liliorum, aliorúmque florum cælata forma, erant alia capitella iuxta mensuram columnæ, id est, ea crassitudine, quam habuit columna, quatuor nimirum cubitorum, vt diximus suprà, tantum enim habuit profunditatis columna, quam duodecim cubitorum cingebat linea.

19. *Contra retiacula.*] Ex aduerso retiaculorum, quia mutuò se respiciebant vel sita, vel sculpturæ ordine, quia sic erant in inferiori illo capitello ornamẽta disposita, vt per reticulati capitelli fenestras spectari possent, seu ad illum modum, quo partes eius, quod in loco est, loci partibus singulæ correspondere solent. Sunt autem retiacula septem illi ordines, seu versus, qui annulato, seu laqueato opere conserti sunt, qui interius capitellum circumdant, & cohibent, quíque quinos habent longitudinis cubitos.

20. *Malogranatorũ autẽ ducẽti ordines erant in circuitu capitelli secundi.*] Capitellum secũdũ idem est, quod reticulatum: in duobus autem ordinibus, seu versibus, qui vnum in suo capitello cubitum implebãt, erant ducentæ areolæ, vel annuli, in quibus totidẽ pendebant malogranata: cúmque duo essent retiaculorum versus, in singulis erãt malogranata centum, atque ideo in quolibet capitello duarum columnarum ducenta, & in duobus simul quadringenta, de quibus infrà v.42. *Duos versus malorũ granatorum in retiaculis singulis.* & Ierem.c.5.v.23. *Omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur.* id est, centena quæque malogranata, quot videlicet erant in quolibet ordine, seu versu: *retiaculis,* id est, retiaculorum annulis, seu fenestellis, claudebãtur. Quomodo etiam l.2. Paral.c.3.v.16. centena malogranata catenulis, id est, catenularum annulis dicuntur interposita, quia medios illarum annulos implebant. *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.*

21. Vers.21. *Et statuit duas columnas in porticu tẽpli.*] Locum designat, pro quo exornãdo duæ illæ egregiæ, & mira varietate constructæ moles destinatæ sunt. Templi enim porticus, siue vestibulum, qui à laicis etiã hominibus videri poterat, sua pulchritudine ostẽdebat illis, quibus domus Dei interiora videre non erat à lege, & consuetudine, cõcessũ; qualisnã interioribus inesset pulchritudo, qualis ars, & pretium. Tãta porrò erat columnarum maiestas, vt nõ vno in loco à Scriptura sacra, sed multis sint accuratè descriptæ. Nomina autem illarum satis explicant, quanta earum fuerit fortitudo, & firmitas. Dextera enim vocata fuit Iachim, quasi fundata, seu firmata ad stabilitatem; altera Booz quasi in ipsa sit fortitudo.

Vers.22. *Et super capita columnarum opus in modũ lilij.*] Hìc nihil aliud intelligo, quàm toti colũnarũ fabricæ additam esse coronidem. Hæc autem fuit lilij figura, siue in vasculo aliquo, vt nunc in lautiorum domorum fastigiis fieri videmus: siue certè flos ipse nudus, quasi ex ipso pullulet columnæ fastigio: & hoc fortasse potiùs. Vtrumque facer ipse textus admittit, vtrumque probabile: neque multum interest hoc ne, an illo modo capias. 22.

Vers.23. *Fecit quoque mare fusile decem cubitorũ à labio vsque ad labium.*] Porticus, seu vestibulũ tẽpli proximũ erat sacerdotali atrio, atque ideo statim, atque de domo Dei, ac porticu actum est, ad atriũ sacerdotale progreditur historia. In quo pro sacrificiorum ministerio varia conflata sunt instrumẽta, & vasa. Primum describitur vas quoddã ingẽs, quod quia ex ære totum in magnã amplitudinem cõflatum est, dictum est mare æneum. Quod sic est ab historico sacro descriptum luculenter, & clarè, vt non magnopere interpretis operam desideret. Quare de figura illius parcè agemus: de materia habemus 2.Reg.c.8. *De Bete, & de Beroth ciuitatibus Aderazer tulit Rex Dauid æs multum nimis, de quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo, & mare æneum, & columnas & altare.* Quod æris genus maiori, quã aurum habitum fuisse in pretio, docet Ioscphus l.7.antiq.c.8. qua id fide tradat, ipse viderit. Sanè ipse videre non potuit æneũ illud mare, quod Chaldæi multo antè sustulerant, confregerántque. 23. *Mare æneũ.*

Fuerat autem in Moysis tabernaculo pro mari hoc æneo, labrum ex ære Exo.48.v.8. *Fecit & labrũ æneũ cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabãt in ostio tabernaculi,* De hoc labro, déque his speculis varia est interpretum cogitatio. quidã putãt ex ipsis speculis, æreis nimirum, conflatum esse labrum. Nam ex ære specula fieri, & docet Plinius l.33.c.9. & l.34.c.17. & nos etiam videmus. Cùm igitur fœminæ omnem ambitiosi cultus curam abiecissent, quia magis de colendo Deo, quàm de colẽda facie laborabãt, specula sua dicarunt Deo, quia illum. & illius legẽ pro speculo habere voluerũt, vt ex illis conflaretur illud labrum, quod sacerdotes purificaret, & sacra. Sicut olim fecere Israelitides fœminæ, quæ libenter aureis se spoliauere deliciis, vt ex illis aureus formaretur vitulus, cui diuinos postea honores impenderent, Exod.32. Sic etiã nunc fœminæ meliore mẽte specula Deo ad piũ illud ministerium conflãt, id nempe, quod antea forsã magis illis erat in pretio. Sed alio fortasse modo labrũ illud ex fœminarum speculis conflatum est æneũ; Est hoc valde verisimile bonas illas fœminas vendidisse specula, & ad labri illius piam fabricã pretium illorum contulisse; sicut alij sub id tempus ad sacram tabernaculi supellectilem pro sua quique facultate contulerunt. De quibus Exod.35.v.21. *Quidquid ad cultum, & ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, armillas, & inaures, annulos, & dexteralia, omne vas aureum in donaria Domini separatum est.* 24. *Mare æneũ quomodo factum ex speculis mulierum.*

Vsus illius labri, & postea maris ænei fuit, qui Exod.c.30.v.19. proponitur. *Et missa aqua lauabant in eo Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerãt in eo thymiama Domino, ne forte moriãtur.* Vbi Latinus *in eo,* Heb. est ממנו *mimenu,* id est, ex eo, vt frequẽtes aliæ trãslationes habent. Neq; enim decebat, vt in vas illud, quod mũdum maximè esse oportebat, immitterentur pedes. Educebatur igitur à labro aqua per fistulam, quæ in sacerdotum manus, ac pedes defluebat. Et quo optimè infertur nudos sacerdotes habuisse 25. *Maris æneivsus.* *Sacerdotes nudis pedib. tabernaculũ ingressi.*

habuisse pedes,cùm ingrederentur tabernaculum. Quid enim pedes abluerent, si inducenda postea forent calceamenta?

26. *Marij ænei magnitudo.* De magnitudine,atque figura illud tantùm dicam,diametrum,id est,lineam,quæ quod est spatij inter vtramque,labium dimetitur, decem esse cubitorum,ex quo sequitur ambitum, qui diametrũ triplicat,cubitos habuisse triginta.Neque planum esse, aut acutum labium, sed incuruatum modicè, atque repandum ad lilij similitudinem, cuius se folia molliter inflectunt. Altitudo illius siue profunditas quinque patebat cubitis. Porrò inter labia,& funiculum,siue restículam,quæ tã erat longa,vt totũ illud mare circumdaret (erat enim cubitorum triginta,quãtus erat in eo mari circuitus) Erant duo ordines anaglyphorũ,qui in eo genere sculpturæ exornabãt mare,quo domus Dei parietes ornatos esse diximus. Qui tamen non totum ambiebant mare,sed decem cubitos,tertiam nimirùm illius partem,quod hîc significatur apertè, & explicatur magis l.2.Paral.c.4.v.3. *Funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius. Similitudo quoque boum erat subter illud,& decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus aluum maris circuibant.* Ex quibus verbis constat ad aluum vsque

27. *Marij ænei ornamenta.* duos illos anaglyphorũ ordines esse protensos, & restículã,siue funiculum, de quo suprà per mediũ ipsum ænei maris aluum,seu ventrem esse circumductum.In duobus autem anaglyphorum ordinibus inter alia plurima sculpturæ signa,atque emblemata,boum quoque erãt expressa signa,ab illis omnino bobus diuersa, quæ subtus totam maris molem sustinere finguntur.Illi porrò boues,quorũ humeris vastum illud põdus insidere fingitur,numero erant duodecim,quorum terni quique facies ad quatuor mundi regiones habuere conuersas. Crassitudo vasis trium eratvnciarum,seu,vt habes l.2.Paral.vnius palmi, labium erat ad modum lilij repandi,quomodo nuper expositimus. Hæc mihi maris ænei descriptio non est visa difficilis, alij pluribus,& fortasse multo melius.Tu illos,si plus habes curiosi otij,consule.Mihi,qui hinc quoquomodo emigrare studeo,plus fortasse operæ sumpsisse video.Illi porrò ordines duo,qui variis excolebantur cælaturis,ideo,vt arbitror,tertiam tãtùm maris occupabant partem, id est, decem cubitos, quia illi solùm è tota mole videri poterant, quia spectabant aream sacerdotalis atrij;alia verò quia spectabant introrsus,neque erant obiecta aliorum oculis, non indigebat varia illa, atque eleganti cælatura.

28. *Decẽ luteres, & eorũ ornatus.* Vers,27. *Et fecit decem vasa æneos.* ] Aliud iam opus aggreditur præcedenti proximè non admodum dissimile:cùm enim Deus tam in sacrificiis, quàm in sacerdotibus munditiam desideret, non solùm æneum esse voluit mare, quod sacerdotes, sed etiam luteres,qui victimas abluebant. Quare decem voluit esse luteres,qui 2.Paralip,cap.4. vocantur conchæ.Qui,vt ipsum nomen non obscurè docet,latam habuere formam,magis quàm profundam;quales in phialis videmus, quarum bases fuerunt longè pulcherrimæ, in quibus describendis multus est historicus sacer, quorum latitudo, &longitudo omninò æquales erant:quatuor enim habuerunt cubitos: altitudo verò vno minor cubito.Hæc quod ad magnitudinem attinet.

29. *Interrasile opus quod.* Vers.28. *Et ipsum opus basium interrasile erat, & sculpturæ inter iuncturas.*]Ornatum iam aggreditur, & anaglyphen.opus illud dicitur interrasile, quod ita sculptum est,vt aliquid in eo planum sit,& rasum, & inter ea,quæ eiusmodi sunt aliquæ emineant cælatæ rerum formæ;veluti si in tabula, seu abaco emblemata, aut liliatum exprimatur opus, in quibus vides aliquid planũ de tabula,& aliquid asperum artificis cælo elaboratum. Plinius hoc opus suo tempore in marmore vidit,& reprehendit lib.35.c.1. *Interrasso marmore vermiculatis ad effigies rerum,& animalium crustis.*& l.12.c.19.coronas dicit auro rasili inclusas: coronæ autem sunt ornamenta illa,maximè ex florum imaginibus,quæ extãt è plano.Ait ergo in aureis tabulis coronas fuisse è cinnamomo inclusas. Erant igitur in basium frontibus quidam abaci,seu tabulæ.Hispani *tableros*,aut *entrepannos* appellant, inter iuncturas, seu clausuras,quas nõ commodè limbos appelles;Hispanè *guarniciones*.In quibus opere interrasili sic exprimuntur variæ rerum imagines, vt tabulæ ipsæ certis quibusdam interuallis appareant.Erant autẽ expressæ leonum,boum,& cherubinorum effigies, quas iuncturæ,id est,limbi quidam sic claudebant, continebántque,quasi aliquid vnum cum ipsis esse viderentur.

Vers.29.*Et inter coronulas,& plectas,leones,& boues,& cherubin.* ] Coronæ dicuntur illæ quasi fasciæ,& limbi,quæ abacos concludunt,& continẽt, quæ plectæ etiam vocari possunt, cum variis aut intexuntur floribus,aut lineis,& loris laqueantur; quales videntur fuisse illæ, quibus Machabæi faciem ornauerunt templi, quã hostes antea deformarant.Machab.1.c.4.v.57. *ornauerunt faciem templi coronis aureis,& scutulis.* Sunt autem plectæ restes quædã,seu fasciæ è palma,seu iunco,aut sparto contextæ, aut ex alia quauis vili materia, ex quibus canistra,aut sportæ,aut similia vasa conficiuntur,à verbo πλέκω,quod *necto* significat,& *plico*.Vnde Græci πλεκτὴν σειρὰν interpretantur,id est, catenam.Hispani *pleitas* dicunt. Erunt igitur hoc loco *plectæ* coronæ ex variis consertæ floribus,atque herbis,qui in illustribus domus,atque operis alicuius partibus exprimuntur, quas Latini plexas dicunt,seu nexas coronas,aut sutiles,seu nexiles flores. Plectarum meminit Cassianus collat. 18.cap.15.quas ab Ægyptiis *siras* vocari tradit. 30. *Corona quid.* *Plectæ quid.*

*Et in iuncturis similiter desuper.*] Sicut in tabulis mediis leones erant,& boues, & cherubin,sic etiã in iuncturis,id est,in fasciis illis, aut limbis, quæ medias tabulas, seu abacos claudebant, sua quoque spectabantur ornamenta,leones nimirum,boues,& cherubin.Ex eo vero loco,vbi illa visebantur emblemata, nimirum ex media tabula, fasciæ quædam demittebãtur,ac teniæ in lori similitudinem, sicut alia omnia ex ære conflata. Sic enim explico illud, *Et subter leones, & boues quasi lora ex ære dependentia.* Leones autem, & boues cùm sint tam in tabula media, quàm in superiori fascia, vtrisque,non repugnante textu, subesse videri possunt dependentia lora. Superioribus quidem,quia pars illa extrema sic ornatur dependentibus loris, sicut fasciæ nunc in pretiosis stragulis, aureis liciis, aut aliis speciosis floccis fimbriantur. & hoc mihi potius. Si autem mediis bobus, & leonibus subsint,*lora* pro iuncturis sunt, quia lori hoc proprium est, vt liget, & vinciat. Dicuntur autem dependere, aut descendere, quia id proprium est eorum, quæ inferiorem obtinent locum. Neque hæc mihi explicatio displicet; minùs tamen superior. 31.

Vers.30.*Et quatuor rotæ per bases singulas, & axes ærei.* ] sicut æneo mari suppositi boues ingentem illam molem sustinere videbantur; sic nunc his basibus, atque luteribus rotæ subiiciuntur ex ære cum suis etiam axibus ex eadem materia, 32.

materia,quasi luteres illi impositi sint plaustro,cui similes videri possunt illæ, quæ dicuntur bases, quibus proximè insident luteres, seu conchæ, de quibus statim.

33. *Et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles,contra se inuicem respectantes.*] Ex quatuor angulis prominentiæ quædam attollebantur, quasi columellæ,in quas impositæ suprà conchæ,seu luteres incumberent, quas nunc scriptor sacer humerulos vocat.Quia sicut humeri ferendis oneribus,sic illæ eminentiæ erant sustinendis luteribus idoneæ. Hæ autem erant ex ære fusili, quæ se vicissim respectabant, id est, quæ aliis aliæ directò opponebantur altrinsecùs. Iosephus lib. 8. cap.2. *Angulos autem supernè continebant fusiles humeri manuum extensarum. His imposita erat spira, cui labrum inserebatur,ita vt manibus sustineri videretur.Qua parte effigies leonum, & aquilarum sic erant adaptatæ, vt connatas putares, interuenientibus inter eas palmarum arbusculis.*

34. Vers.31. *Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate.*]Erat in summa basi sinus quidam,& cauitas,quam luter impositus impleret, quem non malè videtur descripsisse proximè Iosephus, in spira,seu circulo, qui non aliter excipit, & includit luterem,quàm pala gemmam. Hanc iterum v. 35.ita describit: *In summitate basis erat quædam rotunditas dimidij cubiti ita fabrefacta, vt luter desuper possit imponi.* Cùm autem luter altitudinis haberet cubitum & dimidium, dimidius cubitus in ea cauitate includebatur,& latebat; & cubitus vnus eminebat à sinu,&extabat extrorsus.

35. *In angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant, & media intercolumnia quadrata non rotunda.*] Proximè est luterem rotundam habuisse speciem, neque dubium,quin sinus,qui illum excipiebat, rotundam quoque figuram habuerit; nihilominus spatium illud,quod erat inter columnas, seu humerulos,in quos luter videbatur incumbere, non erat rotundum,sed quadratum, & tam columnas ipsas,quàm intercolumnia,id est, spatia columnis intercepta,variis erant cælaturis illustria.Ego hæc accipio de spatiis, quæ humeruli, seu columnæ media complectuntur; quæ nos appellare possemus tabulas,aut abacos, sicut illa,quæ nuper cælata diximus,boum,& cherubinorum effigies. Hîc autem aliquid additur, quod sanè in aliis tabulis non videbatur omittendum; neque illud adhibetur,quod in superioribus tabulis erat expressum, quod si hîc quoque foret expressum, scriptor sacer non tacuisset. Ait enim infrà v. 36. tam in angulis, quàm in tabula media præter cherubin, & leones,& palmas nouo quodam artificio,ac modo fuisse efformatas.Nam cherubin(de his enim hæc tantùm accipio, licèt in alia omnia non incommodè caderent) in similitudinem stantis hominis sic effinguntur,vt non coniuncti tabulæ,sed ab illa prorsus separari videantur.

36. Mihi,tibi, sibi, *sæpe apud Hebræos paragogica.* Vers.32.*Quatuor quoque rotæ.*]Rotæ illæ,de quibus suprà,ad quatuor angulos basis infimæ suberant, quibus erat semicubitalis altitudo.Hæ porrò dicuntur sibi cohærere; non quia seipsas mutuò cõtingerent,quia id omnino foret & indecorũ,& cõtra rotarum naturã,quas ars debuit exprimere, cùm coniunctæ rotæ conuolui non possent circulari motu,sed quia, iuxta Hebraici sermonis proprietatem,illud *sibi* paragogicũ est, neque aliquid addit ad significationem. Quomodo dicimus *veni tibi,surge tibi*,& similia,quæ nihil valent aliud,quã *veni,& surge.*Vide quæ diximus in nostris cõmentariis super Cãtica ad illud c.1.*Siignoras te.*Cohęrebant itaque super basim rotæ,id est,erãt basi ipsi coniunctæ,ita vt cum basi corpus vnum efficerẽt, & cùm expressam haberent ad viuum rotarũ formam,ita vt non facilè discerneres à veris,cum suis modiolis,& canthis, & alio quouis ad volubilem motum apparatu:moueri tamen non poterãt, quia alligatæ,& quasi connatæ basibus, & cum illis simul ex eodem ære,atque opere conflatæ. Cætera ad v.37.iam à nobis explicata sunt.

Vers.37. *In hunc modum fecit decem bases.*]Ad hãc formam, & eodem artificio conflauit decem bases,quarum tãta erat in singulis,minutisque rebus similitudo, vt qui vnam viderit, omnes omninò nouerit. 37.

Vers.38. *Fecit quoque decem luteres æneos.*] Quot erant bases,tot etiã fuere luteres,quorum illæ gratia conflatæ fuerant, de quorum altitudine nihil dicit, quia v.31.dixerat fuisse sex qui cubitalem; nunc quatuor cubitorum esse dicit, nempe quoad longitudinem, quæ in circulari corpore eadẽ est, quæ latitudo:ea porrò est,quam à labio ad labium linea diametralis metitur,quorum ea erat cauitas, & amplitudo, vt quilibet illorum caperet bases quadraginta. 38.

Vers.39.*Et constituit decem bases,quinque ad dexteram partem templi.*] Non erant luteres in templo, sed in atrio sacerdotali,ad dexteram tamen, atque sinistram templi partem dicuntur çonstituti, quia dextra illius,vel sinistra latera respiciunt.Mare autem æneum illam sacerdotalis atrij regionem occupauit,quæ Orientem spectat ad Australe tabernaculi latus. 39.

Vers.40.*Fecit quoque Hiram,lebetes, & scutras, & hamulas,& perfecit omne opus.*]Lib.2.Paral.c.4.v.16. alia numerantur instrumenta, & vasa, quæ ad varios sacrificiorum vsus erãt necessaria,creagræ videlicet,& Phialæ.Sunt autem lebetes vasa, in quibus victimarum coquebantur carnes,vt ollæ,chytrapodes. Scutra genus est vasis profundi,&circularis. Vnde scutella diminutiua forma deriuatur. Hamula vas est ad ferendam aquam,seu vinum,cuius erat vsus in sacrificiis,alij amulam dicunt sine aspiratione;Latini vocant vrceolum,quales videri possunt illi,quibus ad sacrum Missæ aquam,& vinum ministramus.Hebr.מזרק *Mizrac* à radice,quę spargere significat:vnde vas videtur esse sparsoriũ, non tam ad continendam,quàm effundendã aquã, quod erat in re sacrificali frequens.Translatio Hispanica *Regaderas* vertit.Creagra vncinus est, seu tridens,quo, vt ipsa Græci nominis notatio indicat,ex olla,seu lebete carnes extrahuntur. Phiala vas erat latum, & amplum ad excipiendum victimarum sanguinem. 40. Lebes, scutra, & hamula *quid.*

Vers.42. *Columnas duas*,&c.] Hæc omnia vsque ad versum 46. suprà à nobis explicata sunt: neque enim hîc aliquid habemus aliud, quàm rursus reuocata,quæ hoc ipso capite fuerant tradita,atque explicata fusiùs. Tãtùm additur ad finẽ v.45.omnia quæ ad sacros vsus templi fuerant ab Hiram magno artifice fabricata,fuisse ex aurichalco.Alia enim quæ ex argento,& auro conflata, seu cælata fuerunt, ab aliis videntur artificibus fuisse elaborata.Cùm hæc eadẽ repetuntur l.2.Paral.c.4. v.16. hæc omnia vasa facta esse dicuntur ex ære mũdissimo.Vbi notandum obiter hoc c.4.l.2.Paral.Hirã patrẽ appellari Salomonis.*Omnia*,inquit,*vasa fecit Salomoni Hirã pater eius in domo Domini ex ære mundissimo.*Et paulo antè c.2.v.13.Pater etiã appellatur Hirã Regis Tyri.*Misi*,inquit Rex Tyri,*virum prudentem,& scientissimum patrem meum.* Id aurem non fit contra idiomatis Hebraici consuetudinem, iuxta 41. *Pater dicitur ille, qui in aliquo genere princeps,& magister est.*

iuxta quod ille nominatur pater, qui in aliquo genere princeps, & magister est, quémque in aliquo opere præstando alij ducem, & auctorem, aut magistrum sequuntur. Sic Ioseph. Gen. 45. v. 8. patrem se appellat Pharaonis, quia illi in re frumentaria ducem se præbuit, & auctorem. *Dei voluntate huc missus sum, qui feci me quasi patrem Salomonis.* Et lib. 4. Reg. cap. 16. v. 12. Rex Israel Elisæum prophetam patrem appellauit. Et iterum ab alio Rege Israel pater est appellatus cap. 13. v. 14. Et Iabael Gen. cap. 4. v. 20. pater fuisse dicitur habitantium in tentoriis, id est, qui modum illum viuendi rudioribus illis sæculis ostendit. & ibidem cap. 21. Frater eius Iubal eamdem ob causam pater vocatur canentium in cithara, & organo. Vide quæ diximus lib. 1. cap. 10. v. 12. ad illud, *Et quis pater eorũ?* cùm ergo hîc Hiram, & Regi Tyri sibi cognomini priùs, & deinde Salomoni in cudendo, atque conflando ære dux, & magister fuerit, iure optimo iuxta illius regionis, & temporis consuetudinem illorum pater appellari potuit.

42. Vers. 24. *In campestri regione Iordanis fudit ea Rex in argillosa terra.* ] Qui aliquid opere fusorio ex ære conflare vult, ex terra tenaci, atque argillosa formas sibi fingit, quæ ęs iam liquatum igne informet, atque fingat. Sed ingentia vasa, aut moles, quales sunt grandia ex ære campano cymbala, tormenta muralia, æreæ columnæ, & talia vasa, qualia hîc pro Salomonis templo conflauit Hiram, nisi in defossa terra fundi non possunt. Quare qui ex ære fusili magnum aliquod opus moliuntur, non satis habent ex tenaci creta formas fingere, sed illas etiam infodiunt, & argillosa terra circumfundunt, ne vis æris colliquefacta disrumpat formas, quod facilè contingeret, nisi circumfusa terra esset eiusmodi, vt potius igne ad firmitatem duresceret, quàm solueretur, & in rimas dehisceret.

43. Vers. 47. *Propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.* ] subit hîc illud Claudiani Paneg. 3. Stilph. quo maxima significatur argenti copia.

*----Si solueret ignis,*
*Quas dedit immanes vili pro pondere massas,*
*Argenti potuere lacus, & flumina fundi.*

44. Vers. 48. *Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis auream.* ] Sicut opera, quæ fuerunt in sacerdotum atriis, fuerunt ex ære, aut aurichalco, sic quæ in domo Domini tam in exteriori, quàm in interiori conclaui, fuerunt ex auro. Primum altare, quod thymiamatis appellatur, quia in illo quotidie varia cremebantur aromata; quod ideo etiam Lucæ cap. 1. altare dicitur incensi, & à Græcis θυμιατήριον, & à nonnullis thuribulum. De hac enim mensa accipiunt illud ad Hebr. cap. 9. v. 4. *Aureum habes thuribulum.* De hoc altari habet Exod. 30. vbi multus illius vsus, & forma describitur. De quo nos pluribus in cap. 41. Ezechielis. Neque de illius materia, ac forma aliquid nobis hîc dicendum, cùm ex supradictis locis satis fusè, ac manifestè constet. Dubitat Abulen. c. 6. q. 17. an altare thymiamatis illud idem fuerit in Salomonis templo, quod fuerat priùs in tabernaculo positum à Moyse? an verò fuerit totum à Salomone perfectum, & ab illo diuersum? Vbi statuit altare, quod fabricatum est à Moyse, inter alios domus sacræ thesauros, esse repositum, & aliud à Salomone constructum, vbi de more quotidie cremarentur aromata. Quod ideo probat, quia altare Salomonis erat è cedro: altare verò Moysis de ligno settim. Adde quòd illud Mosaicum altare intra Sancta Sanctorum videtur inclusum: sic enim indicat Paulus ad Hebr. 9. v. 1. *Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam.* Et hic locus non obscurè docet, vbi fecisse dicitur Salomon altare aureum. & lib. 1. Paralipom. cap. 28. vers. 18. pro altari illo dicitur aurum relictum à Dauide. *Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit.* Cum Abulensi sentiunt plerique interpretum, Lyra 3. Regum cap. 7. Barradas tom. 2. lib. 3. cap. 19. Villalpandus in cap. 41. Ezechielis. Pineda in Salomone præuio lib. 5. cap. 23. Petrus Comestor, dum ait altare Mosaicum in Sanctis Sanctorum, id est, in domo interiori fuisse seruatum; cùm tamen constet in exteriori esse altare thymiamatis. Oppositum tenet Azorius tom. 1. lib. 6. cap. 46. & Ribera lib. 2. de templo cap. 8. qui aliorum rationibus non omninò malè respondet. Neque mihi posteriorum cogitatio displicet, neque deerat quod præterea ad aliorum fundamenta afferri posset non infirmum. Sed placet magis prior, communiórque sententia, quæ diuersum facit Mosaicum altare ab eo, quod fuit Salomonis opera constructum, & modus dicendi Scripturæ in illam cogitationem multo magis propendet. De hoc altari latè Ribera lib. 2. de templo cap. 8.

*Altare thymiamatis nõ idem in tabernaculo, & templo Salomonis.*

*Et mensam, super quam ponerentur panes propositionis.* ] De hac mensa satis actum est copiosè, & apertè Exod. cap. 25. Quod ad materiam spectat erat ex lignis Settim, & aureis tegebatur laminis. Quod ad formam, erat duobus cubitis longa, lata vno, alta vno, ac se misse, quæ ad superiorem partem duplicata corona cingebatur, vtraque aurea, illius vsus erat, vt in ea panes collocarentur propositionis, duodecim videlicet, seni in duobus ordinibus digesti; quibus duæ imponebantur phialæ thure plenæ, quæ & panes continerent, & illi panum propositioni aliquid præterea venustatis adderent. 45.

Tempore Moysis vna tantùm fuit mensa, sicut vnum etiam candelabrum: in templo verò decuplo fuere plures, sicut etiam candelabra. Vt enim tabernaculum erat angustius, & ex vno in alium locum quotidie transmutabile, non oportuit tot onerari rebus, quas neque loci caperent angustiæ, neque commodè possent Leuitarum humeris portari. At cùm templum esset longè capacius, neque aliò illius vasa, atque instrumenta transferenda, esse hæc potuerunt & plura numero, & pondere grauiora. Hæc porrò ex præcepto patris; imò veriùs ex præcepto Domini, à quo Dauid templi formam, & singularum rerum modum, atque numerum accepit, à Salomone comparata, atque perfecta sunt. 1. Paral. cap. 28. v. 19. Postquam instrumenta omnia, & quæ ad templi ministeria, atque ornatum pertinent, numerauit, dixit Dauid Salomoni filio, *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* & ibidem v. 16. de Dauide dicitur, *Aurum quoque dedit (Salomoni) in mensas propositionis pro diuersitate mensarum.* Quas numero decem conflauit Salomon 2. Paral. 4. v. 8. *Fecit mensas decem, & posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris.* Neque illas vacuas à panibus esse voluit, quemadmodum vnam mensam, quæ ad illud vsque tempus tantùm in tabernaculo fuerat, nullus dies vacuam vidit à panibus. Ibidem. versiculo 19. *Fecitque Salomon mensas, & super eas panes propositionis.* Hîc porrò per synecdochem vna ponitur mensa pro septem. 46. *In tẽplo plura cãdelabra, & mẽsæ propositionis quàm in tabernaculo.*

47. *Panis propositionis quare sic dictus.* Panis propositionis ideo dicitur, quia ibi semper erant propositi palàm, neque licebat illud oblationis genus vnquam omitti. Qui Hebraicè dicuntur panes facierum, quia ante faciem erant Domini, nimirum ante portam interioris domus, vbi Deus præcipuè quodammodo in propitiatorio, & in cherubinorum medio sedebat.

48. *Candelabra decem à Salomone conflata, & totidem mẽsæ propositionis.* Vers.49. *Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, quinque ad sinistram contra oraculũ ex auro puro.*] In tabernaculo Moysis vnum tantùm fuit candelabrum, quod optimè Exod.cap.25.a v.31. Neque adhoc vsque tempus plura fuerunt in tabernaculo candelabra, vt docet aut indicat illud lib.1.Reg.c.3.v.3. *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Si quãdo verò sub illud tempus plures dicuntur in tabernaculo fuisse lucernæ, non plura dicuntur esse candelabra, sed quia septem in candelabro lucernæ sculpebantur, in plurali significantur numero. Quomodo illæ lucernæ noctu tantùm lucerent, & sub auroram extinguerentur, diximus ad locum lib.1.Reg. de quo proximè. At Salomon sicut decem pro panibus propositionis conflauit mensas, cùm priùs esset vna; sic modò ad similitudinem Mosaici candelabri decem conflauit candelabra, quorum singula septem instruxit lucernis, quæ temporibus à lege constitutis arderent. Hæc porrò candelabra contra oraculum posuit, & ex oraculi, nempe regione, quæ medium amplectebantur altare thymiamatis.

49. *Et quasi lilij flores.*] His verbis intelligimus hæc candelabra ad Mosaici similitudinem fuisse perfecta. Et licèt liliorum hîc tantùm audiatur nomẽ; tamen non est incredibile habuisse quoque calamos, & scyphos, & sphærulas, quæ omnia ex candelabri stipite, siue hastili procederent. Id sanè indicat illud 2.lib.Paralip. cap.4.v.7. *Fecit autem & candelabra aurea decem secundùm speciem, qua iussa erant fieri*, nempe Moysi. Neque enim si alia esset à Deo candelabrorum forma tradita Dauidi, illam Scriptura sacra tacuisset, quæ aliorum instrumentorum partes tam minutè persecuta est.

Vers.50. *Et forcipes aureos, & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola.*] Hæc instrumenta varios habent vsus in templi ministerio; quia tamen obscurum est quid propriè voces Hebraicæ significent, difficile quoque est nosse quis proprius sit illorum vsus. Neque alij interpretes in harum vocum significatione conueniunt: imò neque eodem modo semper vulgatus interpres aliqua conuertit. Nam יעים *iahhim*, quòd suprà conuertit *scrutas*, alibi conuertit *forcipes, tridentes, trullas*, & מזרקות *mizracoth*, quod suprà v.40. reddidit *hamulas*, hîc vertit *phialas*, & מלקחים *malcachim*, quod modò *fuscinulas*, interdum *forcipes*, interdum *emunctoria* reddit Hieronymus. Quid Latinæ voces valeant, non obscurum, vbi Vulgatus *mortariola*, Hebr. est כפות *caphoth* quæ vox volam significat manus, aut concauam manum, à quo nomen sumpsit vas quoddam concauum, & paruum, quod alij modo acetabutum, modò cochleare conuertunt.

*Et cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, & ostiorum domus templi ex auro erant.*] Hebr. פות *poth* concauum illud propriè significat, in quo innititur portarum stimulus, & cum illæ simul voluuntur portæ. Ex quo ad rem minùs honestam ducitur metaphora. Quidam ampliùs existimant patere vocabulum, & pro eo sumi quod continet, & conuertit fores, quales vectebræ, chelonia, ac tandem vectes, & portarum claustra. Hispanica translatio *Aldauas* transtulit. 50.

Vers.51. *Et intulit quæ sanctificauerat Dauid pater suus, argentum, & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.*] Cùm tantum ex omni metallorum genere in templi fabricam, & ornatum impendisset Salomon; plus tamen fuerat relictum, & in religiosos vsus à Dauide religioso Principe destinatum, partim in impolita, & rudi, partim in facta, cælatáque materia. Cùm ergo & quod reliquum fuerat sanctificatum esse, & templo iam antè à patre destinatũ, noluit illud Salomon ad suos, id est, profanos vsus conuertere, sed in templi thesauris prouidè, ac religiosè reposuit, vt si aliquando res sacra humanis commodis indigeret, paratum haberet, vnde sumeret. 51.

# IN CAP. VIII. LIB. II. REGVM

## ARGVMENTVM.

*CVM eò res esset deducta, vt in templo recenter ædificato legitimè, & pro dignitate obiri possent sacra ministeria; statuit Salomon ex ciuitate Dauid, vbi illam pater antè locauerat, in nouam ædem religiosa, ac celebri pompa arcam traducere. Quod vt maiori cum dignitate, ac religione fieret, vndecunque terrarum, quæ ipsius potestati suberant, populum adesse iussit, qui vt diem illum, & locum obiret, non inuitus accurrit. Cumque iam arca in suum sibi secessum, id est, in Sancta Sanctorum esset illata, subita quædam nebula domum impleuit. Quod Salomon diuinæ esse præsentiæ signum cognouit, habuit fixis humi genibus orationem longam, cuius hæc fuere summa capita. Agendas esse gratias Deo, quòd ibi, repudiatis aliis locis, suo tandem nomini templum ædificari voluerit, & à se præcipuo quodam iure, cuius Deus opera vti voluit ad excitandum illud tam illustre sacrarium. Deinde orat, vt quod Dauidi antea non semel promisit de stabilienda in sua domo regni hæreditate perpetuò, hoc etiam eo die iterata promissione confirmet. Tandem orat vt intentos habeat oculos, & faciles aures ad illorum preces, & vota, qui in eo loco diuinam clementiam implorare, & beneficium aliquod exorare voluerint. Deinde varias hominum necessitates, & infortunia commemorat, quæ homines ad Deum recurrere, & clamare compellet, quæ vt Dominus à*

*suo*

*suo populo depellat, & postulata propitius largiatur, orat. Tandem conuersus ad populum bene illi precatus est, hortatusque, vt vere Deo, atque ex animo seruiãt. Cúmque atrium sanctificasset templi, & plures immolasset victimas, ac septemdialem solemnitatem peregisset, dimisit populum gratum, & lætum, quòd Deus Dauidicam domum, & gentem Israelitidem tam esset beneuolè, atque liberaliter amplexus,*

## CAPVT SEPTIMVM.

1. TVnc congregati sunt omnes maiores natu Israel cum pincipibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israel, ad regẽ Salomonem in Ierusalem: vt deferrent arcam fœderis Domini, de ciuitate Dauid, id est, de Sion.

2. Conuenítque ad regem Salomonem vniuersus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus.

3. Venerúntque cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam sacerdotes:

4. Et portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea sacerdotes & Leuitæ.

5. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oues & boues absque æstimatione & numero.

6. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas cherubim.

7. Si quidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam & vectes eius desuper.

8. Cúmque eminerent vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuariũ ante oraculum, non apparebant vltrà extrinsecus, qui & fuerunt ibi vsque in præsentem diem.

9. In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cùm egrederentur de terra Ægypti.

10. Factum est autem, cùm exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini.

11. Et non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini:

12. Tunc ait Salomon: Dominus dixit vt habitaret in nebula.

13. Ædificans ædificaui domũ in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.

14. Conuertítque rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israel: omnis enim ecclesia Israel stabat.

15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit, dicens:

16. A die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non legi ciuitatem de vniuersis tribubus Israel, vt ædificaretur domus, & esset nomen meum ibi: sed elegi Dauid, vt esset super populum meum Israel.

17. Voluítque Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel:

18. Et ait Dominus ad Dauid patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans.

19. Veruntamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

20. Confirmauit Dominus sermonem suum, quem locutus est: stetíque pro Dauid patre meo, & sedi super thronum Israel: sicut locutus est Dominus: & ædificaui domum nomini Domini Dei Israel.

21. Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de Terra Ægypti.

22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cælum.

23. Et ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cœlo desuper, & super terram deorsum: qui custodis pactum & misericordiam seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.

24. Qui custodisti seruo tuo Dauid patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, & manibus perfecisti, vt hæc dies probat.

25. Nunc igitur Domine Deus Israel, conserua famulo tuo Dauid patri meo quæ locutus es ei: dicens, Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filij tui viam suam, vt ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo.

26. Et nunc Domine Deus Israel, firmentur verba tua, quæ locutus es seruo suo Dauid patri meo.

27. Ergóne putandum est quòd ve-

rè Deus habitet super terram? si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui?

28. Sed respice ad orationem serui tui,& ad preces eius, Domine Deus meus: audi hymnum, & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie.

29. Vt sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die:super domum, de qua dixisti:Erit nomen meum ibi:vt exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te seruus tuus.

30. Vt exaudias deprecationem serui tui & populi tui Israel,quodcumque orauerint in loco isto;& exaudiens in loco habitaculi tui in cœlo, & cùm exaudieris, propitius eris.

31. Si peccauerit homo in proximum suum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adstrictus: & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam,

32. Tu exaudies in cælo: & facies,& iudicabis seruos tuos condemnans impium, & reddens viam suam,super caput eius, iustificánsque iustum, & retribuens ei secundum iustitiam suam.

33. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos(quia peccaturus est tibi)& agentes pœnitentiam,& confitentes nomini tuo venerint, & orauerint, & deprecati te fuerint in domo hac;

34. Exaudi in cælo,& dimitte peccatum populi tui Israel, & reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum.

35. Si clausum fuerit cælum,& non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto,pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionem suam.

36. Exaudi eos in cælo, & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israel: & ostende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

37. Fames si obortа fuerit in terra,aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta,vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obsidens, omnis plaga, vniuersa infirmitas,

38. Cuncta deuoratio, & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel: si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac,

39. Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ,& repropitiaberis,& facies vt des vnicuique secundùm omnes vias suas,sicut videris cor eius(quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.)

40. Vt timeant te cunctis diebus quibus viuunt super faciem terræ,quam dedisti patribus nostris.

41. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israel,cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis,& brachium tuum,

42. Extentum vbique,)cùm venerit ergo, & orauerit in hoc loco,

43. Tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena: vt discant vniuersi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, & probent quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc,quam ædificaui.

44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos,per viam,quo cumque miseris eos,orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum quam ædificaui nomini tuo,

45. Et exaudies in cælo orationes eorum,& preces eorum,& facies iudicium eorum.

46. Quòd si peccauerint tibi (non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum longè vel propè,

47. Et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captiuitatis, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua, dicentes: Peccauimus, iniquè egimus, impiè gessimus:

48. Et reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint: & orauerint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis quam elegisti, & templi quod ædificaui nomini tuo;

49. Exaudies in cælo,in firmamento solij tui, orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum:

50. Et propitiaberis populo tuo,qui peccauit tibi,& omnibus iniquitatibus eorum, quibus præuaricati sunt in te:& dabis misericordiam coram eis qui eos captiuos habuerint,vt misereantur eis.

51. Populus enim tuus est, & hæreditas tua,quos eduxisti de Terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ.

52. Vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui, & populi tui Israel, & exaudias eos in vniuersis pro quibus inuocauerint te.

53. Tu enim separasti eos tibi in hæreditа

ditatem de vniuersis populis terræ, sicut locutus es per Moysen seruum tuum, quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine Deus.

54. Factum est autem, cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.

55. Stetit ergo, & benedixit omni Ecclesiæ Israel voce magna, dicens:

56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta omnia quæ locutus est; non ceciderit ne vnus quidem sermo ex omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen seruum suum.

57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proiiciens.

58. Sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis viis eius, & custodiamus mandata eius, & ceremonias eius, & iudicia quæcumque mandauit patribus nostris.

59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, vt faciat iudicium seruo suo, & populo suo Israel per singulos dies.

60. Vt sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, & non est vltrà absque eo.

61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, vt ambulemus, in decretis eius, & custodiamus mandata eius, sicut & hodie.

62. Igitur rex, & omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino.

63. Mactauítque Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino boum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia: & dedicauerunt templum Domini rex & filij Israel.

64. In die illa sanctificauit rex medium atrij, quod erat ante domum Domini, fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum, quoniam altare æreũ, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum.

65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Israel cum eo: multitudo magna ab introitu Emath vsque ad Riuum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus & septem diebus, id est, quatuordecim diebus.

66. Et in die octaua dimisit populos: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israel populo suo.

---

# IN CAP. VIII. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

Vers. 1. *Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israel cùm Principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israel.*]

1. QVEMADMODVM cùm Dauid transferre voluit arcam in suam ciuitatem, id est, in arcem Sion, in qua illi ad breue aliquod tempus domicilium erexerat; congregauit electos è populo ad triginta millia, lib. 2. Reg. cap. 2. Sic etiam Salomon ad parentis exemplum electos accersiuit Israel, vt cũ maiori celebritate, ac gloria templum recens à se excitatum dedicaret Domino, & arcam in illud cum dignitate traduceret. In primis aduocauit maiores natu; quibus ætas, & cani, & multarum rerum experientia, & vsus conciliare possent autoritatem. Item Principes tribuum: hi verò sunt duodecim, pro tribuum numero. Sicut enim hoc nostro æuo nobi-
2. lium familiarum Principes quidam sunt, qui illius familiæ, ac generis capita dicuntur; sic etiam duodecim tribuum totidem à Deo designata sunt capita, qui tribuum suarum nomen, & causam sustinerent, & illas in seipsis, quoad eius fieri posset repræsentarent. De quibus sic Deus ad Moysem Numer. cap. 1. v. 4. *Erunt vobiscum Principes tribuũ, ac domorum in cognationibus suis, quorum ista sunt nomina: de Ruben, Elisur filius Sedeur. De Simeon, Salamiel filius Suris adai. De Iuda, Nahasson filius Aminadab.* & sic de reliquis. Quod deinde repetit c. 2. Horum autem primogeniti parentum loco suarum tribuum Principes dicebantur, & capita. Vt autem duodecim tribuum totidem numerabantur Principes, sic etiam aliarum familiarum, quas alij Patriarcharum filij propagarunt, sui quoque duces, & capita fuerunt. Hos olim conuocauit Moyses cùm dedicare voluit tabernaculum Numer. c. 7. qui suo, & suorum nomine in tabernaculi sũptus munera obtulerunt quàm potuere maxima. Ad Moysis, opinor, imitationem Dauid, & Salomon Principes aduocarunt familiarum, & tribuum, ille ad tabernaculum, hic ad templum, quod magna religione, ac sumptu vterque construxerat.

Vers. 2. *Conuenitque ad Regem Salomoni vniuersus Israel in mense Ethanim, in solemni die.*] Pro mense Ethanim lib. 2. Par. c. 15. habet, *In die solemni mensis septimi.* Hic porrò mensis noster September est, Hebræorum à captiuitate Babylonica Tisri: in 3.

quo

quo cum multa sint festa, vt constat ex Hebræorum Calendario; illud tamen est celeberrimum quod *tabernaculorum* à Latinis, à Græcis *scenopegia* vocatur, id est, tabernaculorum fixio. De quo Leuit. c.23.v.34. *Quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino.* Hoc porrò festum erat trium illorum vnum, ad quæ omne masculinum venire iubetur singulis annis ad locum, quem Dominus elegerit: cúmque tunc elegisset Ierusalem, ad Ierusalem vtique venire lex iubet. Sic Deut. c.16.v.16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.*

4. Eo tempore non solum Principes tribuum, & familiarum duces, sed etiam alij omnes è masculino sexu iuxta legis præscriptum venturi erãt ad decimum quintum diem septimi mensis in tabernaculum; nimirum ad Gabaon, vbi tunc erat, vt constat 2.Par.c.1.v.3. cùm autem eò venturus esset de more populus, edixit Salomon tribuum, populíque Principibus absolutum iam esse templũ, & in illud transferendam arcam; quare curarent pro sua quisque parte, vt quod facturi essent populi in Gabaon, id facerent in Ierusalem, vbi templum iam erat, id est, stabile Domini tabernaculum; vbi obire possent solemnem illum diem designatum à lege, & interesse templi dedicationi. Quod illi edictum susceperunt libenter, & quod in mandatis acceperant tam ipsi, quàm vniuersi de populo præstiterunt. Fuisse porrò ante Ægyptium tempus quædam mensium, imò fortasse omnium mensium nomina, quorum aliqua sub hoc tempus adhuc erant in vsu, diximus supra c.6. in principio. Mensis autem septimus ideo creditur dictus Ethanim, id est, fortium, quia eo mense fortes sunt, atque maturi fructus; aut quia in eo mense, si posteriora sæcula intuearis, multa fuerunt, & celeberrima festa, quæ, si quidpiam aliud, fortitudinis nomen addere temporibus potuerunt.

5. Vers. 3. *Venerúntque cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam sacerdotes, & portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa tabernaculi, quæ erant in tabernaculo.*] Cùm ergo senes, & cum illis magni populorum conuentus confluxissent, ex arce Sion sacerdotalibus humeris ad nouum templum arca translata est, & cum ipsa tabernaculum fœderis, & cum illo instrumenta omnia, quorum erat in tabernaculo sacer, & quotidianus vsus, quæ vt in tabernaculo prius, sic etiam postea in templo seruierunt. Quod autem fuerit tabernaculum illud, quod nunc in templum dicitur fuisse translatum, non est omnino certum. Quidam Dauidicum esse putant, alij Mosaicum, quod sub id tempus erat in Gabaon. Plerique eo inclinant, vt putent tabernaculum esse Mosaicum ita Iosephus lib.8. antiq.c.2. Ribera lib.1. de templo c.2. Serarius hoc loco. Abul.2. Par.c.15.q.15. neque huius sententiæ rationes sunt infirmæ. Prima, quia illud tabernaculum dicitur fœderis, quod nomen de tabernaculo Moysis sæpius auditur. Neque illud *fœderis* additum esset ab scriptore sacro, nisi ea nota distinguendum esset ab aliis. Adde quòd Dauid pro arca nullum compegit mobile tabernaculum, sed domum, in qua sub pellibus collocauit arcam. Sic enim Dauid ipse lib.2.Reg.cap.7. v.2. ad Nathan, *Vides quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium.* & clarius lib.1. Par. c.15.v.1. *Fecit quoque sibi domos in ciuitate Dauid, & ædificauit locum arcæ Dei, & tetendit ei tabernaculum.* Vbi tabernaculum nó videtur compactum è tabulis, sed contextum è pellibus: tabulæ enim non tenduntur, sed pelles. Quod si arca Dei in ciuitate Dauid foret in tabernaculo, quod transferri posset, eo translato, non erat cur in domo Dauid habitare non sineret Pharaonis filiam, quã ideo in aliã domum migrare fecit, ne domum inhabitaret ab arcæ conspectu sanctificatam Paral. lib.2.c.8.v.11. *Non habitabit* (ait Salomon) *uxor mea in domo Dauid Regis Israel, eo quod sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.* Neque aliter puto fuisse arcam in domo Dauid, quàm fuerat priùs in domo Abinadab in Cariathiarim, & postea in domo Obededon, nisi quòd domus Dauid erat ornatior. Neque tam esset Ieremias sollicitus de subducendo Chaldæorum furori tabernaculo quod cum arca in spelunca quadam seruari voluit nisi illud tot sæculis esset sanctificatum ab arca, & tanto in honore ab Israelitis semper habitum. De quo vide lib.2. Mach. c.2. Inductum est igitur in templum tabernaculum Moysis, in eóque religiosè seruatum in aliquo loco penitiori, donec à Ieremia inde sublatum est, & exemptum Chaldæorum imperio.

Hoc porrò tabernaculum variis temporibus varia subinde loca permutauit. Primùm, quandiu filiorum Israel peregrinatio durauit, nullum habuit locum, in quo certam haberet sedem; vbi verò subacta terra Israelitarum habitationi promissa, ad tempus vsque Samuelis stationem habuit firmam, & suam in Silo, in Ephraimitide videlicet sorte, Iosue c.18. Postea traductum fuit in Nobe eo fortasse tempore, quo capta fuit arca, vt putant Augustinus, Euthymius, & recentiores quidam ad illud Psal. 77. *& repulit tabernaculum Silo.* Fuit autem in Nobe, quo tempore Dauid, vt Saulis declinaret furorem, in Palæstinam profectus est. Non longè inde migrauit in Gabaon, vt habes lib.2. Paral. cap.1. Ac tandem ex Gabaon in templum, donec à Chaldæis excisum est, & inde ad speluncam, de qua Machab. lib.2. cap.2. Quid deinde actum fuerit de tabernaculo, nihil certum habemus.

6. Vers. 5. *Et immolabant oues, & boues absque æstimatione, & numero.*] Quo modo, atque ordine immolatæ fuerint innumerabiles hæ victimæ, non constat. Illud certum, in ipsa pompa, atque traductione arcæ vim illam tantam victimarum fuisse consumptam. Sic enim proximè. *Omnis multitudo Israel, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo* (Salomone) *ante arcam, & immolabant oues, & boues,* &c. Quare credo eum in sacrificando Salomonem seruasse modum, quem aliis pater in transferẽda arca ex domo Obededon antè præscripserat lib.2.c.6.v.13. nempe vt ad sextum quemque passum bos immolaretur, & aries. *Cúmque transcendissent, qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabãt bouem, & arietem.* Lubet hic adiicere quod tradit Iosephus lib.8.c.2. de hac arcæ solemni traductione. *Accesserunt*, inquit, *illò, cum victimis tam Rex quam populus, ac Leuitæ libaminibus, ac hostiarum sanguine viam perfundentes, & infinitam vim odoramentorum adolentes & vt circumquaque totus aër suauitate repletus etiam longè remotis sentiretur, constanti omniũ opinione aduentare Deum ad inhabitandum recens extructum, & dedicatum sibi locum: nam neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus lassitudo est obortа, donec ad templum peruenirent.*

Vers. 6. *Intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sancto-*

*Tabernaculum Mosaicum trãslatum in tẽplum.*

*In arcæ traductione nullus defessus, quãuis labor maximus.*

*sanctorum, subter alas cherubin.* ] Hæc obscura non sunt: tantùm enim docent, quem in locum fuerit arca fœderis illata, in secessum nimirum interiorem, qui Sancta sanctorum dicitur: in locum illum, quem duo cherubin ex oleagino ligno à Salomone fabricati alis obumbrabant. Illud hîc notandum ex hoc loco argumentum aliquod deduci ad illius sententiæ fidem, quæ dicebat aliquod in domo interiori esse altare, id est, excelsum aliquem locum, cui insideret arca, quam alij in ipso oraculi solo putant esse locatam, qua de re suprà c.6. ad v. 20. Nam antequam arca in Sancta sanctorum esset illata, certus aliquis locus illius esse dicitur, quem locum cherubinorum alæ desuper tegebant, obumbrabántque, vbi statim aliquid occurrit eminentius, cui insistant, & supra quod alas suas expandant cherubini.

Vers. 7. *Si quidem cherubin expandebant alas su-*
8. *per locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes eius desuper.* ] De alis cherubin diximus c. 6. à versu 23. Nunc verò videndum an hi solùm cherubini fuerint in templo Salomonis cum arca; vel etiam fuerint alij duo, quos minori quidem mole, ex auro tamen solido conflauit Moyses? Qui alio quodam modo tegebant, mediámque videbantur arcam amplecti expansis alis; non tamen ita vt parietes attingerent extremæ pennæ, sed vt alterius extremæ alterius extremas alas contingerent, & se vicissim, & subiectam arcam simul intuerentur. Communis est sententia quatuor arcæ adesse cherubinos, duos affixos, quos Moyses arte conflarat, quique ab arca separari non poterant, quia in vnum cum illa corpus coaluerant, duos tantùm assistentes, & ab arca sepositos, quos à Salomone fabricatos esse diximus. Hi duo Salomonij orientem solem spectabant secundùm arcæ longitudinem, & tam arcam, quàm duos alios cherubinos Mosaicos inferiores habebant, & pansis obumbrabant alis. Mosaici verò cherubini ad Aquilonarem, & Australem plagas conuersi vtrique lateri secundùm latitudinem adhærebant. Ita Abulensis Exod. c. 18. q. 25. Beda de templo c. 13. Ribera lib. 2. de templo cap. 7. Villalpandus tom. 2. in cap. 4. Ezechielis. Quod mihi etiam valde placet: neque enim est verisimile Mosaicos cherubinos ab arca Mosaica, cum qua vnum omnino corpus effecerant, à Salomone fuisse reuulsos.

*Et vectes eius desuper.* ] De vectibus, aut perticis
9. oblongis, quibus arca à sacerdotibus portabatur, habes Exod. c. 2. à v. 12. *Facies quoque vectes de lignis settim, & operies eos auro: inducésque per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis, qui semper erũt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.* Ex quo colliges, neque vnquam ab arca vectes esse sublatos, neque à Salomone postea ex annulis eximi debuisse. Addit Iosephus secundum arcæ longitudinem, infixos esse annulos, & vectes traiectos lib. 3. ant. c. 6. *Ex vtroque*, inquit, *longiori latere inerant annuli aurei Duo totum lignum penetrantes: & per eos vectes aurati vtrinque traiecti, vt quoties opus esset vtrinque transportari posset, neque à iumentis vehebatur, sed sacerdotum humeris transferebatur.*

Vers. 8. *Cumque eminerent vectes, & apparerent*
10. *summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant vltrà extrinsecus, qui & fuerunt ibi vsque in præsentem diem.* ] Hic locus nonnihil est implexus, qui in varias cogitationes adduxit interpretes; & oritur grauior inde difficultas, & labor. Nam tabernaculum Mosaicum templo Salomonio, domo nimirum Dei, quæ in sancta diuiditur, & Sancta sanctorum duplo erat angustius, (vt ex mensuris constat, quas habemus Exod. c. 26. sanè Iosephus lib. 3. antiq. c. 5. longum esse dicit triginta cubitos, latum duodecim.) Neque ex arca, quæ suam sibi sedem habebat in oraculo, iuxta diuinum præceptum vectes vnquam extrahebantur. Nunc autem oraculum longè capacius non videtur arcam cum vectibus capere potuisse; alioqui non diceretur vectium summitas extra Sanctuarium apparere.

Rab. Salomon citatus à Lyra, tam longos fuisse dicit vectes, vt illorum capita, quæ directò ad 11
portas ferebantur oraculi, ab his, qui exteriùs erant, videri potuerint; non tamen nuda, sed interposito velamento, quod duæ templi distinguebãtur partes, quòd foras impellebant porticorum capita; & sic intuentibus apparebant tecta; Quomodo plena fœminarum vbera, quæ non ita teguntur velo, vt non ipsa suo se tumore prodant. Sed errat hîc Rabinus, vt alibi millies: neque enim vectes, aut si quid aliud latebat in oraculo, impellere poterant, aut attingere velamentum, cùm ante illud murus esset, & in muro portæ, quæ vtramque domum interiectæ diuiderent. Sanè si Rabinus iste de tabernaculo Moysis loqueretur, magis esset ferendus; at cùm hic de Salomonis templo sermo sit, non video qũæ possit esse veritatis species.

Alij extractos esse dicunt vectes ex arca non
omnino, neque enim extrahi poterant, ita vt non 12.
essent cum arca coniuncti; sed paululum versùs oraculi portam prolongati, vt vox habet Hebraica; quod ideo videtur factum, vt in destinato loco posset arca collocari commodiùs: nam vectes ex alio latere prominentes obstare possent, quo minùs aduerso domus interioris, & extremo muro propius posset admoueri arca, atque ideo produci potuerunt, vsque ad oraculi portam, ita vt ab his, qui propè aderant, videri potuerint. Quod miror cuiquam placuisse nisi dicamus vectes illos viginti cubitorum habuisse longitudinem, quantum nimirum longitudinis oraculum habuit, quod sanè videtur creditu difficile.

Quare placet quod plerique alij interpretum
opinantur, nempe vectes arcæ quæ in medio in- 13.
terioris domus erat locata, habuisse capita ad ianuam obuersa longiusculè ab oraculi ianua, quare videri poterant ab his, qui in exteriori domo non procul essent; ab aliis verò non item. Quòd ad ianuam accederent vectium extrema, ab his etiam videri potuissent, qui aliquantulum distarent ab aditu. Quòd autem perticarum capita oraculi portam non attingerent, sic mihi persuadeo, atque aliis non difficilè probatum iri puto, quia eodem loco arca cum eisdem vectibus fuit in tabernaculo, atque postea in Salomonis templo: cúmque tabernaculum duplo penè esset angustius, vt paulò ante dicebamus, caperétque laxè arcam cum suis vectibus, quos nunquam licebat ab arca distrahi, cur existimabimus eidem moli angustum esse templum, cuius longè maior erat amplitudo, cui tabernaculum antea non esset angustum.

Verba autem textus, quæ aliquantulum videntur impedita, & dubia, sic explico. *Cúmque emine-* 14.
*rent vectes*, nimirum ab arca, quia multo erant arca longiores, & ideo necesse erat, vt propius quàm arca ad oraculi introitum accederent: eminebant itaque vectes non ab oraculo, sed ab arca. *Et apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum.* Trabium capita ad eam partem, quæ erat ante oraculum, id est, ante arcam, quę propriè oraculum dicitur (vnde domus interior oraculi sibi

nomen

nomen assumpsit, erat autem directò ante arcam oraculi ostium ) extra Sanctuarium videbatur ab his, qui erant antè oraculum, id est, ad oraculi aditum. *Non apparebant vltra extrinsecus*, id est, illis tantùm apparebant vectium summitates, qui aut ad ipsum ostium accesserant tabernaculi, aut qui certè proximè constiterant, quia nimirum locus erat obscurus, & longiusculè vectes aberant ab aditu. Non autem apparebat iis, qui magis essent (id enim valet, *vltra extrinsecus*, id est, magis vltrà, aut extra oraculum) qui oculis assequi non poterant id, quod solùm videri poterat ex arca. Hoc clariùs & omninò discimus ex lib. 2. Par. c. 5. v. 9. *Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant capita parebant ante oraculum; si verò quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterant.*

15. *Qui & fuerunt ibi vsque in præsentem diem.* ] Sicut vectes iuxta Domini præceptum Exod. 25. nunquam ex arcæ annulis fuerunt extracti, quandiu fuit in tabernaculo Moysis, sic etiam quandiu in templo fuit ad tempus vsque illius, qui scripta hæc tradidit sacris monumentis, quicunque ille fuit, de quo, vt in Prolegomenis diximus, nihil habemus certum. Est autem verisimile, sicut nunquam antea, sic etiam neque vlteriori æuo vectes ab arca fuisse distractos.

16. Vers. 9. *In arca autem non erat aliud, nisi duæ Rabulæ lapideæ.* ] Quod hîc dicitur de duabus tabulis in arca conclusis, idem etiam habetur lib. 2. Par. c. 5. v. 10. *Nihilque erat aliud in arca nisi duæ tabulæ, quas posuerat Dominus in Horeb.* Huic tamen loco aduersari videtur alius ex epistola ad Hebræos c. 9. v. 4. vbi Apostolus Aaronis virgam, quæ fronduerat, & Manna auream vrnam inclusit. Cùm enim ageret de Moysis tabernaculo ait, *Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virgam Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Ex hoc loco Caietanus colligit hanc epistolam neque Pauli esse, neque pondus habere canonicæ fidei, quasi aliquid hic videat Scripturæ contrarium. Propter quod vir tantus malè, neque immeritò ab aliis accipitur. Alij magis moderatè, ac piè conciliare studeant hæc duo loca, quæ non satis videntur inter se cõuenire, quod multis faciunt modis; idque non inscitè, neque sine aliquo, eóque non vulgari pondere, quorum referre cogitationes, quia res grauis, & à multis exagitata, nonnullum erit operæpretium.

17. Quidam omninò negant in arca fuisse virgam Aaron, & auream vrnam Manna. Ita Lyranus in hunc locum, Abulensis ibidem q. 6. Caietanus, & Burgensis in epistola ad Hebræos. Ribera lib. 2. de templo c. 2. Azor t. 1. lib. 6. c. 47. & alij quidam, qui variè hunc locum cum Pauli epistola componunt, quæ omnia Ribera loco proximè citato tractat diligenter, & putat illud *in qua*, non referri ad arcam, vbi vrnam, & virgam esse negat, sed ad tabernaculum, quod licèt apud Latinos generis sit neutrius; apud Græcos tamẽ generis est fœminei, neque nostro est inusitatum interpreti, vt in translationibus originalis linguę genus seruet, & phrasim. Quare putant non intra arcam, sed proximè in tabernaculo ista duo fuisse conclusa. Cùm autem videret huic cogitationi vehementer obstare, quod in eodem Pauli loco proximè sequitur, *superque eam cherubini gloriæ obumbrantia.* Neque enim cherubin tabernaculum, sed arcam obũbrabant, propterea aliam addit solutionem, & illud, *in qua*, referendum dicit ad testamentum, quod statim in obliquo arcæ subiicitur. Est autem testamentũ Græcè διαθήκη generis fœminini. Hoc porrò testamentum adumbrabant cherubini, quia lex, id est, Deuteronomium, iuxta arcam erat in tabernaculo, ita vt à cherubinorum alis obumbrari potuerint. Sed multa hinc apparent valde contorta, quæ non nisi admodum durè trahuntur ad textum. Quare tertiam addit explicationem, & illud *in*, idem significare putat, quod *cum*, in hunc sensum. *Cum arca erant etiam in tabernaculo vrna manna, & virga Aaron, & tabulæ testamenti.* Quasi diceret, non erat arca solùm in tabernaculo, nam præter illam erant etiam hæc tria; sed quonam loco essent, intrane, aut extra arcam? non dixit breuitatis gratia, ideo subdidit, *de quibus non est modò dicendum per singula.* Et quidem *in*, aliquando idem valere quod *cum*, ipse docet Ribera, exemplísque confirmat. Quod nos etiam diximus, exemplísque probauimus super Ezechielem ad illud, cap. 16. In aliquando idẽ quod cum.

18. *Et fornicata es in filiis Assyriorum*, id est, cum filiis Assyriorum. Sed sanè cùm eodem textu filóque sermonis *in* aliter sumatur, in propria nimirum magísque communi significatione, cùm de tabulis sermo est, quæ sine dubio fuerunt intra arcam, & eodem ordine copulentur alia, durum est ab eodem loco velle distrahere, quę ea ratione copulentur, & aliud in vno loco, & aliud in alio sibi velle, cùm eodem prorsus modo omnibus applicetur. Neque vnius vocis semel in aliquo loco positæ, & cum multis aliis eodem ordine copulandæ, aut mutari solet, aut debet significatio. *In*, vt vides semel tantùm ponitur, atque ideo in singulis vocibus iteranda, Hoc modo, *in qua vrna aurea habet manna; & in qua virga Aaron, quæ fronduerat, & in qua tabulæ testamenti.* Quis non videt eamdem vbique esse propositionis *in* vim? & hæc eadem ratio soluit illorum cogitationem, qui altero loco putant *in* idem esse quod *iuxta*. Nam licèt *in* hoc aliquando valeat, tamen non videtur in eodem textu tantam fieri debere mutationem.

19. Quare dicendum videtur, vt apertè docent verba Pauli, intra arcam fuisse cùm duabus tabulis lapideis vrnam, manna, & virgam Aaronis. Quod docent ad hunc Pauli locum interpretum plerique, August. q. 105. in Exod. S. Thomas, Theophylactus, Oecumenius, Salmeron, & plures alij in Paulum. Montanus in Apparatu lib. de sicl. Et quidem locis, quæ contrarium suadere existimantur, adhiberi potest multiplex, neque omninò incommoda, aut infirma solutio. Quidam sic nodum istum expediunt, vt sermo hîc tantum sit de legibus, quas Dominus vniuersè Israeli præscribit, ex quibus illæ tantùm seruabantur in arca, quas suo digito Dominus tabulis inscripserat: non tamen negatur aliquid aliud præter tabulas ipsas in arca concludi. Quòd verò leges aliæ extra arcam seruatæ fuerint in tabernaculo, constat ex cap. 31. Deuteronom. v. 24. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque cõpleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ Domini.* Quæ solutio mihi difficilis non est. Porrò tandiu puto ad latus arcæ positum, seruatúmque Deuteronomium, donec constructum fuit à Salomone templum. Cùm enim non esset locus, in quo seruari tutò, ac religiosè posset extra interiorem illum secessum, ibi ad templum vsque Salomonis

rem illum ſeceſſum, ibi ad templum vſque Salomonis repoſitum eſt. At cùm in templo gazophylacia eſſent, & ſeceſſus alij, vt poſſent res ſacræ ſeruari commodè, ſublatum eſt inde Deuteronomiũ, & in aliud templi conclaue traductum. Sanè inter templi theſauros fuiſſe repertum, legimus lib. 2. Par. c. 34. v. 14. *Cúmque afferrent pecuniam, quæ illata eſt in templum Domini, repetit Helcias ſacerdos librum legis Domini per manum Moyſi.*

20. Alij dicunt, licèt antiquioribus ſæculis in arca non fuerit virga, & vrna, fuiſſe tamen poſterioribus, in quibus etiam vixit Apoſtolus. Ita putant Theophylactus in locum Pauli, & Bellarminus t. 1. lib. 1. cap. 17. Canus 2. De locis cap. 11. Michael de Medina lib. 6. De recta in Deum fide c. 25. Qui credunt tempore, quo à Babyloniis exciſum fuit templum, à Ieremia, ne virga Aaronis, & vrna perirent, fuiſſe in arcam concluſa. Aut certè cùm poſtea à Gentilibus plurima paſſum eſſet templum, quorum prædæ, atque impietati patuerat, Græcorum videlicet, & maximè Antiochi; & poſtea Romanorum tempore Pompeij, ſtatuerũt ſacerdotes, aut quibus commiſſa fuerat ſacrorum, templíque cuſtodia, quæ iuxta arcam antea fuerant iuſſa reponi, illa intra arcam, tutiori videlicet loco clauderentur. Quæ tempora aſſecutus eſt Apoſtolus. Hæc tamen ſolutio duobus maximè laborat incõmodis. Alterum eſt, quia nondum eſt certum an in ſecundo templo à Zorobabele collocata fuerit arca, quam ex priori Ieremias ſuſtuliſſe traditur, & in ſpeluncam abdidiſſe? Certè Ioſephus negat lib. 6. de bello c. 6. quo tempore templum euerſum eſt à Romanis, aliquid fuiſſe intra Sancta ſanctorum. *Intima*, inquit, *templi pars viginti cubitorum erat; diſcernebatur autem ſimiliter velo ab exteriori: nihilque prorſus in ea erat poſitum, inacceſſa verò, & inuiolata, & inuiſibilis omnibus habebatur, Sanctumque Sancti vocabatur.* Alterum eſt, quia, vt ſatis conſtat è litera, Paulus non de Salomonis templo, & multo minùs de ſecundo Zorobabelis loquebatur, ſed de tabernaculo Moyſis, quare iſta ſolutio non ſatis videtur ad aduerſariorum obiectionem.

21. Placet magis, & omninò, fuiſſe primùm in arca virgam, & vrnam, non quia pro illis eſſet deſtinatum auguſtum illud clauſtrum, & inſigne ſacrarium, quod erat quaſi quoddam legis archiuium, ſeu tabularium; ſed quia cum inſtabile eſſet, & vagum tabernaculum, non ſatis commodè videbantur alio in loco virga, & vrna locari, aut traduci poſſe commodiùs: cùm autem extructũ fuit templum, id eſt, ſtabile Domini, atque arcæ domicilium, fuerúntque loca religioſa, & lauta; vbi duo illa diuinę liberalitatis, atque prouidentiæ monumenta cum dignitate ſeruarentur extracta fuerũt ex arca, vt ſuis deinde ſedibus, quaſi in theſauris repoſita ſeruarentur. Quod licèt paulo obſcuriùs, indicat tamen hic locus, in quo nunc noſtra verſatur opera; ideo enim dicitur in arca nihil fuiſſe tunc aliud, præter tabulas legis, quia ante illud tempus aliquid aliud fuerat in arca repoſitum; quod tunc ideo videtur extractum, quia arca pro ſeruandis tabulis erat inſtituta: aliorum autem non erat tam domus propria, quàm ad breue, definitúmque tempus commodatum hoſpitium; donec propriam haberet domum, quod cùm iam haberet in templo nouo, non erat, cur alienam domum deberet occupare diutiùs.

*Vrna, & virga Aaronũ videntur in arca fuiſſe ante templũ Salomonis.*

22. At dices iuſſum eſſe à Deo Num. 17. v. 10. vt virga Aaron in tabernaculo ſeruaretur, non in arca, & idem de vrna aurea, manna Exod. 16. v. 33. Reſpondeo neque hoc, neque alio loco prohiberi, aliud quidpiam in arca concludi. Quare non eſt mirum, ſi Moyſes tunc, aut alij ſacerdotes, cùm Moyſes in viuis eſſe deſiit, quia id putabant ad religionem pertinere, ad certum aliquod tempus ſimul cum tabulis in arca ſeruauerint. Et fortaſſe ea de re mandatum poſtea accepit à Domino Moyſes, ſicut alia plurima accepiſſe creditur, quæ tamen ſacris monumentis mandata non ſunt. Sanè multa ſcripta ſunt alibi à ſcriptoribus ſacris, quæ pondus habent canonicæ fidei, quæ tamen ſuis temporibus à Moyſe fuerunt prætermiſſa. Quàm multa ſunt de hoc ipſo tempora, eaque illuſtria quæ nunc ignoraremus, niſi in libro Sapientiæ à capite 16. ad finem vſque libri legiſſemus. Quis vnquam audiuit in libro à Moyſe conſcripto fleuiſſe Iacob cùm luctaretur cum Angelo? At illud habemus apud Oſeam c. 12. v. 4. Neque deſunt in Paulò eiuſmodi exempla, qui aliquando ſupplet, quod fuerat priùs à Moyſe præteritum. Non tradit Moyſes illorum ſapientium, & Magorum nomina, qui c. 7. v. 11. ſeſe in Ægypto oppoſuere Moyſi: at docuit Paulus 1. ad Tim. cap. 3. v. 8. qui illos docet appellatos eſſe Iamne, & Mambre. Nam habemus à Moyſe reſpondiſſe ipſum Deo, *Exterritus ſum, & tremebundus.* Sed habemus à Paulo epiſt. ad Hebr. 12. v. 21. Vt ergo Paulus multa alia tradidit, quæ non tradiderunt Euangeliſtæ, ſic etiam alia, quæ ab aliis fuerunt ſcriptoribus omiſſa; aut quia ex antiqua traditione didicerat, cùm eſſet antiquæ legis ſcientiſſimus, quíque operam ſtrenuã dederat Gamalieli magiſtro, vt putat Theophylactus, aut potiùs, quia vt diuinitus accepit Euangelium, ſic puto de antiqua lege plurima etiam accepiſſe diuinitus.

REGVLA. *Multa ſunt à Deo patribus mandata quæ tamen literis mandata nõ ſunt. Multa ſuis locis omiſſa, & alibi tradita. Paulus ſupplenit aliqua, quæ à ſcriptoribus veteris Teſtamẽti fuerunt omiſſa.*

23. Illud ad extremum addo quibuſdam videri difficile, in arcam, quæ duos tantùm cubitos, & ſemiſſem longitudinis habuit, vt conſtat Exod. cap. 25. v. 10. Aaronis virgam, quam baculum eſſe putant, potuiſſe concludi. Ego primum puto viatorium baculum ad hominis commodum vſum breuem non eſſe, etiamſi longitudinem arcæ non excedat. Deinde credo virgas illas, quæ allatæ ſunt in tabernaculo, vt ex illarum germinatione conſtaret, quod eſſet Domini de ſummo ſacerdote iudicium, non eſſe viatorias, ſed quas conferre voluerunt familiarum Principes ad illam electionem ſacerdotis maximi, in quibus Principum inſcriberentur nomina, vt faciliùs illæ diſtinguerentur ab aliis certa nota, cui ſacerdotium ſummum germinans diuinitus virga detuliſſet. Aut fortaſſe virgæ fuerunt Principibus illis tribuum familiares, & eorum magiſtratuum, atque ordinum inſignia. Quales habuerũt quondam Reges, & duces exercituum, quos Hiſpani *baſtones* appellant, quæ non tam leuant, ac ſuſtinent incumbens corpus, quàm oneri ſunt; ſicut Regum ſceptra, quæ non tam hominem portant, quàm cum dignitate portantur ab homine. Quòd ſi baculum fuiſſe ſtatuamus, eúmque longiorem arca teſtamenti, quódnam tãtum eſſet ſcelus; ſi dicamus partem aliquam eius fuiſſe detruncatam: ex eo loco, ex quo neque frondes, neque ſurgentes gemmæ, neque erumpentes iam fructus prodierunt?

24. Verſ. 10. *Factum eſt autem cùm exiiſſent ſacerdotes de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini.* ] Quandiu arca non erat in ſanctuarium, ſeu, vt vocatur alibi, oraculum ſæpius, introducta, non cenſebatur ille locus adeò religioſus, & ſacer, vt ſacerdotes alij, qui non eſſent ſummi,

ab illius prohiberentur ingreſſu: ſicut olim in tabernaculi interiorem domum, & poſtea in templi interiorem ſeceſſum non admittebantur. Fuit autem hoc omninò neceſſarium, quomodo enim aliter arca, quæ tam erat grauis, poterat ab vno ſummo ſacerdote induci, & in loco arcæ deſignato commodè locari? Eamdem ob cauſam cùm mouerentur caſtra, in domum interiorem intrare poterant cum ſacerdote maximo ſacerdotes alij; quia quod tunc exigebat ille rerum articulus, ſacerdos vnus obire non poterat. Vide Numer. c.4. v.4. At vbi nihil ſupererat negotij, quod non niſi à pluribus præſtari poſſet, Deus ſibi locum illum ſic voluit eſſe proprium, vt ab vno tantùm ſacerdote maximo vellet adiri, idque tantùm ſemel in anno. Cúmque ſecundam quoque domum ſibi vendicaret, ſuis tantum miniſtris, id eſt, ſacerdotibus parere voluit, cæterámque turbam laicam, atque profanam arceri iuſſit. Atque ideo nebula totam domum impleuit, quaſi in ea vellet regium thronum conſtituere ſibi, quod eſſe nubem, aut nebulam ex Scriptura ſacra ſæpe didicimus. De nube diximus aliquid in noſtris commentariis ſuper Acta ad illud c.1. *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* De qua Pſal.103. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*, & in tota Iſraelitici populi peregrinatione Deus ſæpe dicitur aut apparuiſſe in nube, aut de nube fuiſſe loquutus. Chryſoſtomus homil.2. in Acta, Nubem cœli ſymbolum vocat, & diuinæ potentiæ ſignum, & ideo in Aſcenſione miſſam eſſe dicit nubem, quaſi regium vehiculum, vt oſtēderetur Chriſtus Rex eſſe cœlorum. De nebula, ſeu caligine hoc idem audimus non minùs ſæpe. In monte Sinai de medio caliginis vocauit Moyſem Exod.24.v.16. Exod.19. Deut.4. & 5. ad Hebr. 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum, & caligo ſub pedibus eius.* Quare vt ſignificaret Deus admittere ſe domum à Salomone conſtructam, illud ſignum oſtendit, quod ſuæ præſentiæ voluit eſſe familiare, quódque homines, qui aliquantulum eſſent in lege verſati, non ignorabant. Atque ideo Salomon ſibiipſi gratulatus, cùm videret domum obſcurari nebula, certus de diuina præſentia dixit: *Dominus dixit vt habitaret in nebula.* De quo ſtatim.

25. *Nubes, Dei thronus, & nebula.*

26. *Nebulam domum Dei totam, & atrium ſacerdotale impleuit.*

Hic duo nobis explicanda ſunt. Alterum eſt, an illa nebula, ſeu caligo tantùm impleuerit oraculum, id eſt, conclaue ſecundum, & interius, aut etiam exteriorem domum Sacerdotibus omnibus communem, & peruiam, & adhuc ſacerdotale atrium, ad quod profana turba nullum habuit acceſſum? Placet quod hîc opinatur Abulenſis q.8. non tantùm oraculum, & domum illi adiunctam, ſed ſacerdotale atrium plenum etiam fuiſſe caligine. Quod ideo probat, quia ſacerdotes dicuntur ea circumfuſi caligine, non potuiſſe miniſtrare: at ſacerdotum miniſtratio non fuit in oraculo, vbi vnus tātùm poterat ſummus ſacerdos miniſtrare, & in adiuncta domo nullum tunc poterat eſſe miniſterium, niſi impoſitio thuris in altari thymiamatis, aut lucernarum compoſitio, quod opus non erat ſacerdotum omnium, ſed vnius. Exod. 30. *Adolebit incenſum ſuper eo Aaron: quando componet lucernas, incendet illud*, &c. Et ſanè Zacharias pater Ioannis Luc.1. Solus intrauerat in Sancta ad incendendum thymiama, quando illi Angelus apparuit. Præcipua miniſtratio ſacerdotum omnium erat in atrio, vbi cædebantur, & immolabantur victimæ, vbi erat altare holocauſti, vbi eo die tanta fuit victimarum cædes; tanta illarum oblatio, quāta poſtea fortaſſe nūquam, vt conſtat infrà v.63. ad quod opus neceſſariū videbatur, vt quamplurimi ex ordine Leuitico primæ dedicationi templi ſacrificalem operam impenderent. Quantam enim miniſtrorum multitudinem eſſe oportuit, cùm boum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia eſſent ſacrificanda? Et quidem lib.2. Paral.c.5.v.11. Omnes ſacerdotes, quotquot tunc inueniri potuerunt, in illud opus, & diem ſanctificati ſunt. *Omnes*, inquit, *ſacerdotes, qui ibi potuerunt inueniri, ſanctificati ſunt: nec adhuc in eo tempore vices, & miniſteriorū ordo inter eos diuiſus erat.* Deinde addit ibi quoque interfuiſſe Leuitas, & cantores, & cum iis fuiſſe centum, & viginti ſacerdotes, qui tubis canerent. Quot autem ibi interueniſſe exiſtimabimus, qui in tanta celebritate, & infinito pene numero victimarum ſacrificalem operam impenderent? Deinde quia Deus præcipuo quodam modo ſibi vendicare voluit loca illa, ſuo præſertim nomini, & cultui conſecrata, in quibus nihil eſſe voluit, niſi ſacrum, atque ideo, vt diximus, nebulam offudit, in qua ipſe habitare, & ſuam ibi hominibus maieſtatem oſtendere ſolitus eſt. Quod cùm ſacerdotes ex ſacris monumentis ſatis cognouiſſent, facilè intellexerunt eo in loco Deum ſtabilem ſibi præparaſſe manſionem; maximè cùm didiciſſet præceptum eſſe à Deo, ne prius ſacerdos in Sancta ſanctorum introiret, quàm ſummus ex accenſo aromate totam illam domum impleſſet, ne quiſquam arcam ex domo exteriori conſpiceret, idque ſingulis annis ad menſem Septembrem accuratiſſime obſeruari viderent. Sic autem Leu. c.16. v.12. *Aſſumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum vltra velum intrabit in ſancta, vt poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, vt non moriatur.*

Alterum eſt, qualis fuerit illa ſiue caligo, ſiue nebula? Quidam dicunt, vt refert Abulenſis q.8. illam nebulam fuiſſe nimis lucidam, ſicut fuit illa, quæ tunc apparuit, quando Chriſtus transfiguratus eſt: atque ideo ſacerdotes videre non potuiſſe, quia non minùs ſplendor magnus impedimento eſt, dum oculorum perſtringit, & hebetat aciem, quàm denſæ nebulæ, dum oculis tenebras offundunt. Cui cogitationi nonnihil videtur ſuffragari, quia illa nebula gloria dicitur Dei. *Impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* gloria verò non aptè cum obſcuritate conſentit. Sed dicendum eſt illam nebulam omninò fuiſſe caliginoſam, quod apertè conſtat ex lib.2. Par.c.5. v.12. *Ita vt impleretur domus Dei nube, nec poſſent ſacerdotes ſtare, propter caliginem, compleuerat enim gloria Dei domum Dei.* Ex quo loco illorum etiam euertitur cogitatio, qui putāt nubem illam, aut nebulam ex vna parte ſplendentem, & lucidam fuiſſe, ex altera denſam, & obſcuram, qualis fuit illa nubes, de qua Exod.14. v.20. *Inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael, erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* tenebroſa Ægyptiis, lucida, atque illminans Hebræos. Sed ſi hæc nebula hoc ſe haberet modo, illuminaret ſacerdotes qui ſacro fungerentur munere, profanis, qui extra ſacerdotale atrium erant, tenebras obiiceret. At ſacerdotes dicuntur propter nebulam, & caliginem non potuiſſe miniſtrare. De hac nebula ſic Ioſephus lib.8.ant.c.2. *Poſtquam ſacerdotes ex ſanctuario exiuerunt, repentè globus nebulæ nō aſper, nec qualis hyberno tempore grauidus pluuia condenſatur; ſed diffuſus ac temperatus in templum influxit. Et primùm ſacerdotum viſum, vt vix ſeipſos cernerēt, obſcurauit. Deinde in omnibus eā cogitationē excitauit, quòd Deus in templū præſens, ac libens hoc domicilium ſibi optaret.*

27. *Nebula, qua templū impleuit, caliginoſa.*

Tunc

28. Vers. 12. *Tunc ait Salomon, Dominus dixit, vt habitaret in nebula.*] Videtur hoc loco Salomon sibi de excitato templo gratulari, cùm videat, aut graui coniectura suspicari possit, opus illud regiis elaboratum impensis probatum, & acceptum esse Domino. Quod ex eo homo prudens, & diuino illustratus lumine cognouit, quia Dominum habitasse in caligine didicerat, vt paulo antè vidimus, & subita illa nebula, cùm nulla illius appareret naturalis causa, à Deo videbatur esse diffusa. Vbi autem Dominus dixerit, *in nebula*, seu, vt habes 2.Par.6.v.1. *in caligine*, habitaturum esse, incertum est. Fortasse id dictum Salomoni fuerat, cùm alia illi Deus reuelauit innumera. Sed est, vnde id collegerit Salomon, à Domino prædictũ. Primùm cùm Leuit.16.v.12. impleri iussit oraculum sumo, antequam in illum ingrederetur: tunc enim satis ostendebat velle se, dum homines adessent; in caligine morari; sed præcipuè id didicit, & omninò apertè ex Leuit.c.16.v.2. *In nube apparebo super oraculum.* illud autem idem esse videtur, quod habitare Dominum in nebula. Et quidem cùm primùm antiquum tabernaculum absolutum est, illud impleuit nebula, sic vbi absolutum est à Salomone templum, idem à Deo signum datum est. Sic autem de tabernaculo Exod.40.v.32. *Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testamenti, & gloria.* Illud ad extremum obseruandum apud Septuaginta non reperiri hæc verba, nisi in codice Complutensi: in aliis, & maximè Sixtianis, hæc aut similis sententia reperitur infrà v.54. *Solem fecit notum in cœlo: Dominus dixit habitare in caligine.* Theodoretus videtur hoc ipso in loco, in quo nunc versamur, legisse: sed paulò aliter. *Solem strauit in cœlo, & dixit vt habitaret in caligine.* Quod sic explicat Theodoretus, quasi Deus voluerit hominem luce frui splendenti, ac liberè, ipsi sibi locum obscurum elegerit, ac clausum templum videlicet, quod in ea præsertim parte, vbi locata fuerat arca, parum habebat lucis. Vbi Dei singularis benignitas ostenditur, qui sibi angustum elegit, & obscurum locum, vt nobis laxum, & splendidum pararet.

29. Vers. 31. *Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmissimum habitaculum tuum in sempiternum.*] Ex his Domini verbis, & obortа nebula sine vlla naturali causa, coniectauit Salomon domum illam, & regium studium accidisse Deo non ingratum. Quare ex eo sibi persuasit firmissimum futurum illud opus, & in sempiternum duraturũ, quando Deo auctore, & auspice inchoatum, & eodem approbante perfectum, & dedicatum est. Abulensis q.8. hæc verba Deo tribuit, non Salomoni, cui antè promiserat cap.6.v.11. sempiternum regnum, si modò in ipsius viis ambularet, & suspicatur, quo tempore cum Salomone locutus est Deus dixisse illi habitaturum se in nebula. Sed hæc verba esse Salomonis ad Deum, non ad Salomonem Dei, liquet ex lib.2. Par. c.6. v.1. vbi hæc eadem repetuntur, quæ proximè à nobis dicta sunt. *Tunc Salomon, ait Dominus pollicitus est, vt habitaret in caligine: ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum.*

*Christus sibi dura, nobis dulcia quæsiuit.*

30. Vers. 14. *Conuertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel: omnis enim Ecclesia Israel stabat.*] Manserat Rex vtpote ex laico, atque profano ordine, non modò extra tabernaculum, id est, externam domum sed etiam extra sacerdotale atrium in ipsa porticu, quæ illius atrij ianuę prætenditur. Ille enim Principis locus est, vt ex Ezechielis cap. 46.v.12. videtur colligi posse non difficile, nisi dicamus stetisse Salomonem in ediro quodam loco in atrio Israel, quod aliter appellatur basilica. De quo hæc eadem narrantur lib.2. Par.c.6.v.13. *stetit ergo coram altari Domini ex aduerso vniuersæ multitudinis Israel, & extendit manus suas: si quidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ,* &c. *stetitque super eam, & deinceps flexis genibus contra vniuersam multitudinem Israel, & palmis in cœlum leuatis, ait.* Inde Rex spectabat, quid in atrio sacerdotali fieret, in quo tot victimarum mactabantur millia, in atrio verò filiorum Israel, & in atrio gentium infinita erat Israelitici populi multitudo, quod spatium erat sanè laxissimum, & (vt tradũt Hebræi) illius amplitudini aliquid Deus miraculosum addiderat. An illud ab Hebræis fuerit magis audacter, quàm verè dictum ipsi viderint, mihi certè illorum fides semper leuis, atque suspecta fuit. Narrant illi decem de suo templo, eaque alibi gentium inaudita miracula, quorum vnum est, quantacunque esset hominum multitudo, orationis tamen, & sacrificij tempore stetisse laxè omnes, neque se mutuò aut certè adorasse laxatos, cùm tamen essent locorum angustiis propter multitudinem coarctati.

31. Cùm ergo Salomon faciem haberet conuersam ad sacrificia, sacrariaque, re iam sacrificali peracta conuersus ad multitudinem, quæ hoc loco vocatur Ecclesia; quia, quod hoc significatur nomine multitudo erat in vnum locum euocata, seu congregata, cui benedixit, id est, bene precatus est, vt ex longa oratione, de qua proximè constabit magis. Qua in re imitatus fuisse videtur parentis pietatem, qui cùm primùm arcam in domum suam introduxit, benedixit populo, qui ad celebrem illam pompam vndecunque confluxerat lib.2.c.6.v.17. *Cúmque complesset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.* Quid autem in ea benedictione optauerit, precatúsque fuerit Dauid, filet Scriptura: est tamen verisimile affinia aliqua dixisse iis; qui in hac Salomonis benedictione, ac precatione legimus. Vterque autem tam Dauid: quam Salomon didicerunt à Moyse, qui postquam absolutum vidit, instructúmque omni apparatu sacro tabernaculum, benedixit populo Exod.39.v.43. *quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis,* nempe filiis Israel.

32. Vers. 15. *Et ait Salomon: Benedictus Deus Israel, qui locutus est ex suo ad Dauid patrem meum.*] Ex hoc loco ad v.22. omnia sunt aperta, & à nobis, vt opinor, satis exposita lib.2.c.7. à v.5. quæ etiam Dauid repetit lib.1.Par.cap.22. His autem verbis tantùm habemus, quo modo Dauid Domino domicilium excitare voluerit: & cùm Deus illius probasset, & admisisset animum; opus tamen ab illo in filij curam, & studium deriuauit; cui multa promisit, modò, ne declinaret à via, quam Dauidi proximè, & multò ante parentibus ostendisset. Egit ergo gratias Salomon, quòd suo commendasset generi id, quod nulli vnquam homini à temporibus Ægyptiis præcepisset. Quod singularis beneficij loco ponit, & nunc plurimum se debere fatetur illius liberalitati, cùm ędificare potuerit domum, in qua fœderis locaretur arca, neque dubiis signis ostenderit, quàm accidisset opus illud acceptum.

33. Vers. 16. *Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cœlum.*] Lib.2. Par.cap.6.v.13. dicitur Salomon stetisse in basi, quam in basilica, id est, in atrio Israelis excitarat, & deinde cùm se supplicem ad orandum componeret, flexisse genua, &

*In oratione manus eleuatæ.*

solemni Hebræorum more expansas manus ad cœlum eleuasse. De hac manuum extensione diximus alibi, quod etiam Gentilibus familiare fuit, qui manus ad cœlum leuant, vel cùm à Deo precantur aliquid, vel cùm iuramento concepto diuinam testantur fidem, sicut faciunt Hebræi: ex quorum consuetudine apud Virgilium Sinon lib. 2. Æneid.

*Sustulit exutas vinclis ad sydera palmas,*

Et ibidem de Cassandra, cùm auxilium sibi è superis oraret:

*Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra,*
*Lumina nam teneras arcebant vincula palmas.*

Aristoteles hoc commune, & penè naturale putat orantibus, vt ad cœlum manus supinas attollant. Sic autem ille lib. de mundo cap. 7. *Omnes homines ad cœlum manus tollimus preces facturi.* Hoc porrò vsitatum fuisse Hebræis, & quasi legitimum docet Paulus Tim. 1. c. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco leuantes puras manus.*

34. Vers. 23. *Non est similis tui Deus in cælo desuper & subter terram deorsum.*] Hæc etiam non obscura sunt ad v. 27. tantùm enim petit Salomon, vt præstet Deus, quæ parenti Dauidi de stabili in sua progenie imperio promiserat. Exorsus autem est Salomon precationem suam ad Deum oratorum more, dum illius in promissis constantiam commendat. Quod parentis sui exemplo confirmat, cui Deus non minus fideliter diuinam liberauit fidem, quam antea obligarat liberaliter. Solent autem oratores eas maximè commendare virtutes in eo, à quo aliquid obtinere student, quas sibi ad suam precationem, & vota maximè vident esse necessarias. Cætera explicatione non egent.

35. *Deus vbique.*

Vers. 27. *Ergóne putandum est quòd Deus verè habitet super terram?*] Non dubitat Salomon Deum implere omnia, quod etiam de suo Ioue cecinere Gentiles, è quorum numero Aratus statim in principio,

*----Fora sunt Iouis omnia plena*
*Compita cum pagis, omnes & cum æquore portus,*
*Omnibus atque vtimur Ioue nos ex partibus omnes.*

Et duo antiquissimi Poëtæ Euphorion, & Æschylus, vt refert Clemens Alexandrinus lib. 5. strom. Sic de Ioue cogitant, & loquuntur,

*Iuppiter est æther, est terra Iuppiter,*
*Cœlúmque, & omnia Iuppiter, & si quid suprà.*

Et Orpheus ab eodem Clemente citatus.

*Occeani ad fines expansa est, & manus illi*
*Vndique dextera, sub pedibus subiectaque terra est.*

Non itaque dubitabat Salomó, quod de suo Ioue fatebatur stulta, atque delusa gentilitas à Deo propter immensitatem illius omnia compleri; sed quia se ad hominum sensus, atque cogitationes attemperat, qui aliter de rebus aliquando cogitant, quam illarum patitur natura, ideo hoc vtitur dicendi modo, qui significare alicui videri posset aliquando Deum terram inhabitasse. Sic enim homines communiter sentiunt, dicúntque prouerbiali, vt arbitror, specie, aliquem habitare nullibi, qui vbique sit. Ita Seneca lib. 1. ep. 2. *Nusquam, inquit, est, qui vbique est*, & qui non habet certum, & stabile domicilium, in quo sit assiduus, & in quo inueniatur ab aliis. Sic sanè Mart. lib. 7. ep. 72.

*Dic vbi conueniam, dic qua te parte requiram,*
*Quisquis vbique habitat, maxime, nusquam habitat.*

Illud videtur dictum ab Augustino t. 2. ep. 57. ad Dardanum, vbi Dominus vbique esse dicitur, neque tamen habitare vbique. Sic autem ibi Augustinus. *Illud est multo mirabilius, quòd cùm Deus vbique sit totus, non tamen in omnibus habitat. Non enim omnibus dici potest quod ait Apostolus, vel quod iam dixi, vel etiam illud: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Et paulo pòst. *vnde fatendum est vbique esse Deum per diuinitatis præsentiã. Propter hanc enim habitationem vbi proculdubio gratia dilectionis Dei agnoscitur, non dicimus, Pater noster qui es vbique, cùm & hoc verum sit, sed, Pater noster qui es in cœlis, vt templum eius potius in oratione commemoremus.* Sic ergo, quia Deus in terra nullum antea stabile domicilium habuerat, licèt nihil esset Deo non plenum, non dicebatur habitare super terram. 36. *Deus quomodo in cælo, & quando in terra habitare dicitur.*

37. *Templum cælo simile.*

At quando templum habuit, vbi præcipua quadã religione coleretur, vbi consuleretur, & oracula sciscitãtibus redderet, quem locũ & miris ornasset modis, & specialis præsentiæ non obscuris nobilitaret argumentis, in terris habitare dicitur, eo modo, quo in cœlis esse dicebat nuper Augustinus. Et quemadmodum, dum operam orationi damus, ad cœlum manus, & oculos attollimus, quasi ad domum Dei; sic etiam hoc idem, neque immeritò, antiquis sæculis intenti precibus fecerunt Hebræi. Sic certè monet Dauid ex eo, quod erat vsitatum in eo populo, vt homines manus leuent ad Sanctuarium, seu Sancta sanctorum, vbi Deus credebatur habuisse propriam, & familiarem sedem. Psal. 133. *Qui statis in domo Domini, in atriis Domini Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta.* Oculos certè ad templi ruinas, ad locum videlicet, vbi arca fœderis meliori tempore collocata fuit, conuertebat in oratione Daniel, cùm abesset procul Babylone exul, c. 6. v. 10. *Ingressus domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.* Quod hoc loco precatus est Salomon à Domino v. 44. nempe, vt si quis cõuersus ad templum, quod ædificauerat, id est, intentis in illud oculis à Deo aliquid orauerit, illud exoret. *Si ingressus*, inquit, *fuerit populus tuus ad bellum per viam, quocunque miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificaui nomini tuo, & exaudies in cœlo orationes eorum.* Idem fermè v. 48. vbi de captiuis agit, qui ad ciuitatem, sacrariúmque conuersi libertatem, teditúmque precantur.

38. *Cæli cælorũ qui.*

*Si enim cœlum, & cœli cœlorum, te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui?*] Exiguum fatetur esse munus hoc Salomon, licèt in eius molitione neque labori, neque sumptui pepercerit: Quod enim erit tantum opus pro tanta maiestate dignũ? Quæ tanta locorum amplitudo, quæ capere illum possit, cui infinitis spatiis impar terrarum omiũ, & cęlorum immensitas? quare gratias agit, quòd suam maiestatem immensam, quæ nullis potest spatiis definiri, in arctis sacrarij, id est viginti cubitorum angustiis quodammodo concluserit. Cæli cœlorum dicuntur, qui in eo genere, atque ordine præstantissimi sunt, aut magnitudine & gloria, aut alia quauis proprietate, quæ illis nobilitatis aliquid, aut splendoris conciliant. Quomodo *Rex Regum*, ille dicitur, qui alios omnes potentia, & maiestate superat. *Virgo virginum*, quæ aliis præstat virginibus, *vanitas vanitatum*, summa vanitas, & in hoc Salomonis templo exemplum habemus opportunum: locus enim ille, qui alios sanctitate præstat, qui arcam continet, & in ea tabulas, quibus diuino digito inscripta lex est, in quem vni tantùm Pontifici patet locus,

idque semel in anno, *Sancta Sanctorum* appellatur id est, locus omnium longè sanctissimus. Ad hunc modum cœli cœlorum, aut cœlum cœlorum illud dicitur cœlum, quod summum, & splendidissimum est, aut certè quod alios cœlos suo complexu continet; & quodammodo fouet. Hoc verò cœlum summum est, & Empyreum, quod vt inferiores cœlos ambit, & continet, sic etiam necesse est, vt alia omnia siue cœlestia, siue elementaria corpora infinitis propè spatiis antecellat. De illo sanè cœlo, in quo Dei est stabilis, & magis nota sedes, loquebatur Dauid Psal. 67. v. 36. cùm dicebat, *Psallite Deo, qui ascendit supra cœlum cœli ad Orientem.* Psalterium Ambrosianum, & Vaticanum, *super cœlos cœlorum* habent. Eodem genere loquendi vsus est iterum Dauid Psal. 113. vers. 16. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* & Moyses Deuteron. cap. 10. v. 14. *en Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli.* Est itaque cœlum cœlorum supremus orbis, & beatorum sempiterna sedes, vbi augustiùs habitat, & splendet diuina maiestas.

39. Vers. 28. *Sed respice ad orationem serui tui Domine Deus meus, audi hymnum, & orationem.*] Quamuis hoc donum exile sit, & pro tanta maiestate plusquam vile, & domus, in qua regiæ sunt vires, & facultates exhaustæ, angusta sit magis; orat tamen vt benignos oculos, atque hilares ad ipsius preces, & postulata conuertat, intentúmque habeat in religiosum illum locum, animum, atque aures; tam ad suas, quàm ad totius populi, imò ad omnium gentium vota, & orationem, si quando in illo loco precari contingat. Orationem verò suam hymnum appellat, quia laus, & hymnus plerunque precationem antecedunt, vnde fit, vt laudare idem sit, quod precari, & laus nonnunquam pro precatione sumatur. Vide quæ diximus in nostris commentariis super Threnos ad illud cap. 2. *Consurge, lauda in nocte.* In hoc sanè sensu sumpsit Ierem. cap. 7. Dominus cùm dixit. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eo laudem, & orationem.* Laudem cum oratione iungebat Dauid, cùm dicebat Psal. 17. *Laudans inuocabo Dominum.*

*Laus pro oratione.*

40. Vers. 31. *Si peccauerit homo in proximum suum, & habuerit aliquod iuramentum,* &c.] Orationes ideo fiunt, vt auertantur mala, & bona vicissim impetrentur. Varia sunt, quæ desiderare homines aut solent, aut debent, multa quæ auersantur, & horrent: multa, quæ ab hominibus; multa, quæ à naturalibus causis aut afferuntur bona, aut inferuntur mala; de vtrisque Deum orat, vt illa elargiatur, hæc auertat, & obruat. Et primùm agit de his incommodis, quæ ab hominum fraude, & calumnia, siue crudelitate, & violentia proueniunt. Contingere non infrequenter assolet, vt explorari res, aut deprehendi non possit humano consilio, quia neque testium interfuerunt oculi, aut eiusmodi sunt coniecturæ, vt ad veritatem cognoscendam non satis habeant firmitatis, & ponderis. Tunc autem, vt Apostolus docet ad Hebr. cap. 6. v. 16. ad iurisiurandi religionem confugimus, quæ in desperatis rebus extrema, & sola probatio supereſt. *Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramentum.* Quando homo, qui sceleris arguitur, neque tamen externis signis conuinci possit, ad iuramentum adigi possit, imò & debeat à iudice; habes Exod. c. 22. v. 11. *Si quis commendauerit proximo suo asinum, & bouem, & ouem, & omne iumentum*

*Extrema probatio rerum, iuramentum.*



*ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullúsque hoc viderit, iusiurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui, susceperitque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur.* Orat igitur Salomon, vt si quando eò sit disceptatio deducta, vt non possit aliter, nisi iureiurando definiri, ipse ostendat Deus ex templo, vbi ad iurisiurandum homo de scelere suspectus adigitur, occultam, aut obscuram veritatem. Hic planè sensus est, quem sic ex singulis verbis seorsum consideratis informo. Si aliquid homo admisisse iniquius in proximum arguitur, & eam ob causam in templum venerit vt iuramento sceleris suspicionem depellat. Tu Domine ita controuersiam illam dirime, vt qui insons est, suspicionem, & condemnationem effugiat: qui autem veri criminis reus, suo peccato pœnas debitas luat. Hæc clariùs lib. 2. Paralip. cap. 6. v. 22. *Si peccauerit quispiam in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, séque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista, tu audies de cœlo, & facies iudicium seruorum tuorum, ita vt reddas iniquo viam suam in caput proprium, vt vlciscaris iustum.* Hìc porrò obseruandum cum iuramento plerumque execrationem, & maledictum adiungi, ita vt, si quis iuramentum concipit, sciens fallat, infortunium aliquod subeat, quod suo sibi capiti imprecatur. Hæc nos docuimus Isai. cap. 62. ad illud, *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ.* Et quidem seruus Abraham cùm tantum iurasse dicatur Gen. 24. v. 9. Ipse tamen iuramento adiunctam fuisse dicit execrationem. Dixit Abraham ibidem v. 8. *Si mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento*: seruus autem hoc ipsum repetens v. 41. ait hæc fuisse Abrahæ verba, *Innocens eris à maledictione mea*; quia nimirum à iuramento execratio non aberat. Idem nunc accidit in eo, qui sic in templum iuraturus ingreditur, vt malum sibi optet, si periurio se contaminet. Execrationis non meminit scriptor Regum, quia execrationem norat cum iureiurando esse coniunctam.

41. *Cum iuramento plerumque execratio cõiungitur.*

Vers. 33. *Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos, quia peccaturus est tibi, & agentes pœnitentiam,* &c.] Aliud infortunium ostendit, à quo maximè homines liberari & cupiunt, & student. Contingit sæpe vt homines ab hostibus subacti, & ignominiam subeant, vtpote inferiores in acie, & duris conflictentur incommodis in alieno loco, & sordidæ interdum addicti seruituti. Orat igitur Salomon, vt si quando in templo Israelitæ malè ab hoste iactati, aboleri ab Israelitico nomine tam grauem ignominiam petant, & preces offerant pro captiuis, qui duram in peregrino solo seruitutem seruiunt, se ab illo exorari sinat, & ignominiam depellat ab Israelitide gente, & captis ab hoste, & longiùs abductis libertatem, patriámque restituat.

42.

Hìc nobis obseruanda duo, alterum est persuasum esse Salomoni, & prudenti cuique ex eo populo; imò etiam Gentilibus, qui Hebræorum aut intererant rebus, aut tempora, gestaque cognouerant, tunc ab hostibus superari, & in ærumnosam conditionem compingi Israelitidem gentem, cùm à Dei lege, & voluntate deficeret. Quod Dominus ipse sæpe, verbísque admodum significantibus expressit. Leuit cap. 26. vers. 17. *Quod si non audieritis me*, &c. *Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subiiciemini his, qui oderunt vos: fugietis, nemine persequente,*

43. *Hebræi tũ victi quando à Domino receſſerunt.*

& Deuter.28. v.25. *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ.* Hoc autem ipsum experientia edocti, & ex Hebræorum monumentis didicere Gentiles. Sic sanè Achior Amonites Iudith.c.5.vbi cum varias retulisset populi victorias, tandem ait v. 17. *Et non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui. Quotiescunque autem præscriptum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium: Quotiescunque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi.*

44. Alterum est, videri difficile aliquem ab hoste ex propriis eiectum finibus esse, & tamen orare in templo, & petere, sibi vt in patriam redire liceat. Mihi hoc loco placet quod visum est Abulensi q.14.non hic sermonem esse de captiuis, sed de his, qui ab hoste è suis sedibus eiecti sunt, quique abierunt non in hostilem terram, sed in aliã, non tamen extra terram promissionis, ad alios nempe gentis Israelitidis funiculos, vnde possent adire templum, & pro antiqua possessione, quam hostis occuparat, & pro patrio solo, ex quo deiectus fuerat, preces effundere. In hanc ego sententiam ideo magis inclino, quia infrà v.46.de captiuis proprius est institutus sermo, vbi alia illis præscribitur orandi forma. De qua suo loco. Hoc autem facere potuerunt aliquot tribus, quæ ab Assyriis expugnatæ sunt, quæ vltra Iordanem quondam substiterunt. Tunc autem illi, qui se illorum furori subduxerunt, aut quibus sub illud turbidũ tempus commorari contigit cum aliarum tribuum habitatoribus, orare potuerunt in templo, sibi vt pateret liber in patriã reditus, quam esse in hostium potestate doluerant, & quidem hîc nullus est de seruitute, ac captiuitate sermo, sed tantum de dispersione, & fuga.

45. Vers. 35. *Si clausum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum.* ] En graue aliud incommodum, à quo leuari postulat Salomon eos, qui in templo ad diuinam commiserationem orando confugerint. Sed illud hîc pro moribus maximè obseruatum oportuit, sicut ferrei sunt cœli, & magis sicci, quàm arida spongia, vbi constat hominum peccata, famem, & sitim, & omnia valetudinis incommoda ad peccatorum vindictam, & exitium clamantia, sic frustra optari à peccatoribus pluuiam, nisi scelerum suorum impedimenta submoueant. Neque enim sine causa addidit hic Salomon, si *orantes in loco isto pœnitentiam egerint, & à peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionem suã, exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israel, & ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluuiam*, &c. Non vult Salomon orare quempiam cœlestem imbrem, priusquam cœlestem Regem, & pluuiarum patrem, & Dominum pœnitendo placauerit. Neque permittit pluuiam orari prius, quàm lucem à Deo, quæ rectam ad Deum semitam ostendat, que de re pluribus egimus in nostris commentariis ad caput 2. Aggæi, vbi ostendimus agrorum sterilitatem, & sitim propter hominum peccata contingere; & perire omnia, quæ offenso Deo aut quærit, aut captat humana sedulitas. Quòd verò siccitas agrorum à peccato proueniat, docuit Aggæus suprà, & habes Deut.28.v.23. *Sit cælum, quod supra te est, æneum, & terra quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ puluerem, & de cælo descendat super te ignis, donec conteraris.* Idem pene Leuit.26. v.19. Pluisse autem lapidibus, qui cuncta vastauerint, pluisse ardenti cinere, qui agros, & arboreta suo feruore disperderet, & audiuimus in superiorum temporum antiquis monumentis, & nostris temporibus contigisse nouimus. Quemadmodum Deus terræ fœcunditatem, & rerum omnium abundantiam homini diuinæ legis amatori promiserit, habes Leuit.cap.26.v.3. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis: & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura, vindemiam, & vindemia occupabit sementem.* Idem penè Deut.c.28.

*Frustra pluuiam petũt, qui peccata non abiiciunt.*

*Deus quomodo peccatorum agros populetur, & perdat.*

Vers. 37. *Fames si obortа fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo*, &c. ] Alia nunc enumerat incommoda, quæ hominum precibus in templo profusis à Dei benignitate depelli vult. Primùm fames, quæ non solùm à pluuiæ defectu, & agrorum siti prouenire solet, sed etiam ab vrente vento, à locusta, & brucho, ab vredine, rubigine, & aliis, quæ segetum & arborum pestes appellantur, quas procul arceri à peccantium finibus Salomon orat, atque obsecrat. Solet etiam hoc accidere cùm hostis angustas ciuitates obsidione premit, quando foris frumentari, aut aquari non licet, & homines interdum cogit rebus vesci sordidissimis, quæ nullo modo censeri possunt esculentæ, quale est colũbinum stercus, & quod magis horribile, quæ eò adigit homines miseros, vt parentes filiorum, & parentum filij carnibus pascerentur, quod contigit in obsidione Ierusalem, & plorat Ieremias Thren. c.2. & Ezechiel clariùs c.5.v.10. *Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Vide quod nos ad hunc Ezechielis locum. Ab hac fame vndecunque prouenerit, ab hostili quacunque vexatione, ab aëre corrupto, qui talem hominibus, & terræ prouentibus inducit, à peste denique omni, & contagione noxia liberari postulas populum, qui illius obtinendæ liberationis ergo templum adierit. Hic obiter nota, quando de hominum, segetúmque morbis hîc agit Salomon, & de pestilentia, quæ aliquid videtur importari communius tam animantium, quàm plantarum generi; omnia quæ saluti hominum, aut plantarum incremento, ac fructibus officiunt, pestis vocabulo significari. Sic illa eadem, quæ segetibus, atque aliis plantis noxia dicuntur, tum hic, tum aliis etiam scriptura locis, quales sunt locustæ, bruchi, erucæ, pestis dicuntur à Latinis. Vnus pro omnibus sit Virgilius, qui 1.Georg.bestiolas, quæ segetes, aut grana populantur, hoc nomine significat:

*Tum variæ illudunt pestes, sæpe exiguus mus*
*Sub terris, posuitque domos, atque horrea fecit,*
*Aut oculis capti fodere cubilia talpæ.*

Quare dum pestilentiam horret, arceríque cupit Salomon ab Hebræorum finibus, ea cupit, vt procul abigantur, quæ humanis sunt infesta corporibus, aut quæ tabem aruis, aut maciem inducunt.

47. *Fames ex multiplici causa, & eius remedium ab oratione.*

48. *Pestis dicitur quicquid agris aut vilitudini incommodat.*

*Si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac.* ] Iterum docet Salomon, quo se modo homo præparare debeat ad orationem, quam ratam esse studet, & compotem votorum. Est ager aridus, & macer à variis plagatus pestibus, aut aquarum sitiens: est item plagatum corpus, à dira contagione, quæ afflauit, infecitque illud ab aëre corrupto. Si hanc à se homo voluerit arceri plagam, & ab agris, quorum videtur

49. *Qualis futura oratio, quæ ab agris, atque corporibus tabem depellit.*

tur exuri,atque perire fructus; necesse est, vt sui priùs animi plagam consideret, & illam sanare studeat, si suam apud Deum orationem pondus habere velit,alioqui cassa erit, & inutilis omninò omnis in orando contentio.Quod explicuit magis cùm statim addidit.

50. Oratio quæ vtilis.

*Et facies vt des vnicuique secundùm omnes vias suas,sicut videris cor eius.* ] Non tam Deus respicit expansas in oratione manus,quia fieri potest,vt in conspectu Domini plenæ sint sanguine,& infectæ muneribus;& vox,quæ in templo resonat,quia ex contaminato spiritu formata, aliquid inhalat odiosum, & prauum, & diuinas aures sono potius complet incondito,& absono,quàm exhilarat numeroso,& dulci.Quare Deus neque manus aspicit supplices,si puræ non sunt, neque verba audit,si à ferino expirantur animo, & impura, atque impia lingua finguntur.

51. Quid Deum maximè ad misericordiã flectit.

Vers.41. *Insuper & alienigena,qui non est de populo tuo Israel*, &c. ] Aliquid iam amplius postulat Salomon,dum Gentilium etiam preces in loco illo sancto exaudiri cupit, qua in re non tam videtur de Gentilium commodis laborare, quàm de diuini nominis amplificatione, & de diuina Dei maiestate,& gloria.Quam agnoscent gentes, cùm suas preces viderint non excidisse inanes, quibus tam facilè annuit,satisfacit, & prompta benignitas,& exprompta potentia. Est autem hæc oratio & pia, & valde adimpetrandum idonea, quæ id à Deo petit,quod illi futurum est glorioſum,neque aliud in ea petitione spectat, quàm vt diuinum nomen & se latiùs ad Gentiles extra Israëliticos terminos extendat, & vbique gentium habeatur illustrius.

52.

Nouerunt,credo,gentes,quid in suam commoditatem,& vsum in ipsa templi dedicatione postularit Salomon, réque ipsa didicerant ex precibus eo in loco religiosè conceptis,magna se accepisse compendia.Quare cùm potentem agnoscerent ex præliis, in quibus euentu planè admirabili superiores extiterunt Hebræi,& ipsi diuinam clementiam sæpius essent experti,augustum illud, & admirabile sacrarium sic venerabantur,vt illud sæpe venerabundi conuenerint, & donis interdum cumularint amplissimis. Qua de re egimus in explicatione Psal.67.ad illud,*A templo tuo,quod est in Ierusalem,tibi afferant Reges munera.* Sic Sanè fecerunt Cyrus,& Artoxerxes,vt docet Esdras, Ptolemæus Philadelphus Rex Ægypti,& magnus Alexander, vt auctor est Iosephus, & Seleucus Asiæ Rex, vt habes lib.2.Machab. cap.3. Vbi hoc ipsum fecisse Reges alios,& Principes audimus. *Fiebat*,inquit, *vt ipsi Reges,& Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ita vt Seleucus Asiæ Rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Quàm vero Iudæorum Deum externi populi putauerint esse metuendum,docuerunt Palæstini l.1. cap.4.qui cùm primùm fœderis arcam in Hebræorum castris conspexerunt, timore penè exanimati exclamarunt, *Væ nobis,quis nos seruabit de manu deorum sublimium istorum ?* Quàm apud Ammonitas potens existimaretur,& fidelis suorum custos Iudæorum Deus, satis ostendit Achior, Iudith cap. 5.vers.18.& vers.25.de quo paulo antè.Cùm ergo eam gentes de Israelitarum Deo opinionem concepissent, quid mirum, si illum consultum in dubiis, & oratum in rerum angustiis esse vellent? Venit quidem vt oraret in templo eunuchus Reginæ Candacis,Actor.8. venerunt quidam Gentiles vt adorarent in templo,Ioan.cap.12.& pro his in templo atrium quoddam extructum est, quod dicebatur Gentium, quia in illo esse,vlteriùs verò progredi non permittebantur. De hoc atrio vide Iosephum lib. 2. contra Appionem longiusculè à principio.

A Gentibus Deo oblata munera.

Vers.44. *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos,per viam quocunque miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis,quam elegisti, & contra domum,quam ædificaui nomini tuo.*] Quia interdum homo obire non potest augustum illud,& illustre sacrarium, quia necessariò abesse debet à ciuitate, & templo, aut quia ad bellum proficiscitur, aut quia captiuus tenetur apud hostem victorem in peregrino loco,petit Salomon,vt illi se Deus tam propitium,& liberalem ostendat, si conuersus ad illam mundi plagam,vbi templum est, orationi se dedat, ac si in ipso templi complexu supplex orauerit,ne dum rebus vacat necessariis, aut necessariò cogitur abesse,careat illo tanto, támque vniuersali subsidio. Hoc puto fecisse olim, & nunc etiam facere Iudæos, qui cùm ad Hierosolymam, templúque reliquias accedere non possunt, satis sibi in duro rerum suarum articulo habent, si ad Hierosolymam conuersi orent, & antiquum suum dolorem illius memoria consolentur. Fecit sanè Dauid in Psalm.62.cùm erraret in syluis,locisque desertis : conuersus tamen ad locum, vbi Deus præcipuo quodam modo adesse credebatur, suas ad Deum preces dirigebat.*In terra deserta,inuia, & inaquosa,sic in sancto apparui tibi.* id est, cùm in desertis agerem locis procul à tabernaculo, perinde tamen orabam,atque si in sancto, id est, in sacrario,& tabernaculo præsens orarem.Sanè,vt aliqui dicunt,& nos putabamus esse probabile in nostris commentariis super Isaiam ad caput 38. ideo graui percussus morbo conuersus ad parietem Ezechias orauit, quia pars illa templum intuebatur, cui,qua ratione poterat,præsens esse voluit. Fecit sanè Daniel,cùm captiuus esset Babylone,qui huius orationis Salomonis memor Dan. capite 6. *Fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.*

53. Hebræi,vbicumque essent, cõuersi ad templum orabant.

54. Christiani olim cõuersi ad Orientẽ orare solitì.

Vt autem Hebræi,cùm orarent, certum habebant locum, in quem venerabundos oculos, & supplices intenderent manus, sic etiam Christiani primis Ecclesiæ temporibus suum quoque locum certum habuerunt, ad quem in orando faciem, animúmque conuerterent : ad Orientem namque conuersi suas ad Deum preces effundebant. Ita Iustinus Martyr quæst.118. ad Orthodoxos, Tertullianus in Apologetico capite 16. Epiphanius hæresi 19. quæ est Ossenorum, & plures alij antiquorum Patrum plura in nostris commentariis ad illum Danielis locum,de quo proximè.

55. Humilitas vim addit, & pondus orationi.

Vers.47. *Dicentes:Peccauimus,iniquè egimus, impiè gessimus.* ] Hæc videtur fuisse olim ante Salomonis æuum,& multis postea sæculis orandi forma à pœnitentibus communiter,& quasi legitimè concepta,iuxta illud documentum,quod Salomon ipse tradidit Prouerb.cap.18.vers.17.*Iustus prior est accusator sui.*Sic Daniel cap.9.v.5. idem adhibet orationis exordium, *Peccauimus,iniquitatem fecimus, impiè egimus.* Eodem penè modo Azarias Dan.3. versiculo 29.& Baruch capite 1.versiculo 17. Et quidem si qua est oratio, quæ cœlos penetret, & ab irato Deo misericordiam extorqueat, illa est, quam in Deum iaculatur humilitas.Eccli.35.v.21. *Oratio humiliantis se,nubes penetrat, & donec propinquet non consolabitur:& non discedet, donec Altissimus aspiciat.*

Vers.51. *Quos eduxisti de terra Ægypti,de medio* 56.

*fornacis ferreæ.* ] Fornax ferrea prouerbialis est forma, qua significatur ærumnosa vitæ conditio, & dolor acerbissimus. Nam fornax, quia ab igne calet, imò quæ si igne careat, propriè fornax non est, non potest esse non durissima; siue ideo dicatur ferrea à materia, ex qua formata est, quæ quia ignem concipit, & ipsa ab igne candet, vrit acutissimè, qualis fuit illa sartago, in qua torreri iussus est quidam adolescens è Machabæorum genere lib. 2. Machab. cap. 7. & qualis fuit æneus taurus, cui ignem suppositum Phalaris, & inclusum illius autorem torreri iussit. Siue certè ferrea dicitur, quia in illa ferrum, & alia metalla liquefacta soluuntur, cuius vis non potest non esse quàm maxima, cùm in metalla vsque adeò dura tantum habeat potestatis. Quia ergo grauibus in Ægypto afflictabantur incommodis Hebræi, non semel in Scriptura fornax dicitur ferrea, vt Deut. cap. 4. v. 20. & Ierem. c. 11. v. 4. Vbi nos ea de re pluribus. Quare his verbis non significatur aliud, quàm de duro carcere, & de ærumnosa vitæ conditione liberatum esse Iudæorum genus.

*Fornax ferrea pro dura vitæ conditione.*

57. *Genua in oratione flectere omnib. penè Gentibus solēne.*

Vers. 54. *Surrexit de conspectu altaris Domini, vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.* ] Suprà diximus in basilica, id est, in atrio filiorum Israel stetisse Salomonem. Ibi, *orauit de genibus, & manus expandit supplices ad altare.* Peracta iam oratione surrexit, vt populo benediceret, de qua benedictione statim. Nunc autem obseruandum tam antiquis, quàm nostris temporibus, tam apud eos, qui veram, & sanctam, quàm qui fallacem, & impiam religionem coluerunt, in more positum in orando genibus insistere. De sacris sunt obuia. Daniel. cap. 6. v. 10. *Tribus temporibus in die flectebat genua.* Isai. cap. 45. v. 23. *Mihi curuabitur omne genu.* Matth. cap. 27. v. 29. Milites veros adoratores imitati illudentes Christo, *Genu flexo ante illum illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum.* Actor. 7. v. 60. positis genibus orauit Stephanus. & cap. 20. v. 36. Paulus cum sociis genibus etiam flexis in orationem incubuit. Quod item fecit Petrus ibidem cap. 9. v. 4. De profanis probat ille locus nuper citatus ex Matth. Nam illi milites, qui ludibundi flectebant ante Christum genua, Gentiles erant; nisi quis dicat illos ad Hebræorum potius, quàm ad Romanorum morem incuruasse genua. Sanè qui ad alios accedunt, genua illorum amplectuntur, aut osculantur, vt sæpe legis apud Homerum, quod vt faciant, necesse est, vt dum tangere aliena student, in sua ipsi genua procumbant. Certè orantes quædam miseræ, atque pauperculæ adolescentulæ exurgere iubentur à genibus, è quibus videlicet supplices orabant, ad quas fœmina quædam locuples miserta illarum paupertatis dicit apud Plautum in Rudente Actu 1. Scen.

*Qui sunt.*
*Manus mihi datæ, exurgite à genibus amba.*

Seneca in Hercule furente Amazonidum Reginam ante victorem Herculem flexis genibus procubuisse tradit Actu 2. in choro. Ouid. lib. 3. Met. Acteoni in ceruum conuerso orantis habitum attribuit.

*Et genibus pronus supplex, similíque roganti*
*Circumfert tacitos tamquam sua brachia vultus.*

Idem libro sexto Metamor. de Io in iuuencam mutata.

*----Positis in margine ripæ*
*Procubuit genibus, resupinóque ardua collo*
*Quos potuit solos tendens ad sydera vultus,*
*Et gemitu, & lacrymis, & luctissono mugitu*
*Cum Ioue visa queri, finémque orare malorum.*

Idem libro secundo Fastorum hoc orantis, ac supplicum habitu Iunonem à Romanis cultam esse camt.

*Monte sub Exquilio multis incæduus annis*
*Iunonis magnæ nomine lucus erat.*
*Huc vbi venerunt pariter nuptæque, virique*
*Suppliciter posito procubuere genu.*

Et lib. 3. Fastorum, vt Sabinæ fœminæ iam ad arma præcipites maritos, & patres continerent, inter medias acies constitisse dicit, atque ibi positis genibus, & armatas precibus, & lacrymis, ad pacem, & beneuolentiam adduxisse illos, qui non nisi de sanguine, & cæde cogitabant. Cur verò in Ecclesia institutum sit, vt certis anni temporibus non de genibus fideles, sed stantes orent, diximus in nostris commentariis super Danielem cap. 6. ad locum proximè citatum. Vide ea de re Iustinum q. 115. ad Orthodoxos.

Vers. 55. *Stetit ergo, & benedixit omni Ecclesiæ Israel.* ] Benedicere duo significat, & laudare, & bene alteri precari. Alterum priùs fecit Salomon erga Deum, quem laudat, quia pacem, & requiem dedit Israeli, qua tunc populus ille fruebatur, & quia fideliter impleuit omnia, quæ prædixisset antè, aut promisisset per Moysem ab eo vsque tempore, ex quo in suam fidem, atque tutelam illum recepit. Deinde optat, precatúrque populo ea omnia, quæ si seruare voluerit, patronum habebit Deum, atque custodem salutis, libertatísque suæ. Precationis, ac voti summa est, vt si velit populus ille, vt hi sermones, ac preces appropinquent Deo, id est, obtineant postulata, neque repulsam ab offenso Deo patiantur; ipsi se totos ad diuinæ legis præscriptum attemperent. Quæ verò reliqua sunt ad numerum vsque 62. sic sunt aperta, vt nihil desiderent lucis ab interprete.

58. *Benedicere quid significet.*

Illud hîc notandum, quædam ex lib. 2. Paralip. cap. 6. vers. 41. fuisse addita huic Salomonis orationi sumpta ex Psal. 131. vers. 8. vbi hæc eadem propè verba dicta sunt à Dauide. *Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu, & arca fortitudinis tuæ. Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, & sancti tui lætentur in bonis Domine Deus, ne auerteris faciem Christi tui, memento misericordiæ Dauid serui tui.* Quibus verbis contineri videtur orationis longæ summa complexiò. Petit enim vt in templo statuat & sibi, & arcæ requiem, id est, stabile, atque perpetuum domicilium, & sacerdotes qui in templo sacra obeunt ministeria, saluos seruet, & iustos, & bonis cumulet, quibus lætentur: & illa tandem, quæ Christo suo, id est, Regi vncto Dauidi pollicitus, Illud enim est non auertere, id est, non confundere Christi, id est, Dauidis faciem. Quid verò Deus Dauidi promiserit, quódque hoc loco Salomon seruatum esse velit, expressit Dauid Psal. suprà citato: cùm enim dixisset, *Non auertas faciem Christi tui*, subdidit: *Iurauit Dominus Deus veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, &c. Quòd si Salomon seipsum in Christo intellexit, quia ipse quoque vnctus est, orat Deum, vt propter Dauidis merita, ratam esse velit petitionem suam.

59. Vers. 62. *Igitur Rex, & omnis Israel in eo immolabant victimas coram Domino.* ] Hæc eò spectant, vt templum, in quod iam arca introducta fuerat, legitimo ritu, qui, vt opinor, præscriptus fuerat à Deo, & à patre Salomoni traditus, dedicaretur ad sacros, & sacrificales vsus. Tunc verò aliquid dedicari existimatur, cùm primùm auspicatur opus, ad quod fuerat à Domino, seu artifice destinatum. Qua de re pluribus egimus in nostris commentariis

riis super Danielem ad caput 3. vbi egimus de dedicatione statuæ, quam ex auro conflauit Nabuchodonosor, & populo plus satis obsequenti, & credulo, tamquam aliquid sacrum, adorandam proposuit. Ex eo loco nos aliqua hîc transcribamus, quia non minus hîc, quàm illic necessaria.

60. *Dedicatio quid, & quomodo facta.* Dedicari aliquid, seu consecrari dicitur, cùm ex profano fit sacrum, seu cùm ex communi, atque vulgari vsu ad sacrum traducitur; quomodo templa dedicari; aut luci, aut altaria dicuntur, cùm religioni, aut operi sacro destinantur. In ea verò dedicatione actio aliqua intercedit plerunque religiosa, & sacra, quæ quoddã initium est, & auspiciũ operis illius, quod ex instituto, ac sæpius obeundum est. Quomodo profani locum aliquem dedicent, faciántque religiosum, & sacrum, dicemus postea. Nunc tantùm de Hebræorum ritu, quem in dedicando templo, aut altari seruant, dicendum est. Quòd in huiusmodi rebus dedicandis actio aliqua intercedat sacra, probat satis hic locus, quem nunc versamus, vbi orare dicitur Salomon ad altare conuersus, immolasse victimas; & eodem tempore, vt legimus lib. 2. Paral. cap. 7. Sacerdotes, & Leuitas in organis musicis de more cecinisse. Idem penè fecerunt filij Israel, cùm ex Babylone remigrarunt in dedicatione reædificati templi; & longo pòst tempore Machabæi, cùm nouum altare constructum est pro eo, quod pollutum fuerat, ac profanatum à Gentili populo. 1. Machab. cap. 4. vers. 56.

61. Hoc idem in dedicatione locorum, aut earum rerum, quæ sacris destinantur ministeriis, fieri etiã à profanis multa docent. Cicero pro domo sua consecrata fuisse dicit Attilij bona, posito foculo, in quo nimirum adolerentur aromata, & adhibito tibicine, vbi sacrificia vides, & harmoniam. Et quando Nabuchodonosoris statua Dan. 3. dedicata est, adoratio interceßit vniuersi populi, & symphonia multiplex. De templorum, ararum, lucorúmque consecratione, vide Alexandrum Neapolitanum lib. 6. cap. 14. Genial. & ibi Tiraquellum. Quomodo dicatur dedicari domus, aut theatrum, aut locus aliquis publicus, cùm primò ad vsum illum adhibetur cuius gratia instituta sunt, diximus ad illud caput 3. Danielis, de quo proximè. Sic Pompei theatrum dedicatum est, vt docet Cicero lib. 7. Epist. 1. Sic Amphitheatrum Domitiani, Martialis in amphitheatro. & Deuteron. cap. 20, prima recentis domus habitatio dedicatio dicitur. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam.*

62. Vers. 64. *In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini.* ] Atrium hoc sacerdotale est: nam & esse dicitur ante domum domini; neque in alio immolari poterant victimæ. Non poterant tot victimarum millia in vno tantùm altari holocausti sacrificari: atque ideo curauit Salomon vt medium atrij sacerdotalis in altaris vsum per sacerdotes dedicaretur, iuxtà ritum, opinor, qui Numer. cap. 7. præscribitur, & postea Ezechielis cap. 43. à v. 8. Quare atrium illud pro altari fuit, vbi iugulatæ, & immolatæ victimæ. Dicit autem Abulen. q. 18. id fieri eo tempore licuisse propter necessitatem, neque enim aliter immolari poterant eo numero victimæ, quæ magnam, etiam apud externos, religionis, & loci opinionem augebant, & ad illud tantùm dedicationis tempus. Quasi alio quouis tempore nefas foret extra altare holocausti sacrificia peragi. Hoc extremum valde mihi difficile, neque enim video quo modo in vno altari holocausti immolari potuerint tot victimarum millia, quot ab Ezechia lib. 2. Paralipomenôn cap. 30. & à Iosia capite 35. immolata dicuntur.

*Fecit quippe ibi holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum.* ] In his tribus sacrificiis omnia sacrificiorum genera continentur. Ex quibus aliquid est, quod in æreo altari adoleri, atque cremari debeat. De holocausto nemo dubitat, quod totum in Dei honorem ab igne consumitur, vt habes Leuit. cap. 1. Ex hostia pacifica crematur, & adoletur adeps, reticulum iecoris cum renunculis, Leuit. cap. 3. de sacrificio pro peccato, quod hîc, vt arbitror, sacrificij significatur nomine, eadem crematur, & adoletur Domino, Leuit. cap. 4. Quare nisi pro vno, multa in atrio designarentur altaria, aut in pauimento spatia ad illum vsum separata plurima, non posse aut celebritatis tantæ, aut tantæ populi religioni satisfieri. *facere* autem sumi interdũ pro *immolare*, & *sacrificare* probauimus in nostris commentariis supra Ezechielem ad illud cap. 43. v. 25. *Facies hircum pro peccato.* 63. Facere *pro immolare, & sacrificare.*

Vers. 65. *Ab introitu Emath, vsque ad riuum Ægypti.* ] Conuenerunt ad solemnitatem illam frequentes populi ab extremis finibus Israelitidis terræ. Ponuntur autem hîc duo exempli gratia, in quibus alij duo intelliguntur. Emath pars quędam est in monte Libani, quæ ad Aquilonem spectat, & nunc dicitur Antiochia Syriæ. Fluuius, seu riuus Ægypti est, qui dicitur Rhinocorura, qui terram promissionis à regione meridionali definit. 64.

*Septem diebus, & septem diebus.* ] Diximus suprà mense Ethanim, id est, mense septimo aduocatum esse populum, vt tantæ celebritatis sacris interesset. Quod eo consilio factum à Salomone putabamus, vt populus aliqua molestia, & sumptu leuaretur, cùm alioqui sub illud tempus ad festum tabernaculorum adesse cogeretur. Mansit ergo populus septem diebus, quibus templi fuit celebrata dedicatio, & totidem in tabernaculorum festo, quod erat institutum, & indictum à lege, quare quatuordecim in vtraque celebritate dies positi sunt à religioso populo. 65.

Vers. 66. *In die octaua dimisit populos.* ] In die octaua festi tabernaculorum, nam quatuordecim dies in duplici solemnitate celebranda posuerunt. Quod constat magis, quia lib. 2. Paral. cap. 7. v. 10. die vigesimo dimissus est populus, sed ille dies proximus est exacto tabernaculorum festo, quod septem constat diebus, & incipit Septembris die 15. vt constat Leuit. cap. 23. v. 34. Ex quo colligo dedicationis diem primum fuisse diem septimum Ethanim, id est, Septembris; cùm autem septem diebus dedicationis totidem tabernaculorum succederent continuò, quatuordecim dies fuerunt solennes, & sacri, quibus exactis die octaua, qui aliquomodo ad tabernaculorum festum pertinebant, cùm iam satisfactum esset religioni tanti festi, dimissus est à Salomone populus, & ad domos suas iussus reuerti. Eodem etiam loco Paralip. v. 9. dicitur Salomon feciße collectam, quia septem diebus altare consecrauerat, id est. quotidie multis victimis imbuerat. Voluit autem exacto septemdiali tabernaculorum festo, de more facere collectam, id est, pecuniam è populo corrogare, qui locum illum, & tempus obierat ad templi necessarios sumptus, siue, vt alij volunt, exactis septem diebus in tabernaculis, omnes in vnum congregati cõueniebant in templum. Vnde dies iste Leuit. 66. 67. *Dies collecta quis.*

cap. 23.

cap.23.v.36.dies appellatur cœtus,atque collectæ, hoc fortasse verius, vt indicat S. Thomas 1.2. quæst.102. art. 4. vbi indicat in ea collecta, siue cœtu significari adunationem populi, & pacem præstitam in terra promissionis. Idem tenet Burgensis in cap.23.Leuit. & probat Ribera lib.5. de templo cap. 18. & indicat hic locus non obscurè: nam die octauo,nempe qui proximè successit diei septimo tabernaculorum,qui in lib. Paral. vigesimus tertius esse dicitur Septembris,dimisit populum gratum, & hilarem, quod facere non posset, nisi adunatum, seu collectum habuisset in tẽplo.

68. *In dedicatione templi ignis de cœlo lapsus.* Addit præterea liber idem Paralipomenôn cap. 7.vers.1.cùm complesset Salomon preces, descendisse ignem de cœlo,& oblatas à Salomone victimas consumpsisse. Quasi Deus eo testimonio significare vellet placuisse sibi oblata sacrificia, & habere se velle eo in loco proprium,& stabile domicilium.Quod,vt notauit Iosephus lib. 8. cap.2. populum in eam cogitationem adduxit, confirmauitque,*Ignis*,inquit, *ex aere emicans, omnibúsque inspectantibus in altare delapsus correptas victimas absumpsit. Ad quod prodigium populus haud dubiam coniecturam fecit,in eo templo numen esse habitaturum, & præ gaudio procidens in solum vnanimiter adorauit.* Sic autem legimus loco Paralipomenôn citato. *Cùm complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo,& deuorauit holocausta, & victimas, & maiestas Domini implcuit domum.*Idem habemus lib. 2. Machab. cap.2. v.8. *Sicut cùm Salomon petiit, vt locus sanctificaretur magno Deo,manifestabat hæc: magnificè enim sapientiam tractabat, & vt sapientiam habens obtulit sacrificium dedicationis, & consummationis templi,sicut & Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de cœlo,& consumpsit holocaustum.* Quod porrò hic de holocausto Moysis dicitur ab igne consumpto,habemus Leuit. 9. vers.24. vbi in tabernaculi Moysis,quod hic in Salomonis templi dedicatione contigisse traditur.Erat autem illud persuasum ab initio mundi,id est, à sacrificio Abel: maximè cùm accessisset prodigium hoc in tabernaculo Moysis, sacrificium illud acceptum esse Domino, quod ignis desuper lapsus probauisset,adeò vt ipsi etiam idololatræ ad veri Dei cognitionem,hoc signum ab Elia propositum libenter admiserint. Cùm lib. Reg. 3. cap. 18. de vero Deo Eliæ foret cum Baal sacerdotibus orta contentio, dixit Elias vers.24.*Inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei, & Deus,qui exaudierit per ignem,ipse erit Deus,respondens omnis populus ait: Optima propositio*; & vt Elias cogitauit, sperauitque, Deus per ignem seipsum manifestans contentionem dirimit. Sic enim versiculo 38. *Cecidit ignis Domini,& vorauit holocaustum*, (nempe Eliæ)*& ligna,& lapides*,&c.*Quod cùm vidisset omnis populus,cecidit in faciem suam,& ait:Dominus ipse Deus.*

Addit Iosephus lib.8.cap.2.fecisse Salomonem, 69. quod pater ipsius antè fecerat, cùm arcam testamenti in domum suam introduxit lib.2.cap.6.Dimisit enim populum lætum, quem priùs aut epulo, aut cibo pro via prosecutus est. Sic autem ibi Iosephus.*Rex concionem dimisit sacris primùm factis, tam pro se,quam pro populo. Mactauitque vitulorum duodecim millia, agnorum centum, & viginti millia, & omnes Hebræi cum liberis, & vxoribus epulo sunt excepti.*

# IN CAP. IX. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*ORATIONI, quam Salomon habuit præcedenti capite, non statim Dominus respondit, sed postquam absoluto templo, alia etiam profana ad exitum vsque perduxisset, id est, anno vigesimo à fundato templo, & decimotertio postquam absolutum est. Eo igitur anno respondit Dominus Salomoni, sicut olim cap.3. in Gabaon, videlicet in somnis, placere sibi postulata, neque se vnquam à templo auersurum oculos, sicut ille petierat, habiturúmque rata quæcumque Dauidi parenti suo promisisset; si modò ipse, ac posteri à data sibi lege non recedant. Populo autem sic se futurum esse propitium affirmat, si patriæ religioni constans adhæserit: si verò aliter cogitauerit, ita esse vexandum hostiliter, vt omnibus populis propter graues, & continentes ærumnas ludibrio futurus sit, & fabulæ. Deinde, vt Salomon Regis Tyri studium, & sumptus compensaret, præter alia alimoniæ domesticæ subsidia, concessit illi in tractu Galilæo, qui Tyrios fines proximè contingit, ciuitates viginti, quas Hiram despexit, quasi vile aliquid foret, & impensis officiis prorsus indignum. Ad extremum numerantur ciuitates quædam, quas ædificauit, seu muniuit Salomon, & quas suo sibi imperio subiecit, quas ante illum nemo cùm ad Israeliticos fines pertinerent, subiugare voluit. Et quomodo statas quotannis immolarit victimas, classémque instruxerit in mari Rubro, vt ex peregrino cœlo asportaret aurum, exoticásque merces, quibus ornaret, augerétque populum suum, quem multis modis illustrare studuit.*

## CAPVT NONVM.

1. FActum est autem cùm perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini,& ædificium regis,& omne quod optauerat & voluerat facere,

2. Apparuit ei Dominus ſecundò, ſicut apparuerat ei in Gabaon.

3. Dixítque Dominus ad eum:Exaudiui orationem tuam,&deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, ſanctificaui domum hanc, quàm ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.

4. Tu quoque ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit pater tuus, in ſimplicitate cordis,& in æquitate: & feceris omnia quæ præcepi tibi,& legitima mea,& iudicia mea ſeruaueris,

5. Ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum, ſicut locutus ſum Dauid patri tuo,dicens:Non auferetur vir de genere tuo de ſolio Iſrael.

6. Si autem auerſione auerſi fueritis vos & filij veſtri, non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea,& ceremonias meas, quas propoſui vobis, ſed abieritis & colueritis deos alienos,& adoraueritis eos:

7. Auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis:& templum,quod ſanctificaui nomini meo,proiiciam à conſpectu meo, eritque Iſrael in prouerbium, & in fabulam cunctis populis.

8. Et domus hæc erit in exemplum:omnis qui tranſierit per eam,ſtupebit, & ſibilabit,& dicet:Quare fecit Dominus ſic terræ huic,& domui huic?

9. Et reſpondebunt:Quia dereliquerunt Dominum Deum ſuum, qui eduxit patres eorum de Terra Ægypti,& ſecuti ſunt deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt eos:idcirco induxit Dominus ſuper eos omne malum hoc.

10. Expletis autem annis viginti poſtquam ædificauerat Salomon duas domos, id eſt,domum Domini,& domum regis,

11. (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna, & aurum iuxta omne,quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in Terra Galilææ.

12. Et egreſſus eſt Hiram de Tyro, vt videret oppida quæ dederat ei Salomon,& nõ placuerunt ei, & ait:Hæcine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi,frater?

13. Et appellauit eas Terram chabul,vſque in diem hanc.

14. Miſit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri.

15. Hæc eſt ſumma impenſarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini & domum ſuam,& Mello,& murum Ieruſalem,& Heſer, & Maggeddo, & Gazer.

16. Pharao rex Ægypti aſcendit,& cepit Gazer, ſuccenditque eam igni: & Chananæum,qui habitabat in ciuitate, interfecit: & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.

16. Ædificauit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem,

18. Et Baalath,& Palmiram in Terra ſolitudinis.

19. Et omnes vicos qui ad ſe pertinebãt, & erant abſque muro, muniuit, & ciuitates curruum & ciuitates equitum,&quodcumque ei placuit vt ædificaret in Ieruſalem, & in Libano,& in omni terra poteſtatis ſuæ.

20. Vniuerſum populum, qui remanſerat de Amorrhæis,& Hethæis,& Pherezæis, & Heuæis,& Iebuſæis,qui non ſunt de filiis Iſrael:

21. Horum filios, qui remanſerant in terra,quos ſcilicet non potuerant filij Iſrael exterminare,fecit Salomon tributarios, vſque in diem hanc.

22. De filiis autem Iſrael non conſtituit Salomon ſeruire quemquam, ſed erant viri bellatores,&miniſtri eius,&principes,& duces,& præfecti curruum & equorum.

23. Erant autem principes ſuper omnia opera Salomonis præpoſiti quingenti quinquaginta,qui habebãt ſubiectum populum, & ſtatutis operibus imperabant.

24. Filia autem Pharaonis aſcendit de ciuitate Dauid in domum ſuam,quam ædificauerat ei Salomon: tunc ædificauit Mello.

25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta, & pacificas victimas ſuper altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino: perfectúmque eſt templum.

26. Claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſiongaber,quæ eſt iuxta Ailath in littore Maris rubri,in Terra Idumææ.

27. Miſítque Hiram in claſſe illa ſeruos viros nauticos,& gnaros maris, cum ſeruis Salomonis.

28. Qui cùm veniſſent in Ophir,ſumptũ inde aurum quadringentorum viginti talẽtorum,detulerunt ad regem Salomonem.

# IN CAP. IX. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers.1. *Factum est autem cùm perfecisset Salomon ædificium domus Domini,& ædificium Regis,&c.*

1 TER Dicitur Deus cum Salomone locutus fuisse. Primùm in somnis in Gabaon, cùm religionis,& sacrificij gratia eò profectus est, vt habes suprà cap. 3. vbi diuinitus sapientiam illi infudit, instruxítque vt domum sibi iuxtà præscriptam formam, & rationem absolueret. Iterum cùm intentus esset operis molitioni cap.6. quò confirmaret animum, & inflammaret studium, vt constanter,& auidè cogitata, atque incepta perficeret. Quo tempore non dicitur apparuisse Salomoni aut in somnis, aut aliquo alio modo, sed tantùm factum esse ad illum verbum Domini; sic enim ibi v.11. *Factus est sermo Domini ad Salomonem.* Tertiò hoc loco, in quo vult munerare tam constans, & incitatum Salomonis studium, quo rem ita perfecit accuratè,& sedulò, vt nisi opere ad omnes absoluto numeros, quiescendum sibi non putauerit. Dicitur tamen apparuísse Deus Salomoni secundò, quia semel tantùm illi apparuerat in somnis in Gabaon cap.3. Nam.cap. 6.non apparuisse; sed suam apparuisse volũtatem, quod per interpretem, id est, per Prophetam facere potuit. Neque enim sine causa dicitur v.2. *Apparuit ei Dominus secundò, sicut apparuerat ei in Gabaon.* in somnis videlicet, quod habes magis expressum cap.7.lib.2.Paralip. v.12. vbi Deus apparuisse dicitur in nocte. In hunc modum hæc, quæ non minus consentire videbantur, conciliat Abulensis q.4.

2. Hæc autem apparitio contigit postquam absoluta est domus regia, & alia ædificia, de quibus cap. 7. in principio. Cùm autem in operibus illis minoribus, atque profanis tredecim anni fuerint à Salomone consumpti, consequens est, vt dicamus anno à dedicatione templi decimotertio in somnis Salomoni apparuisse Dominum, id est, à fundato templo anno vigesimo. Neque deest aliqua ratio, cur ad id vsque tempus illud Domini familiare colloquium deferri debuerit. Nam cùm absoluto templo Salomon ad domum sibi, atque Ægyptiæ coniugi exædificandam adiecisset animum,& inanes sumptus contulisset; addidisséque alias ad similitudinem Libani delicias, minùs videbatur ad cœlestem illam illustrationem idoneus. Cùm autem ab insanis illis substructionibus animum auocasset,& ad alias curas,& studia trãstulisset,& quod eripuerat temporis ædificandi ardor, illud sacris obeundis religiosè, & rebus pro suo munere, & nomine administrandis impenderet, locum dedit illustrationi diuinæ, quem sæculares, atque profanæ cogitationes abstulerant. Hæc videtur assignari posse ratio, cur tandiu videatur illustratio illa, atque apparitio dilata.

3. Vers.3. *Dixítque Dominus ad eum: Exaudiui orationem tuam,& deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me.* ] Tredecim anni transacti fuerant, ex quo Salomon in templi dedicatione illam orationem habuit, de qua proximo capite: cui Deus nunc, cùm minùs Salomon de sua petitione cogitaret, respondit. Et quia Deus obseruauerat, probauerátque omnia, quæ sibi, templo, ac populo precatus est Salomon, ad eorum singula respondit, annuítque postulatis. Quare cùm illa, quæ Salomoni fuerunt in votis,& subiecta precibus, neque obscura sint,& à nobis, vt reor, explicata satis, non est cur aliquid in his diuinæ illustrationis verbis operæ ponamus; cùm nihil contineant aliud, quàm liberalem concessionem illorum, quæ precatus Salomon fuerat,& quid Deus, vt illa bona sint perpetua à Salomone populóque desideret.& hæc posteriora à nobis explicata sunt lib.2. cap.7.vbi hæc eadem promissa sunt Dauidi, cùm primùm de ædificanda domo stabili Domino religiosam cogitationem suscepit,& propositæ minæ, si minùs legi, voluntatíque diuinæ posteri forent obsequentes.

4. Vers.7. *Eritque Israel in prouerbium, & in fabulam cunctis populis.* ] Multa promittit Deus Israeli, si quod ab illo officium,& religio postulat, fideli obseruatione præstiterit; neque pauca minatur, aut leuia, si religionem prodat, & minùs se diuinis legibus obsequentem præbeat. Quem sic vrgendum dicit grauibus, atque familiaribus incommodis, vt externis populis tribuat satis amplam insultandi, & subsannandi materiam. Vt enim cùm grauia significare volumus infortunia,& sibiipsis cohærentia mala, prouerbiali specie, Myforum ærumnas, & Herculis labores appellamus; sic cùm posteri magnum aliquod, & continens malum exprimere voluerint, ex Iudæorum ærumnosa. ac vili conditione sument exemplum,& prouerbialem dicendi modum. Has porrò minas sæpe à Deo propositas audierunt Hebræi Deut. 28. v. 37. *Eris in prouerbium,& in fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Deus.* Ierem.cap.24.v.9. *Dabo eos in vexationem afflictionémque omnibus regnis terræ, in opprobrium, in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis.* Zachar. cap.8. versiculo 13. *Et erit sicut eratis maledictio in gentibus.* *Hebræorum labor factus aliis prouerbio.*

Vers.8. *Quare fecit Dominus sic terræ huic*, &c.] Hæc eadem verba dixit Dominus Deut. cap.29.v. 24.& iterum per Ieremiam cap.22.v.18. Et quidem sic fuit populi quondam nobilis,& lauti conuersa, afflictaque fortuna, vt omnes admirari potuerint mutationem illam, & causas inquirere, cur Deus abiecisse videatur populum, cuius antea paterna sedulitate prouiderat.

5. Vers. 10. *Expletis autem annis viginti postquam ædificauerat Salomon duas domos,*&c. ] Eodem anno, quo Salomon à Deo in somnis hinc sermonem accepit, compensare voluit Regis Tyri tam liberale, ac propensum studium, quo aurum, & ligna obtulit de Libano ex abiete, & cedro quotquot ad egregias, sumptuosásque molitiones habuit necessaria. Quare viginti annorum operas, & sumptus viginti oppidorum concessione prosecutus est, quæ in ea Galilææ regione sita erant, quæ Gentilium hominum terminos attingit, quæ ideo Galilæa gentium appellata est Isai.cap.9.v.1. Quæ cùm Hiram esset per otium contemplatus, quasi

pro

pro compensatione ; atque officio accepisset iniuriam , liberè cum Salomone , quasi merces illa exigua foret , & vilis , expostulauit. Atque ideo appellauit *chabul* , quæ vox aliquid sonat Phœnicum lingua vile, vt putat Iosephus libro octauo, capite secundo,aut id quod displicet, Rab. Salomon , vt refert Lyra , lutosam terram interpretatur, Rab.Nahaman arenosam. Quidquid tamen sit siue ab vligine,& luto , siue ab arena,& glarea, siue ab alia soli infelicitate id contigerit , displicuit tractus ille terrarum Regi Tyrio , & suas sibi Salomoni ciuitates habere iussit. Ita putat Iosephus suprà,& videtur certum ex his,quæ proximè dicentur.

7. An Salomon Gentili Regi aliquid ex Israelitarum funiculo tradere potuerit , id est , Dei hæreditatem abalienare, & quodam modo iddolorum impiæ consecrare religioni , quærit Abulensis quæst. 8. & omninò negat partem aliquam è terra promissionis alteri potuisse tradi mancipio : & in eam sententiam adducit rationes prudentum iudicio non infirmas. Prima , quia neque hæreditas ex vna tribu ad aliam transferri poterat , ne vlla esset sortium , familiarúmque confusio. Neque si quid ad alienos , id est , ad alienam familiam esset pretio distractum , id vllo modo poterat esse perpetuum : atque ideo Iubilæi tempore ad priores dominos redibat alienata possessio. Deinde , quia nullus abdicare poterat à sua familia , nisi id , cuius erat omnino dominus, vt de illa suo arbitratu statuere posset ; sed ex illa ad regiam maiestatem & sumptus vsum capiebat , & fructum,in hæc posteriora liberam habuit potestatem ; atque ideo ad alterum , ad certum aliquod tempus salua lege , ac religione transcribere potuit : mancipium tamen, siue Dominium integrum ac solidum non potuit. Quòd verò terra illa Deum habuerit , non Regem Dominum , habemus ex Leuit. capite vigesimoquinto, versiculo vigesimo tertio. *Terra quoque non vendetur in perpetuum ; quia mea est,& vos aduenæ, & coloni mei estis: vnde omnis regio possessionis vestræ sub redemtionis conditione vendetur.* Lege totum caput , quod valde facit ad Abulensis sententiam. Putat igitur Abulensis, non tradidisse Salomonem ciuitatum illarum Regi Tyri mancipium , sed vsum , vt illarum fructus tandiu perciperet,quandiu de impensis in templi , regiæque domus constructione factis sibi satisfaceret. Sed , vt putabat Iosephus, quod mihi etiam videtur valde verisimile , non admisit Tyrus , quia illæ ciuitates non videbantur eiusmodi , vt ex illis vllo modo , aut non nisi diu , & cum graui molestia tanti sumptus compensari potuerint. Neque omnia Salomon à Tyrio gratis acceperat. Ea enim lege comportari à suis voluit cæduam materiam , vt habes suprà capite quinto, versiculo decimo, Salomon domui suæ in cibos necessaria interea præberet. *Præbebis*, inquit Tyrius , *necessaria mihi,vt detur cibus domui meæ. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibũ domui eius , & viginti coros purissimi olei.Hæc tribuebat Salomõ Hirã per singulos annos.*

8. Vers.14. *Misit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri.* ] Non misit Hiram hæc tot talenta exactis viginti annis à fundatione templi , quando oblatæ fuerunt à Salomone ciuitates viginti , & ab ipso reiectæ : neque enim absoluto iam templo , & aliis substructionibus , quas Salomon immani quodam sumptu moliebatur ; necessarium erat vim illam auri maximam conferri. Ita Abulensis quæst. octaua. Significatur hic quantum auri à Rege Tyri collatum fuerit , cuius sanè summa magna fuit , cuiuscunque pretij , ac ponderis talentum esse statuas. Nam habuisse talentum sub hæc tempora tantum ponderis , quantum olim cùm Moyses populum ex Ægyptio iugo liberauit, nunquam mihi persuadere potui. Cùm autem Hiram tantum lignorum ex cedro , atque abiete tribuerit , insuper tot auri talenta , nihil mirum si stomachosiùs tulerit pro tanta liberalitate tam vilem,atque exiguam mercedem à Salomone rependi.

9. Vers.15. *Hæc est summa expensarum , quam obtulit Rex Salomon ad ædificandam domum Domini*, &c. ] Hic locus ad versum vsque 20. obscurus est , & impeditus valde. Communiter interpretes illud , *Rex Salomon* , in recto statuunt , quasi expensas fecerit Salomon , in illis rebus , quas aut ædificauit de nouo , aut instaurauit , & muniuit ; quas ad versum vsque vigesimũsecundũ enumerat. Neque exiguum esse oportuit , quod in tanta , ac tam multiplici molitione consumptum est. Hanc ego sententiam cum aliis amplector, ita tamen , vt in summa non intelligam numerum,aut pondus argenti , atque auri , quod expensum est , sed numerum , & rationem eorum, in quibus construendis , & concinnandis tot à Salomone diuitiæ consumptæ sunt. Et quidem vox Hebraica דבר *Dabar*, pro qua vulgatus reddidit , *summam* , non rarò causam, rationémque significat. Vbi vulgatus *obtulit* , Hebr. est העלה *heclahah* , quæ propriè valet *ascendere fecit* , quæ vox ad varios patet vsus , neque magis valet *offerre* , quàm *afferre*. Quare sensus est. Hæc est causa , aut materia expensarum , & sumptuum, quos fecit Salomon. Primo loco constituit domum Domini , deinde domum regiam , postea ciuitates quas muniuit , aut de nouo constrvxit , de quibus aliquid nobis dicendum est.

10. *Et Mello.* ] Diximus suprà 2. Reg. 5. versiculo 9. quid esset Mello , & quomodo à Dauide deductus fuerit murus , qui ciuitatem eius , id est, arcem Sion circumquaque vallauit. Nunc verò audimus ædificatam à Salomone , qui partem illius templo , partem iuxta sententiam Hebræorum ( vt tradit hîc Lyra , & Abulensis quæst.8. ) ædificiis aliis occupauit , ad ornatum, & vsum illius domus , quam vxori suæ Pharaonis filiæ magnificis operibus extruxit. Cùm autem eo in loco communi ciuium vsui magna foret commoditas,quia prope templum erat, & ibi qui religionis gratia venerant , expectareque poterant sine vlla, aut certè cum minori molestia , grauiter tulerunt ciues ereptum sibi,peregrinisque locum opportunum hominibus,maximè,vt seruiret Ægyptiæ fœminæ siue ambitioni,siue deliciis.Eam ob causam aliqui reuelarunt contra Salomonem , quorum Princeps fuit Ieroboam filius Nabath, qui postea decem tribus à Hierosolyma & templo , atque à Dauidica familia distraxit,infrà cap.11.v.26. *Ieroboam quoque filius Nabath.*&c. *leuauit manum contra Regem,& hæc est causa rebellionis aduersùs eum , quia Salomon ædificauit Mello,& coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui.* De Mello variæ sunt sententiæ,quas enumerare longum esset,atque molestum opus , & sine magno tantæ operæ pretio. Quod Hebræi putant,minus mihi videtur habere difficultatis : neque aliter video , quomodo ædificata Mello Salomon offensionem populi, atque inuidiã incur-

incurrere potuerit,& maximè, vt diximus, Ieroboam.

11. Vers.16. *Pharao Rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer*,&c.] Docet quomodo hæc ciuitas ad Salomonis potestatem veniret, cùm ante illud tempus non fuerit ab aliis,qui rei Israeliticæ præfuerunt, in prouinciam redacta, sicut aliæ plurimæ ciuitates,quas descripti terræ promissionis termini amplectebantur. Ascendit autem in terram promissionis Pharao, vt Salomoni dotatam filiam matrimonio coniungeret, neque putauit futuram despicabilem dotem, si summoto Chananæo domino,qui Hebræorum nomini semper fuerat infensus,illius ciuitatem Salomoni genero subiiceret; quòd facile consecutus est. Quam Salomon ædificauit, sepsitque mœnibus cum ciuitatibus aliis, quas statim recenset. Quidam dotatam Pharaonis filiam negant esse,quia apud Hebræos sponsæ non à parentibus, sed à nouo coniuge dotem accipiunt. Atque ideo non tam dotis, quàm muneris nomine ciuitatem illam traditam esse putant. Coniectarent illi optimè, si eadem esset externis Regibus consuetudo, quæ Hebræis. At externi, quales erant Ægyptij, filias suas indotatas domo abire non sinunt. Quòd verò à parentibus dotatæ ad nuptias adducantur filiæ, res est nota. De quo pluribus Tiraquellus in leg. connubial. l. 5. vnde sæpe audimus fœminam ab honestate, & ingenuo pudore satis esse dotatam, quantumcunque sit pauper. Sic sanè Lacæna puella paupercula rogata,quam dotem allatura esset sponso;pudicitiam respondit à maioribus traditam. Ita Plutarchus in Apophtheg.Lacon. Et idem de pulchritudine dixit Apuleius apologia 2.vbi ait satis secum dotis afferre virginem,licèt sit oppidò pauper, si sit pulchra,quod ante illud Ouidius cecinit.

*----Dos est sua forma puellis.*

12. *Et Palmyram in terra solitudinis.*] Palmyra expositio est vocis Hebraicæ תמר *Tamor*, quæ palmam significat, quasi dicas, ciuitatem palmarum,quo modo vocata est Iericho, quia palmis abundabat. De hac videtur Plinius loquutus fuisse lib.5. cap. 15.quam exactè describit,sicut etiam Iosephus lib. 8.cap.2.

13. Vers.19. *Et omnes vicos,qui ad se pertinebant, & erant absque muro,muniuit.* ] Hinc coniectare quis posset hos vicos,qui à Salomone dicuntur vallati mœnibus, non procul esse ab hostilibus finibus, quasi ibi fuerint aliquot vici, qui ad ipsius ditionem non pertinuerint.Nã vicos omnes, quotquot erant in terra promissionis,à Salomone fuisse vallatos,res videtur admodum creditu difficilis. Accedit quòd aliquot ciuitates statim dicuntur à Salomone munitæ,quæ erant,vt apparet, & magnæ, & procul ab hostili terra, de quibus non ageretur hic seorsum,si de omnibus vicis, quotquot essent in terra promissionis,superior esset sermo.

14. *Et ciuitates curruum, & ciuitates equitum.* ] Habuisse Salomonem multa equorum millia currilium,multa equestrium,diximus suprà cap.4. v.26. Hos verò in variis ciuitatibus ditionis suæ ali(nimirum quæ non procul abessent à regia domo, seu sede ) habemus libro secundo Paralipomenôn capite 9.versiculo 25. *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum instabulis, & curruum, equitúmque duodecim millia, constituitque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat Rex in Ierusalem.* Has ciuitates Salomon mœnibus sepsit, tum quia ipsæ eo ornamento, & munimento non videbantur indignæ : tum quia illud belli subsidium, & pacis ornamentum ab hostium calliditate, & impetu seruatum oportuit.

15. Vers.20. *Vniuersum populum, qui remanserat de Amorrhæis,& Hethæis*,&c. ] Remansisse à Chananæo genere quamplurimos in terra Chanaan, quam ante Hebræorum appulsum ipsi possederant, constat ex versiculo 16. de quo nuper. Vbi Pharao dicitur è ciuitate Gazer eiecisse Chananæum,& ciuitatem illam dotis nomine Salomoni tradidisse genero,& Iosue capite 16.àversiculo 10. Vbi Chananæus habitasse dicitur in terra Ephraim. Et capite 17. versiculo 12. hoc idem fecisse dicuntur iidem Chananæi in terra Manasse. & in pluribus aliis tribubus multi dicuntur ex eo genere relicti,qui subiugari non potuerint ab Hebræis. Hos non expugnauit Dauid, sed reliquit tributarios,sicut aliquos ex eadem gente, qui neque priùs à Iosue, neque postea Iudicum tempore subiugati fuerunt, aut expulsi;sed hi fortasse aut impositum à superioribus onus recusabant, quos sua autoritate, & viribus Salomon edomuit, aut, quod verius puto,grauius illis tributum,quod antè illorum aliqui nescierant,onus imposuit personale,de quo statim.

*Non omnes Chananæi terra promissionis expulsi.*

16. Vers.22. *De filiis autem Israel non constituit Salomon seruire quemquam,sed erant viri bellatores*, &c.] Hinc ego colligo impositum esse à Salomone Chananæorum reliquiis personale seruitium, cui opponitur Hebræorum ab illo seruili onere libertas. Neque enim à vectigalibus immunes fuerunt Israeliticæ tribus, quas sic vehementer oppressit Salomon,vt illo defuncto omnes communi conspiratione ad filium eius Roboam conuenerint,dixerintque durum impositum fuisse à parente iugum,illúdque vt leuius redderet, communibus orauerint votis. Quod autem seruire Salomon fecerit homines ab Israelitico genere semine alienos,vidimus suprà capite quinto,vbi diximus eos, qui onera portabant,& opus exercebant verè seruile,quódque nihil haberet artis,vel ingenij,fuisse alienos ab Israelis genere, licèt non omnes ab eius religione, quod probabamus ex illo libro secundo Paralipomenôn capite tertio,versiculo 17. *Numerauit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel*, &c.*& erant centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti, fecitque ex eis septuaginta millia,qui humeris onera portarent,octuaginta millia,qui lapides in montibus cæderent.* Filios autem Israel ingenuis operibus addixit, nempe vt arma tractarent,vt curis præessent publicis, vt haberet in graui, atque molesta regni administratione adiutores,& socios;neque aliam ab illis personalem operam exigebat, nisi fortasse iusta compensatam mercede. lege caput 2. Paralipomenôn proximè citatum, & videbis quot ex suo genere Salomon publicis operibus præfecerit.De hac re vide Abulensem q. 11. vbi probabile putat Salomonem eo tempore,quo sanctè,& moderatè vixit,ab omni onere exemisse viros Israelitas, neque durum imposuisse iugum;in ætatis tamen flexu, vt mutauit mores,sic etiam ingenio mutato, cœpisse in suos esse crudelem.

17. Vers.24. *Filia autem Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domum suam, quam ædificauerat ei Salomon, tunc ædificauit Mello.* ] Cùm iam pro Pharaonis filia domum ædificasset Salomon pro regiæ coniugis dignitate. In illam traduxit ex ciuitate Dauid, vbi ad illud vsque tempus habitauerat. Cúmque ciuitas esset in superiori loco, ascendisse

ascendisse tamen dicitur iuxta Hebræorum idioma; apud quos, vt diximus lib. 1. Regum cap. 14. n. 11. *ascendo, & descendo*, idem est quod venio. Ex eo quod additur statim, *Tunc ædificauit Mello*, colligebant Hebræi, vt paulo antè diximus, abstulisse Salomonem publicis hominum conuentibus & vsibus plateam, seu aream, quæ dicebatur Mello (ab hominum fortasse frequenti multitudine, nã hæc vox multitudinem indicat) & illã ad filiæ Pharaonis, additis ædificiis, habitationem accommodasse. Cur Salomon in regia Dauidis ciuitate habitare noluerit, peregrinam fœminam, quæ non satis fortasse religioso coniugi suam religionem, ac fidem probauisset, discimus ex lib. 2. Paral. cap. 8. v. 11. *Dixit enim* (Salomon) *Rex, non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Israel, eo quòd sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.* Qui locus pro templorum reuerentia, atque obseruantia obseruandus est. Non credo Salomoni Pharaonis filiam, id est, Ægyptiam, & alienæ religioni addictam fœminam nupsisse, nisi patriam abiurasset religionem, & Israeliticam foret amplexata: at id fœmina, quæ à primis incunabulis gentilicis, fuerat corrupta moribus, & impiis imbuta sacris, quæ non nisi difficilè exuuntur ab animis, simulatè id facere potuit, ne à tanti Principis nuptiis excideret. Quod cùm acutus & prudens esset odoratus, habitare eam noluit in ea domo, quam Deus speciali quadam ratione consecrasset.

Ascendo & descendo idem quod venio.

18. Vers. 25. *Offerebat quoque Salomon tribus vicibus holocausta, & pacificas victimas.*] Tres illas vices explicat liber 2. Paral. cap. 8. vers. 13. *In solemnitate*, inquit, *azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.* His diebus Salomon tam in altari holocausti, quod erat ante porticum in atrio sacerdotum, quàm in altari thymiamatis, in quo varij cremabantur odores, multa Deo ad suũ quæque accommodata altare obtulit, victimas quidem in holocausti, odoramenta in thymiamatis altari. Neque tamen ideo alias inter ea omittebat hostias, quæ iuxta Moysis præcepta aliis diebus immolari debebant; licèt id ex hoc loco non habeamus, nisi admodum obscurè. Neque enim in hoc loco Paralip. Salomon dicitur in sabbatis, & calendis, & diebus aliis festis immolasse, sed in eo altari superiore obiisse sacrificia, vbi ex præcepto Moysis offerri poterant in calendis, Sabbatis, diebúsque aliis festis.

10. *Perfectum est templum.*] Iam sæpe dictum est absolutum esse templum, imò & Regis domum, & alia omnia alia, quæ Rex ipse Salomon voluit. Cur ergo sine vlla, vt videtur, causa Salomonis templum perfectum esse dicitur? Mihi illa se offert primùm, vt ostendatur omnia sacrificia in vtroque altari fieri commodè potuisse, quia iam omnia, sic erant perfecta, vt ad tantum opus nemo posset quicquam desiderare, & cùm iam Salomon nihil haberet vltrà in templi fabrica, in quod necesse esset sumptus conferre, in sacrificia contulit liberaliter, quæ mira pietate, & regia liberalitate peregit. Hoc ipsum videtur explicuisse liber 2. Paralip. cap. 8. v. 16. *Omnes*, inquit, *impensas præparatas habuit Salomon ex eo die, quo fundauit domum Domini, vsque in diem, quo perfecit eam.* Vbi videtur esse recapitulatio quædam, & quasi epiphonema, quam adhibere interdum solemus, quando absoluta aliqua narratione, ad rem aliam diuersam orationem traducimus.

20. Vers. 26. *Classem quoque fecit Rex Salomon in Asiongaber quæ est iuxta Ailoth in littore maris Rubri in terra Idumææ.*] Iam gradum facit historicus facer ad explicandas Salomonis diuitias, & quo illas modo congregauerit; & docet instruxisse classem ad ea maris Rubri littora, quæ ad Idumæos pertinent, id est, ad illius maris Orientalem plagam, vbi sita est Asiongaber, locus, vt apparet, construendis, atque seruandis nauibus opportunus. Hìc cum Tyrio Rege Salomon suos coniunxit in fabricanda, atque adornanda classe sumptus, & industriam. Neque Tyrij, licèt abundarent nauibus, illas è Mediterraneo ad Trythæum, siue Rubrum mare per longa locorum spatia transportare vlla ratione potuerunt.

21. *Asiongaber vbi.*

Hìc multi multa dicunt, rémque non admodum obscuram, neque impeditam suis disputationibus non admodum necessariis obscurant, & impediunt. Quidam contra scripturæ fidem, vt obstructam suis cogitationibus viam aperiant, Asiongaber à maris Rubri littore ad maris Mediterranei littora traiiciunt. Cùm dubitare nemo aut debeat, aut possit, Asiongaber aut esse in Idumæa, quod est verius, aut saltem propè, & iuxta Moab, vt constat ex Deuteron. cap. 2. vers. 8. *Cùm transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir per viam campestrem de Elath, & Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab.*

22. *Tirij rei nauticæ primi existimantur inuentores.*

Vers. 27. *Misitque Hiram in classe illa seruos suos viros nauticos, & gnaros maris cum seruis Salomonis.*] Phœnices, qui iidem sunt, qui Sidonij, & Tyrij, primi existimantur rei nauticæ inuentores, rei sanè nauticæ maximè periti, quos Mela in Phœnicia commentos esse dicit artem nauigandi. Idem Tibullus, qui sic de Tyro.

*Prima ratem ventis tradere docta Tyrus.*

Misit itaque Hiram non naues, quarum magnum creditur habuisse nimirum in Mediterraneo mari, sed seruos assuetos mari, & rei nauticæ apprimè peritos, qui naues à Salomone in Rubri maris littore fabricatas moderarentur. An verò deinceps spe captus lucri classem in Rubro mari Rex Tyri parauerit, & Oceano ante illud tempus ignoto Phœnicibus commiserit, capite subsequenti videbimus. Hoc sanè loco nullam cum Salomone classem instruxit: quod ex eo quiuis persuadere sibi potest, quia aurum ex ea nauigatione comportatum ad Salomonem esse dicitur, neque verbum vnum de Hiram, quia ex Tyriis nihil in ea classe præter nautas fuerat; quorum operam iuxta Salomon mercede compensauit.

23. Vers. 28. *Qui cùm venissent in Ophir.*] Multum hìc laborasse video magnorum virorum studia, quorum ego diligentiam non tam interdum laudo, quàm admiror. Neque credo illorum aliquos tam explorandæ veritatis studio, quàm ornandæ patriæ desiderio asseruisse plurima, quæ neque cogitassent quidem, nisi acres ingeniorum pulsus ardens in patriam amor accessisset. Ego in illo, qui interpretis partes explere vult, & bona fide suo sibi muneri, & lectoris vtilitati seruire, nihil magis desidero, ac laudo, quàm veritatis amorem, & eius indagandæ primum, & maximum studium; præsertim dum in re sacra, atque omni religione venerabili commentatio laborat. Quidam Ophir illam regionem esse putant, quæ trans Oceanum est ad plagam occiduam, quam nostra ætate aperuerunt Hispani, vocarúntque *Peru*, & in Scriptura sacra videre se putant illius nominis non obscura vestigia lib. 2. Paralipomenôn cap. 3. v. 7. vbi pro eo, quod vulgatus legit, *Porrò aurum erat* *Ophir regio.*

probatissimum, in Hebræo est פרוים paruaim. Neque desunt, qui Ophir Hispaniam esse credant, aut credere se dicant, putentque Ophir idem esse quod Tharsis, in qua ipsi voce Hispaniam agnoscunt.

24. *Ophir neque est Hispania, neque Peruana regio.*

Ego hîc dicam quod magis videtur, & verbis ipsis, & rerum naturæ consentaneum, quod in re coniecturali spectare debet, qui veritatem captat, & non vult aliis se nimis in credendo facilè ostendere, & sententiam suam minùs esse dignam, cui habeatur fides, cùm leuibus non tam innitantur fundamentis, quàm inanibus fundamentorũ vmbris. Ego hîc neque Peruanam regionem, vt maximè cupiam, videre possum, & multo minus Hispaniam, libentiùs hîc agnosco Indici, atque Orientalis maris littora, aut insulas, quæ non longè ab Indico mari recesserunt. In illâ enim Orientali plaga (id habeo pro mea cogitatione) quæ non admodum distat à mari Rubro, vnde classis soluit Salomonis. Deinde quia in illa regione reperiũtur omnia, quæ in ea classe ad Salomonem allata esse dicuntur, aurum, ebur, aromata, gemmæ, ligna odorata, quibus regio abundat Orientalis: neque ex Peruana regione horum aliqua nisi rarò, ac modicè comportari audimus. Deinde quia neque Salomonis ætate, neque multis pòst sæculis explorata fuit à quoquam illa regio; imò multi existimarũt, etiamsi sub illa cœli plaga temperata, cómoda esse posset hominum habitatio, tamen nondum habitatam esse, quia interiecta zona, quæ ab ardore dicitur torrida, aditum ad vlteriora præcluderet. At si Salomon illam tentasset, felicique cursu nauigationem confecisset, quis ignoraret habitatam esse regionem illam, & tractum illum Oceani nauibus esse permeabilẽ? Adde quòd nauigia, quibus olim vtebantur Phœnices, & Tyrij, non erant eiusmodi, vt ferre possent aut molem fluctuum, quos suscitat Oceanus, & conficere tantum spatij, quantum ex mari Rubro ad oram vsque Peruanam extenditur: possent tamen oras legere Indici maris, cùm non longè sese subducerent à terra. Deinde quia Phœnices, seu Tyrij nautæ marinos cursus dirigunt, nõ quidem ab admirabili natura magnetis adiuti, quę vel tunc nota non erat, vt est meo iudicio verisimiliùs (neque enim, opinor, illius tam necessarium vsum abiecissent Phœnices, quorum in mari præcipuum fuit opus, & quæstuosum maximè, neque vsus ille admirabilis ab scriptoribus de rerum naturis omissus esset) vel si nota, certè non videtur illis in vsu fuisse, quando marinos cursus ad Cynosuram, seu minorem Vrsam moderantur, quod tradiderunt longè pòst hæc tempora non pauci. Sic Ouidius,

*Magnetis vsus antiquis ignotus.*

*Esse duas Arctos, quarum Cynosura notatur*
*Sidoniis, Elicem Graia carina notat.*

Et iterum,

*Magna, minórque fera, quarum Regis altera Graias,*
*Altera Sidonias, vtraque sicca rates.*

At si ex rubro mari ad Peruanam regionẽ, siue, vt non nemo excogitauit, Hispaniã Phœnices nautæ nauigationem instituissẽt; necesse fuit, vt in medio cursu, vbi æquinoctialem traiecissent lineã, Cynosura deficeret, & cæci errarent, raperentúrque quocunque illos venti, aut fortuna raperet. Sed demus recto, & facili cursu longam illam viam potuisse confici, certè Salomonis prudentiæ non fuit cum tanto temporum, expensarúmque dispendio, viam illã tentare & ignotam, & longã, cùm quæstus esset paratus in propinquiori, & minùs periculoso loco.

Ex his rebus in quæstione obscura coniecturæ sumuntur. Hæ verò mihi vsque adeò sunt graues, vt nullum in opposita sententia putem esse põdus, mirérque illã alicui prudenti viro probari potuisse. Sed quod efficere ratio nõ potuit, fecit, vt dixit ex profanis quidã, *dulcis amor Patriæ ratione valentior omni.* Est itaque Ophir in regione Orientali, neque, vt reor, procul à mari Rubro, vnde hæc omnia, quæ ad Salomonem adducebantur, adducunt singulis annis in Hispaniam Lusitanæ naues. Neque video, quid hanc communem, antiquámque sententiam aut admodum premat, aut solutionem desideret; si quid verò fuerit, suis postea locis commentatio dissoluet.

---

# IN CAP. X. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*REGINA Saba cùm rumore nuncio multa de Salomonis sapientia, ac maiestate didicisset, voluit ipsa præsens audire, ac cernere, quæ vbique Gentium fama vulgauerat. Atque ideo de vltimis terræ finibus instructa quæstionibus obscuris, ac implexis, quibus Salomonis sapientiam exploraret, ornataque donis, quorum Sabæa regio ferax est, Hierosolymam venit. Quæ experientia edocta, multo maiora præsens nouit, quàm de illius sapientia, aut instructu regio absens audierat. Quare beatos prædicat, quibus tanti Regis videndi, & audiendi coràm facultas data est; & quo sui animi, syncerique iudicij præberet aliquod documentum, magna auri, aromatúmque copia prosecuta est Regem, neque minora munera discedens à Salomone recepit. Secundò habemus ad regiæ maiestatis ostentationem, plurima ex ebore, aut ex auro ornamenta comparata, vt scuta, peltæ, ac thronus admirabili opere perfectus, cuius hîc forma accuratè describitur. Cùm autem illi vndecunque à regibus pretiosa offerrentur munera, & ipse vim auri maximam transmarina negotiatione comportasset, ornauit, locupletauitque patriam vehementer, & equis generosis, ac quadrigis, quas impenso pretio à vicinis regionibus coëmit.*

CAPVT

## CAPVT DECIMVM.

1. SEd & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.

2. Et ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu,& diuitiis, camelis portantibus aromata,& aurum infinitum nimis,& gemmas pretioſas,venit ad regem Salomonem,& locuta eſt ei vniuerſa quæ habebat in corde ſuo.

3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ propoſuerat:non fuit ſermo,qui regem poſſet latere,& non reſponderet ei.

4. Videns autem regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat,

5. Et cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum,& ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum, & pincernas,& holocauſta quæ offerebat in domo Domini,non habebat vltrà ſpiritum.

6. Dixítque ad regem:Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea.

7. Super ſermonibus tuis,& ſuper ſapientia tua:& non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit:maior eſt ſapientia & opera tua,quàm rumor quem audiui.

8. Beati viri tui,& beati ſerui tui,qui ſtãt coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.

9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti,& poſuit te ſuper thronum Iſrael,eo quòd dilexerit te Dominus Iſrael in ſempiternũ,& conſtituit te regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam.

10. Dedit ergo regi centum viginti talẽta auri,& aromata multa nimis, & gemmas pretioſas:non ſunt allata vltrà aromata tam multa,quàm ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

11. (Sed & claſſis Hiram, quæ portabat aurũ de Ophir,attulit exOphir ligna thyina multa nimis,& gemmas pretioſas.

12. Fecítque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini,& domus regiæ, & citharas lyráſque cantoribus non ſunt allata huiuſcemodi ligna thyina, neque viſa vſque in præſentem diem.)

13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit & petiuit ab eo: exceptis his,quæ vltrò obtulerat ei munere regio.Quæ reuerſa eſt,& abiit in terram ſuam cum ſeruis ſuis.

14. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri:

15. Excepto eo,quòd afferebant viri qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, vniuerſíque ſcuta vendentes, & omnes reges Arabiæ,ducéſque terræ.

16. Fecit quoque rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius.

17. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri vnam peltam veſtiebant: poſuítque eas rex in domo ſaltus Libani.

18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem:& veſtiuit eum auro fluuo nimis,

19. Qui habebat ſex gradus:& ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile:& duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas.

20. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde:non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.

21. Sed & omnia vaſa, quibus potabat rex Salomon,erant aurea:& vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo: non erat argentum,nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.

22. Quia claſſis regis per mare cũ claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum,& argentum,& dentes elephantorum,& ſimias,& pauos.

23. Magnificatus eſt ergo rex Salomon ſuper omnes reges terræ,diuitiis, & ſapientia.

24. Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis,vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius.

25. Et ſinguli deferebant ei munera,vaſa argentea & aurea, veſtes & arma bellica, aromata quoque,& equos & mulos,per annos ſingulos.

26. Congregauítque Salomon currus & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus,& duodecim millia equitum:& diſpoſuit eos per ciuitates munitas, & cum rege in Ieruſalem.

27. Fecítque vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem,quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quaſi ſycomoros quæ naſcuntur in campeſtribus.

28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto,& deCoa.Negotiatores enim regis emebant de Coa:& ſtatuto pretio perducebant.

29. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis argenteis, & equis centum quinquaginta. Atque in hunc modũ cuncti reges Hethæorum & Syriæ equos venundabant.

# IN CAP. X. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII

Vers.1. *Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus.*]

1. COMMODE hîc inducitur aduentus Reginæ huius: nam cùm actum esset de Salomonis opibus, neque parum è patriis, vernaculísque diuitiis oblatum ab hac Regina, ab hoc rerum articulo illius aduentus seperari non debuit. Quæ porrò fuerit hæc Regina, & vnde profecta, res est obscura, & variè à variis exagitata, quid de illa alij existimarent, quorum incerta pleraque, dicemus minus, quàm alij diffusè; curabimus tamen, quantum fieri poterit, ne quid aliquis necessarium requirat.

2. De nomine varia est autorum cogitatio, & ipsa varietas facit, ne quid certum à quoquam affirmari possit. Iosephus lib. 8. cap. 2. *Nicaulem* appellat. Herodotus lib. 2. *Nitocrim*, alij *Makedam*, in quibus est Genebrardus in chronicis ad annum mundi 3150. Quod si verum est, (quod nonnulli putant, fauéntque verba Christi, qui Matth. 12. & Luc. 11. illam Reginam appellat Austri) illam fuisse Reginam Æthiopiæ, cui illa Regina longo pòst tempore successit, quæ Actor. 8. Candace dicitur, verisimile est illam quoque vocatam esse Candacem, non quidem proprio, sed communi vocabulo. Quemadmodum enim Ægyptij Reges dicuntur *Pharaones*, Romani *Cæsares*; sic etiam Æthiopiæ Reginas appellari *Candaces*, tradit Plinius lib. 6. cap. 29. dum ait, *in Meroe regnare fœminam Candacem, quod nomen multis iam annis ad Reginas transiit.* Sed de patria, ac regno mox.

*Candace Reginis Æthiopiæ commune nomẽ.*

3. De huius Reginæ religione, ac fide non eadem est omnium opinatio. Quidam barbaram putant, & Gentilem, quæ de vero Deo nullam habuerit cognitionem, aut ita certè tenuem, vt illam ex Gentilica professione, ac cultu non deduxerit. Sic sanè putat Chrysostomus homil. 31. in cap. 12. Matth. Hilarius in Psal. 121. ad illud, *Ad confitendum nomini Domini.* Nyssenus homil. 7. in Cant. Isidorus in allegoriis 3. Reg. Rupertus in lib. 3. Reg. cap. 3. ancillam appellat Diaboli. Alij de ea mitiùs, & honestiùs loquuntur, vt Theodoretus in 3. Reg. q. 32. Ambrosius in Lucam cap. 11. Abulen. hîc quæst. 3. Ego sic puto Reginam hanc antequam Hierosolymam veniisset, gentilicis fuisse contaminatam institutis, ac moribus, & idolorum, sicut alios omnes ex eadem regione addictam esse sacris. At postquam Iudæorum religionem, & sacra ex Salomonis consuetudine cognouit, mutasse animum, & meliùs de suæ vitæ instituto, ac moribus cogitasse: quod patebit magis, cùm ventum fuerit ad explanationem illius, *In nomine Domini*, de quo statim.

*Regina Saba Gentilis.*

4. De Saba, id est, de regione, vbi hæc fœmina dominata fuit, non est inter autores magis expedita quæstio. Quidam in Æthiopia regnasse existimant, neque hi pauci sunt, aut ignobiles, & facit quòd hæc fœmina venisse dicitur ab Austro, Matth. cap. 12. at nemo ignorat Æthiopiam australem esse prouinciam. Alij in Arabia felice regnum eius statuunt, quod visum est Hieronymo in cap. 60. Isaiæ, vbi dicit ex eadem regione Magos, & hanc Reginam fuisse profectos. In traditionibus idem Hebraicis in cap. 10. Gen. duas eiusdem nominis prouincias esse dicit, licèt cum aliqua differentia, altera Saba per ס, & hæc ad Æthiopiam pertinet, quia à filio Chus, à quo nomen sumpsit, Æthiopia habitata est. Altera Saba per שׁ, à qua & Magi, & Regina venisse dicuntur. In hanc ego cogitationem magis inclino, licèt aliam non putem improbabilem. Tum, quia שבא *Saba* cum ש, Arabiæ accommodari potius video, quàm Æthiopiæ, vt Psal. 71. *Reges Arabum, & Saba.* Priori loco est שבא, quę vox regionem aliquam significare videtur in Arabia, quæ multo latius patet, quàm Saba, quia sæpe cum aliis regionibus coniungitur, quas nemo negat aut esse in Arabia, aut Arabiæ proximas. Iob cap. v. 19. שבא cum Themam. Isaias cap. 6. v. 6. & 7. cum Madian, Epha, Cedar, & Nabaioth coniungit, quæ partes sunt Arabiæ. Et quidem nemo dubitat Sabæos, qui Iob armenta deprædati sunt, vicinos esse Arabibus: at illi cum ש, notati sunt. Et Ieremiæ cap. 6. v. 20. Thus cum שבא coniungit, at thus vernaculus est Arabiæ, non Æthiopiæ prouentus. Et quidem sicut hoc ipso anno ex literis accepimus Patris Petri Pauli ex nostra societate, qui diu rei Christianæ gratia in ea Æthiopia commoratus est, quæ est ad sinum Arabicum, & nunc etiã ibi cum magno suo labore, ac fructu non vulgari versatur, prope sinum Arabicum ciuitas ab indigenis ostenditur, in qua nata creditur Regina Saba, de qua hîc longus sermo. Scio esse aliquos, qui cótrà sentiant, sed neque desunt alij, neque pauci, neque vulgaris notæ, quos horum cogitationi opponam. Accedit quòd tam ea, quæ attulerunt Magi, quàm quæ attulisse dicitur Regina Saba. Illi Christo infanti, hæc Salomoni Regi, fructus fuerunt Arabiæ vernaculi, quales ex Æthiopia non exportantur. Licèt autem hæc Arabia ad Orientalem plagam spectet, quia tamen ad Australem quoque partem inclinat, Australis quoque vocari potest. Atque ideo à Christo Matth. 12. & Luc. 11. Regina vocatur Austri. Sanè Arabia ab scriptoribus, Meridionalis vocatur. Herodotus lib. 3. *Ad meridiem vltima è regionibus, quæ habitantur, Arabia est, in qua sola omnium nascuntur thus, myrrha, casia, cinnamomum, & ledanum*, &c. Hæc ferme omnia Diodorus Siculus lib. 3. cap. 12. vbi metallorum, & lapidum pretiosorum feracem vocat. Ex quibus tria habemus, quæ nostram sententiam valde confirmant, nempe gemmarum, metallorum, & aromatum regionem illam esse feracem, quorum Regina ad Salomonem magnam adduxit copiam, & esse regionem Meridionalem, aut Australem, & esse in finibus terræ, quod Christus Matth. capite 12. dixit, cùm Reginam Austri ab vltimis terræ finibus veniisse affirmat. Hæc à nonnullis Æthiopia vocatur. Quòd autem duæ sint Æthiopiæ, altera trans Ægyptum, altera terræ promissionis vicinior, diximus in nostris commentariis

*Saba in Arabia.*

*Saba qua regio.*

*6. Arabia aromatum, metallorúque ferax.*

riis ad illud Psalm. 67. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.*

7. *In nomine Domini.*] Quidam illud, *in nomine Domini*, sic explicant, vt Dei nomen iam ad Gentilicos, atque longinquos terminos diffusum, quod tantopere in Salomonis *templo*, id est, in totius mũdi augustissimo sacrario celebrari audierat, ipsam adduxerit, vt longam illam peregrinationem susceperit. Quod autem *in*, idem aliquando valeat, quod *propter*, multa docent exempla, quorum nos aliqua adduximus in nostris commentariis super Ieremiam, ad illud cap. 33. *Turbabuntur in vniuersis bonis.* & latiùs super Oseam ad illud cap. 12. *Seruiuit Israel in vxorem*, id est, propter vxorem. Sed hanc cogitationem ipse Scripturæ sacræ textus euertit, quæ alias causas huius profectionis diuersas assignat. Dum ait excitatam Reginam Salomonis fama, quam ad illam vsque regionem rumor attulerat, eo destinasse profectionem, vt illius sapientiam variorum ænigmatum propositione tentaret, & clariùs optimus interpres Christus Matth. 12. & Luc. 11. dum ait, Reginam Austri ex vltimis terræ finibus venisse, vt audiret sapientiam Salomonis. Hoc autem non tam est Deum, quàm Salomonem quærere. Ego illud *in nomine Domini*, sic accipio, vel venisse Reginam Deo bene iuuante, quod secundus rerum euentus ostendit, vel, quod potiùs reor, Deo inspirante, atque auspice; cùm tamen ipsa de Deo cogitaret nihil, longam illam peregrinationem suscepisse. Quod indicant omnes, qui illam Idololatridem esse putant qui sanè pauci non sunt, vt antè diximus; ducebat itaque Deus illam, agebátque nescientem, sicut alios sæpe. & cùm solutiones tantùm gryphorum, aut ænigmatum quæreret, neque altiùs curiosam attolleret mentem: Deus tamen id agebat occultiùs, vt à Salomone, quem cœlestibus disciplinis impleuerat, & à templo, in quo solemnes quotidie victimas immolari cerneret, verum Deum agnosceret, & gentem sibi subditam studiis veræ religionis imbueret.

*In id quod propter.*

*In nomine Domini, idem interdum quod, inspirante Domino.*

9. *In ænigmatibus.*] Ænigmata sunt obscuræ quæstiones, quibus aliorum ingenium exploramus. Vsitatum porrò inter Principes olim, vt se huiusmodi quæstionibus vltrò lacesserent, probat illud, quod si fabulam olet; sumptum tamen videtur ex frequenti Principum consuetudine; quod attextum est Æsopi fabellis, vbi Reges inducuntur, qui proposito soluti problematis præmio ad ingeniosum illud certamen prouocantur. Quod faciunt sæpe viri sapientes, qui sua conuiuia non minus dapsilibus cibis, quàm ingeniosis quæstionibus instruunt, & exhilarant. Vnde orta sunt doctorum hominum celebrata sympoſia. Quod etiam vsitatum inter Hebræos suadet illud problema, quod Iudicum 14. in nuptiali conuiuio à Samsone propositum, *de comedenti exiuit cibus.* Hoc ipsum de Salomone tradit Iosephus lib. 8. cap. 2. vbi ab Hiram proposita fuisse dicit ænigmata Salomoni. *Quæstiones*, inquit, *etiam ænigmaticas Tyrius Rex ad Salomonem transmisit, rogans vt eas explicaret, & dubitationem sibi omnem eximeret. At ille callens huiusmodi rerum ac natura prudentissimus nihil inexplicatum relinquebat.* Deinde ex quodam Dio antiquo scriptore refert Salomonem ad Hiram ænigmata misisse, solutionem illorum postulantem, quod cùm ille non valuisset, magna pecunia mulctatum esse. Venit igitur è regione sua Regina Saba ænigmaticis instructa quæstionibus, vt exploraret an tantum in Salomone ingenij foret, atque sapientiæ, quantum acceperat à rumore nuncio & vt suis videret oculis, quod tam effusis laudibus fama vulgauerat.

*Principes olim ingeniosis quæstionibus certare soliti.*

*In conuiuiis problemata proposita.*

Vers. 2. *Et ingressa Ierusalem multo cum comitatu, & diuitiis*, &c.] Necessarium erat, & decebat certè regiam maiestatem, & nomen magno stipari rerum, ac personarum apparatu: tum ne despiceretur apud extraneos, quibus peregrini habitus, & mores solent esse ludibrio: tum ne quid in transmissione illa longa, neque satis expedita, ac tuta aduersi contingeret. Attulit autem secum ad Salomonem ea, quorum erat prouentus in ea regione vernaculus. 10.

*Et docuit eam Salomon*, &c. *& non habebat vltra spiritum.*] Hæc omnia obscura non sunt. Nihil aut cogitarat seu Regina secum, non habens, vt apparet ingenij, aut à viris in sua regione sapientibus acceperat, in quibus aliquis esset nodus, aut scirpus, quem non statim acutè, veréque dissoluerit. Cúmque ad hæc accederent alia, quæ mirè Salomonis ingenium, & prudentiam ostenderent, domesticus nimirum apparatus, & ordo domorum, quas ædificauerat, instruxerátque splendor elegãs, & exquisita mundities, tum in templo, réque tota sacrificali modus accuratus, & sacer, sic obstupuit ex tot rerum concursu admiratione concepta, vt à seipsa prorsus excessisse videretur. Ac tandem dixerit famam multo minorem esse veritate, quantuncunque illa supra fidem plurima sparsisse videatur, quod de sua Helena dixisse traditur, siue vere, siue adulatorio blandimento Paris apud Ouidium, 11.

*Credis & hoc nobis, minor est tua gloria vero:*
*Famaque de forma pene maligna tua est.*

Vers. 8. *Beati viri tui*, &c.] Beati illi iure optimo dicuntur, qui cum sapientibus viuunt, maximè si ad doctrinam accedat vitæ probitas, & morum exemplar; quod qui assecutus fuerit, ille talem est nactus possessionem, qualem cum rebus aliis permutare eius est, in quo nihil sit consilij, nihil mentis. Vnde nouimus ex antiquis monumentis fuisse plurimos, qui vt doctorum hominũ sapientia fruerentur, non dubitarunt longissima peragrare spatia, neque tamen ideò tanto temporum, rerúmque dispendio cari se emisse existimabant doctrinam, quam ex sapientium hominum consuetudine hauserunt. Vide Hieronymum epistola ad Paulinum, vbi accommodata ad hanc sententiam adducit exempla. Beati igitur vocari possunt viri illi, quibus sapientissimi viri, & audiatur vox sapientiæ magistra, & occurset aspectus, cuius domus sapientiæ sit theatrum, & schola, ex qua quotidie prodeant non docti solùm, sed etiã doctores. Quare gratias Deo agit Regina multo quàm antea doctior, & à seipsa non parum mutata quod talem Regem Israelitico imperio præposuerit, & gratulatur Israeli, laudátque fortunam, quòd singulari Dei beneficio, talis Regis fuerit moderationi, doctrinæque subiectus. 12.

*Sapientium consuetudo iucunda, atque vtilis.*

Vers. 10. *Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas. Non sunt allata aromata tam multa.*] Hinc apparet ex Arabia felici profectam esse Reginam, quando tantam vim auri, gemmarum, & aromatum tam liberali manu Salomoni dedit. Harum enim rerum Arabiam fuisse feracissimam scriptores etiam docent profani. Strabo lib. 15. post alia multa de Sabæorum plaga, déque aromatum varietate, & copia, dicit. *Tanta verò aromatum copia redundat, vt pro sarmentis, ligníque vtilibus cinnamomo, casia, & reliquis talibus vtantur. Isti* (Sabæi) *simul, & Gerræi ob* 13.

*eximias facultates cunctorum locupletissimi sunt, vario præditi apparatu*, &c. *Vasis aureis, & argenteis*, &c. *Nam fores, parietes, tecta ebore, argento, atque auro, lapillis, distinctis visuntur ornamentis.* Plinius lib.6. cap.28. ait *Sabæos* (eos nimirum, qui sunt in Arabia felici) *ditissimos syluarum fertilitate adorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis, ceræque prouentu.* Fuit autem hoc tempore, opinor, & multo magis Reginæ 14. Saba, hæc regio metallorum feracissima: hoc autem tempore non magis, opinor, quàm alia quæuis: hominum enim auaritia, quæ auri abditissimas venas, & ipsa etiam terræ scrutatur viscera, omnem vim metallorum exhausit; sicut accidit Hispaniæ, vnde auri quondam effodiebantur metalla, 1.Mach. cap.8. & nonnullis regionibus, quas nostro æuo felicitas Hispanorum aperuit. Dum autem ab historico sacro dicuntur tot aromata non vltrà esse comportata, aut de vno tantùm comeatu, atque comportatione intelligit, aut certè vsque ad suum tempus, licèt sæpe in Salomonis classe quamplurima fuerint aromata transmissa, non tamen ad illorum pondus, & numerum peruenisse, quæ vna tantùm vice Regina Salomoni donauit. Scriptor autem, si Addo fuit, aut Nathan, aut Ahias Silonites, hi Salomonis tempore vixerunt, & eo viuente hanc fortasse Reginæ memoriæ historiam mandarunt, eo verò tempore non videntur multis nauigationibus tot esse aromata comportata, quot vna Reginæ profectione. Quòd autem ab his tribus scripta fuerit Salomonis historia habemus lib.2.Par.cap.9. *Reliqua operum Salomonis priorum, & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ & in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis contra Ierobaam filium Nabath.* At post horum ætatem, aut postquam hæc tradita sunt Salomonis monumentis, non dubito variis temporibus, plura fuisse aromata comportata & in altari thymiamatis combusta.

Vers. 11. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thymia multa,* 15. &c.] Classis dicitur Hiram, non quòd solus instruxerit, nam Salomon in mari Rubro ad Asiongaber feciisse dicitur classem; sed quia Sydonij, ac Tyrij ab Hiram missi fuerunt ad Salomonem, qui, vtpote rei nauticæ peritissimi, classem moderabãtur. Quod magis apparet ex lib.2. Paral. v.10. vbi serui Salomonis cum seruis Hiram attulisse dicũtur hæc eadem ex Ophir. Hoc autem aurum puriſsimum erat; quod obryzuum esse ehistimatur, & primæ notæ, quasi ophirizum. De lignis Thyinis multa dicuntur ab interpretibus, qui variè inter se dissident, neque aliquid, meo iudicio, nisi diuinando affirmare possunt. Maximè cùm de aliquo certo lignorum genere loquuntur, cùm alij *pinum*, alij *cedrum*, alij *iuniperum*, alij *corallium*, alij *ebenum* esse putent fortasse vere, licèt non admodum suam nobis sententiam efficaciter probent Hebr. est *Almugim*. De qua voce alij multa. Ego tam in Hebraica voce, quàm in Græca nihil speciatim significari puto, sed vniuersaliter illa ligna, quæ odorata sunt, & ad suauissimum suffimentum idonea. Qualia ex Ophir, id est, ex orientali regione, & olim aliqua, & nunc plurima à Lusitanis felici nauigatione comportantur: id enim valet vox Græca *Thyina*, quæ à θύω quod suffire significat, sine dubio deducitur. Hoc itaque mihi primùm videtur. Deinde illa ligna non esse cedrum, aut iuniperum, aut Settim, aut vllum denique illorum, quæ gignit Libanus, licèt ligna Libani non pauca vocari possint Thyina, id est, odorata. Quia quę ex Libano cæduntur, non poterant esse Solymitanis ignota, quia quotidie è vicino monte adducebantur, & multa ex ea materia in vrbe construebantur ædificia, & proximè templum, regiæque domus, in quorum molitionem, quod erat in Libano præcipuum videbatur impensum. At hæc talia dicuntur esse ligna, qualia ad illud vsque tempus visa non fuerant. Sic enim statim v. 12. *Non sunt allata huiusmodi ligna, neque visa vsque in præsentem diem*, & 2.lib.Paral.cap.9.v.11. *Nunquam visa sunt in terra Iuda ligna talia.* Cuius sententiæ sũt ex recentioribus non pauci: vide Pinedam in suo Salomone præuio lib.17.c.18.

Vers. 12. *Fecitque Rex de lignis thyinis fulcra do-* 16. *mus Domini, & domus Regiæ, & citharas*, &c. ] Quæ sint illa fulcra ex hoc loco coniectare non possumus, cùm nihil dicatur definitum, & certum, & nomen *fulcrum* latissimè pateat. Fulcra enim appellari possunt columnæ, quibus domus, aut moles quæuis grauior innititur, & quicquid pondus sustinet; & quæ lectum, aut mensam sustinent in domibus elegantibus, & lautis ex pretiosa solent aut fingi, aut incrustari materia. Argenteos, atque eburneos pedes seu, quod idem est, fulcra toris supponit Athenæus lib.2.vbi κλίνας, id est, lectos, appellat ἐλεφαντόποδας, id est, ex ebore, & ἀργυρόποδας, id est, ex argento. Sanè eburneis fulcris sustineri mensas, idque non rarò, docet illud Martialis lib.9.epigr.23.

*Vt Mauri libycis centum stent dentibus orbes.*

Sed & ex auro fingi fulcra, aut aureis induci laminis docuit Maro lib.6.Æneid.

*——Lucent genialibus altis*
*Aurea fulcra toris, epulæque ante ora parata*
*Regifico luxu.*

Quare non est improbabile ex materia illa thyina 17. pretiosa, & odorata pro mensa, & lecto confeciisse fulcra. In lib.2.Par.cap.9.v.11. pro *fulcris, gradus* legimus. *Fecit Rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, & in domo regia.* Fortasse gradus non tantùm sunt illi, per quos ad locum sublimiorem ascenditur, vt ad altare holocausti, ad superiora quædam tabulata, quæ in domo Salomonis fuisse diximus; sed etiam suggestum, & pulpitum, ex quibus domi Salomon, aut alij in templo verba facerent ad populum. Sic sanè Esdras lib.2. cap.8. v.4. *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quẽ fecerat ad loquendum.* Translatio Hispanica ita reddit hunc locum, *e fizo el Rey de la madera de los corales andamio para casa del sennor, e guitarras, e Laudes para los caualleros, eno auian venido maderos de corales, ni auian sido vistas hasta este dia.* Corallium etiam exponunt alij ex Hebræis, & recentiores quidam interpretes. Sed qui fieri ex corallio potuere citharæ, & instrumenta alia musica?

Vers. 13. *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba* 18. *omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo, exceptis his, quæ vltrò obtulerat ei munere regio.* ] Quemadmodum Regia dona attulit Salomoni pro regia liberalitate, at luxu splendida, & plurima; sic etiam Salomon neque minora, neque minùs pretiosa munera rependit. Et præter ea, quæ vltrò largitus est, vt grati & liberalis nomen inter barbaros, & peregrinos populos obtineret, dedit etiam quę postulauit Regina, aut quæ cognouit illi futura non ingrata. Addit autem liber Paralip. cap. 9. v. 12. multa plura à Salomone retulisse, quàm attulerat. *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba cuncta, quæ voluit, & quæ postulauit, & multa plura, quàm attulerat ad eum.* His autem onerata donis eodem, quo venerat, comitatu, in patriam reuersa est.

Ante

19. Antequam, quod reliquum est capitis, pertexamus, nonnulla nobis exploranda sunt, quæ de hac Regina Saba, aut nugati sunt falsò, aut etiam verè prodiderunt externi. Illud ex omnibus minus videtur improbabile, quod tradit Iosephus lib. 8. c. 2. allatum esse à Regina Saba, donóque datam Salomoni plantam illam, quæ balsamo sudat, cuius nunc Iudæorum regio ferax est, illi maximè tractus, quem consueuerunt, occuparúntque Engadditani horti; ita fortasse vere. Sed minus huic cogitationi fauet, quòd eo tempore, quo hæc plãta à Regina in Iudæam afferri potuit, iam vineæ Engaddi, quæ non tam vitibus, quàm Cypris, id est, plantis, quibus balsamum pinguis est, familiarísque prouentus, creuisse videbantur, & regionẽ illam non exiguam implesse. Maximè si statuas Epithalamium illud, quod Canticum Canticorũ inscriptum est, tunc à Salomone fuisse compositum, quando vxorem duxit Pharaonis filiam quod nonnulli putant. Huius enim nuptias iniit Salomon multo antequam Regina Saba ad Iudæorum fines appelleret. In his autem nuptialibus canticis vineas audimus Engaddi, quæ non tam sunt viniferæ, quàm aromatiferæ, vbi etiam cyprum legimus, quæ balsamo stillat. cap. 1. v. 13. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.*

Cedrenus in Salomone duo tradit de hac Re-
20. gina, alterum illam fuisse Sibyllam; alterum voluisse Salomonis experiri sapientiam, atque ideo puellos, puellásque illi proposuisse, quæ neque forma admodum viderentur esse dissimiles, neque species ipsa virilem sexum à fœmineo distingueret: ac denique omnibus ornatum induxisse muliebrem, quæ fuisseque vt in forma, atque habitu non dissimili, dissimilem sexum internosceret, quod ille facili, prudentique solertia consecutus est. Hoc mihi minùs videtur incredibile, licèt merum videatur esse commentum; quia suprà v. 1. venisse dicitur, vt in ænigmatibus Salomonis sapientiam exploraret. Illud de sibyllino spiritu, afflatúque diuino valde mihi suspectum est, licèt non vnus Cedrenus, sed cum eo Pausanias, & Iustinus affirmant; vt cum Alexandro Neapolitano putat Tiraquellus ad cap. 16. lib. 3. genialium. Id, inquam, mihi valde suspectum est, quia Sibyllæ omnes, quæ eo nomine ab antiquitate decorantur, virgines fuerunt, & in virginitatis præmium spiritus ille propheticus datus esse creditur. At cùm mater fuerit illa Regina, ex qua nimirum orti, qui in illa regione postea dominati sunt, vt docent, qui Æthiopicos annales conscripserunt, & nunc sibiipsi quoque persuaserunt Æthiopes, cùm alia non appareant merita, non videtur, cùm corporis integritatem communem cum aliis Sybillis non habuerit, spiritum propheticum habuisse communem.

21. *Regina Saba lignum crucis cognouisse creditur.* Neque plus meretur fidei, quod alij tradunt de ligno crucis, in quod actus esse dicitur Christus, quod Regina Saba multo antè cognouisse dicitur & ostendisse Salomoni, licèt non omnes, qui illius siue prophetiæ, siue fabulosi commenti meminerunt, eodem referant modo. Petrus Comestor in lib. 3. Reg. cap. 26. quorumdam sententiam refert, quorum silet nomina, qui dicunt è medio cursu significasse per literas Regina Salomoni, quod ne regium contristaret animum, coram perire noluisset. *Nempe se vidisse* (verba sunt Comestoris) *quoddam lignum in domo saltus, in quo suspendendus erat quidam, pro cuius morte regnum Iudæorum periret, & certis indiciis illud Regi indicauit.*

A *Quod timens Salomon in profundissimis terræ visceribus occultauit illud. Pro cuius virtute aqua mota sanauit ægrotos.* Hæc Petrus Comestor. Meminerunt huius historiæ, siue figmenti plurimi, & meritò fabulosum esse putant, neque illis deberi historicam fidem.

Aliam nihilo maiori dignam fide historiam, 22. *Fabula de triformi ligno crucis.*
aut potiùs fabulam referunt Gretserus libro de cruce, & Pineda in Salomone præuio lib. 5. c. 14. ille ex manuscripto Græco codice bibliothecæ Augustianæ, hic ex antiquissimo libro Italicè conscripto Hispalensis Ecclesiæ. Ait igitur ex illo manuscripto codice Gretserus Abrahamum tres sũpsisse surculos ex totidem diuersarum naturarum
B arboribus, eósque in vnum coaluisse truncum; cùm tamen & radices haberent diuersas, & supremos ramos, in quibus triplex apparebat plantarum differentia. Hanc triformem arborem succisam esse aiunt à Salomone ad templi fabricam, neque lignũ vlla ratione aptari potuisse, vt aliquẽ in tanta mole locum inuenire potuerit, quem impleret. Quare cùm ad omnia prorsus censeretur inutile, & in eo dolando frustrà poneretur opera, reiectum est à fabrica, & in scabelli, aut sedilis vsũ efformatum. Cùm autem eò adducta esset Regina Saba, quæ in eo codice Sybilla nominatur, sedere noluit, sicut fecerant antea complures alij, dicens, quísnam futuris sæculis ex eo ligno
C suspendendus esset. Tunc verò Salomon illud occultauit, donec passionis Christi tempore foras emersit.

Non multo aliter liber ille, quem lib. 6. cap. 14. 23.
citat Pineda, qui post alia plurima, quæ magno suo merito fabulosi commenti damnat Pineda, addit tres fuisse surculos, cedri videlicet, cupressi, & palmæ, qui ex ore Adami germinarunt, & in vnum truncum coaluerunt, quem cùm Regina Saba, quæ eo etiam loco Sibylla, atque Prophetis nominatur, esset intuita, multa de illius, atque eius qui in eo moriturus erat, gloria cum Salomone disseruit. Quod lignum Salomon in puteum dimisit, & os illius egregiè opere murali obstruxit. Fecit autem vetustas, quæ omnia exedit, atque
D consumit: aut certè torrens assiduo cursu, aut aliquando incitatus solito vehementiùs, vt latus exederet, aperirétque putei, in quo visus est innatans truncus ille. Illam autem dicit esse piscinam, quam ad ægrotorum sanitatem singulis annis Angelus mouebat. Addit tandem post aliquod tempus extractum esse ex piscina lignum, & ascẽdentibus in templum pontis præbuisse vsum, & tandem cùm lutulentum esset, & immundum ex eo loco fuisse sublatum, vt ex ipso crux fieret, ex qua humani generis Seruator, & vindex suspensus est. Hæc omnia magis sunt ad populi plausum, quàm ad veritatem. Sanè in Scriptura sacra, aut Patrum monumentis nullum video aut vestigium obscurum, aut probabile fundamentum.

Illud ad extremum addam, quidquid sit de re- 24.
bus aliis fabulosis quas modò produximus, fuisse olim multis persuasum ex triplici ligno, aut certè
E ex vno triformi Christi crucem fuisse compactam. Trigesimus quartus, vt opinor, annus agitur, ex quo ad me delata est aurea Lamina, & mea ex dominica cruce pars quædam magnæ molis, & pretij ab Inacho de Mendoza Infantatus duce, quæ ante mille annos putabatur esse auro inclusa, & asseruata priùs inter sacram gazam à Constantinopolitanis Imperatoribus, deinde vario successu ad nobilissimam tanti Principis familiam translata. In ea lamina Græcè antiquissimis characteribus

bus legebam è tribus lignis dominicam crucem esse compactam,ex cedro,pinu,& cupresso.Quod etiam,postea inueni in epigrámate Græco Theodori prodromi,in quo crucem primam, & veram Domini vocat τριδένδρεαν id est, ex tribus cõpositam lignis,ex illis videlicet, quæ nuper retulimus.

25. Addunt præterea non tam antiqui,quàm nostri sæculi scriptores Salomonem, quo tempore hospitio recepit Reginam Saba, thalami quoque habuisse consortem, & ex illa suscepisse filium nomine Meilech, à quo propagata est illorum successio,qui ex eo tempore ad æuum vsque nostrum Æthiopicum, seu Abyssinum imperium tenuerũt. Huius opinationis auctores primò fuerunt Abyssini,qui vt sunt Abyssinæ gloriæ studiosi, & suarum rerum buccinatores immodici, ita etiam sũt parum veritatis amantes, vt apud omnes,qui illius gentis studia, & mores agnouerunt maximè illorum labores fides. Vnde sicut aliarum gentium alia sunt vitia,sic mendacium Abyssinorum existimatur familiare vitium. Quare sicut prouerbiali specie Pœni dicuntur perfidi, Cretes mendaces, Græci leues;sic etiam propria, & quasi vernacula nota mendaces dicuntur Abyssini. Quod nostris temporibus expertus est recens quidam historicus,qui dum se minus credulum præbuit cuidam Abyssino,qui magnifica quædam,& admiranda de sua gente prædicabat,multa scripsit, quæ alij meritò condemnant,& carpunt. Cùm ergo suæ gentis stirpem vellent habere nobilem, genus suum ad Salomonem referunt, quem audierant maximæ sapientiæ laude,potentia, atque opibus, & apud omnes autoritate, & gratia fuisse nobilitatũ. Ab his didicere Lusitani,à quibus sumpserunt alij recentiores.Quia vnde res haurirent Æthiopicas, & Abyssinas, nullos alio fontes magis illimes habuerunt. Quare huius sententiæ aut nullum est, aut certè non nisi leuissimum fundamentum,quãdo de re Abyssina Abyssinos tantùm habet autores, quibus proprium est illa confingere, quæ res patrias magis tuentur,& augent.

26. Quanta porrò fides horum narrationi haberi debeat,docent multa, quæ cum hac narratione ex Abyssinorum fide scriptores Lusitani coniungũt. Sanè Ioannes Barrus tradit cùm rediret in patriã in medio cursu,(vigesimo puta die,ex quo à Salomone discessit)enixam esse Reginam filium,quem à Salomone conceperat,illúmque postquam paululum accessisset ætatis, ac roboris, remisisse ad parentem,vt ab eo iis imbueretur disciplinis,quæ ad religionem,rémque publicam administrandam pertinerent. Cùm autem rediturus esset ad matrem,datum illi fuisse Sadoc summum sacerdotem, qui illi pædagogus esset, & magister.Qui simulatione quadam impetrata à Salomone facultate quasi adoraturus ingressus est Sancta sanctorum, vnde ex arca furatus est tabulas legis, pro quibus alias ad earum expressas similitudinem reposuit,quas insigni lætitia,& plausu receperunt,& seruauerunt Æthiopes.Hic ego multa video, quæ nescio quomodo ã mendacij suspicione vindicari possint. Primum, quia non videtur tantum temporis apud Salomonem ponere potuisse,vt ex illo conceperit, maturúmque partum penè in ipsius complexu Salomonis ediderit.Nam cùm primùm ab illo discessit, in ipso cursu peperisse dicitur. Neque est verisimile tam Salomonem, quàm Reginam exuisse pudorem, vt sub primum hospitij tempus ad illam consuetudinem venerint, quam horrent pudici, & quibus inest boni nominis, & honestatis amor. Neque præterea verisimile est Reginam propè iam puerperam,certè partui vicinam, egressuram Hierosolyma, susceptumque longam,& difficilem viam cum maturæ prolis,& suiipsius maximo periculo:aut permissurum Salomonem, vt grauida siue vxor, siue concubina ab vrbe discederet, quo tempore vulgares etiam fœminæ,quæ regias nunquam agnouere delicias, secessum amant,& vitam molliorem.Adde quòd eo tempore non tam erat Salomonis profusa libido, vt hospitij iure violato pudicitiam tentaret tantæ personæ; neque si Salomon in tantam fœminam maximè pruriret, illam tam haberet suæ libidini obsequentem, & facilem, vt cùm discedere posset honestè,& liberè, cùm tanto sui pudoris, & boni nominis detrimento,ac labe manere mallet in illo libidinis diuersorio,ac pleno insidiarum hospitio. Quòd si, vt multi volunt,quorum suprà meminimus,hæc Regina Sibylla fuit, id est,Prophetis,pudica, & virgo,quomodo verisimile est consuetudinem habere voluisse talem, quæ hos omnes titulos obscuraret,aboleret, & perderet? Neque ad extremum fortunatum appellaret Salomonem, & Deo gratum, si tam videret pudoris immemorem, vt rem tentauerit, quam nemo audiret sine fastidio, nemo sine indignatione cognosceret.

27. In Sadoc sacerdote maximo, qui datus esse dicitur à Salomone filio suo, quem ex Reginæ Saba concubitu susceperit,pædagogus, multa peccant Abyssinorum annales, & ex illis Ioannis Barrij Æthiopum historia.Primùm,quia illum filium dicit esse Azariæ, cùm potiùs filius fuerit Achitob, vt habes lib.1.Par.c.6.v.12. Et Azarias aut nepos fuerit quartus, aut atauus Sadoc, id est, anno à fundato templo vigesimo, & eo sine dubio amplius, iam Sadoc sacerdotio videtur vita defunctus certe non ea ætate vt viam illam longam ingredi & munus illud obire potuerit, egerat enim in pontificatu annos supra septuaginta, à regno videlicet Saulis ad annum vsque 31. Salomonis: cùm autem sacerdotium iniit ætatis esse debuit sacerdotalis.

28. Deinde quis credat hominem Israelitam, eumdémque Pontificem oblaturum tabulas, quibus Deus digitis suis legem inscripsisset,ex arca testamenti,vt illas penè sine honore ad peregrinam,& barbaram regionem traduceret. An alienæ regionis sacrorum Antistes magis amans, quàm suæ? & templum illud, quod pro arca, ac lege tabulis incisa, præsertim tot impensis fabricatum est, in ipso penè exordio,grandi illo miraculo, & cœlesti dono carere debuit? Quòd si cum publica lætitia, ac plausu exceptum fuit à Sabeis tantum illud donum, neque potuit occultum esse Salomoni,cur non statim ad suum locum reuocandum curauit? aut cur tantum de re tanta Scripturæ silentium?

29. Scio hæc ab Abyssinis celebrari solita.Scio Imperatorem ipsum, quem Ioannem presbyterum communiter appellamus hos sibi titulos inter alios arrogare. *Ex stirpe Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columbæ Sionis, filius ex semine Iacob*, & alia, quæ non se valde cum veritate conciliant. Sed hæc non video,quomodo his,qui attente rem & accuratè meditantur, suam sibi fidem probare possint.

30. Vers. 14. *Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum.*]Immensum est, & dignum, cui diuina, & inconcussa fides testimonium perhibeat

ex regionibus non admodum laxis, tantas comportari potuisse diuitias summam alij colligant, qui fortasse tentabunt audaciùs, assequenturque sine vllo errore feliciùs. Ego, qui neque probare possum tantum esse sub hæc posteriora tempora talenti pondus, quantum alij meditantur, & supputant, neque certum aliquid definire audeo in tanto temporum, locorúmque discrimine, satis in præsentia habebo nosse mihi, atque aliis ostendere ingentem esse vim argenti, atque auri, quam subacti priùs à Dauide, & vectigales populi ex pacto singulis annis pensitabant, & quam quotannis ex rerum distractione penderet Israel, & quam Regij quæstores ex toto Israelitidis terræ tractu colligebant.

Vers. 25. *Et negotiatores, vniuersíque scruta vendentes.* ]Hi omnes mercatores, quorum mercibus impositum statum, & certum à Principe vectigal. Negotiatores autem, aliquid est maius, & ex quorum mercibus ad regium fiscum maiora quotidie accedunt compendia, vt qui nauigiis transportant transmarinas merces, aut qui in portu onerant exoticis mercibus numerosos camelorum greges. At qui scruta vendunt, quíque scrutarij, circitores aut etiam Dardanarij vocantur, illi sunt, qui leuia vendunt, illíque onerati foro, ciuitateque cõcursãt. Qualia sunt puerilia quædam ludicra, quibus imperiti populi fucato quodam splendore oculos, & animos capiunt; quos Hispanorum vulgus *Bohoneros* appellitat, aut qui detrita quædam, & veteramenta cantando circumferunt venalia. Scrutarium hominem apud Gellium lib. 3. describsit Lucillius.

*Quid in scruta quidem vt vendat scrutarius laudat,*
*Per fractam strigilem, solcam improbum dimidiatam.*

Quam artem post excisam à Vespasiano Hierosolymam exercuere Iudæi, de quibus Martialis lib. 1. epigr. 98.

*Hoc quod Transtiberinus ambulator,*
*Qui pallentia sulphurata fractis*
*Permutat vitreis.*

35. De his scrutariis, seu qui scruta vendunt, vide Cælium lib. 19. cap. 16. Ex his rebus, quas circitores isti venales circumferunt, ad familiares, atque vulgares vsus non vulgare ad regium fiscum cõpendium accedebat. Licèt scrutarij hoc plerumque, magísque propriè significent; dicuntur tamẽ, vt opinor, illi, qui minuta vendunt, licèt pretiosa, quæ exposita sunt in apothecis, qualia sunt aromata, & alia quædam siue tegumenta, siue ornamenta corporum, & ad domesticos, & familiares vsus necessaria. Sanè רוכלים *rokelim*, pro quo vulgatus transtulit, *scruta vendentes*, ad plura patet, quàm Latina vox *scrutarij*.

*Et omnes Reges Arabiæ, ducésque terræ.* ] Subiecit Israelitico iugo Dauid Reges, regionésque vicinas, illíque tributum imposuit certum, quod singulis annis penderent ex pacto. Vide lib. 2. Reg. cap. 8. & cap. 10. Arabia non longè aberat à regione Chanaanitide, id est, à terra promissionis, maximè illa, quæ Petrea dicitur, ex qua egressa existimatur Ruth Moabitis. Certè Sinai mons est in Arabia, neque procul aberant illi Arabes, qui quotannis certum quoddam vectigal Iosaphat tributi nomine pendebant. De quibus lib. 2. Par. cap. 17. v. 11. *Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, & hircorum totidem.* Ab his igitur magna quotannis argenti, atque auri, pretiosarúmque rerum summa mittebatur, siue vt soluerent quæ debebant ex pacto, siue beneuolentiæ, & officij ergo, vt illius gratiam iteratis sæpe muneribus demererentur. Certè illis non seruitutis, sed officiosæ beneuolentiæ gratia dona mittebant. De quibus 2. Paralip. 9. v. 23. *Omnes Reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, & deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea per singulos annos.*

Vers. 16. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta scuta de auro*, &c. ] Scuta hæc maiestati potius regiæ, quàm publicæ vtilitati, & bellicis vsibus seruiebant. Licèt enim multum auri in militaribus instrumentis viri potentes, & plus satis elegantiæ studiosi consumerent, qui armis deberi quicquid est in natura pretij, atque splendoris arbitrabantur (vt diximus ad illud Zachariæ cap. 14. v. 20. *Quod super frænum equi est*) tamen non tam ex auro arma sibi, quàm ex chalybe firmiori vtique materia conflare solent. Neque clypei illi, qui aurei dicuntur lib. 1. Machab. cap. 6. v. 39. ex auro solido conflati sunt, sed inaurati, neque inusitatum est, vt quæ inaurata sunt, aurea nominentur. Sic sanè Maro cùm ex ære, atque auro conflatum esse diceret Æneæ clypeum; illum tamen simpliciter aureum appellat. 34. *Scuta aurea Salomonis ad quem vsum.*

——— *Fluit æs riuis, aurique metallum,*
*Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit,*
*Ingentem clypeum informant.*

Qui tamen lib. 10. quasi totus foret ex auro solido, aureus nominatur.

------ *Telúmque intorsit in hostem,*
*Inde aliud super, atque aliud, figitque, volátque,*
*Ingenti gyro, sed sustinet aureus vmbo.*

Et mox quem appellarat aureum clypeum, æreum, seu æratum appellat.

*Immanem ærato circumfert tegmine syluam.*

Quare, vt dixi, non ad bellicos casus, & militum tegumenta Salomon aureos formauit clypeos, sed ad regij splendoris, & potentiæ specimen illustre. Sicut etiam Mach. lib. 1. cap. 14. v. 24. Simon clypeum misit aureum minarum mille Romanis, quibuscum sociale fœdus inire studebat, ad Machabæorum potentiæ ostentationem, & exemplum; non quia ex illo ad bellicos vsus sperari posset aliqua commoditas. Quia verò Salomon tam suis, id est, Israelitis, quàm externis suas voluit ostentare opes, & potentiam, hæc in domo saltus Libani proposuit, in loco videlicet maximè conspicuo, ac celebri, ad quem frequens erat omnium ordinum, maximúsque concursus. Neque est improbabile hæc omnia ante Reginæ Saba aduentum in domo illa voluptatis fuisse suspensa. Licèt enim hæc post Reginæ aduentum, atque Regis hospitium narrata fuerint; fieri tamen antea potuerant. Sæpe namque in Scriptura narrantur posteriùs, quæ priùs gesta sunt, & in profana quoque historia non est idem temporis; & narrationis ordo. Neque parum admirationis Reginæ afferre potuit splendor ille eximius, qui ex aureis clypeis, & peltis emicabat. Porrò sicut altare ligneum, & ligneę fores in templo laminis tegebantur aureis, sic puto hosce clypeos ligneos fuisse quidem intus, foris tamen aureis laminis obductos. Quod indicat id, quod statim additur, *Sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti vnius*, id est, laminæ, quæ clypeos tegebant, singulos vtique ligneos, sexcentos pendebat siclos, id est, libras Romanas viginti quinque. 35.

Hæc puto magis ad veritatem, est tamen non impro- 36.

improbabile hæc ſcuta & peltas ad Regiæ etiam maieſtatis oſtentationem à prætorianis militibus, quo regium ſtipabant inceſſum produci ſolita, quę ſtatim ad ſuum locum referrentur. Quod ideo mihi perſuadeo, quia illa ſcuta ærea, quæ pro aureis ſuppoſuit Roboam, hunc vſum habuiſſe dicuntur infrà c. 14. v. 27.

37. Verſ. 17. *Trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri vnam peltam veſtiebant.* ] Multi hîc hærent, quia non inueniunt, quomodo tantum pondus aut ſcutorum, quod erat 25. librarum, aut peltarum, quarum pondus erat multo maius, & ita graue vt vnius aſini iuſtum eſſet onus, ab vno milite portari potuerit. Quare aliter putant eſſe legendum, & quidem in Hebraicis, & Græcis codicibus, ternario numero nihil additum eſt, vt patet, atque ideo tres minas in qualibet pelta, non trecentas fuiſſe cenſent, & ita apertè habent Septuaginta. Sed quia non tam ad militarem vſum ſcuta, & peltæ fabricata ſunt, quàm ad regiæ domus ornamentum, non tam ſpectauit Salomon quid militi ad pugnam, quam quid domui ad ſplendorem conferre poſſet aureum illud pondus.

38. Scutum, & pelta *quid.* Iam tandem exploremus quid ſit inter ſcutum, peltámque diſcriminis. In vocibus Latinis de hac quæſtione non eſt difficile iudicium: de Hebraicis non ita. Aliquot ſunt nomina eiuſdem penè ſignificationis, quæ tegumentum illud ſignificãt, quod brachio inſertum ſiniſtro petitiones excipit, & vulnus auertit ab hoſtili manu. Qualis eſt clypeus ſcutum, parma, cetra, pelta, ancilæ. Quæ omnia neque omnibus ſeruiunt, neque omnibus ſunt temporibus, aut bellatoribus opportuna. Scutum oblongam habet, atque quadratam formam, curuã, ac teſtitudinatam ſuperficiem, ita vt hominem totum tegat, & muniat, quod Hiſpanus *paues* appellat, eius magnitudinis, vt cadaueri poſſit eſſe pro feretro. Dicitur autem θυρεὸς, quia portæ ſimilitudinem refert, quæ ſic eſt quadrata, vt longè plus longitudinis, quàm latitudinis habeat. Rabi Dauid Hiſpanica lingua vocari putat *Targa*, ſic fortè dicebatur olim apud Hiſpanos, à qua voce ſcutum nunc *Targeta* dicitur, vbi ſtemmata, aut ſymbola deſcribuntur, & militare ſcutum ab eadem origine vocatur *adarga*. Pelta multo minor eſt, neque quadratam habet ſicut ſcutum, neque omninò vt clypeus, circularem ſpeciem, ſed ſimilem Lunæ, cùm non longè diſtat à plena, aut cum incipiunt apparere cornua. Nam pelta lunata dicitur ab aliqua nimirum Lunæ ſimilitudine. Sic Maro lib. 1. Æneid.

*Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.*

Plinius lib. 12. cap. 5. peltam Indicæ ficus folio ſimilem eſſe dicit. Hæc de Latinis vocibus magis certa, licèt non omnes de illis eodem modo ſentiant. De Hebraicis res eſt magis impedita.

39. Vbi vulgatus *ſcuta*, Hebr. eſt צנה *Sinah*, quam varij variè reddunt, neque Vulgatus eodem ſemper modo conuertit, modò enim trãsfert *clypeum*, vt Ezechiel. c. 26. v. 8. modò *loricam*, idem c. 23. v. 24. modò *haſtam*, c. 28. v. 4. Aliquando *contum*, Amos 4. c. 2. Et quidem quæ hîc *ſcuta*; Par. c. 9. v. 15. *haſtæ* vocantur, ſicut etiam apud Septuaginta. Alij aliis etiam modis transferunt. Sed illud videtur certum commune nomen eſſe armorum, quæ vel vulnus inferunt vel declinant, quod accommodatè ad rem, de qua eſt ſermo, exponendum eſt, quo modo variis in locis facit Hieronymus, qui variè conuertit ad rerum naturam attemperatè. Huius A porrò generis multa ſunt nomina, quæ cùm nihil ſignificent definitum, certum, iuxta rerum naturã variè conuertuntur. Duo tantùm afferam exempla, tu plura illis inuenies quàm ſimillima, משישה *aſiſah* id valet quod exhilarat, reficítque aut conuiuia, aut geniales dies; cúmque id multa præſtent pro varia rerum, ac temporum natura, non ſolùm ab aliis, ſed à noſtro etiam interprete variè conuertitur. Modò enim redditur *flos*, modò *vnguentum*, aut *lagena vini*, *ſimila frixa oleo*. Vide quæ nos pluribus ad illud Cant. c. 2. *fulcite me floribus*. Item חסידה *chaſidah* autem ſignificat, vt apparet, quæ ſublimen habet, rapidúmque volatum. Quare interdum *miluus*, aut *ciconia*, interdum *herodius*, atque *vpupa* conuertitur. Qua de re nos B ad illus Zach. 4. v. 9. *Quaſi alas milui.*

Vbi vulgatus *pelta*, Hebr. מגן *maguen*, tegmen ſi- 40. gnificat, quod militem munit, & ictus excipit à radice, quæ protectionem valet, quod munus, quia varia præſtant militum inſtrumenta, ideo varia hoc ſibi nomen adſcribunt. Quare autores modò *peltam*, modò *ſcutum*, modò *clypeum* conuertunt, & *peltæ*, lib. 2. Paralip. cap. 9. v. 16. *ſcuta* dicuntur. Hoc porrò loco Hieronymus optimè conuertit Scuta, & peltas, quia hæc in atriis ex arte diſpoſita maxima eſſe ſolent illorum ornamenta.

Verſ. 18. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de* 41. *ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis.*] C Idem eſſe puto hoc ſolium cum eo, quod factum eſſe dicitur ſuprà cap. 7. v. 7. in quo iudicij gratia Salomon ſedebat. Hîc tamen illius materia, & forma accuratè deſcribitur. Et quod attinet ad materiam, erat eximiæ venuſtatis, & pretij, aurea videlicet, & eburnea. Nam quod hiſtoria ſcholaſtica tradit lib. 3. Regum cap. 23. ſex gradus Regij ſolij *Eboris duo genera.* factos ex Porphyrite lapide, nullum habet in Scriptura ſacra fundamentum: niſi fortè putet, quod nonnulli ſibi perſuaſerunt, ebur quoddam eſſe non Elephantinum, ſed foſſile, quod propter eximium candorem dicebatur ebur. Quod tamen nobis nõ probatur in noſtris commentariis ſuper Amos ad illud cap. 3. *Peribit domus eburnea*, vbi de ædificiis, operibúſque eburneis non pauca. Hoc autem ſolium non videtur ſic eſſe aureis tectum laminis; D ſicut in templo parietes, & portæ tegebantur: neque enim ebur vſque adeò vile, & indecorum eſt, vt ſplendenti alia materia, atque pretioſa incruſtari debuerit. Sanè ad operis elegantiam inire auri fuluor cum eboris candore conſentit Strabo lib. 16. de Arabibus, Portæ & parietes, & tecta ex ebore, auro, & argentõ, lapidibus ornatus cauſa diſtincta, Horatius in lacunaribus aurum cum ebore conſociat, lib. 2. carm. ode 18.

*Non ebur, neque aureum*
*Mea renidet in domo lacunar.*

Quod ſi totum ſolium laminis eſſet aureis opertũ, aureũ potiusappellari debuit, quàm eburneum: 42. eburneũ autem dicitur li. 2. Paral. c. 9. v. 17. Neque fortaſſe thronus ille totus erat è ſolido ebore, ſed E eboreis cruſtis, aut tabulis materiæ inductis thyine, quomodo eburneæ domus ædificatæ dicuntur ab Achab 3. Reg. 22. & quorum meminit Amos c. 3. v. 15. Solere autem ligna ebore tegi, docuit Plinius lib. 16. c. 43. Niſi dicamus interraſo ebori ſolido, cauitates, & ſinus impleri auro, quod in varias rerum ſpecies vermiculato opere conformari ſolet. Sic ſanè Plinius lib. 35. c. 1. dum nimiam hominum ambitionem exagitat. *Nec tantùm parietes toto operuit auro, verùm & interraſo marmore vermiculatis ad effigies rerum, & animalium cruſtis.* Certè

Plautus

Plautus eburatos esse dicit lectulos, & vehicula, aut quia crucis tecta eboreis, aut quia ebore sectili distincta.

43. *Throni descriptio.* Vers. 19. *Qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori.*] Descriptio hæc throni difficilis non est, ad quē per sex gradus ex eadem materia ascensus: pars autem posterior, quæ excipiebat dorsum, in hemicycli modum erat testudinata, atque rotunda dici potest linea, quæ circulum inchoat, non absoluit. Id autem ex eo colligo, quia pars suprema à parte posteriori formam dicitur rotundam habuisse, quod non bene cū reclinatorio æquabili, planóque consentit. De scabello suppedaneo nihil hîc habemus: at in lib. 2. Par. c. 9. aureum esse dicitur.

44. *Manus varia significatio.* *Et duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile.*] Manus ex Latinorum vsu id significat, quod aliquid apprehendit, & tenet, cuiuscunque illud figuræ sit. Sic harpagones manus appellamus ferreas, & elephantorum, proboscides, quia cibos capiunt, & ad os referunt, quod manuum munus est: sic vncini, quibus libri comprimuntur, sic vitium capreoli, seu clauiculæ, quæ obuium quodque apprehendūt, & lapsuros palmites suspendunt, & sustinent, & mille alia eiusdem vsus, & generis manus appellantur. Sic, puto, manus vocantur hoc loco eminentiæ quædam, quæ in eo magnifico solio regiū sedile tenent, atque sustentant, quæ fulcra quędam fuerunt, quorum incertam fuisse formam argumēto est, quia quæ hoc loco dicuntur manus, lib. 2. Par. nominantur brachiola. Septuaginta prominētias illas, quæ solio subsunt, illúdque sustentāt, figuram indicant habuisse vitulorum, qui eo modo regio subsunt sedili; sicut duodecim boues æneo mari, qui caput, humeróque extra molem illam grandem producunt, illámque posteriori corporis parte, dorsóque suspendunt. *Et prominentiæ vitulorum ipsi throno è posterioribus eius.* Vnde autem Septuaginta sumpserint, non assequor. Deinde manus super thronum videntur statuere. *Manus hinc, & hinc super locum cathedræ.* Harum autē manuum, quē vsum habere potuerint supra thronū non video; nisi fortè sint illa, quæ in huiusmodi thronis brachia dicuntur, quia sedentis brachia innixa sustētant. Quod indicat Tigurina dum vertit, *vtrinque ad locum sedis reclinatoria erant.* Fortasse illud *super*, vt alibi in Scriptura nō rarò, idem est, quod *iuxta*. Hæc iuxta translationē Septuaginta. Vulgata trāslatio non videtur aliam habere sententiam, quàm quæ suprà à nobis allata est. Manus autem vocari, quidquid aliquid apprehendit, coniungit, & continet, & manus ipsius vsus, & natura docet, est familiaris loquendi modus. Qua de re nos pluribus ad illud Habac c. 2. v. 11. *Lignum, quod inter iuncturas est*, Hebr. כפים *caphim*: quod valet *manum*. vbi diximus *manum*, seu *lignum iūcturæ*, esse illud, quod duos parietes coniungit, & continet, ne alij aliò incumbentes dissoluantur.

*Super non rarò idem quod iuxta.*

46. Iosephus lib. 8. c. 2. videtur alium vsum manibus tribuere, nempe vt Regem sedentem exciperent: fortasse quia Salomon, cùm ad summam sedem ascenderet, illas apprehendebat manus, quarum adminiculo, minus habebat difficultatis ascensus ille. Addit autem è suo, vt opinor, neque enim vllum video in Scriptura fundamentum, in sedis illius reclinatorio dimidiatum esse vitulum, in sua terga capite reflexo.

47. *Leo insternatibus Iuda.* *Et duo leones stabant iuxta manus singulas.*] Hi leones sedili, vt apparet, suberant, quo modo boues mari æneo in templo, vt simul sedis, & sedentis pondus sustinerent. Leonum autem potius, quàm aliarum belluarum expressi formas Salomon voluit, quia hoc erat Gentilitium insigne, & antiquum stemma tribus Iuda. Ex quo Genes. cap. 49. v. 9. in Iuda filio illi tribui dictum est à Iacob, *Catulus leonis Iuda ad prædam fili mi ascendit, requiescens accubuisti, vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Hinc Iuda in militari signo, cūm populus per desertum incederet, leonis gestauit effigiem, quem imitati sunt posteri. Sanè, sicut Genebrardus tradit in Chronico ad annum 4146. ex sententia Hebræorum, leo Dauidi stemma fuit, quem deinde Reges alij Iudæ sunt imitati, qui in leone belluarum Rege suum inter alias tribus principem locum significari voluerunt. Quare in eo throno in quo præcipuè apparebat regia maiestas, & ex quo populis sui nominis terrorem ostentabat, leones expressit Salomon, quasi vigiles, atque custodes, qui Regis tuerentur autoritatem, atque omne ab illo periculum arcerent, sed præcipuè vt suum proderet genus à Iuda propagatum. Fortasse in leonibus exprimere voluit eorum, qui sedent in cathedra, mores, & ingenium, Leo enim adeò est animo constanti, & impauido vt ad nullius paueat occursum; sed in eas maximè belluas inuehatur, & sæuiat, in quibus vis est acrior, & magis ferus, & implacabilis furor. At in prostratos, & humiles, neque iram videtur habere vllam, neque furoris aliquid, & feritatis: certè impetum non habet, quem omninò cohibet prostrati, & humilis misera conditio. Quare cùm alios discerpat, & voret, alios idem non solùm non lacerat, sed etiam tuetur, & pascit. Huius ingenium habere debet, qui præesse vult, & moderari populum. Sic sanè de Rege Prouerb. cap. 19. v. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira: & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius.* Illud sanè Regum est, aut certè illorum, qui tyrannicum agitant imperium, hærere obstinato animo in eo, quod semel arripuere consilium, quantumcunque illud ab omni ratione, atque æquitate, imò & humanitate sit alienum, aut quia exaturare volunt cupiditatem, & iram, aut quia turpe putant mutare sententiam, ne videantur errore prolapsi, aut etiam, quo sunt animo insolenti, & stolido, errare potuisse. Seneca in Medea,

48. *Leonis ingenium imitari debent Reges.*

*Tyrannorum ingenium.*

*Difficile quàm sit animum ab ira flectere*
*Iam concitatum, quámque regale hoc putet*
*Sceptris superbas quisquis admouet manus,*
*Qua cæpit ire, regia hoc didici mea.*

At qui regio est animo, id est, ingenuo, atque non tam sibi, quàm Reipublicæ natus, facile sibi à furore temperat, maximè cum his, qui errasse se agnoscunt, & errati supplices veniam orant. Hi faciunt quod leones, qui vt regium putant superbis, & nimis pugnacibus non cedere, sic à regia nobilitate alienum iudicant in supplices sæuire. Vnde Ouidius lib. 3. de tristibus eleg. 5.

49. *Rex ad leonis similitudinem non sauit in supplices.*

*Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ,*
*Et faciles motus mens generosa capit,*
*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:*
*Pugna suum finem cùm iacet hostis habet.*
*At lupus, & tristes instant morientibus vrsi,*
*Et quæcunque minor nobilitate fera est.*

Vide Plinium lib. 8. c. 16. vbi sic leo placari dicitur ad aspectum supplicis, & abiecti, vt ad illum sensū intellectum nactus existimatur. *Leoni*, inquit, *tantùm ex feris clementia in supplices, prostratis parcit, & vbi sæuit, in viros prius, quàm in fœminas fremit, in infantes non nisi magna fame, credit Lybia intellectum peruenire ad eos precum.*

50. Vers. 21. *Sed & omnia vasa, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea.*] Mira commendatio Salomonis potentiæ, cùm omnia vasa non tantùm abaci, sed domesticæ supellectilis aurea esse dicantur. Illud tamen non sine hyperbole dicitur, Salomonis tempore nullius pretij existimari argentum, imò neque argentum fuisse Salomone regnante. Quis enim hoc credat, cùm argenti nomen hoc ipso tempore sæpius audiatur. Hoc ipso capite v. 22. allatum esse dicitur è Tharsis Salomoni argentum, & aurum & v. 25. allata esse traduntur ad eumdem vasa ex auro, atque argento & v. 27. tanta esse dicitur in Ierusalem argenti copia, quanta lapidum. Quæ locutio planè hyperbolica est, vt speciem habet prouerbialem lib. 1. Par. c. 9. v. 20. Non solùm vasa, in quibus potabat Salomon, dicuntur aurea; sed etiam illa, quibus inferebantur cibi, aut erant ad mẽsæ ministeria. *Omnia*, inquit, *vasa in conuiuio Regis erant aurea.*

51. Vers. 22. *Quia classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis.*] Rationem ostendit cur Salomonis tempore tanto abundarit auro Hierosolyma, quia præter illa, quæ variis præliis Dauid ab hostibus extorserat, aut quotannis à subactis Regibus ex pacto impensa, aut etiã oblata liberali, & officiosa manu, insita cum Hiram Tyriorum Rege societate, classem mittebat in Tharsis, quæ vim maximam inde exportabat auri, & earum exoticarum mercium, quæ in patri cœlo magno habebantur in pretio. Nauigationem autem illam longissimam esse oportuit, maximè si ad reditum vsque non minus tribus annis ponebatur. Nisi dicamus non totos tres annos in illa nauigatione consumi, sed eo spatio temporis vnã adornari nauigationem, relicto interim longiusculo tempore, in quo à nauigatione cessatum est. Quod videtur omninò necessarium: nam malè iactatæ salo, & afflictæ à vehementiori tempestate, & allisæ fortasse scopulis, naues, restaurandæ fuerunt, & reficiendæ, in quibus non parum temporis consumendum fuit; neque classis breui tempore, ac facili negotio ad nauigationem instruitur. Et ita visum est Abulensi q. 8. Sed nostro, vt reor, æuo multo minus conficeretur spatij, cùm classis inuento iam magnetis vsu in altum se committere sine errore posset, cùm non minus in cœlo, ac mari, quàm in terra natari possint, & obseruari viæ, & cursus teneri, ac dirigi, maritimi. Salomonis autem tempore non procul classis subducebat se à terra; sed perpetuò legebat orientale littus, obibátque eas regiones, aut hominum conuentus, quæ metallo, aut aromate, aut alio pretiosæ negotationis genere abundare credebantur.

52. *Regibus vsitata negotiatio.* An verò Salomon negotiationem instituerit, fiscúmque auxerit regium, publicámque gazam rerum permutatione dubium est. Ita putat Abulensis q. 9. & pluribus Pineda in Salomone præuio lib. 4. cap. 23. Iosephus lib. 8. c. 2. *Multa*, inquit, *nauigia Rex in mari, quod vocatur Tharsicum, habuit, quæ ad remotas gentes merces varias differre iussit, pro quibus exportatis aurum, & argentum Regi referebant, multúmque eboris, & mancipia Æthiopica, & Simias.* Quod mihi etiam videtur. Neque hoc Reges sordidum putant, aut indecorum opus. Sanè mercaturam exercuisse Tyri Regem vsum maris opportunitate, docet Ezechiel cap. 28. v. 5. *In multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem.* Neque alio modo videtur Salomon instituisse nauigationem, quàm Hiram, cum quo habuisse videtur in ea nauigatione sociale commercium. Idem, quod Salomon, fecit etiam

A postea Iosaphat, qui classem instruxit ad mare Rubrum, vt eam mitteret in Tharsis, inita in illam curam, & negotiationem societate cum Ochozia Rege Israel; quæ classis longè dissimilem effectum sortita est, nam illam in ipso portu dira tempestas contriuit, & absorbuit.

De Tharsis multa variis in locis cogitant interpretes, quæ referre longum esset, & multo longiùs illorum cogitata refellere. Quod autem ad mare internum, seu Mediterraneum non debeat coarctari Tharsis, licet ad illud quoque pertineat, satis probat locus ex lib. 2. Paral. cap. 2. v. 36. vbi Iosophat adornasse classem dicitur, quam mitteret in Tharsis in Asiongaber, quæ est ad mare Rubrum, vt liquet ex lib. 2. Paral. cap. 8. v. 17. vbi Asiongaber ad oram esse traditur Rubri maris. Ex B mari autem Rubro longa est, atque periculosa ad Mediterraneum mare, illiúsque ciuitates, atque insulas, & importuna, atque adeò inutilis omninò nauigatio. Est igitur Tharsis regio, quæ multo patet latius, quàm mare nostrum, aut regiones, quas ipsum circumfundit, & continet, aut discludit, & abluit. 53.

Quare placet, quod mihi olim visum est ad illud Isai. cap. 2. *& super omnes naues Tharsis.* vbi diximus omne mare vbicunque locorum fuerit appellari Tharsis: quæ autem eo loco diximus, & huc transcribere non erit abs re, quia non minus hic quàm illic necessaria sunt. Sic autem nos ibi. Diu à multis, ac sæpe quæsitum est, quid sit Tharsis. Ex nostris Ribera ad cap. 1. Ionæ. Iosephus à Costa C lib. 1. cap. 14. de nouo orbe, & nouissimè Pineda in Salomone præuio lib. 4. cap. 14. Mihi valde probabile est Tharsis non esse ciuitatem aliquam, vt multi volunt, puta Tharsum Ciliciæ aut Thartessum in Hispania, aut Carthaginem; sed mare, sic appellatum à colore cæruleo, sicut poetæ eamdem ob causam cœruleum vocant. Virgil. 3. Æneid. 54.

*Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.*

Certè non aliter vertunt LXX. quod etiam aliquando facit noster interpres Isai. cap. 23. *Vlulate naues maris*, & Ezech. cap. 1. *visio maris*, Hebr. *Tharsis.* Neque video cur aliter tam sæpe in Scriptura sacra naues Tharsis appellari debeant. Fieri D sanè potuit, vt quia mare Ciliciæ proximum est Hebræis, & valdè notum, vbi Tharsus erat nobilis ciuitas, quodcumque aliud mare, non solùm Mediterraneum, sed etiam Oceanus dicatur Tharsis; id quod in aliis rebus non infrequens. Nam ab eo quod nobis aut primùm, aut maximè notum est, nomen sæpe tribuimus iis, quæ eiusdem generis sunt. India à nobis communiter vocatur quæcumque regio antea incognita, valdéque, ac longè dissita; quia ex incognitis longinquisque regionibus ea, quam Indus fluuius perluit, primùm explorata est. Et ab Hispanis Mahometani omnes, vbiuis gentium fuerint, Mauri vocantur, & quia ea pars Africæ Hispaniæ est proprior, & quia à Mauritania profecti, qui primùm Hispanis Mahometanæ E perfidiæ sectatores cogniti sunt. Sic etiam videri potuit Tharsus Ciliciæ Hebræis cognita, aliis maritimis ciuitatibus nomen dedisse. Sed hęc de Tarso non admodum firma coniectura: sed in re valde incerta dicam, quod mihi propiùs videtur ad verisimilitudinem accedere; neque in aliorum sententiis aut commemorandis, aut refellendis tempus ludam.

*Prouincia primùm explorata nomen aliis regionibus dat.*

Primùm existimo in *Tharsis*, aut mare, aut 55.
quod ad mare pertinet, intelligi, v.g. insulas, aut portus, aut marinas vrbes, idque (vt credam) suadet,

suadet, quia Tharsis cum nauibus sæpe coniungi video.

56. Denique puto *Tharsis* non significare omnes insulas, aut tractus maritimos, sed eos, qui sunt in aliquo certo maris Mediterranei spatio. Quod vt ostendam, obseruo, qui primùm aut condiderunt, aut habitarunt aliquam regionem, illam suo notasse, aut quasi consignasse nomine. Exemplorum satis suppeditabit nobis Genes. c. 10. vbi, qui à Noe prognati sunt, in varias regiones disseminati, illis suum indidere nomen. Quare Persia dicta est Ælam, Æthiopia Chus, Ægyptus Misraim, & decem filij Chanaam totidem prouinciis in regione Chanaanitide à suis nominibus nomen imposuerunt. Idem constat Genes. cap. 25. de filiis Abrahæ ex Cethura, & filiis Ismaelis. Et in regionibus nuper trans Oceanum exploratis exempla obuia. Fretum Magallanicum vallis Valdiuiæ, &c. Ad eumdem ergo modum mihi certum est filios Iauan, Elisa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim suis consignasse nominibus easregiones quas incolendas accepere à parente Iauan, qui Græciam habitasse creditur, constans sententia est inditum esse nomen illi prouinciæ, quæ Heb. יון *Iauan* dicitur, cui Græcè correspondere existimatur Ionia. Inter hos filios Iauan distributæ dicuntur insulæ gentium. Sic enim Genes. cap. 10. *filij Iauan, Elisa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim, ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam.* Quæ cuique istorum insulæ contigerint, obscurum est, & coniecturæ dubiæ. Elisa, & Dodanim quidam Rhodios esse putant; & sanè ita vertunt Septuaginta. Elisa Italiam vocat Chaldæus, & Rab. Dauid in illud Ezechielis 27. *Purpura de insulis Elisa.* Hieronymus, & Theodoretus insulas esse putant maris Ionij, & Græciæ. Et Iosephus lib. 1. antiq. c. 11. Æoliam scribit ab Elisa fuisse conditam. De his credo nihil dici posse certius: de Tharsis, & Cethim, de quibus plus ex Scriptura lucis habemus, aliquid nunc dicendum amplius.

57. Quid Cethim. Cethim Iosephus suprà Cyprum insulam facit, idque putat ex eo probabile videri, quia ibi vrbs est nobilis, quæ Citium vocatur Zenonis Stoicæ sectæ Principis patria. Idem putat Hieronymus in cap. 23. Isai. & c. 2. Ierem. & Epiphanius hæres. 30. ex qua dicit habitatores commigrasse in Macedoniam; & ideo in lib. 1. Mach. c. 1. de Cethim egressum dici Alexandrum Macedonem. Communiter hæc vox ab interpretibus Italia redditur. Num. 24. *Venient in trieribus de Italia*, Hebr. Cithiim, & Daniel. 11. Ex his mihi fit verisimile insulas omnes, quæ à Cypro ad occidentale mare pertinent ad Gades vsque adscriptas fuisse Cethim Iauæ filio; & ab eo nomen accepisse, siue insulæ illæ ad Libycum, siue ad Italicum, siue etiam ad Græcum littus pertineant, & ab his insulis regiones illis adiacentes appellari Cethim. Nam filiis Iauæ contigisse insulas ab Hebræis appellari regiones, quæ sunt vltra mare, etiamsi à continenti non diuisæ, quia ab illis non nisi in nauibus ad Palæstinos erat appulsus, quod mihi non est improbabile.

58. De Tharsis, vt iam tandem ad id, quod est nostri negotij, perueniamus, sic puto dici posse non improbabiliter, vt Cethim, Dodanim, & Elisa sortiti sint insulas in aliis, atque aliis Mediterranei maris regionibus. Sic Tharsis illas esse sortitum, quæ à Cypro ad orientem solem, & Aquilonarem plagam spectant, maximè quæ vicinæ sunt Asiæ littoribus (nam ex orientalibus, Aquilonarib⁹q⁹ plagis, id est, de extremis maris interni tractibus aliquot insulas obtinuisse, Dodanim, & Elisa, iam antea diximus.) Et primum quod ad Tharsis spectet Cilicia, in qua Tharsus nobilis, ac littoralis ciuitas sita est, docet Iosephus lib. 1. antiq. c. 12. Hier. q. 61. in Gen. & indicat non obscurè illud Iudith cap. 2. de Holoferne, *Cùm transisset*, inquit, *fines Assyriorum, venit ad montes Angæ, qui sunt à sinistro Ciliciæ, effregit autem ciuitatem opinatissimam Mellothi, prædauitque omnes filios Tharsis.* Cuius loci explicationem habes 2. Mach. c. 4. vbi Tharsis cum Mellothi coniungitur. Sic enim ibi de Antiocho. *Contigit Tharsenses, & Mallotas seditionem mouere, eo quòd Antiochi Regis concubinæ dono essent datæ: festinanter igitur Rex venit sedare illos.* Et has vrbes esse in Cilicia probat, quod statim subiungitur. *Regressum Regem de Ciliciæ locis adierunt Iudæi.* Partem verò illam Asiæ, quæ Syriam continet, & plagam illam, quæ non lõgè abest ab Assyriis, pertinere ad Tharsis, satis docet ille Holofernis cursus, qui Iudith c. 2. describitur, vbi nationes quædam, quæ ad Asiæ littora, aut certè non procul à littoribus sitæ sunt cum filiis Tharsis connumerantur. Accedit quòd 59. Tyrus, quæ Isaiæ tempore nondum erat coniuncta continenti, filia dicitur Tharsis Isai. c. 23. Nam vbi noster est *filia maris*, Hebr. est *filia Tharsis.* Ex quo fit Tharsis non esse Carthaginem, vt quidam volunt, quia, vt docet Plinius lib. 5. cap. 19. Tyrus Carthaginem genuit; quare Tyri Carthago filia, non contrà Tyrus Carthaginis dici debuit, quod etiam Virgil. cecinit Æneid.

*Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni*
*Carthago.*

Dicitur autem filia Tharsis, quia Tyrus insula erat ex earum numero, quas olim occupauit, & coluit Tharsis filius Iauan. Neque Tarteſſum in Hispania; quia hæc etiam filia Tyri est. De Gadibus certè, quæ vicinæ Tarteſſo, docent auctores neque pauci, neque ignobiles. Plinius suprà. Pomponius Mela lib. 3. cap. 6. Solinus cap. 26. Et à Pœnis Gades dicuntur Tyriæ: cúmque Gadibus proxima sit Tarteſſus, & illa, quæ Medina Sidonia dicitur, credo has quoque Tyri, ac Sidonis fuisse colonias.

Hanc partem Mediterranei maris, & littoralem 60. tractum puto propriè vocatum fuisse Tharsis. Nihilominus existimo per Synecdochem regionem illam, in qua insulæ essent, & portus Hebræis magis noti, sumi pro toto mari, sicut India pro quacunque regione longinqua, & Mauritaniã pro ea, quæ à Mahometanis vbicũque locorũ occupatur, &, vt affini vtamur exemplo, Pontum quodcumque vocant mare, qui pelago Pontico vicini sunt. Et firmat coniecturam, quia cùm Cilices, & Phœnices, ac Tyrij, quos ad insulas, & plagam Tharsis pertinere diximus, latè toto Mediterraneo mari dominarentur, mare quod regiones illas abluit, aut insulas circumfundit, quod Syriacũ, aut Phœnicium dicitur, obiicitúrque regioni Chanaanitidi, pro quocumque mari ab Hebræis vsurpari potuit. Quàm verò latè se olim diffuderit Cilicum dominatus, docet Solinus c. 41. *Ciliciam*, inquit, *si, vt nunc est, loquamur, derogasse videbimur fidei vetustatis, si terminos sequimur, quos habuit olim, absonus est à contẽplatione rerum præsentiũ. Ergo inter vtramque culpam factu optimum est amborum temporum statum persequi. Cilicia antea vsque ad Pelusium Ægypti pertinebat*, &c. Ex his fit, vt à Septuaginta semper,

& à noſtro non rarò interprete *Tharſis* transferatur *mare*, & quodcumque aliud mare vocetur Tharſis, etiam Oceanus; quia aliorum marium nomina minùs Hebræis nota, neque audita, niſi perquam rarò. Quare Oceanus dicitur Tharſis, cùm in Tharſis nauigaſſe traditur claſſis Salomonis 3. Regum hic, & claſſis Ioſophat 2. Paralip. 12.

61. *Naues Tharſis, pro magnis benéque munitis.* Ex hoc loco Iſaiæ duo colligo: alterum eſt naues Tharſis, quia cum magnis, firmiſque conferuntur, aut coniunguntur, quales ſunt cedri Libani, quercus Baſan, excelſi montes, turres eleuatæ, muri muniti, ſumi pro magnis, benéque munitis, atque conſtratis, quæque mare ſubeant vaſtum, ventiſque frementibus obnoxium. Neque enim aptè coniungerentur cum his, quæ ſiue à natura, ſiue ab arte plurimum habent firmitatis, & roboris: dicantur autem naues Tharſis, vt diſtinguantur à vaſis, id eſt, Phaſelis papyri, quibus abundat Nilus, de quibus nos apud Iſaiam pluribus c. 18. aut à nauigiis piſcatoriis, quorum magna vis eſt in ſtagno Geneſareth, ſicut à nobis naues indicæ, quibus Luſitani ad orientem nauigant, pro ingentibus, beneque munitis vſurpantur. Et eo ſenſu Pſ. 47. dicitur, *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis*. Ac ſi dicat Propheta, naues etiam magnas, quales in mari magno plurimæ, non ſatis habituras firmitatis contra infenſam, atque vltricem Domini manum. Alterum eo tempore, quo hæc vaticinatus eſt Iſaias, & quo impletum eſt vaticinium, fuiſſe naues Tharſis, id eſt, magnas, quæ, vt olim tempore Salomonis, & Ioſaphat magnam auri vim in regium ærarium comportarunt, ſic etiam Regibus Iuda longis pòſt ſæculis conuexerint eaſdem opes. Vt enim aliæ minæ intuentur vrbem Solymitanam, & quæ ad illius ſplendorem, & præſidium ſpectant; ſic puto naues quoque Tharſis, quibus eædem intenduntur minæ, eodem pertinere. Et vt illa, quæ præceſſere pulchra sũt, expugnatúque difficilia, ſic etiam naues Tharſis pulchræ ſunt, & quia contra vim tempeſtatum fabrefactæ, non facilè vincuntur.

62. Verſ. 23. *Magnificatus ergo eſt Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia.*] Hæc omnia ad verſum 26. obſcura non ſunt: tantum enim ſignificatur Salomonem abundaſſe diuitiis longè ſupra Reges alios, qui eo tempore morabantur in terra, & illius ab omnibus, & ſuper omnes maximè celebratam eſſe ſapientiam, quam præſentes omnes audire, & regiam faciem videre deſiderabant: quoque illius ſibi gratiam conciliarent, munera mittebant ampliſſima, ſiue ad vſum, inſtructúmque domeſticum, ſiue ad alia pacis, bellíque miniſteria.

63. Verſ. 26. *Congregauitque Salomon currus, & equites.*] De his autem eſt ſuprà v. 26. vbi etiam dictum eſt, vbi hos habuerit, atque aluerit equos, neque aliquid eſt quod hìc addere neceſſarium ſit.

64. *Hyperbolicæ locutiones.* Verſ. 27. *Fecitque vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta & lapidum.*] Hauddubiè, quin hęc hyperbolicè dicantur, ſicut alia plurima, neque enim aliud ſibi volunt, quàm argenti vim eſſe Hieroſolymæ maximam; qui dicendi modus prouerbialis eſt, ſicut & illi, *ſicut lutum platearum, ſicut puluis terræ, ſicut arena maris*, & ſimilia.

65. *Sycomorus quid.* *Et cedrorum præbuit multitudinem ſicut ſycomororum.*] Sycomorus arbor eſt Palæſtinæ familiaris, quorum multitudo ingens, & pro ædificiorum fabrica vilis materia, quæ plebeiorum conſtruebat domos, parum ad firmitatem, & ſpeciem idonea, vſitata tamen, qnia exiguo parabatur impendio. Sanè Sycomororum vilem eſſe materiam, cedrorum verò ſpecioſam, & nobilem, habemus ex Iſai. cap. 9. v. 10. qui materiæ deformi, ac futili firmam & ſpecioſam opponit. *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros ſuccíderunt, ſed cedros immutabimus.* Quaſi dicant homines procaces, & ſuperbi, ſi lateritium opus, ex latere nempe crudo, aut inundatio diluat, aut hoſtilis catapulta diſcutiat, pro latere crudo, ſecta, atque quadrata ſaxa reponenda: & ſi domus è fragili, vilíque Sycomoro ædificata ceciderit, è cedrina reficiendam eſſe materia. Quid ſit Sycomorus, & quàm obuia paſſim in agro, maximè Thecuano diximus in noſtris commentariis ſuper Amos ad illud c. 7. v. 14. *vellicans Sycomoros.*

66. Verſ. 28. *Et educebantur equi Salomonis de Ægypto, & de Coa, negotiatores etenim Regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant.*] Hic miri ſunt interpretes, & inter ſeipſos variè diſſecti. Quidam negotiatorem eſſe putant Salomonem, & de Ægypto, & Coa exportaſſe equos minori pretio, vt ex illorum iterata venditione pretium augeret, & magna captaret ex illa diſtractione compendia. Alij adhuc modum aſſignant, quo ex comportandis, negotiatióque expoſitis equis magna faciebat Salomon, & quotidiana lucra. Cùm enim ducta Ægyptia coniuge affinitatem cum Ægyptiorum Rege contraxiſſet; ab illo non difficile impetrauit, ne quis præter ipſum equos in regiones alias ex Ægypto trãſmitteret. Quare omne Ægyptium commercium; aut præcipuam Ægyptij commercij materiam ad ſeipſum auerterat Salomon, ex quo non poterat non eſſe propè immenſum vectigal.

67. Mihi hæc probari nunquam potuerunt: neque enim puto aut Salomonem ſic eſſe animo abiecto & ſordido, vt illud negotiationis genus inſtitueret, aut Ægyptiorum Regem ita fore facilem in illo quaſi monopolio concedendo, vt magno ſe, ac ſuos quæſtu priuaret, & finitimorum Regum in ſe prouocaret odium, & conflaret inuidiam. Neque alij Reges tam amarent, obſeruaréntque Salomonem, illúmque eſſent quotidie ita proſequuti muneribus, ſi vilis illius lucri captatorem agnoſcerent, & ſibi in re vſque adeò neceſſaria fuiſſe in cauſa, vt aliquod in ea mercatura damnum contraxerint.

68. Quare nihil aliud hîc ſignificari puto, quàm ex Ægypto, & Coa emiſſe ſibi Salomon equos; non quos deinde haberet venales, & augeret pretium, ſed vt ſibi reíque publicæ de re ad militares, & plures alios vſus neceſſaria prouideret. Neque enim aliam ob cauſam exiſtimo equorum ex Ægypto, & Coa fieri mentionem hoc loco, niſi vt oſtẽdatur, vndénam Salomon tot equorum, támque numeroſos greges congregare potuerit. Cùm enim in Iſraelitide terra, ad illud ſaltem tempus, pauci nutrirentur equi, neceſſe fuit, vt aliunde Salomon illos accerſeret. Non tam igitur Rex ſibi ex equorum negotiatione lucrum, quam equos ſibi ex alienarum regionum pabulis quærebat. Fuiſſe autem in Ægypto plurimos, & generoſos equos indicat illud Cant. 1. *equitatui meo in curribus Pharaonis.* Cúmque non procul eſſet Ægyptus à Syria, inde potius ſumpſit, quàm ex Hiſpania, vbi equorum præcipua laus, aut ex aliis regionibus tranſmarinis, quia inde ſine magno labore, atque impendio exportari non poterant.

69. De Coa res est dubia, neque planè certum, an hoc nomen commune sit, aut proprium, ciuitatisne, aut prouinciæ; Quidam commune putant, & significare tenuissimũ linum, qualis byssus est, & telæ aliæ pellucidæ, quibus puellæ elegantes, & lautæ in deliciis vtuntur. Quod ideo sibi persuadent, quia vbi vulgatus de *Coa*, Hebr. est מקוה *micuah*, quod inter alia filum valet, aut netum. Et ita cum Hebræis omnes recentiores conuertunt, & accipiunt. Pagninus, Vatablus, Isidorus, Tigurina, & Regia. Duas ego vidi translationes Hispanicas, quarum altera legit, *Esacauam los cauallos de Salomon de Ægypto, e madegas de sirgo.* Altera. *Eel salir delos cauallos del Rey Salomon tra de Ægypto, de el hilado de lana de elos mercaderes del Rey Ca.* Hæc fortasse lina, aut textus tenuissimi sunt, qui à Latinis appellantur Coa, aut vestes Coæ, de quibus Tibullus lib. 2. eleg. 3.

*Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa*
*Texuit; auratas disposuitque vias.*

Quas vestes vitreas appellat Varro, quia impedimento non sunt, quo minus interiora, quasi nuda forent, oculis appareant. Nuda certè appellat Horatius lib. 1. quæ eo velamine teguntur.

*Altera nihil obstat Cois tibi; pene videre est*
*Vt nudam.*

70. Sed mihi sensus est magis expeditus, & planè obuius allatos esse Salomoni equos ex Ægypto, & Coa, tum quia id primùm offert vulgata translatio: tum quia præterea non apparet hic grauis vlla ratio, propter quam tenuium harum vestium historicus sacer meminisse debuerit. Sed vbi gentium sit Coa prorsus ignotum. Abulensis q. 13. insulam esse putat in Græcia, ex qua in nauibus in Hierosolymam transportarentur equi. Nec deest, qui putet esse Goam Lusitanici imperij in Oriente caput. Sed sanè difficilis esset, & sumptuosa vectura è regionibus illis vsque adeò remotis. Quare regionem esse opinor vicinam Palæstino cœlo: Quæ tamen illa sit, apud probatum aliquem autorem non inueniõ; aliorum cogitationes video, à quibus referendis abstineo, quia neque in antiquitate fundamentum cerno, neque diuinare libet in re cuius, vel tenue vestigium non apparet.

*Coa vbi, & quid.*

Vers. 29. *Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta.*] Hoc erat pretium, quod pro singulis equis pendebat Salomon, centum videlicet, & quinquaginta siclos, quæ summa replicata quater sexcentos efficiebat argenti siclos, quibus singulæ emebantur quadrigæ, id est, equi quaterni, qui ad vnum iugum adigebantur: sumitur enim quadriga pro equorum numero, quibus ipsa trahitur, idque apud Latinos non rarò. Columel. lib. 3. 6. *Vnde sacrorum certaminum studiosi pernicissimarum quadrigarum semina diligenti obseruatione custodiunt, & spem futurarum concipiunt victoriarum propagata sobole generosi armenti.* Neque nouum est apud Latinos, vt iugum vnum pro duobus sumatur equis, aut bobus, quia iugum vnum duo subeunt; & equi dicantur biiuges, aut quadriiuges, licèt nunquam sub iugum coacti, aut soluti fuerant à iugo, quia illi ad iugum vnum destinati sunt. Quare non emebatur sexcentis siclis currus simul cum quatuor equis; sed quatuor tantùm equi prouno iugo, aut vna quadriga trahenda. 71.

*Atque in hunc modum cuncti Reges Hethæorum, & Syriæ equos venundabant.*] Eodem pretio, quo ex Ægypto exportabantur equi, accersebantur etiam ex Syria, & Hethæorum regione, quos, qui in eo loco Principes erant, eadem conditione venundabant. Ex quo quiuis intelliget nõ esse ex Ægypto equos ad Salomonem aduectos, vt rursus exponeret venales, & quæstuariam artem exerceret; quãdo à vicinis populis emebat, quibus potius impenderet, quàm ab illis acciperet ignobile illud, & mercatorium lucrum. Hoc clariùs lib. 2. Par. c. 1. v. 17. *Similiter de vniuersis regnis Hethæorum, & à Regibus Syriæ emptio celebrabatur.* 72.

# IN CAP. XI. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*VI iuuenilem ætatem cum laude, ac maiestate, & omnium gentium admiratione transegerat, in ætate senili quæ minus solet à carnis blandimentis seduci, sic est miserabiliter lapsus, vt in omnem intemperantiam impotenter proiectus mulieres adamarit alienas, & illarum se potestati vsque adeò tradiderit, vt illarum idolis excitarit aras, atque delubra, & immania eorum simulacra adorarit supplex, & nefarias victimas immolarit. Quamobrem grauiter offensus Deus, minatus est regni in sua familia diuisionem, neque partem reliquisset vllam, nisi obstassent parentis merita, quæ ea regni reliqua parte compensari voluit. Neque ex eo tempore, quod ætatis supererat otiosum habuit, & vacuũ à metu, aut à belli tumultibus: nam primùm Adab, qui à Dauide pulsus in Ægyptum confugerat, & Regis affinitate potens erat, contra Salomonem hostile molitus est aliquid. Neque minori ardore, atque odio rem Israeliticam vexauit Razon rex Damasci, quem Dauid iã antè malè multatũ suo nomini, ac generi infensũ reddiderat. Tertius fuit Ieroboamus, quẽ Aias Silonites diuiso in duodecim partes pallio decem tribuũ designauit Regem. Quod cùm nõ dubiis coniecturis foret à Salomone deprehensum, ex Israelis finibus in Ægyptum secessit. Deinde Salomonis proponitur interitus verbis ita obscuris, & loco vsque adeò alieno à bona coniectura, vt ad bene de illius salute iudicandum nullum nobis argumentum relinquat.*

## CAPVT VNDECIMVM.

1. REx autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hebræas:

2. De gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredietur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore.

3. Fuerúntque ei vxores quasi reginæ septingẽtæ, & concubinæ trecentæ, & auerterunt mulieres cor eius.

4. Cúmque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius,

5. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum.

6. Fecítque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit vt sequeretur Dominum, sicut Dauid pater eius.

7. Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos, idolo Moab: in monte, qui est contra Ierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon.

8. Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis.

9. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quòd auersa esset mens eius à Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundò,

10. Et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, & non custodiuit quæ mandauit ei Dominus.

11. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quę mãdaui tibi, disrumpens scindã regnum tuum & dabo illud seruo tuo.

12. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud,

13. Nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi.

14. Suscitauit autem Dominus aduersariũ Salomoni, Adad Idumęum de semine regio qui erat in Edom.

15. Cùm enim esset Dauid in Idumæa, & ascendisset Ioab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, & occidisset omne masculinum in Idumæa.

16. (Sex enim mensibus ibi moratus est Ioab, & omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa.)

17. Fugit Adad ipse, & viri Idumæi de seruis patris eius cum eo, vt ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer paruulus.

18. Cúmque surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tulerúntque secum viros de Pharan, & introierũt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui dedit ei domum, & cibos constituit, & terram delegauit.

19. Et inuenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum vt daret ei vxorem sororem vxoris suæ germanam Taphnes reginæ.

20. Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, & nutriuit eum Taphnes in domo Pharaonis: erátque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis eius.

21. Cúmque audisset Adad in Ægypto, dormisse Dauid cum patribus suis, & mortuum esse Ioab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, vt vadam in terram meam.

22. Dixítque ei Pharao. Qua enim re apud me indiges, vt quæras ire ad terram tuam? At ille respondit: Nulla: sed obsecro te vt dimittas me.

23. Suscitauit quoque ei Deus aduersarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum:

24. Et congregauit contra eum viros, & factus est princeps latronum cùm interficeret eos Dauid: abieruntque Damascum, & habitauerunt ibi, & constituerunt eum regem in Damasco.

25. Erátque aduersarius Israeli cunctis diebus Salomonis: & hoc est malum Adad, & odium contra Israel, regnauítque in Syria.

26. Ieroboã quoque filius Nabat Ephrathæus, de Sareda, seruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua: leuauit manum contra regem.

27. Et hæc est causa rebellionis aduersus eum, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui.

28. Erat autem Ieroboam vir fortis & potens: videnſque Salomon adolescentem bonæ indolis & industrium constituerat eum præfectum super tributa vniuersæ domus Ioseph.

29. Factum est igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ierusalem, & inueniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio nouo: erant autem duo tantùm in agro.

30. Appre

30. Apprehendénsque Ahias pallium suum nouum,quo coopertus erat, scidit in duodecim partes.

31. Et ait ad Ieroboam:Tolle tibi decem scissuras:hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis,& dabo tibi decem tribus.

32. Porrò vna tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid, & Ierusalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel;

33. Eo quòd dereliquerit me, & adorauerit Astarthen deam Sidoniorum,& Chamos Deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon: & non ambulauerit in viis meis,vt faceret iustitiam coram me,& præcepta mea, & iudicia sicut Dauid pater eius.

34. Nec auferam omne regnum de manu eius,sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ,propter Dauid seruum meum, quem elegi,qui custodiuit mandata mea & præcepta mea.

35. Auferam autem regnum de manu filij eius,& dabo tibi decem tribus:

36. Filio autem eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cũctis diebus coram me in Ierusalem ciuitate, quam elegi vt esset nomen meum ibi.

37. Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua,eritque rex super Israel.

38. Si igitur audieris omnia quæ præcepio tibi,& ambulaueris in viis meis,& feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus:ero tecum,& ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum,& tradam tibi Israel:

39. Et affligam semen Dauid super hoc, verumtamen non cunctis diebus.

40. Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam:qui surrexit,& aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti,& fuit in Ægypto vsque ad mortem Salomonis:

41. Reliquum autem verborum Salomonis,& omnia quæ fecit,& sapientia eius; ecce vniuersa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis.

42. Dies autem quos,regnauit Salomõ in Ierusalem super omnem Israel,quadraginta anni sunt.

43. Dormiuítque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in Ciuitate Dauid patris sui, regnauítque Roboam filius eius pro eo.

---

# IN CAP. XI. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII

### Vers.1. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas.*]

1. VITÆ hactenus sanctè, & cum dignitate transactæ succesſit ad extremum infelix, atque omnem in modum misera catastrophe.Excepit enim sapientem,& religiosam iuuentutem delira,irreligiosa, & in omnem intemperantiam profusa,atque adeò execrabilis, & perdita senectus.Vtrumque statum perquam optimè, eodem,quo hic liber, ordine, breuius tamen complexus est Ecclesiasticus cap. 17. vers. 14. Cùm enim superiora tempora vtique meliora exposuisset,ac tandem retulisset,quod in hoc capite habuimus extremum; quantum aurum vndecunque locorum, & quantum ornamentorum congessisset, ad extremum addidit, *Inclinasti femora tua mulieribus:potestatem habuisti in corpore tuo,dedisti maculam in gloria tua,& profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos,& incitari stultitiam tuam.* Amauit enim amore ardentissimo alienigenas fœminas ex omnibus regionibus, quæ Israeliticos fines quoquo versùs attingebant, contra quam rem Deus seuerè præceperat Exod.34.v.16.

2. De vxorum, pellicum, aut concubinarum numero vix esset res credibilis, nisi Scripturæ sacræ fides docuisset:*Fuerunt*,inquit,*ei vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ*, quibus omnibus dicitur amore adhæsisse ardentissimo, quod idem propè est, quod ad insaniam vsque deperiisse. In his autem pro regio nomine, ac maiestate alendis quantos sumptus factos esse oportuit? cùm Rex natura sua foret liberalis, & hoc fœminarum genus nimis sit delicatum, neque desit quotidie, quid ab amasiis petat, neque esset ab importunis precibus,donec tandem extorqueat.Quarum auiditatem,& luxum,cùm tot opibus, quas à parente acceperat,aut ipsa sua industria,atque labore quæsierat,explere non posset,subditis populis tributorum onus imposuit vsque adeò graue, vt ampliùs sustineri non posset,atque ideo cap.12.clamat populus ad Roboam, cùm primùm Salomone defuncto regnum iniit, vt importabile eleuet illud tributi pondus.*Imminue*,inquit,*paululum de imperio patris tui durissimo,& de iugo grauissimo,quod imposuit nobis.* Quæ populorũ immanis,& barbara vexatio non leuis causa fuit, vt Israeliticum diuideretur imperium,quod licèt filio dominante contigerit; non tamen tam filij super, quàm patris intemperantia dissecuit.De quo Eccli.cap.47. ad Salomonem. *Profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos,& incitari stultitiam tuam,vt faceres imperium tuum bipartitum.*

Quantus Salomonis sumptus in vxores,& concubinas.

Inter has fœminas, quas thalami voluit esse consortes,numeratur etiam filia Pharaonis: vnde 3.

*Pharaonis filia non vera, sed simulata religio.*

suspicari non nemo possit illegitimum fuisse connubium illud, & à lege damnatum; quod tamen esse secus suprà docuimus cap. 3. in principio. Neque credibile est hominem sapientissimum, & datæ à Domino legis scientissimum, quique religionis patriæ & esse, & videri vellet studiosus, & amans, ambiturum fuisse peregrinas nuptias, nisi id sanctè fieri posse existimaret: alioquin auerteret à se multitudinis animos, quod minimè ex vsu sibi fore nouerat, in ipsis præcipuè regni primordiis. Cur ergo nunc eodem loco ponitur Pharaonis filia cum his, quæ ex Moabitico, Ammonitico, Sidonio, atque Idumæo semine prognatæ sunt? Multi multa dicunt; ego ideo hîc existimo Ægyptiæ coniugis fieri mentionem, quia, quæ priùs videbatur Hebræorum religionem amplexa, idque artificiosa quadam simulatione celauerat, ne regium à se abalienaret animum (neque enim aliter illam potuisset Salomon habere regni, ac thalami sociam.) Postea tamen cùm ad thalamum, & regium nomen aduocari vidit peregrinas fœminas, & peregrinæ religionis amantes, depositum, quam assumpserat religionis laruam, & patriam religionem professa talem se videri voluit externa specie, qualis interni animi sensu semper fuerat. Quare sicut alias Salomon idololatrides assumere non potuit; sic etiam neque istam retinere in coniugali consortio, vbi primùm suam prodidit alienam ab Hebræorum religione mentem.

4. Hæc mihi videtur non leuis causa, cur inter alienigenas, neque idoneas Israelitarum connubio numerari potuerit Pharaonis filia. Aliam adducit Abulensis hîc quæst. 5. Quia cùm dicatur Salomon coluisse illarum fœminarum Deos, quos amauerat, vt Astartem deam Sydoniorum, Chamos Deũ Moabitarum, Moloch Ammonitarum; vt ergo significaretur excitasse templa, & instituisse sacra Ægyptiorum diis, Ægyptia etiam inter alias numeratur vxor, quæ vt maximè omnium amabatur, sic etiam potentissima fuit, vt Salomonis subuerteret sensus, & ad Ægyptiorum monstra colenda pertraheret. Non igitur accusatur Salomon, quòd vxorem duxerit Ægyptiam, id enim facere potuit, modò alienam religionem abiuraret, sed quòd inuentam iam non obscuris indiciis falsæ, atque omninò abiuratæ religionis amantem non dimisit; & quia plus satis vxoris illius blandimentis abductus Ægyptiis monstris diuinos exhibuit honores.

5. *Vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ.* ] Egimus de hoc reginarum, atque concubinarum discrimine super Cantica ad illud cap. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ* quem locum aliqui, & in his Abulensis loco nuper adducto de Salomone, & hoc tanto vxorum, támque prodigioso grege capiunt. Reginæ vxores illæ dicuntur, etiamsi à regio splendore procul absint, vtpote quæ illis coniugali fœdere coniunctæ, qui Reges non sunt. Quæ videlicet solemni, atque præcipuo quodam ritu in virorum manum conuenerunt; quæ domesticis curis præsunt, quas obseruat familia tanquam dominas. Quòd verò vxores, quæ dominæ sunt, domuique præsunt, vocentur Reginæ, indicat in Truculento Plautus scen. 10. vbi ancillæ quædam captiuæ domi suæ dicuntur fuisse Reginæ. Hinc illud Plauti prouerbiali specie, *Suus Rex Reginæ placet, sua cuique sponsa sponso.* Ac si diceret, suus Rex Reginæ, ac sua quoque Regina Regi placet.

*Vxores aplatæ Reginæ.*

6. Concubinæ non sunt hoc loco, & Cantic. 6. sicut neque aliis pluribus Scripturæ locis, quæ im-

*Concubinæ quæ.*

puri quæstus gratia pudorẽ suum alterius libidini prostituunt; sed quæ in casti, atque legitimi tori consuetudinem venerunt; quæ etiam nominantur vxores, licèt matres familias non sint. Quæ apto ad suam conditionem vocabulo vocari possunt proletariæ, quia tantùm propagandæ sobolis gratia quæsitæ sunt. Quare Cicero in Topicis duo vxorum genera constituit. Alterum earum, quæ in viri manum conuenerunt, quæ matres familias dicuntur. Alterum earum, quæ tantummodo vxores sunt. Hæ verò sunt, quæ hîc appellantur concubinæ, Hebr. פילגש *Pilegues*, quæ vox in Scriptura aliquando *vxor*, aliquando *concubina* conuertitur. Cethura, quæ Gen. 25. vxor dicitur Abraham, eadem 1. Paralipomenón cap. 1. vocatur concubina: & Bala, quæ vxor sæpe dicitur Iacob, concubina vocatur Genes. 35. & quæ Iudic. cap. 19. concubina dicitur Leuitæ, vxor erat, vt probat mariti nomen, & soceri sæpius in eo capite repetitum; quod tamen locum non haberet, nisi legitimum esset, castúmque connubium. Plura nos ad citatum cap. 6. ex Canticis. Vnde hæc pauca libauimus. Habuit ergo Salomon septingentas vxores Reginas, præcipuas videlicet, & sub præcipua quadam forma associatas: concubinas trecentas, quæ licèt ad illum ordinem, & nomen non ascenderẽt; erant tamen vxores, & quæ ex illis susciperetur soboles, non illegitima. Sicut Dauid 2. Reg. cap. 5. vers. 13. habuisse dicitur concubinas, & vxores, quarum è numero cap. 15. v. 16. decem reliquit ad custodiendam domum.

*Et auerterunt mulieres cor eius.* ] Cùm omnis affectus immoderatus auertat sensus, & oculis etiam linceis crassas offundat tenebras, id tamen potissimè facit libido, vbi primùm occupauit hominum mentes, quantumuis illi fuerint aut sapientia insignes, aut senectute graues, à quibus non solùm pudorem, & sapientiam, sed etiam mentem prorsus expectorat. Eamdem fornicationi, ac vino potentiam attribuit Oseas cap. 4. vers. 11. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Idem Eccles. cap. 19. v. 2. *Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes*, id est, à seipsis excedere, & fieri prorsus amentes, & cæcos: docuerunt id duo senes iudices in Babylone, quibus Dan. 13. v. 8. ad aspectum mulieris euersus dicitur esse sensus. Docuit Dauid & sapiens, & ætate grauis, cui tamen mentem excussit fœminæ conspectus. Sed docuit maximè Salomon ætate iam senili, & frigida, quem excordem fecit, & planè dementem fœminarum immoderatus amor.

7. *Libidinis quanta in hominum animis potestas.*

Hoc ipsum explicuisse videtur Ecclesiasticus cap. 47. vers. 21. vbi sic ad Salomonem. *Inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo.* Vbi si potestatem passiuè accipias, sensus est habuisse in se aliorum potestatem, quorum subiit imperium, quasi dicat impositum ab aliis subiisse iugum, & coactum esse parere aliorum libidini, etiamsi iniusta, atque indecora præcipiant. Quod planè fecit Salomon, qui vsqueadeò subactus est fœminarum libidine superba planè, & omninò tyrannica, vt ad illarum imperium non pudorem solùm, & religionem, sed etiam mentem penitus abiecerit. Hanc vim amoris in suo Hercule expressere Gentiles, qui cùm tantus esset, timuisse tamen dicitur fœminæ, quam amabat, tyrannicum imperium, & animum ad omne periculum, & fortunam impauidum ad muliebres nugas, & indignas homine curas abiecisse. De quo Deianira apud Ouidium.

8. *Amor ad indecoram, & duram seruitutem adigit amantem.*

*Mœonias inter Calathum tenuisse puellas*
*Diceris, & dominæ pertimuisse minas.*

*Non pudet Alcidam victricem mille laborum,*
*Rasilibus Calathis impositisse manum.*
*Duceris infelix scutica tremefactus habenis*
*Ante pedes Dominæ pertimuisse minas.*

9. Quòd si potestatem actiuè capias, quod minus videtur conuenire in literam, est sensus sanè egregius ad mores, maximè si cum his agas, qui totos se Deo consecrarunt, quales sunt sacerdotes, & qui vitam constituere religiosam. Hi enim sui corporis Deo potestatem dedere, quia à seipsis abiere toti: tunc autem, quia à superiori gubernentur prudentia, non ab humana, & sua, & à fortiori defenduntur, & sustentantur manu, neque errant in deliberando, quia meliora semper amplectuntur consilia, neque succumbunt alienæ voluntati, quia à seipsis abdicarunt suam, & diuinæ in rebus etiam minimis adhæserunt. Hi sunt, de quibus Apostolus 1. Corinth. cap. 6. v. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri.* Ex quo efficit Paulus fugiendum esse à fornicatione. Cùm autem homo sui Domino corporis potestatem adimit, & sibi vendicat, tunc illorum subdit potestati, quibus parere indecorum est, & planè miserabile. Quòd fecisse hoc tempore videtur Salomon, qui se sibi à Dei dispositione libera vendicauit, & mulierecularum libidini tanquam mancipium aliquod subiecit.

*Ille verè liber, & sui dominus, qui suâ Deo libertatem tradidit.*

10. *Sed colebat Salomon Astartem deam Sidoniorum, & Moloch Deum Ammonitarum.* ] Idololatrides illæ fœminæ, quæ delirum, & copiosum senem suo versabant arbitratu; ad suos quæque Deos colendos, & religioso instructu ornandos impulerunt. Quare tot habuit idola, illisque aras excitauit, ac templa, & sacrificia obiri voluit, quot fuerunt illarum fœminarum hæreses, ac sectæ, quarum sese amoribus implicuit. Atque ideo Sidoniorum amplexus religionem Astartem illorum deam, & Moloch Ammonitarum, Moabitarum Chamos religiosè coluit, & sacrificiis, quasi aliquid ibi diuinum agnosceret, prosecutus est. Neque mihi videtur incredibile, vt Ægyptiæ coniugi blandiretur, Ægyptiis quoque diis, quorum erat infinitus numerus, Ægyptio ritu sacrificasse.

11. Astarte dea dicitur Sidoniorum, de qua variæ sunt tam nostrorum, quàm externorum sententiæ, quas enumerare, & quod necessarium interdum est, improbare, longum esset, neque admodum vtile negotium. Vide Lilium Gyraldum Syntagmate 13. de diis gentium, & Nicolaum Serarium in cap. 2. Iudic. quæst. 1. & 2. & Pinedam in Salomone præuio lib. 7. cap. 11. Quidam Astartem Dei alicuius, & Deæ nomen commune esse putant, quia tam fœmineum, quàm masculinum genus illi attributum esse vident. Certè hoc loco Septuaginta θεὸν appellant Astartem, non θεὰν. August. quæst. 16. in librum Iudicum Iunonem, esse affirmat. Alij astrum aliquod, nempe lunam, aut Phosphorum, vt in Dea Syria sentit Lucianus; fortasse quia inter Astartem, & ἀστέρας magnam esse vident similitudinem. Plerique Venerem esse putant, quæ à Sidoniis, & Phœnicibus, ac tota Syria præcipua quadam religione colebatur. Et quidem Adonidem Veneris amasium, & Venerem ipsam in Libano coli, qui ad Tyrios pertinet, & Sidonios, docet Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 21. vbi tradit in Libano esse effigiem Veneris plorantis Adonidem. Et quidem cùm multæ sint Veneres, aut eiusdem Veneris cognomenta plurima, eam, quæ Adonidi nupsit, Astartem nominari docet, illius verba mox producemus. Veneris varia fuerunt nomina, varius cultus, varia species, varia ministeria: atque ideo neque vno nomine, aut forma, neque vno sacrificiorum ritu ab omnibus colebatur. Palæstini sub figura piscis illam coluerunt, appellarúntque Atergatem, seu decreto, & Hebraico nomine Dagon, vt nos pluribus ostendimus lib. 1. Regum cap. 5. vbi de Dagone pluribus. Vide. Lilium Gyraldum Syntagmate 13. vbi plura de varia Veneris forma, religione, ac nomine. Et (ne multum morer in re nō admodū necessaria), audi quid Cicero de Venere dixerit lib. 3. de natura Deorum, quàm sit multiplex, & consentaneè ad naturam variam, cui varia item ministeria respondent, quàm varius esse debeat religiosus cultus. Sic autem ille. *Venus prima cœlo, & die nata, cuius Elide delubrum videmus: altera spuma procreata, ex qua, & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus: tertia Ioue nata, & Dione, quæ nupsit Vulcano; sed ex ea, & Marte natus Anteros dicitur: quarta Syria, Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.* Cùm autem variæ essent Astartæ, sicut & Veneres; res etenim est eadem, diuersa nomina, illam Astarten coluisse dicitur Salomon, quam colebant Sidonij duxisse vxores, illarum siue studio, siue libidini obsecundare voluit.

12. *Palæstini sub qua specie Venerem colunt.*

Quia verò Astaroth in sacris literis nonnunquam inuenimus, quod singularis *Astarte* pluralem esse numerum existimamus. De hac etiam voce aliquid obseruemus necesse est. Et primùm puto aliquando hoc nomen in plurali numero idolum significare singulare, nempe Venerem, seu Astarten, quod fieri aliquando solet dignitatis gratia, vt docet, multísque confirmat Pagninus lib. 2. instit. c. 4. Quomodo Deum verum, cùm vnus sit, אלוהים *Elohim* appellamus, in plurali numero, & אדנים *Adonim* pro vno ponitur Domino etiam creato, licèt sit in numero multitudinis. Quod viri Principes sæpe faciunt, dum dicunt, *Nos el rey*, & similia. Sic lib. 1. Regum cap. vltimo vers. 10. Saulis arma dicuntur à Philistinis suspensa in templo Astaroth: & lib. 4. Regum cap. 23. v. 13. templum, quod hìc dicitur ædificatum Astarte, ædificatum traditur à Salomone Astaroth. Nisi dicamus vna tantùm forma à Palæstinis, & Sidoniis soli Venerem, seu Astartem: nam vt varias sustinet personas, & officia, sic eadem in eodem fano variis potuit efformari modis, & variis pro supplicum votis sollicitari sacrificiis.

13. *Astaroth quæ?*

Sed existimo in Scriptura Astaroth in numero multitudinis significare deas; nullum tamen certum deorum definiri aut genus, aut nomen. Id autem ideo mihi fit verisimile, quia sæpe in Scriptura sacra hæc duo coniuncta deprehendo, *Baalim*, & *Astaroth*. Vt autem Baalim illorum idolorum sunt nomina, quos virili; sic etiam Astaroth eorum, quę sexu notamus distinguimúsque fœmineo. Quasi hoc dicendi genere significare voluerint Hebræi, nullum esse numen apud Gentiles, quod infidum, & mobile Israelitarum ingenium ad suam religionem, & sacra non asciuerit. Notum est autem ex Hebræorum idiomate fœminei, ac masculini generis coniunctione multitudinem, atque vniuersitatem rerum significari. Quo sensu dicimus aliquem genuisse filios, & filias, id est, numerosam sobolem suscepisse. Et Salomon Eccles. 2. vers. 8. *Cantores, & cantatrices* cōiunxit, quibus omnia genera musicorum expressit, quæ duo in eam omninò significationem in Scriptura sacra sæpe coniunguntur. Plura nos exempla produximus ad illud Isai. cap. 3. *Auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem.* Vbi in originali lingua duo hæc inueniuntur

14. *Astaroth in numero plurali Deas, sicut* Baalim *deos significat.*

*In masculini, & fœminei generis coniunctione vniuersitas significatur.*

*Venus esse creditur.*

ueniuntur *validum*,& *validam*. Cùm ergo coluisse dicuntur Hebræi Baalim,& Astaroth,omnia gentium numina complexi dicuntur. Quod item faciunt sæpe profani, qui ad eumdem vsum Deos, deasque aduocant, cùm aliquid moliuntur difficile, aut illorum fidem testantur,& implorant. Cur verò Astaroth pro deabus omnibus sumatur, illa videtur esse ratio, quia cùm Venus esset multiplex, & multinomia, multarum obtinebat munus, & nomen. Adde quòd hæc solùm sub hæc tempora in fœmineo sexu nota erat forsitan Hebræis:& hæc à finitimis populis,vt opinor,sub illo sexu sola colebatur in numero plurali propter varios vsus, quos delusa gentilitas afferre existimabat. Neque,credo, aberraret plurimum à vero, qui Palæstinas deas, quarum Ouidius meminit lib.4. Fastorum, has Veneres, seu Astaroth fuisse existimaret.Licèt non nemo contrà putet. Sic autem ibi Ouidius,

*Sæpe Palæstinas iurat adesse deas.*

Hæc mea coniectura, alij meliùs, opinor, sed hæc fortasse non omnino abs re.

15. *Moloc, seu Melchon quis?* De Moloc, qui & Melchon, non minùs res est dubia. Quidam Iouem esse putant, eo adducti argumento, quod Iupiter appellatur deorum pater, & hominum Rex. Moloc autem, seu quod idem est Melchoti,à radice מלך *malac*, Idem est, quod Rex. Alij Mercurium, plerique Saturnum esse credunt. Mihi id maximè placet, quod probaui priùs in commentariis super Acta ad illud cap.7. *Suscepisti tabernaculum Moloc.* Quæ verba sumpsit ibi Stephanus ex Amos cap.5. Vbi idem probauimus iterum. Vbi ergo diximus Moloc esse solem, qui Rex est astrorum, sicut apud Ieremiam cap.7. Luna vocatur Regina cœli, Hebr. מלכה *Melaca*. Plura vtroque loco adduximus,quæ ad hanc cogitationem videntur esse non leuia.Inde pete,neque enim illa sæpius iteranda sunt.

16. *Chamos, quis.* Chamos Deus est, præsertim Moabitarum, licèt illud Ammonitæ ad suam quoque religionem asciuerint,vt liquet Iudic.11.v.24. Ierem.48.v.13. Quis autem iste sit Chamos, obscurum est. Quidam Priapum esse arbitrantur,alij Bacchum. Sanè Deus aliquis fuisse videtur, cuius sacra sic fuerint impura, atque execranda, vt non nisi in tenebris illa obiri potuerint, vsque adeò illa visu fuerunt turpia,vsque adeò ingenuis oculis indigna.Deductum videtur nomen à Græca voce Κῶμος, quæ ebrietatem, & comessationem significat, à quibus omnis prouenit intemperantia. Neque nouum est vt Hebraicæ voces ab origine Græca deducantur: cùm enim à Græcis multa libauerint, qualia fuerunt, quæ ad gentilicam religionem pertinent, nihil mirum si ab illis dicamus sumpsisse etiam vocabula. Exempla nos adduximus in Danielem ad cap.3.v.4. in nostris commentariis, vbi omnia instrumenta musica, quibus ad adorandam auream Nabuchodonosoris statuam excitabatur populus, quia ex Græcia, vt apparet,in Babylonem adducta à Græca origine modico flexu deriuata sunt. Sic in Testamento nouo plures inueniuntur Latinæ voces, quas Romani cum rebus (quarum illæ sunt signa) in Iudæorum prouinciam intulerunt. Quales sunt, *prætorium, sudarium, census, flagellum, titulus, colonia, macellum*, & alia plura. Quare nihil mirum si ἀπὸ τῦ κώμυ vox Hebraica, seu Moabitica Chamos videatur esse deducta. Qualia fuerint Dei Comi sacra, quàm iuuentuti ad omnem intemperantiam in nocturnis conuentibus licentiam,occasionémque præbuerint,vide Philostratum in imaginibus.

*Videtur esse qui apud Græcos Comus.*

Vers.7. *Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos,* &c.] Si Chamos erat idem Moabitis Deus, qui Græcis Comus, qui nocturnis congressibus ad omnem turpitudinem facultatem præbebat, satis intelligitur, quam Israelitis pestem Salomon inuexerit. Ædificauit fanum; imò potiùs omnis intemperantiæ commune diuerticulum. Hoc autem fanum non longè aberat à Ierusalem, constructum scilicet in monte Oliuarum,quem valli Cedron non admodum latè à Ierusalem discludit; ita vt impium delubrum, diuersoriúmque libidinum, templum Domini, opus videlicet religiosum,& augustum ex aduerso respiceret. Constructisse autem videtur non vnum tantùm fanum,vbi deorum simulacra locaret multa, quod fecerunt aliquando Gentiles, qui domum vnam diis Gentilium multis voluerunt esse communem;sed plura fana pro diuersorum deorum religione, ac numero. Quod indicat illud lib.4. Reg.cap.23.v.14. Vbi sic de Iosia, qui omnem impietatem è patriis finibus aboleri voluit. *Excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem ad dexteram partem montis offensionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sidoniorũ,& Chamos offensioni Moab,& Melchon abominationi filiorum Amon,polluit Rex.* Vt autem multa hîc dicuntur excelsa, sic etiam multa videntur ædificata delubra. Neque est improbabile iuxta fana, seu altaria religionis alienæ plantatos quoque à Salomone lucos iuxta Gentilium familiarem,ac penè legitimum morem.

18. Vers.8. *Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis.* ] Præter Sidonias, Ammonitidas, Moabitidásque concubinas,fuerũt etiam aliæ alterius religionis, & prouinciæ non paucæ, vt Idumææ,Hethææ,Ægyptiæ,& aliarum, quas non nisi obscurè,& confusè Scriptura designat,in quibus vxores pro patriæ, religionisque more sua obirent sacra, & immolarent victimas. Quod etiam fecit Salomon, vt constat ex v.5. vbi hæc peregrina numina coluisse traditur; tametsi aliqui exili adducti fundamento dubitent, quia non putant Salomonem vsque adeò perfricuisse frontem,aut à mente commotum, vt in illis monstris aliquid putauerit esse diuinum. Quid senserit Salomon, an aliquid illi mentis prioris reliquum fuerit,non laboro:illud scio, his fœminis copulatum esse Salomonem amore ardentissimo, & illius cor auersum,& deprauatum: amorem autem illum id consequebatur, vt quibuscunque posset modis illis blandiretur, quod faciunt viri nimis vxorij, & deliri, maximè senes,vbi in amatoriam amentiam inciderunt, qui neque iurant quid ratio,siue honestas,quid pudor, aut vtilitas exigant, dummodo suæ sibi libidini satisfaciant. Quare illud mihi videtur plusquam verisimile, constructa à Salomone fuisse plura delubra pro diis, quos Idumæi coluerunt, & Ægyptij,& nationes aliæ;si modò Salomon ex aliis nationibus sui thalami voluit habere consortes. Quæ autem Salomon idola coluerit, & quæ illorum cultui forent ex Gentili ritu consentanea,vt adolere thura,immolare victimas,tenent communiter Patres.

19. *Probabile est Salomoni neque mentè excidisse, neque sapientiam.* Sed de Salomonis mente non eodem omnes modo loquuntur. Quidam errorem excludunt ab illius mente, & cultum illum à deprauata tantùm,atque væsana libidine profectum esse putant. Sic sanè Augustinus de ciuitate lib.14.cap.11.qui in eo Adamum, Aaronem, & Salomonem in suo peccato similes esse dicit,quòd illi omnes ad aliorum preces, seu studia id admiserunt, quod nefas esse omninò cognoscebant;quare sapientiam non amisit

amisit Salomon, cùm ad illam peccatorum abyssum demersus est, sed illum libido, quæ præceps est, & temeraria, scientem videntemque in interitum abiecit voluntarium. Sic autem Augustinus. *Sicut Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus. Nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum, ita credendum est illum virum (nempe Adamum) suæ fœminæ vni, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti fuisse seductum, sed in sociali necessitudine paruisse. Non enim frustrà dixit Apostolus, Adam non est seductus, mulier autem seducta est.* Idem clariùs lib. 11. de Genesi ad literam cap. 42. *Fecit quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat, atque diffluebat, delicias contristaret*, Ita tenet Abulen. quæst. 15. qui cùm dixisset tam Salomonem, quàm eius vxores idola coluisse: id tamen asserit fuisse discriminis, quia vxores in idolis diuinum aliquid esse credebant; at Salomon, cùm nihil ibi diuinum, imò neque viuum agnosceret, ne quid negaret fœminarum votis, diuinos illis honores impendit.

20. *Excidisse Sapientiam Salomoni nō improbabile.*

Alij sapientiam putant excidisse Salomoni, atque ideo non externum solùm, sed etiam internum exhibuisse cultum existimatur peregrinis diis. Ita indicat August. lib. 17. de ciuitate, capite 8. *Attendat, & aspiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis colentibus Deos falsos, & ipsum ab eis Regem aliquando sapientem in eamdem idololatriam seductum, atque deiectum.* Et lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 21. idem apertè Gregor. lib. 12. Moral. cap. 12. *Qui prius*, inquit, *templum Deo construxerat, assiduitate libidinis etiam perfidiæ subtractus idolis construere templa non timuit, vt assidua carnis petulantia vsque ad carnis perfidiam perueniret.* Et clariùs in Pastor. 3. p. art. 27. D. Prosper Aquitanus de prædicationibus cap. 27. Basilius ad Chilonem ex cordatissimo adolescente vecordem dicit factum in senectute Salomonem. Bernardus hoc idem sæpe docuit Epist. 129. *Si cautela Samson, & si Salomonis deuotio perseuerantiam retinuisset, nec is profectò priuaretur sapientia, nec ille viribus.* Isidorus lib. de vita, & morte sanctorum cap. 33. Ambrosius Apolog. 2. pro Dauid. cap. 6. & 7. Sanè res est dubia, neque quid sequar definitum aliquid habeo; magis tamen eò propendet animus, vt putem non tam seductum errore Salomonem, quàm fœminarum illecebris scientem, & videntem in idololatriam abductum. Quod sanè affirmare debent, qui putant post peccatum, peractámque pœnitentiam Ecclesiastem à Salomone fuisse compositum; qui certè pauci non sunt. Vide Pinedam in præfatione in Eccles. cap. 3. In eo etenim lib. c. 2. v. 9. dixit de seipso Salomon, *Sapientia perseuerauit mecum.* Sed sanè dubium est, an hic liber fuerit post hæc Tempora à Salomone compositus? Negat profectò Bellarminus Cardinalis lib. 1. de verbo Dei cap. 5.

21. Vers. 9. *Qui apparuerat ei secundò.* ] Bis Dominus apparuit Salomoni, admonuitque ne diis adhæreret alienis, aut alia ingrederetur via ab ea, quam ipse ostendisset, quámque antè vestigiis eius pater impressérat, minatus, si contrà faceret, tam ipsi, quàm illius generi grauia detrimenta. Semel cap. 3. v. 13. in Gabaon, iterum cap. 6. v. 5. Cùm autem Salomon vsque adeò à proposita via declinasset, vt ad vanum, & execrabilem idolorum cultum defluxisset, apparuit nunc tertiò, aut certè per Prophetam enunciauit, diuidendum esse regnum, quod posteri integrum retinerent, si ipse audientem præberet diuinæ legi, & traditæ à Deo viuendi formæ autem: id verò concedendum esse Dauidis meritis, ne iacturam illam regni Salomon in diebus suis subiret, sed filius, qui ipso regnum defuncto patre proximè succederet.

22. Vers. 13. *Sed tribum vnam dabo filio tuo.* ] Certum est ex duodecim tribubus decem à Dauidica domo recessisse, & duce Ieroboam cōstituisse regnum nouum Israel: duas tamen stetisse in antiqua religione, ac fide, quæ regnum constituerunt Iuda, quæque neque à templo, neque à Dauidico genere defecerunt. Hæ verò fuerunt Iuda, & Benjamin, quod varia Scripturæ sacræ loca testantur. 3. Regum 12. cùm præcessisset solam tribum Iuda, adhæsisse Roboamo, statim subditur, *Venit autem Roboam Ierusalem, & congregauit vniuersam domum Iuda, & tribum Benjamin.* Et 2. Paralip. cap. 11. de Roboam dicitur, *Imperauit super Iudam, & Benjamin.* Et cùm decem tribus dicantur sæpe à Dauidis familia, & templo separatæ, necesse est, vt duæ in antiqua fide, & religione permanserint.

23. *Cùm duæ tribus secutæ fuerint Roboam, cur vna tātùm dicatur illi adhæsisse.*

Sed cur hoc loco vna tantùm tribus dicitur Salomonis filio relinquenda? Nam hoc eodem cap. v. 31. dixit Aias propheta Ieroboam Dei nomine. *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, porrò vna tribus remanebit ei.* Et cap. sequente v. 20. *Nec secutus est quisquam domum Dauid præter tribum Iuda solam.* Et 4. Reg. cap. 17. *Iratúsque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo.* Alij aliter sentiunt, conantúrque hunc nodum, qui non parum impeditus est, dissoluere, Mihi illud placet, quod visum est super Zachariam ad illud cap. 2. v. 7. *O Sion fuge.* Notum est ex libr. Iudic. cap. 20. & 21. tribum Benjamin sic fuisse concisam, vt ex ea sexcenti tantùm viri relicti fuerint, coniurata in illius exitium totius Israelitici populi multitudine, absumptis omnibus ciuitatibus, ac viculis, incendio, quibus ad illum vsque rerum articulum abundabat. Quare cùm tribus aliæ & ciuibus abundarent, & vrbibus; hæc verò his omnibus fuerit spoliata, & propter flagitium illud immane haberetur ignobilis, nullo iam communi hominum existimatione habebatur in numero. Quocirca sub illud tempus, quo hæc scripta sunt, sic audiebat illa tribus malè, sic censebatur inter alias ignobiles, vt eo se nomine Saul 1. Regum 9. regno se iudicaret indignum. *Nunquid*, inquit, *non filius Iemini ego sum* (id est, Benjaminita) *de minima tribu Israel, &c. quare ergo loquutus es mihi sermonem istum?* Hinc existimo exiguam illam tunc, & obscuram tribum vulgo Hebræorum amisisse nomen, & sumpsisse à nobilissima tribu, cui se propter vicinitatem adiunxerat, & cui templum, & ciuitas ipsa Ierusalem regia, quo tempore ista contigerunt, fuere communia, vt pluribus ostendimus ad proximè citatum Zachariæ locum. Et licèt tempore Salomonis tribus illa olim prope extincta frequens esset, non ciuibus solùm, sed etiam vrbibus; quia tamen antea eò redacta est, vt tribus dici non debuerit, cum cognatis aliis tribubus comparata, retinebat antiquum nomen. Quod in aliis rebus, etiam mutato priori statu, fieri videmus, vocabatúrque eodem nomine, quo alia copiosior, nobiliórque familia, à qua videbatur in idem genus, & nomen adoptata. Neque id proprium tribui Benjamin, vt in sua tenuitate nomen acciperet à posteriori tribu, sed commune cum aliis. Nam cùm ex aliis quoque tribubus plurimi sese adiungerent ad tribum Iuda ante captiuitatem per Assyrios, & cum eadem tribu plurimi quo-

24. *Tribus Beniamin exigua, & despecta aliquando.*

*Post rediit ab exilio omnes, licèt ex aliis tribubus, vocati sunt Iudæi.*

que

que ab exilio rediissent, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis in Oseam, ad illud cap. 1. v. 11. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum.* Omnes tamen relicto gentilitio nomine, vocati sunt Iudæi.

15. *Suscitauit autem Dominus aduersarium Salomoni Adad Idumæum.*] Historia satis est ab historico sacro dilucidè proposita, sed in illa quædam expedienda, in quibus hærere posset curiosus lector. Debellauit Dauid Idumæos, vt habes 2. Reg. cap. 8. vers. 14. illósque sibi reddidit vectigales, adhibuitque custodes, qui Idumæos in officio, ac fœdere continerent. Nihil ferme aliud habemus de Idumæis à Dauide subactis, neque alio loco audimus, aut de semestri mora, quam Ioab posuit in Idumæa, dum sepeliret mortuos, & omnes ex Idumæo semine masculos occideret. Quare hic aut diuinandum est, aut obscuris agendum coniecturis. Mihi non displicet quod Caietanus hoc loco cõiectat, insurrexisse videlicet Idumæos in custodes illos, quos Dauid eorum regioni præposuerat, & cùm superiores essent numero, eos interemisse. Tunc autem reuersum esse Ioab, vt sepulturæ mandaret occisos, & ne iterum aliquid molirentur hostile, sustulisse omne masculinum genus; neque minus semestri mora in eo opere peragendo consumpsisse. Eo verò tempore ereptum esse Adad Idumæi regni legitimum hæredem inimicorum ferro, & ad Ægypti Regem confugisse, à quo benignè exceptus est, & talia consecutus humanitatis officia, qualia hîc tradit sacer historicus. Quod videtur paulo pòst accidisse ab Idumæa subiugata, & ab imposito militari præsidio, cùm nondum ex Idumææ finibus excessisset Dauid: id enim indicat illud, *Cùm enim esset Dauid in Idumæa, & ascendisset Moab princeps militiæ, ad sepeliendos eos, qui fuerant interfecti, & occidisset omne masculinum in Idumæa, &c. fugit Adad ipse.*

16. Rab. Salomon citatus à Lyra ad illud lib. 2. Reg. cap. 8. *Fecit quoque sibi Dauid nomen;* & tenet Lyra ibidem, & hoc loco clariùs, sepeliisse Ioab non Israelitas ab Idumæis occisos, sed Idumæos ipsos, quos Israelitæ paulo antè victores occidissent, & eam ob rem magnum à pietate Dauidem consecutum esse nomen, quod hostes noluerit honore carere sepulturæ. Quod ideo mihi minus probatur, quia si hoc Israelitæ præstare voluissent Idumæis parentale officium, non illud distulissent in aliud tempus, ita vt redire debuerit Ioab, vt illos sepulturæ mandaret, neque illorum grauis odor sustineri posset, neque, si Israelitarum abfuisset pietas, ipsi paterentur Idumæi contribules suos insepultos iacere. Cùm illud ipsa horreret natura, & ab illorum pestilenti habitu maximum toti populo parari posset exitium. Adde quòd non aptè duo ista conueniunt, & piè à Dauide, & illo præcipiente, à Ioab Idumæorum terræ mandari cadauera, & eodem tempore masculinam illorum sobolem aboleri. Quare illud videtur longè verisimilius, cùm nondum ex Idumæorum finibus excessisset Dauid extinctos fuisse custodes in præsidio relictos, & statim à Ioab reuocatum Hebræorum exercitum, à quo recentes mortui honorem consequerentur sepulturæ, & qui relicti fuerunt ex Idumæo semine, ne quid tursus tentarent hostile, de medio tollerentur, hæc mea coniectura est.

17. Vers. 21. *Cúmque audiisset Adad in Ægypto dormiisse Dauid cum patribus suis, & mortuum esse Ioab Principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me vt vadam in terram meam.*] Mansit diu apud Pharaonem Adad, sic ab eo tractatus indulgenter, vt nunquam in illo paternam humanitatem, aut prouidentiam requireret. Cùm autem è viuis excessisse cognosceret Dauidem Regem, & Principem militiæ Ioab, quorum propter acceptam plagam, vel ipsum horrebat nomen, nulla alia ratione (vt appa- *Adad Idumæus Salomonis hostis.*
ret, & meditatur Abulensis quæst. 25.) adductus, nisi patriæ desiderio (cuius dulcis est memoria, his maximè, qui in illa aliquando honorem sunt experti, & florentem fortunam) petiit sibi redeundi facultatem à Pharaone, quam, licèt ægrè ferente Rege, tandem obtinuit. De Adad nihil habemus aliud, neque constat qua in re Salomonis rationibus fuerit aduersatus. Hoc videtur satis verisimile, antequam Salomon recessisset à Deo, aut molitum esse nihil Adad, aut certè in suis conatibus nullum habuisse fortunatum exitum. Neque, credo, promouisset magnum aliquid, etiamsi pacificum, ante Salomonis regnum bello tentauerit, quia Idumæa, quod acceperat à Dauide seruile iugum, nunquam excussit, aut Regem constituit vsque ad tempora Ioram, de quo lib. 2. Paralip. cap. 21. v. 8. *In diebus illis rebellauit Edom, ne esset subditus Iudæ, & constituit sibi Regem.* & iterum vers. 10. *Attamen rebellauit Edom, ne esset sub ditione Iuda vsque ad hanc diem.* Hæc è sacro, atque canonico textu videntur sumi posse. Septuaginta aliquid hîc habent, quod non bene cum vulgato, aut Hebraico textu consentit. *Grauiter,* inquirunt, *affecit Israel, & regnauit in terra Edom.* Vnde hæc sumpserint LXX. non video. Suspicor hunc locum apud Septuaginta esse corruptum, & ex historia Razon, quam in Septuaginta versione non habemus (quæ, vt puto, temporum iniuria, aut scriptorum negligentia periit) aliquid esse admixtum prorsus alienum.

Vers. 23. *Suscitauit quoque ei Deus aduersarium* 28.
*Razon.*] Historia hæc, vt modò dicebamus, non est apud septuaginta. Quæ sanè obscura est, & variè à variis declaratur, & texitur; quia sacer etiam textus ad varias patet explicationes. Hanc ego præcipuam ex omnibus amplector, quam ex parte tradidit Iosephus, & ex eo Dionysius, Lyra, & Abulensis. Et primùm dicam quid mihi magis videatur consentaneum textui, deinde quam de reliquo communem habeam cum aliis sententiam. Existimo primùm quo tempore Dauid lib. 2. Regum cap. 8. graui vulnere concidit Adarazer Regem Soba, fugisse Razon illius seruum, & in ipso congressu deseruisse Dominum suum, velut priuatas vlciscereturiniurias, vel quia alias ob causas, quæ variæ sunt, atque frequentes inter seruos, & dominos, in dominum erat grauiter animatus. Quare nactus opportunitatem, in quo suum dolorem consolari, vt iam antè concepto animi furori satisfacere potuit, quo tempore cum hoste congrediendum fuit, illum in mediis periculis perfidiosè deseruit. Et adhuc studio vindictæ ad vlteriora progressus latrones sibi adduxit audax hominum genus, & laboris patiens, quorum ipse dux factus sub illud tempus, quo malè à Dauide Domini sui iactabatur fortuna, illú insectatus est. Hoc videtur admittere, imò & expetere textus ipse, qui ad alias cogitationes, & sensus non admodum facilem se præbet. Hic ergo Razon cum illo suo latronum numeroso grege incertis vagabatur sedibus, & agendis hinc inde prædis syluestrem, & vagam vitam vtcunque sustentabat. Sicut Dauid cùm sibi à Saulis offensione caueret, incertis errabat vestigiis, & sibi, ac suis ex obuiis, aut indagatis prædis de victu, rebusque necessariis prouidebat. Donec Salomone turpiter lapso, & in

fœda

fœda peccatorum colluuione demerſo, excitauit illum Dominus, vt hoſtile aliquid contra Salomonis pacem,ac dignitatem auderet. Quare cùm Dauid eam Syriam,cuius caput eſt Damaſcus, ſibi feciſſet vectigalem,illique militarem præpoſuiſſet cuſtodiam, quod onus etiam ſubiit meliori Salomonis tempore;illam occupauit Razon, & illius, conſentiente populo,conſtitutus eſt Rex. Cúmque iam, & viribus, & opibus magis eſſet confirmatus,Iſraeliticos fines turbauit, & afflixit omnibus diebus Salomonis, nimirum ex quo defecit à Deo ad finem vſque vitæ.Hac hiſtoria ad Scripturæ filum, vt reor, informata expleri puto textum, neque video quid ſit à veritate alienum, vel à litera violenter extortum. A qua ſententia parum recedũt Lyra,Dionyſius,Abulen.Caietanus.Quod verò ſequitur,etiã habet, quod explorato opus eſt.

*Razon Salomoni aduerſatur.*

29. Verſ.25. *Et hoc eſt malum Adad,& odium contra Iſrael..*] Hunc locum ſic exponit Ioſephus, cui plures alij,aut omninò, aut ex parte ſubſcribunt, lib.8.cap.2. *Aderus* (ſic à Ioſepho appellatur Adad)*impetrato à ſuo Rege comitatu ad Idumæam reuertitur, & cùm non poſſet gentem ſuam ad defectionem à Salomone perpellere, eo quòd validis præſidiis impoſitis in officio contineretur, nec liceret impunè res nouas ibi moliri,profectus inde in Syriam ſe contulit,vbi cùm incidiſſet in quemdam Razarum* (ſic vocat Razon) *qui deſciuerat à Sophenæ Rege Adiazaro, & eas terras cum latronum manu populabatur incurſionibus, ſocietatem cum homine iniit. Cuius ope occupata ea parte Syriæ Rex declaratus Iſraelitarum ditionem crebrò irrumpendo,viuo adhuc Salomone,rapinis omnia miſcebat, & cædibus.* Hæc Ioſephus;à quo non recedunt, niſi perquam modicè illi, qui ſuprà,qui exponunt illud malum,quod Razon intulit Hebræis, & illud odium, quo illos ad mortem vſque Salomonis proſequutus eſt,eſſe Adad.Neque enim tam ſæuiret Razon in Iſraelitas, niſi Adad illi ad eorum exitium ſtimulos admoueret. Neque mihi hæc cogitatio diſplicet. Alij ſic accipiunt, vt eodem tempore duo hoſtes contra Salomonem ſint excitati,Razon,& Adad.quod quidem verum eſt. Ita tenent Vatablus,Emanuel Sa, & in explicatione ſecunda Caietanus. Pineda in Salomone præuio lib.7.cap.22.& in hunc locum Mariana, qui nihil penè in ea cogitatione differunt. In priorem ergo cogitationem magis propendeo,quia minus habet quod ſuppleat,aut diſtorqueat.

30. Verſ.26. *Ieroboam quoque filius Nabath, Ephrateus.*] Hic tertius fuit hoſtis, quem ex genere Iſraelitico ad plectendum Salomonis ſcelus excitauit Deus. Qui licèt nullum attulerit Salomone viuente,damnum rei Iſraeliticæ,aſt ſollicitum habuit Salomonem, & illius turbauit pacem, cùm cauendum ſibi putaret ab hoſte domeſtico, qui omnia nouerat Regis conſilia, cuíque grauia aliquando negotia commendauerat.Neque exiguum illud ſupplicium videri potuit, quod oritur à metu, licèt nullum exinde ſequatur incommodum. Miſerũ enim eſt plenos ſollicitudinis ſomnos ducere,& in rebus etiam tutis inſidias ſuſpicari, neque perturbationis habere minus in pace, atque otio,quàm ſi eſſet aliquis in acie. Quàm grauis eſſet à metu dolor, quàm triſtes anguſtiæ, habes Sapient.cap. 17.ad finem. Vbi quàm miſerè à metu torquerentur Ægyptij, eleganter exprimitur.

*Matus graue ſupplicium.*

31. Verſ.27. *Et hæc eſt cauſa rebellionis aduersùs eum, quia Salomõ ædificauit Mello.*] Hebræi,quibus id videtur eſſe ſtudio,vt noua quotidie ſomnient, eaque nobis pro oraculis venditent, aliam tradunt cauſam huius rebellionis: dicunt enim, vt refert hîc Lyra,Ieroboamum filium eſſe Semei, quem in regni exordio interfecit Salomon, & hunc eumdem eſſe qui Nabath. cùm autem mater quotidie paternam cædem in filij memoriam reuocaret, vt eum in illius vindictam inflammaret,occaſionem arripuit Ieroboam, vt, malè Salomone vexato, ſuum ac viduæ matris dolorem conſolari voluit. At vnde in hanc cogitationem venerunt Hebræi? quia mater Ieroboami vidua eſſe dicitur, qualis tunc erat vxor Semei,ſi modo tunc ſuperſtes. O præclara coniectura, ac ſi vna tantùm eſſet vidua in copioſo illo Iſraelis populo. Neque conſiderarunt miſelli Ephratæum fuiſſe Ieroboam, non Benjaminitam, & magis eſſe notum Semei nomen, quàm Nabath. Quare vocandus potiùs fuit Semei filius,cuius antea frequens mentio, quàm Nabath, cuius tunc primum nomen auditum eſt. Et quidem ſi Ieroboamus filius eſſet Semei, hæc potius rebellionis cauſa adducenda fuit,quàm ædificatum eſſe Mello.

*Hebræorum fabula de Ieroboam.*

Sed eſt adhuc dubium, cur propter ædificatum 32.
Mello tantopere fuerit indignatus Ieroboamus,vt manum leuauerit contra Salomonem? Quidam non putant Ieroboamum indignatum fuiſſe contra Salomonem,ſed Salomonem potiùs contra Ieroboamum, quòd ab ipſo liberius reprehenderetur,quòd ædificaſſet Mello: reprehenſiones autem licèt officioſas & iuſtas, viripotentes, eo maximè tempore,quo intemperanter ſuis cupiditatibus indulgent,iniuriæ loco ponunt.Sic Emanuel Sa.Sed eſt commune,&,vt opinor,certum hanc offenſionem,& indignationem eſſe Ieroboam:ſed quomodo ædificatio Mello, & coæquatio voraginis odium in Salomonem excitauerint,obſcurum eſt.

Ioſephus lib.8.cap.2.licèt paulo obſcuriùs, ra- 33.
tionem tamen videtur indicare. *Cùm patre*, inquit,*orbatus adoleſcens adhuc à matre educaretur,Salomõ,animaduerſa eius generoſa indole,præfert eum fabricæ murorum, quando Hieroſolymam mœnibus cingebat. Eius operis curam tanta ſolertia geſſit, vt Rex comprobata hominis induſtria præmio dignum ducens eum Ioſephi tribui præficeret.* Vt autem murorum ille curam ſuſcepit, veriſimile etiam eſt implendæ quoque voraginis ſuſcepiſſe negotium; quia illud etiam publicum erat opus, & ciuitatis non ornamentum tantùm,ſed egregium fortaſſe munimentum.Quod indicat Ioſephus lib.15.cap.14.& colligitur non obſcurè ex lib.2.Paralip.cap.32.v.5. vbi inter ciuitatis propugnacula numeratur *Ezechias*, inquit,*ædificauit,agens induſtriè,omnẽ murum,qui fuerat diſſipatus,& extruxit turres deſuper, & forinſecus alterum murum: inſtaurauitque Mello in ciuitate Dauid,& fecit vniuerſi generis armaturam.* Norat igitur Ieroboamus quantum eſſet laboris, & ſumptuum poſitũ in complenda,ædificãdáque voragine.Cùm autem,vt ſuprà diximus c.9.v.15.eo in loco pro filia Pharaonis ædificata eſſet ambitioſa quædam domus,quę mille populo cõmoditates,& vſus auferebat(quia area illa nõ procul erat à tẽplo,in qua populus conuenire,& ibi cõmodè expectare poterat ſacrificij tempus)tulerunt omnes graniter ædificatam eſſe aream, quæ effecta fuerat ex impleta voragine,& Ægyptiæ fœminæ cum tanto ciuitatis incommodo datam eſſe ſiue ambitioni, ſiue libidini. Tulit autem hoc omnium ægerrimè Ieroboamus, tum quia homo qui publica curabat, ferebat moleſtè publicum opus priuatæ alicuius voluptati ſeruire.Adde quòd cùm cõſtitutus eſſet ſuper tributa domus Ioſeph, nouas quotidie querimonias audiebat eorũ,qui immodicis grauarẽtur vectigalib.quæ exigebat Rex nimis vxorius, qui

34. *Ieroboæ cur indignatus Salomoni propter ædificatam Mello.*

qui res curabat magis muliebres, quàm publicas. Cùm enim septingentas haberet Reginas, quas tractare debuit pro regia maiestate delicatè, ac lautè,& trecentas concubinas, quæ aliquid quotidie nouum efflagitant,& nisi impetrent, iniuriam sibi fieri queruntur; quibus negare nihil iam aut vellet,aut auderet homo omninò fatuus,& fœminarum totus alligatus imperio,multa,vt est verisimile,neque immeritò,in Regis iam peruersos mores iactabant,quem non tantùm videbant in summa intemperantia esse proiectum,sed etiam vsque adeò illius imperium esse tyrannicum,vt subditorum exhauriret opes,& sãguinem exugeret. Hinc oritur,vt omnes,quorum Ieroboamus videtur esse Princeps, conquesti fuerint apud Roboamum paterni loci,atque maiestatis hæredem, quòd pater durum imposuisset iugum.Quocirca ex communi dolore iusta indignatione concepta aliquid secum contra Salomonem meditabatur aduersum, quod non videtur Salomonem latuisse, maximè postquam Aias Silonites diuiso pallio decem illi regni partes attribuit, quando viuente Salomone fugit in Ægyptum. Fuit ergo rebellionis origo primùm excitata ab oppleta, & adæquata voragine Mello,cui lubens præfuit Ieroboam, cùm videret aream ex vasto illo vallis profundissimæ hiatu relictam magno reipublicæ futurã esse vsui, quam deinde ereptam populo, & fœminæ deliciis peregrinæ attributam tulit quàm molestè.Hæc videor coniectare posse non abs re, neque parum consequenter ad textum:sed coniectare tantùm, non asserere.

35. Vers.29. *Factum est igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ierusalem, vt inueniret eum Aias Silonites propheta in via.* ] Egressus fuerat hoc tempore Ieroboamus, vt Iosephus putat lib. 8. cap.2. vt regio fisco quæstoriam operam nauaret, stipatus,vt apparet, vt tam grauem personam decebat è ministerio forensi non exiguo, atque vulgari comitatu, sicut indicat hoc loco Iosephus. *Ad quam(*nempe quæstoriam prouinciam)*dum Hierosolymis egressus iter faceret, obuiam ei fit Propheta nomine Ahias Silunte oppido oriundus. Is salutatum eum paulò de via seduxit in rus quoddam diuertens, in qua nemo alius aderat.*Hic autem Propheta fuit de Silo, vbi aliquando fuerat tabernaculum,quique Salomonis gesta Scripturæ mandauit, vt habes lib.2. Paral.cap.9.ad finem.

36. *Propheta nõ solùm verbis,sed rebus prophetare solitt.* Vers. 30. *Apprehendénsque Aias pallium suum nouum, quo coopertus erat scidit in duodecim partes.*] Prophetæ non solùm verbis, sed etiam rebus futura portendebant, quæ eo magis inhærent animo,sicut etiam infiguntur memoriæ. Sic iussus est Oseas vxorem ducere fornicariam; sic Isaias nudus incedere; & Ieremias catenis oneratus obire ciuitatem; Ezechiel assumere peregrinantis habitum,in latus dormire, ciuitatem in latere describere à Chaldæis obsessam;& Zacharias modò sumere duas pastoris virgas,modò pastoris stulti instrumenta portare.Sic modò Aias,vt doceat diuidendum esse regnum,quod tunc primùm initurus erat Roboamus,regnum,inquam nouum, pallium sumpsit nouum,quo tunc primùm vti cœperat, illúdque in tot diuidit partes,quot erant in eo regno Principes familiæ, & ex earum numero decem tradidit Ieroboamo, reliquas duas pro Roboami posterorúmque regno reseruauit. Quomodo verò vna tribus relinquenda dicatur pro Dauidica familia,cùm tamen duas obtinuerit, quas duæ pallij scissuræ portendebant, diximus paulò antè ad



Vers. 36. *Vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me in Ierusalem.* ] Non ita Deus offensus fuit Salomonis perfidia, & abiuratæ religionis, & profundissimæ libidinis immani flagitio,vt obliuisceretur meritorum Dauidis, & promissionis illius imperij, quod in eius domo æternum futurum antè prædixerat.Quare vt maneret aliquod monumentum tanti Principis, támque diuini nominis studiosi, extare voluit in ciuitate,quam sibi ex omnibus præcipuam elegit, regium Deus in posterorum aliquo, qui vnum, & clarum Dauidis nomen in omni memoria conseruaret.Quomodo *lucerna,scintilla,*& similia sumantur pro liberis,maximè cùm sunt in dignitate,qui parentis famam perire non sinunt, & memoriam, diximus pluribus lib.2.Reg.cap.14.ad illud, *Quærunt extinguere scintillam meam.* Vbi etiam ostendimus Dauidi à Domino promissam esse lucernam, quæ nimirum nomen illius splendidum posteritati conseruaret. 37. *Lucerna, scintilla, & similia pro liberis.*

Vers.38. *Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi,*&c.]Sicut Sauli primùm,deinde Salomoni regnum promisit Dominus fidele,id est,stabile,si tamen à diuinæ legis custodia non deficerent, sic etiam promittit Ieroboamo Israelitici, id est, decem tribuum fidele, stabiléque imperij solium; si modò illud instituat viuendi genus, quod in Dauide videt sibi, & in aliis Regibus propositum, tanquam optimam regnandi, atque viuendi formam.Addit præterea,si quis Salomonis filius, aut alij posteri contra ipsius regnum hostile aliquid meditentur,& quam deberi sibi hæreditatem putabant, vindicare quoquo modo, ac repetere studeant, Ieroboami potius, quàm aliorum partes susceprurum:id enim existimo valere illud,*& affligam semen Dauid super hoc,*id est,si tibi eam ob rem molestiæ aliquid facessere voluerint. Quod sanè fecit, & eodem tempore, quo Salomon Ieroboamum de medio tollere voluit, qui incolumis ab eius manibus euasit in Ægyptum, & postea cùm Roboamum, qui exercitum contra Ieroboamum, antequam se in regno confirmaret, conscripserat, quem referre iussit gradum, & ne nouum Regem insectaretur edixit. 38.

Porrò de hoc Aia propheta Silonite tradit Epiphanius ex Hebræorum, vt reor, traditione de vita Prophetarum in Aia, quòd Salomoni prædixerit Deum aliquando futurum aduersarium, quod item dixit Isidorus in lib.de vita,atque obitu sanctorum, qui ait ab Aia dictum esse Salomoni eius animum à mulieribus esse peruertendum, & quod aliquid simile Ieroboamo prædixerit. Sic autem ibi Epiphanius.*Increpauit Ieroboam, quòd suscepto olim principatu dolo,& fraudulenter esset acturus cum Domino.Visum namque suis apparuit oculis par boum perfundare populum, inque sacerdotes impetum facere. Cæterùm vaticinatus est Salomoni futurum, vt muliebre genus eum alienaret à Domino. Item ingenuè dixit ad Ieroboam: Te par buccularum auertet olim à Domino, & erit in seruitute tua propago.* 39. *Aia vaticinium ad Salomonem,& Ieroboam.*

Vers.40. *Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam, qui surrexit,& aufugit in Ægyptum ad Sesac.* ] Sicut postquam Salomone regno vitáque defuncto, suum in decem tribubus consecutus est Ieroboamus, stultè egit, & impiè conflatis vitulis, quos pro diis obiecit aut timido, aut seducto populo, sic etiam nunc Salomone viuente insipienter egit, & parum cautè,dum studium suum obtinendi regni,aut oblatum à Domino regnum pluribus aperuit è populo,quos aduersùs Salomonẽ mutauit, 40.

à quo

à quo iam ipsi antea animos habebant alienos, vt putat Iosephus: aut certè euulgauit quid sibi dictum foret ab Aia; quod ne vllo modo contingeret tantopere cauerat Propheta, dum illum à turba segregat,& in solitarium locum deducit. Cúmque nosset de regno ad se nihil Salomone viuo pertinere; sed postquam ad eius filium paternum deuenisset imperium, anteuertit sic negotium illud, quod oporteret maximè tectum esse, & adeò non obscurè, vt Salomon ipse manifestè cognouerit. Quare voluit sibi, ac posteris interfecto Ieroboamo consulere, quod fecisset omninò, nisi matura fuga in Ægyptum profectus Salomonis se subduxisset potentiæ, & armatum furorem declinasset. In quo apparet quàm Deus fideliter promissa compleat, cùm tantam Salomonis potentiam,& regias manus, quæ longæ sunt,& plurimæ, continuerit, ne quid aduersari possent Ieroboami consiliis,& Regem Ægypti, qui aut Salomonis socer erat, aut vxoris frater, sic in Ieroboamum affecerit, cùm tamen illius fugæ causam non ignoraret, vt amicè susceperit, atque ita protexerit supplicem suum, vt nihil toto illo tempore, quod non videtur fuisse exiguum, subierit siue ab aperta vi, siue ab occultis Salomonis insidiis.

41. *Sesac quis.* Quis fuerit iste Rex Sesac incertum est, an socer, an Leuir Salomonis. Socer communiter existimatur appellari Vaphres. Hic Sesac fortasse est ille, qui ab Herodoto,& Diodoro Sebacus nominatur. Sanè apud Ieremiam cap. 25. v. 26. Babylon appellatur Sesac. Sed, vt in nostris commentariis diximus ad illum locum, nomen illud artificio quodam Hebræis familiari, literarum transmutatione fit.

42. Vers. 41. *Reliquum autem verborum Salomonis*, &c. *scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis.*] Quis sit liber verborum dierum, diximus in prolegomenis horum librorum Regum proleg. 1. In illo autem libro plura scripta sunt, quàm habemus in lib. 3. Reg. aut in 2. Paralip. Ex quibus fortasse sumpta aliqua, quæ nobis tradiderunt Hebræi, aut docuerunt Patres, quale est quod de Aia Silonite dicebat Epiphanius. Et quod Chaldæus tradidit in Canticis cap. 8. ad illud, *Vinea mea coram mé est.* Vbi dicit Aiam prophetam, quia de regni diuisione egit cum Ieroboamo, quæsitum esse à Salomone ad mortem; illum autem vt regium furorem declinaret, abiisse in Ægyptum: illa autem reliqua, quæ in his libris cómemorata nō sunt, sicut etiā illa, quæ nunc habemus, scripserunt viri quidam eo valde nomine insignes, quòd omnes fuerunt Prophetæ. De quibus lib. 2. Paralip. cap. 9. v. 29. *Reliqua autem opera Salomonis priorum, & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, & in libris Aiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis contra Ieroboam.*

43. *Dormio idē quod morior, & somnus quod mors.* Vers. 43. *Dormiuitque Salomon cum patribus suis.*] *Dormire* ex vsu idiomatis Hebræi, idem est quod *mori*, quia somnus mortis est imago, & qui in sepulchro iacet, ille in sepulchro requiescere, aut dormire dicitur,& sepulchrum ipsum requies nō nunquam appellatur, & quod polyandrium ab aliis, aut commune vocatur sepulcrum, illud à Græcis κοιμητήριον, & à Latinis cœmeteriū dicitur, quod idem valet, quod dormitorium. Hoc sensu, credo, Salomon dormiisse traditur, id est, vita functus, sicut etiam parentes ipsius, qui iam è vita decesserunt. Nam licèt ille dicatur dormire cum parentibus, qui in parentum sepulcrum, quod est etiam toti familiæ commune, illatus est, tamen cùm in ciuitate Dauid fuerit tumulatus, vbi vnus tantùm pater conditus erat, potius dicendum fuit in singulari, cum patre, quàm cum patribus, in plurali numero, sepultus.

44. *De Salomonis spirituali salute nihil certum.* Hìc alij de Salomonis spirituali vita disputationem longam instituunt, illámque tractant accuratè valde, quod ego quoque facere institueram, parauerámque, quæ in ea quæstione magis videbantur opportuna. Sed cùm ab aliis hæc non indiligenter disceptari cernerem, à quibus lector, quod videretur magis ad veritatem, edoceri posset. Neque præterea aliquid in re tanta haberem, in quo animus veritatis indagator acquiesceret; imò quod ad vtramlibet cogitationem firmum haberet fundamentum, aut coniecturam grauem, abstinendum mihi duxi ab ea disceptatione, quam vsque adeò contemplabar ancipitem, vt non haberem, quò magis propenderet assensus. Nam si ab auctorum numero, & auctoritatis pondere momenta considerem, æquum vtrilibet cogitationi inest ab auctorum numero,& Scripturæ sacræ auctoritate momentum. Auctores, qui pro vtralibet cogitatione certant, æquales penè sunt numero, sanctitate, doctrina; rationes in vtramlibet partem non admodum premunt. Quæ citantur ex Scriptura sacra testimonia, si diligenter expendas, in alios sensus trahi possunt. Eâ non inuita, & magis fortasse ad Scripturæ non infrequentes vsus consentaneè. Quid ergo faciam in re coniecturali, vbi infirmæ sunt,& dubiæ coniecturæ? Adeat lector, si, quod alij senserunt, nosse vult, inter alios Martinum de el Rio in præfatione ad Cantica, Sebastianum Barradas tom. 1. lib. 5. cap. 9. Pinedam in Salomone præuio lib. 8. cap. 1. qui omnes acriter pro Salomone certant, & quæ alij in vtramque partem congressérunt diligenter, & expenderūt accuratè.

45. Sub hæc Salomonis tempora, id est, ad annum mundi 4160. floruerunt antiquissimi poëtæ,& musici, vt tradit Genebrardus in suo Chronico ex Eusebio lib. 10. præp. cap. 3. Linus, Philammon, Tamyras, Amphion, Orpheus, Musæus, Demodocus, Phœnius, Epimenides Cretensis,& quædam ex Sibyllis. Sed reuera id Eusebius non dicit, sed tantùm viris, qui hìc ab Eusebio, & Genebrardo nominantur, superiorem fuisse Moysem. Hoc tempore à Tyrrheno quodam Pyræo inuenta tuba, vt auctor est Plinius lib. 7. cap. 56. In Salomonis tempus incidisse Homerum docet Cyrillus Alexand. lib. 7. contra Iulianum; apud Latinos regnabat sextus Rex Syluius Æneæ Syluij filius. His temporibus Homerum,& Hesiodum floruisse,& à Didone ædificatam esse Carthaginem ex aliorum sententia docet Eusebius in Chronico.

# IN CAP. XII. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*PETIT populus à Roboamo, vt aliquid remittat de tributorum onere, quod à Salomone supra facultates, & vires subditorum videbatur impositum. Ille cùm aliquid sibi temporis ad deliberandum assumpsisset, re cum senioribus communicata, illorum consilium improbat, qui censebant in eo rerum articulo mitiùs esse agendum cum populo, & iuniorum consilium, qui aliter censebant, temere secutus alienauit à se populum, qui liberè renunciauit, neque illud onus, neque vllum imperium à genere Dauidico sibi esse subeundum. Quare suas sibi res curet Roboamus, neque putet sibi amplius cum Israele quicquam fore commune. Cùm autem sui consilij prorsus obstinati, occiso Aduram regij fisci quæstore, documentum dedisset populus infensus, illius furorem metuens Roboam quàm potuit festinatò Hierosolymam rediit. Interim Ieroboamus à frequenti Israelitarum conuentu Rex salutatur, contra quem cùm ex eo, quod reliquum erat populi, aciem adornaret Roboam, admonitus à Semeia propheta, ab incepto destitit. Interim Ieroboamus cùm parum firmum putaret esse regnum, quod tam subito consilio non tam constitutum, quàm separatum, atque diuulsum videri poterat, si de more populus ad Solymitanum templum temporibus à lege constitutis ascenderet, nouum ipse constituit templum, & nouos Deos, nempe aureos vitulos, nouos sacerdotes, & noua sacra, quibus populum iam suum à vera, & patria religione distraxit.*

## CAPVT DVODECIMVM.

1. VEnit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem.

2. At verò Ieroboam filius Nabat, cùm adhuc esset in Ægypto profugus à facie regis Salomonis, audita morte eius, reuersus est de Ægypto.

3. Miserúntque & vocauerunt eum: venit ergo Ieroboam, & omnis multitudo Israel, & locuti sunt ad Roboam dicentes:

4. Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.

5. Qui ait eis: Ite vsque ad tertium diem, & reuertimini ad me. Cúmque abiissent populus,

6. Iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius, cùm adhuc viueret, & ait: Quod datis mihi consilium, vt respondeam populo huic?

7. Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutúsque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus.

8. Qui dereliquit consilium senũ, quod dederant ei, & adhibuit adolescẽtes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi,

9. Dixítque ad eos: Quod mihi datis consilium, vt respondeam populo huic, qui A dixerunt mihi: Leuius fac iugum quod imposuit pater tuus super nos?

10. Et dixerunt ei iuuenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu releua nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.

11. Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

12. Venit ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex dicens: Reuertimini ad me die B tertia.

13. Respondítque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant:

14. Et locutus est eis secundùm consilium iuuenum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

15. Et non acquieuit rex populo: quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt susciraret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Ieroboam filium Nabat.

16. Videns itaque populus quòd noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens: Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam. Et abiit Israel in tabernacula sua.

17. Super

17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam.

18. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: & lapidauit eum omnis Israel, & mortuus est. Porrò rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem:

19. Recessítque Israel à domo Dauid, vsque in præsentem diem.

20. Factum est autem cùm audisset omnis Israel, quòd reuersus esset Ieroboam, miserunt, & vocauerunt eum congregato cætu, & constituerunt eum regem super omnẽ Israel, nec secutus est quisquam domum Dauid, præter tribum Iuda solam.

21. Venit autem Roboam Ierusalem, & congregauit vniuersam domum Iuda, & tribum Benjamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, vt pugnarẽt contra domum Israel, & reducerent regnũ Roboam filio Salomonis.

22. Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens:

23. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Benjamin, & reliquos de populo, dicens:

24. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel: reuertatur vir in domum suam: à me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, & reuersi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.

25. Ædificauit autem Ieroboam Sichẽ in monte Ephraim, & habitauit ibi: & egressus inde ædificauit Phanuel.

26. Dixítque Ieroboam in corde suo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid:

27. Si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem: & conuertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regem Iuda, interficiéntque me, & reuertentur ad eum.

28. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltrà ascendere in Ierusalem: Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.

29. Posuítque vnum in Bethel, & alterum in Dan:

30. Et Factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan.

31. Et fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui.

32. Constituítque diem sollemnem in mense octauo, quintadecima die mensis, in similitudinem sollemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: constituítque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.

33. Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octaui, quem finxerat de corde suo: & fecit sollemnitatem filiis Israel, & ascendit super altare, vt adoleret incensum.

---

# IN CAP. XII. LIB. III. REGVM COMMENTARII.

## Vers. 1. *Venit Roboam in Sichen: illuc enim congregatus erat omnis Israël ad constituendum eum Regem.*

1. Roboã stultus.

DEFVNCTO Salomone eius loco successit Roboam, quem vnum masculum ex tanta fœminarum colluuione susceperat, illúmque prorsus indignum regno, vtpote, cui mens inesset tarda, & ingenium ad bonas disciplinas, & ad sanum de Republica consilium indocile. De quo *Et reliquit post se* (nempe Salomon) *de semine gentis stultitiam, & imminutum à prudentia, Roboam, qui auertit gentem consilio suo.* Et lib. 2. Paral. cap. 13. v. 7. rudis esse dicitur, & corde pauido. Duas præterea filias suscepisse dicitur Salomõ lib. 3. Reg. 4. v. 11. & 15. Tapheth, & Basemath, quarum matres non nominantur, quia fortasse indignæ, quarum extaret nomen. Roboam natus esse dicitur matre Ammonitide, quæ Naama dicebatur 3. Reg. 14. v. 21. Quoto anno Salomonis genitus fuerit, diximus suprà c. 3. ad principium. Quòd si, vt docet Hieronymus, & cum eo non pauci, duodecimo Salomonis anno natus est Roboam, nihil mirum si minus fuerit aut confirmatus viribus, aut ingenio præditus, cùm omnes, qui ad opus coniugale ætate parentum nondum matura geniti sunt, aliquid habeant aut in corpore, aut in animo infirmum, & exile, quasi natura vlciscí velit parentum præproperam intemperantiam, qui, se non iubente, aliquid aggrediuntur, quod ipsa non probat. Ita penè Hieronymus epist. 132. ad Vitalem. *Ex quo perspicuum est homines à parua ætate libidini deditos immatura eorum sobole demonstrari, quòd etiam eo tempore peccare cœperint, quod natura non patitur.*

*Qui ætate parentum immatura geniti, aut debili sunt corpore, aut ingenio tardi.*

Hinc igitur Roboam profectus est in Sichen, 2.
postquam parenti, vt est verisimile, de more parentauit; in quo munere regio more, atque apparatu præstando, aliquid temporis consumptum esse oportuit. Eò conuenit totus Israel vt Regẽ illũ pro patre constitueret, qui ad id negotij Ieroboamum aduocauit, cuius iudicium, & prudentiam rebus administrandis iampridem fuerat expertus. Et de verbis fortasse Aiæ Silonitæ nonnihil audierat.

audierat. Ille autem cùm certior esset factus de Salomonis morte, cuius causa in Ægyptum abierat, rediit statim in patrium solum, & cum aliis simul ad locum venit, vbi de Rege aut eligendo, aut renunciando illa cogebantur comitia.

3. Vers.4. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis.*] Sub extrema, vt reor, tempora Salomonis imperij immania hæc tributa imposita fuerunt, quæ duas ob causas ferre non poterat attritus populus, & suprà vires nouis quotidie exactionibus exhaustus. Quare orat nouum Regem Roboamum, si modò velit habere populum obsequentem sibi, aliquid adimat de pondere, quod lassi, & attriti popularium humeri sustinere non possunt. Tulerant Salomonis imperio subiecti populi ad illud vsque tempus extremum Salomonis impositum vectigal, tum quia minus graue: tum quia ad templi fabricam, & Israelitici imperij præsidium, & ornamentum, & ad alios communes, & publicos vsus conferebatur. At sub extrema tempora cùm suas potiùs spectaret delicias, delirus senex, & fœminarum, quibus erat supra modum addictus, vsibus non semper honestissimis extorqueas à populo diuitias impenderet (quomodo enim aliter cum regio fastu septingentas Reginas, fastidiosum, & delicatum genus, & trecentas concubinas aleret) ferre non potuit immanes illos, & impudentes sumptus, atque ideo de abiiciendo, aut saltem alleuando pondere deliberat: neque aliter Roboami subeundum esse iugum, nisi illi id detrahat quod viuente patre fuerat importabile. De immoderato vectigalium pondere, quámque subditos lassetur, & alienet, multi

4. multa dicunt. Vnum tu vide Philonem Iudæum lib. de creatione Principum sub finem. Vbi cùm causam quæreret, cur præceptum fuit à Domino Numer. 22. versiculo 9. ne vinea altero seratur semine, inter alias hanc extremam addit. *Ne bonus, inquit, ager prematur onere grauissimo vexatus vel serentium, plantantiúmque operis in orbem redeuntibus, vel duplicata feracitate fructuum. Satis enim est si Dominus ex suo prædio tributum exigat annuum, sicut Rex à sua ditione. Qui verò plura tributa conatur imponere subditis, non facit officium Principis, sed auari, & pugnantis cum naturæ legibus. Quapropter quicunque colonus nimis ad rem attentus inter arbusta seminat, potest obiurgari his verbis legislatoris: Cur seuior es Regibus ciuitates, regionésque debellantibus, illi prospicientes futuro tempori suis parcunt prouincialibus, contenti vno tributo annuo, ne subiectos citò redigant ad extremam inopiam: Vos autem cùm ex eodem fundo colligatis ex vere hordeum, atque triticum, in æstate fructus arborem duplici cum tributo grauatam opprimitis, fieri non potest, quin exhaustus deficiat, quemadmodum athleta, cui respirare non datur, ac vires colligere, vt certamen redintegret.* Sic sanè fit cùm subditi nimis à Principibus auarè vexantur, ex quib.

5. si sanguinem exprimas, neque vitam inuenies, à qua vsum aliquem sperare possis, neque habebunt postea quid tibi in posterum impendant, neque si habeant, facient, nisi coacti. Vide Cassiodorum libro quarto variarum histor. capite 38. vbi hac de re latè, & bene, & Nazianzenum oratione 9. ad Iulianum sub finem, vbi illum à tributorum graui onere deterret, vbi inter alia planè grauia hæc scribit. Nihil esse grauius, & acerbius impositum homini propter parentis primi originalem culpam, quàm quod hominibus cogitur dependere tributum. Et tandem Iulianum admonet, vt videat quod tributi populo sibi subdito velit impositum; quia idem illi Deus miserorum vltor imponet. *Quomodo, inquit, alios describerimus in libro rationum, & census, eodem ipsi quoque describemur. Hanc descriptionem si facilem, & accommodam experiri cupis, fac te commodum nobis, & humanum præbeas.*

Vers. 5. *Ite vsque ad tertium diem, & reuertimini ad me.*] In hoc prudenter se gessit Roboam, quòd non nisi meditatò, atque consultò populis infensiùs incitatis respondere voluit. Assumpsit igitur secum tridui spatium ad deliberandum, quo exacto conuentus illos hominum redire iussit. Interim & quid populus velit impartitur illis, quos ea de re consultos voluit, & eorum in ea re tam grauem sententiam exquirit.

Vers.7. *Si hodie obedieris populo huic, erunt tibi serui omnibus diebus.*] Prudens sanè fuit seniorum consilium, quorum in rebus dubiis prudentia vsus erat Salomon. Id enim vsu plerumque euenit, vt ex primo congressu, atque sermone, quasi è facie cognoscamus illius, quo cum agere volumus, mores, & ingenium. Vt autem facies & forma prima illorum, quos antea non nouimus, commendatio est; & oratio ex arte, & prudenter instituta in ipso exordio sibi beneuolentiam, & gratiam ab illis conciliat, à quibus postea aliquid maius obtinere vult. Sic prudentis est hominis in primo congressu, atque aditu aliis non se præbere morosum, aut difficilem, vt deinde illos sibi difficiles, & morosos non habeat, sed obsequentes, & gratos. Hoc igitur fuit seniorum consilium, vt bonum de se Rex nouus specimen præberet, & populi precibus non iniqua postulantis annueret, quo in posterum ad alia quæ sæpe incurrunt grauia, atque molesta obsequentem haberet.

Vers. 8. *Adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi.*] Vsitatum olim fuit, neque nunc alieni sunt ab hac consuetudine Principes, vt filiis, quos optimis disciplinis informari student, alios adiungant coætaneos, qui eisdem dent operam disciplinis, & studiis, & dum alij alios in eo literario, atque ingenuo puluere superare contendunt, inuigilent diligentiùs, neque torpere sinant, & ante suum tempus senescere ingenium, quod illis studiis liberalibus excultum, magnos reipublicæ fructus sperabatur allaturum. Exemplis abundamus illorum, qui filiis suis coætaneos adhibuere pueros, qui iisdem cum filiis instruerentur disciplinis, & modis, qui deinde magnos vsus attulere reipublicæ. Sic sanctus Thomas opere de regimine Principum libro quarto capite primo quod Ægyptiis vsitatum esse tradit. Sanè id fecisse Sesostrem Ægyptium Regem, scribit Diodorus libro secundo, capite primo, qui quotquot infantes in tota Ægypto eodem, quo filius, die nascerentur, asciri iubebat, & cum filio pariter educari. Sed in eo iste Rex errabat vehementer, quòd nullo de luctu coætaneos infantes congregabat, & in eo statu, in quo nullius cognosci posset indoles, & ingenium: nam id maximè primum exploratum oportuit. Neque enim quicquam magis nocet teneræ adhuc, & rudi ætati, quàm illorum consuetudo, atque vsus familiaris, à quorum natura mala aliquid Principis moribus insoleseceret, qui tanquam mollis cera facilè fingitur accipitque quamcunque formam, quam illi imprimere volueris, quódque peius est, illam quàm diutissimè, imò ad extremum vsque

halitum

*Immodicæ tributa Regibus, regnisque pernitiosa.*

*Immoderata tributa non imponenda.*

*Principum filij cũ coæta neueducati.*

*Sesostris quomodo filios suos educauit.*

*Quodprimis annis discitur æternũ est.*

halitum conseruat. Difficile enim, vt ait Hieronymus ad Lætam, eraditur, quod rudes anni perbiberunt, neque lanarum conchylia ad pristinum candorem reuocari possũt. Accedit quòd illos amamus magis, illorúmque consiliis libentiùs acquiescimus, quibus à rudioribus annis assueuimus, & quomodo adolescit, & confirmatur ætas, eodem etiam modo confirmatur, & crescit amicitia. Sanè non tam facilè abduceretur Roboam iuniorum consiliis cum tanto rerum suarum detrimento, nisi diuturnam cum illis consuetudinem habuisset. Qua in re miror Salomonis sapientiam, qui cum his adolescentulis vnicum filium in spe natum tanti imperij conuiuere permisit quorum esset tanta in consiliis audacia, tanta in deliberando, ac tam præcipitata temeritas. Hieronymus ad
10. Lætam de institutione filiæ. *Habeat & in discendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur: non obiurganda est, si tardior sit, sed laudibus excitandum est ingenium, vt & vicisse gaudeat, & victa doleat.* Et paulo altius de puellarum moribus, quæ filiæ assiduæ futuræ sunt. *Procul sit ætas lasciua puerorum, ipsæ puellæ & pedisequæ à sæcularibus consortiis arceantur, ne quod malè didicerint, peius doceant.* Hanc curam habuisse videtur Philippus Macedo, qui rudiori ætati Alexandri filij illos addidit socios, qui deinde illi in re bellica magno fuerunt vsui, dignique habiti, in quos iam moriens amplissimi imperij molimina diuideret. De quibus Machab. lib. 1. c. 1. v. 7. *Et post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur. Et vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute, & diuisit illis regnum suum cùm adhuc viueret.*

*Quales socij adhibendi à parentes filiis.*

11. Vers. 10. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.* ] Hæc absque dubio prouerbialis est hyperbole, qua significamus inter aliquos maximum esse discrimen. Quid enim maius, quid fortius in homine, quàm dorsum, aut lumbi, vt alij legunt, quid in membris aut minus, aut infirmius minimo ac auriculari digito? Quare si quis grossiorem minimum haberet digitum alicuius dorso, ille planè gigantæam diceretur habere molem, respectu illius, qui nihilo esset pomilione procerior, aut qui cum elephante cõparatus instar diceretur formicæ. Huius prouerbialis hyperboles vsum nobis explicuerunt Septuaginta, qui sic hunc locum couerterunt. *Paruitas mea crassior est lumbo patris mei.* Clariùs Chaldæus, *debilitas mea fortior est robore patris mei.* Similis est illa prouerbialis comparatio Iudic. 8. v. 2. *Melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer* Similia apud profanos occurrunt multa. Virgil. eclog. 1. de Roma.

*Prouerbiales formæ, quibus maximus significatur excessus.*

*Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit vrbes,*
*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

12. An Roboamus his verbis vsus fuerit ad populum non solùm plenis cuiusdam stolidæ insolentiæ, sed etiam in parentis nomen ignominiosis, incertum est: tantùm enim habemus respondisse aggrauandum esse iugum, & à se populum multo quàm à Patre duriùs esse tractandum. Sed est verisimile quo erant mentis stupore, sicut dixit alia omnia, quæ ab adolescentibus acceperat; sic etiam hęc verba non omisisse. Quid autem spectarit Roboamus, aut adolescentes illi, dum tantopere Salomonem inferiorem esse dicunt, non est cur anxiè inuestigemus. Viri enim leues, inexperti, glorioſi, quique audaces non tam esse, quàm videri volunt, quid dicant non admodum priùs meditantur, quia id tantùm agunt, curántque vt ad omnia existimentur impauidi.

Vers. 14. *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego verò cædam vos scorpionibus.* ] Hic etiam dicendi modus prouerbialis est, quo etiam durius significatur supplicij genus. Flagellum nihil habet aliud præter ictum, quo caro pulsatur, quod plerumque fit è materia vitili, aut lenta, quæ neque carnem concerpit, ac diuidit, sed tantùm tundit, relinquitque vibices, ac liuorẽ, quare est lorum, aut taurea, aut certè virga, non quidem dura, quæ dum impingitur non vibratur, ac flectitur, sed lenta, quale vimẽ est, aut palmas è vite, aut lentus quarumdam arborum ramus, quæ ideò à Latinis appellantur flagella. Virgil. lib. 2. Georg. 13. *Prouerbiũ, quo maior significatur acerbitas. Flagellum quid.*

*Nẽue inter vites corylum sere: nẽue flagella*
*Summa pete, aut summas definge ex arbore plantas.*

Columella lib. 3. cap. 10. de vitibus. *Non debet vltimum flagellum quasi fœcundum obseruari, etiamsi plurimum afferat, si quidem loci vbertate in fructum cogitur, sed id sarmentum, quod media vite situm.* Quare vites, quas in militum capita frangebant olim cẽturiones, flagella dici possunt, & ab his fortasse nomen acceperunt, quæ ex corio fiunt, & ex taurorum pelle, seu neruo, quæ taurea nominantur: aut etiam quæcunque scutica, quæ ex tortis funibus, aut alia tortili materia conficiuntur.

Scorpius aliquid habet, idque omninò atrocitatis horribilis, aculeos nempe, & in scorpionis caudæ similitudinem curuos; quales hami sunt, & vnci, qui sic pulsant, ac verberant, vt etiam lacerent, & concerpant corpora. Dicuntur autem scorpiones, quia sic aduncis horrent, & armantur aculeis, sicut scorpius, cauda incurua videlicet, & acuta. Sunt autem plantæ quædam spinosæ, quarũ rami aduncis hisce stimulis instructi sunt, quales rubi, rosaria, ziziphi. Hinc etiam puto lora quæ huiusmodi aculeis instructa, & quasi hamata sunt, scorpiones appellari. His porrò hoc nomen esse datum existimo ad horrorẽ, quia, vt timemus scorpionis ictum, quoniam cum vulnere venenum quoddam mortiferum infundit; sic etiam hamata lora, aut aculeatas virgas, quarum vulnus videtur esse mortiferum. Deinde hoc nomen assiduas videtur significare, atque intentare plagas ad scorpij similitudinem, quia semper vulnera meditatur, & mortem. De quo Plinius lib. 11. cap. 26. *Semper cauda in ictu est, nullóque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni.* Quibusdam visum est scorpiones esse lora, quæ plumbatæ dicuntur, sed omnino errant: scorpiones enim aduncis instruuntur aculeis, plumbatæ plumbeis, pilis, seu globulis. 14. *Scorpius quid.*

Vers. 15. *Et non acquieuit Rex populo, quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Aiæ.* ] 2. Par. c. 10. v. 15. paulo aliter. *Erat enim voluntas Dei, vt compleretur sermo eius, quem locutus fuerat per manum Aiæ.* Plus apud insipientem Regem valuerunt inflata, & stulta adolescentum verba quàm matura senum, & opportuna consilia, atque ideò duriùs accepit populum, dimisitque potius oneratum minis, & iniuriis, quàm oratione leni, & beneuola ad excipiendum nouum Regis imperium delinitum. Id autem ideo factum esse dicitur, quia Deus voluit illud impleri, quod paulo ante per Aiam Silonitem Ieroboamo promiserat. Quomodo hæc, & similia, quæ in Scriptura sacra occurrunt, intelligenda sint, disputant Theologi scholastici in 1. 2. S. Thomæ q. 1. 79. vide ibi Gabrielem Vasquez disp. 129. & Franciscum Suarium opusc. de auxiliis

lib.2.cap.2.n.20. Quorum hæc est communis, veraque sententia, non quidem positiuo influxu in errorem illum, & insipientes voces à Deo Domino impulsum esse Roboam, sed labi permissum, vt id quod Ieroboamo promiserat, impleretur.

16. Vers. 16. *Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Isai.* ] Eadem propè verba dixit Seba filius Bochri cùm populum à Dauidis dominatu seditiosè seduxit. A quo fortasse nunc Israelitæ sumpserunt verba, quibus seipsos ad secessionem hortabantur. Sic autem Seba lib.2. Regum c.20. v.1. *Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai. Reuertere in tabernacula tua Israel.* Quomodo hæc dicendi forma sit pene solemnis, atque legitima illis, qui ab alio separantur, ita vt cum illo nihil velint esse commune, sicut cùm connubialis dissoluitur nexus, aut cùm ab aliorum congressu, indicto anathemate, separamur. Quæ nos pluribus ostendimus ad locum citatum ex lib.2. Reg. & in nostris commentariis super Acta ad illud cap. 8. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Quibus verbis Petrus à fidelium communione Simonem abscidit: *sors* autem, & *hæreditas* idem omnino sunt.

17. *Dauid aliquando patronymicè pro Dauidis posteris.* Ex eo loco pete. Cur autem hîc Dauid potius, quàm Roboam à tumultuante populo nominetur, duplex causa est, aut quia Dauid patronimicè sumitur pro ipsius nepote Roboam, sicut etiam pro Christo sumitur, qui ab illius semine profectus est, apud Ezechielem cap.34. v.23. *Suscitabo super eum pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid.* Vbi nos de hoc loquendi genere copiosè seu certè, quod satis mihi videtur verisimile, modus ille, quo Seba populum à Dauidis imperio abduxit, in prouerbium abierat, quod sæpe contingit, quando verba quædam illustria sunt atque ideo populus ad superiora respectans, non nominauit Roboamum, sed Dauidem, quia in alia secessione sub eadem verborum forma nominatus fuerat Dauid.

18. *Vade in tabernacula tua Israel; nunc vide domum tuam Dauid.* ] Hæc verba illius sunt, qui dato libello repudij ab vxore diuertit, qui vxori dicit, *tuas tibi res habeas.* Quasi dicat, tua tibi cura, ego mea mihi curabo: neque enim amplius mihi tecum erit negotij quicquam. Id enim valet, habeat Israel sua tabernacula à Dauide quàm longissimo interuallo distincta: neque Dauid habeat cum Israele communem domum, aut familiare commercium.

19. Vers. 17. *Super filios autem Israel, quicunque habitabant in ciuitatibus Iuda regnauit Roboam.* ] Quomodo etiam super Beniamin regnauerit; & tamen vna tantùm tribus Iuda illi dicatur esse relicta, diximus suprà cap.12.v.13.

20. Vers. 18. *Misit ergo Rex Roboam Aduram, qui erat super tributa, & lapidauit eum omnis Israel.* ] Nõdum Roboam excesserat ex Sichem, vbi proximè habuerat vniuersi Israelis infausta comitia, & quasi cum bona gratia beneuolum dimisisset populum, vt expeditas haberet rationes vectigales, quæstorem misit maximum, cui commissum antè fuerat de pecunia procuranda negotium. Abulẽsi. q.11. docet quibusdam visum esse eo consilio missum Aduram ad populum, qui nondum in sua tabernacula decesserat, vt tributum exigeret antiquum, aut etiam fortasse nouum imponeret: vt ea ratione subditorum exploraret animos, quos non putabat tam citò, ac facilè recusaturos imperium, quod antea subierant. Quod ideo illi, quicunque sint, existimarunt, quia missus est Aduram, qui erat super tributa, qui sanè non videbatur aptus vt seA daret populum, & ad Roboami obseruantiam traduceret, cùm hoc hominum genus, qui vectigalia tractant, odiosum esse soleat, & magis aptum ad excitandas, quàm ad comprimendas seditiones; Imò, vt notauit glossa hîc, Aduram cum aliis adolescentibus consilium dedit Roboamo, vt iugum populo durius imponeret. Huic porrò cogitationi 21. fauet quod Aduram lapidatus dicitur à populo, quod sanè non videbatur esse passurus, si verbis vteretur lenibus ad placandum; non autem de vectigalibus ageret, vt populum lacesseret. Quod si ita est, stultè nimis fecit Roboam, neque cogitauit nondum maturam esse vindemiam, neque exacerba vua quicquam exprimi posse præter dolorem viscerum, & stuporem dentium. Neque est improbabile aliter sensisse, atque consuluisse senes, quoB rum melius erat de re communi in dubio illo rerum articulo consilium, sed vicisse iuuenum sententiam, cui Roboamus antè paruerat; Qui timidi animi esse iudicabant, & regij nominis prorsus indignum inanium populi vocularum rationem habere, ac timere vacuas rerum vmbras, quæ puerorum sunt ludicra potius, quàm vera virorum, ac metuenda terricula. Quòd si armatos populus animos habeat, & manus etiam obiiciat armatas, tamen illius spiritus velle comprimere, & niti etiam contra impetum fluminis opus esse regio nomine dignum. Quare tributa exigat, quæ Patri quondam populus solitus esset dependere, quod si libentes soluere recusent, ab inuitis extorqueat. Hac igitur, aut simili adolescentum oratione perC motus, illius rei ergo misit Aduram quasi ad subditum populum, & ad omnia obsequia paratum, quem communi conspiratione lapidibus oppressit Israel vniuersus.

Sed est communis, &, vt ego reor, vera sen- 22. tentia eo consilio missum Aduram, vt sedaret populum, docerétque longè alium futurum esse Regem, quàm verba illa imperiosa, ac dura præ se ferebant; cùm tamen populus in Regem esset hostiliter infensus, lenioribus verbis non est delinitus, qui priùs duris fuerat exulceratus. Huius sententiæ est Iosephus, Abulensis suprà, Lyra, & alij ferme omnes, qui in libros Regum ediderunt commentaria.

D *Porrò Rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem.* ] Adhuc Israel, & Roboam erant 23. in Sichem, quia nondum erant dissoluta comitia, quia aut populus sperabat aliquid æquum obtinere se posse à Rege nouo, neque ipse Rex spem abiecerat retinendi populi in officio, ac fide. At vbi Rex lapidatum vidit Aduram, qui regiam repræsentabat personam, ac nomen, iniuriam sibi factã interpretatus est, & seipsum in suo siue quæstore, siue legato interfectum putabat, vt dicit Iosephus lib.8.c.3. Et veritus ne ipse in caput suum odium experiretur populare, conscenso curru quàm potuit velocissimè Hierosolymam rediit, vt se populari furori subduceret, & de communi re securè magis, ac accuratè deceruneret.

E Vers. 20. *Factum est autem, cùm audisset omnis Israel, quod reuersus esset Ieroboam, miserunt, & vocauerunt eum.* ] Venerat, vt vidimus, cum aliis è populo ad comitia in Sichem Ieroboamus, tanquam princeps omnium, qui de constituendo Rege deliberaturi conuenerant. Neque opus fuisset illum per nuncios aduocare, quia verisimile est ex illo conuentu non recessisse, cùm res adhuc publica foret turbata, & prudentum hominum indigeret consilio, quorum ille tunc princeps habebatur. Quòd si ille iam excesserat, quod ita fortasse contigit, per

lega

legatos reuocatus est, vt de se populi vniuersi iudicium audiret; aut certe si nondum abierat à suo tabernaculo, accersitus est legatione publica, quasi imperium susceperus, quo Roboamus omninò censebatur indignus. Cætera ad versum 25. obscura non sunt: tantùm enim continent voluisse Roboam à populo iam alieno obtinere vi, quod officiis, ac beneuolentia non poterat: cumque ex duabus tribubus, quæ illi ex toto Israele relictæ fuerant, exercitum copiosum collegisset, reuocatus est à Semeia propheta, à quo audiuit decretum esse à Domino, vt decem tribus Ieroboamo seruirent. Quibus verbis à priori consilio abductus exercitum dissoluit, & aliter atque à principio statuerat, regni Israelitici seruatas sibi reliquias composuit.

24. Vers. 25. *Ædificauit autem Ieroboam Sichen, & habitauit ibi.* ] Iam antè fuerat ædificata Sichen, alioquin non ibi Roboamus prouinciales conuẽtus habuisset: ædificata tamen dicitur à Ieroboamo, quia illam muniuit, & ornauit: ex vsu autem Scripturæ id fieri dicitur, quod amplificatur, & augetur. Quomodo Babylonia Dan. 4. ædificata dicitur à Nabuchodonosore, cùm tamen multis antè sæculis esset ædificata, quia illam ornauit multis ædificiis luculentis, & splendidis, & magno ciuiũ numero locupletauit. Quod ideo fecisse videtur, vt splendorem, & nomen conciliaret vrbi, in qua ipse Rex à populo fuisset constitutus, & quia ad suam tribum pertinebat, quam aliis prælatam esse desiderabat: tum etiam, quia cùm fines attingeret alieni regni, magnopere expediebat aduersus quotidianas inimicorum irruptiones esse munitam.

25. *Ieroboam quare vitulos confinauit.*

Vers. 26. *Dixitque Ieroboam in corde suo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini.* ] Timebat homo callidus Ieroboam, nisi suo sibi regno maturè caueret, futurum, vt aliquando gens, quæ à Dauidica familia discesserat, ad eam mutato cõsilio reuocaretur. Videbat enim in Roboami potestate templum esse, in quo offerri tantum sacrificia licebat: sciebat à lege vniuersos ex Israelitico semine iuberi ter annis singulis tẽplum obire, quod suis rationibus videbat incõmodare quãplurimũ. Amor enim tẽpli omnium augustissimi, quotquot orbis habuit, & religio tãta, atque mundities; tam loci, quàm eorũ, quæ ipsi viderãt, fieríque audiebãt cõtinenti penè studio ab ordine Leuitico, caperẽt sine dubio tunc animos alienos, & amare facerent Regem, & familiam, quam tunc odissent, dissolueruntque regnum; quod tunc à tumultuante, atque seditioso populo cõstitutũ est. Quare statuit omninò auocandum esse populum à templo: & quia durum erat auocare à religioso cultu, cui à multis sæculis antè assueuisset, in suis quoque finibus templum ædificare constituit, & nouos ibi Deos conflare, ad quos populus religionis gratia conueniret. Rem quidem tentauit magnam, perfecit tamen homo callidus; quo verò id tentauerit modo, videndum est.

26. *Ieroboami calliditas in alliciendo populo ad vitulos.*

Iosephus lib. 8. cap. 3. orationem adducit, qua Ieroboamus populum ad suum votum, & sententiam perpulit, quam cuiuis promptum est legere. Cyrillus ad illud cap. 7. Oseæ vers. 3. *In malitia sua lætificauerunt Regem: omnes adulterantes*, &c. Artificium ostendit, quo Ieroboamus populum decepit, eóque deduxit vt vitulos coleret, quos pro vero Deo in sua ditione supposuit. Nam cùm dixisset in timore fuisse Ieroboamum, ne seditione facta à populo, qui ægre ferret antiquam religionem euerti, & cum Ægyptiis sordibus commutari, vel occideretur, vel (quod idem esse putabat) exturbaretur à regno, sumpsit quosdam, qui tacitè se in populi insinuarent animos, & quasi fermentum malitiæ ad vitulorum cultum callidè disponerent. Sic autem illic Cyrillus: *Cùm esset* (Ieroboam) *vulpes, à dolo præsidium petit. Multos ex Israel summittit tactantes, dicentesque ipsis vitulum conflandum, & nouos dies festos, ac proprios inducendos, atque ipsum à Rege contendendum vbi populum ad hoc perquam paratum, atque propensum, & huius rei suasoribus astipulari, vnáque ipsis gaudere didicit, coacta cõcione palam promulgauit adorationem vitulis aureis impertiendam, & diem festum octaui mensis decimum quintum sanxit, sicut scriptum legimus lib. 3. Reg. c. 12. Hæc tunc Ieroboamo dicente laudabat populus, & exclamabat: Hæc est dies Regis. Idem & nobis erit propositum. Et aliis quibusdam huiusmodi laudibus eum recreabat.* Hæc Cyrillus. De Ieroboamo quoque explicat Hieronymus hunc Oseæ locum in eamdem propè sententiàm, licèt obscuriùs. Vide quæ nos ad illum locum in nostris commentariis adduximus.

Vers. 28. *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos.*] Septuaginta ὁμοίως cõuertunt in genere fœmineo, id est, *vitulas* quod etiam fecit Iosephus, quos secuti sunt plurimi ex antiquioribus Patribus, vt Clemens Romanus lib. 8. const. cap. 52. Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 1. Epiphanius de Prophetarum vita in Ioam propheta. Theodoretus hic q. 42. Qua de re nos pluribus ad illud Oseæ c. 10. v. 5. *vaccas Bethaue coluerunt habitatores Samariæ.* Vbi etiam in genere fœmineo enunciantur, qui à vulgato millies in masculino appellantur vituli. Ego primùm vitulos fuisse puto, quam ad rem, si mihi defuisset alia, vulgati autoritas satis esset ad fidem. Sed hoc plane docet textus ipse Hebraicus שני עגלי זהב *Sene agle Zaab.* vbi duæ sunt notæ masculini generis. Atqui dices, cur Vulgatus, cùm de vitulis à Ieroboamo conflatis esset sermo apud Oseam, genus adhibuit fœmineum? Respondet Hieronymus irrisionis gratia vitulos vocatos fuisse vaccas, quod in omni, credo, idiomate familiare est. Cùm enim aliquem ignauum, aut mollem significare volumus, id muliebri compellatione facimus. Sic Numanus apud Virg. l. 9. dum Troianis imbecillitatem exprobrat, & ignauiam, non Phryges appellat, sed Phrygias, sicut etiam Homerus Iliad. 8. ἀχαιδας vocat, non ἀχαιὺς. Et Isaias cap. 3. v. 12. *Mulieres dominatæ sunt eis.* Vt ergo Deus ostendat à vitulis nihil sperari posse magnum, & opportunum, non *vitulos* vocat, aut *tauros*, in quibus constantia expectatur, & robur, sed *vaccas*, aut *vitulas*, quæ imbelles sunt, & facile deficiunt.

28. *Vituli cur aliquando vocati vitulæ.*

*Genus fœmineum in irrisione pro masculino ponitur.*

Sed quæret curiosus aliquis, cur Septuaginta vitulas expressérunt: quod item hoc loco fecit Iosephus. Ribera ad locum Oseæ, de quo proximè, multis docet, & satis eruditè, neque vitulum, quem antea conflauerunt Hebræi ad montem Sinai, neque duos alios, quos ad illius imitationem finxit Ieroboam, aliquod masculini sexus habuisse signũ, cùm tantùm essent expressa vitulorum capita, ex quibus non magis vitulos, quàm vitulas fuisse cõiectes. Fecisse autem Ieroboam plures vitulos, aut vitulas ad antiquissimi vituli exemplar, ex eo fit probabile, quia iisdem verbis vsus est in illorum dedicatione Ieroboam in hoc lib. 3. Reg. cap. 12. v. 28. quibus parentes olim ad montem Sinai alterum dedicarunt Exod. cap. 32. v. 8. vterque enim dixit, *Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti,*

29. *Cur vocati vitulæ.*

*Vitulorum tantùm expressum caput.*

*Ægypti*; quia verò alicui durum videri poterat tantùm vitulorum expressum esse caput, sicut viro cuidam docto visum est, cui ego difficile persuadere potui; ideo mihi hoc accuratiùs explorandum est. Ita docet Hieronymus super Oseam cap. 7. in primis verbis. *In eremo vituli conflauerunt caput, atque dixerunt: Isti sunt dij tui Israel.* Et cap. 11. v. 13. ad illud, *Et ego quasi nutritius Ephraim. Cùm peccassent*, inquit, *& fecissent sibi vituli caput, dedi locum pœnitentiæ.* Augustinus ad illud Psal. 73. *Dedisti eum escam populis Æthiopum. Ipsum*, ait, *caput vituli in ignem misit, & exterminauit.* Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 8. *Moyses rogauit, quando vituli caput fidei immemores adorauerunt.* Lactantius lib. 4. cap. 10. *Cùm Moyses dux Hebræorum ascendisset in montem, atque ibidem quadraginta diebus moraretur, aureum caput bouis, quem vocant Apim, quòd eos signo præcederet, figurarunt.* Idem Rupertus in illud Amos 5. *Nunquid hostias.* Et in eadem verba Beda Actor. 7. Cùm ergo Ieroboam ad huius vituli similitudinem duos alios conflasset, verisimile est duo potius capita, quàm tota vitulorum corpora ex auro formasse. Quod etiam Septuaginta confirmant, qui cùm de vitulis hisce loquuntur, non vitulos, sed vitulas appellant hîc, vbicunque de vitulis sermo est, quas vocât δαμάλεις, illis semper genus attribuunt fœmineum. Idem facit Iosephus lib. 8. antiq. c. 3. vbi sæpe vitulas appellat aureas. Sed cur si tantùm caput expressit, vituli à vulgato, in masculino genere dicuntur.

*Vituli videntur fuisse potius, quàm vaccæ.*

21. Mihi non videtur difficilis solutio; cùm eo habitu efformari potuerint, vt licèt caput tantùm esset expressum, nihilominus in eo toruitas, aut vis appareret masculina. Vt enim experientia docet, aliquid est in fronte, ac tota facie tauri, quod in vaccæ fronte, ac facie non videmus. Vnde qui nudum tauri caput videret, non difficile cognosceret esse taurum. Adde quòd frequenter in Scriptura vituli vocantur, non vitulæ, quæ mihi ratio grauissima est. Cur ergo vitulus olim ab Hebræis ad montem Sinai, & postea à Ieroboam in Dan, & Bethel expressus fuerit, rationem affert S. Clemes Romanus lib. 6. constitut. c. 20. & Lactantius nuper, quia Apis bos colebatur ab Ægyptiis, cuius effigies frequens erat apud ipsos.

*Cur à Ieroboam vituli potius quã animalia alia fabricata.*

*Non solùm vituli à Ieroboam, sed alij etiam dij conflati.*

21. *Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* ] Hæc eadem verba dixerunt Hebræi cùm ab Aarone aureus conflatus est vitulus Exod. 32. v. 8. quæ verba vsurpauit Ieroboam ad antiquissima illa sæcula respectans, sicut ad alia tempora respectantes, qui à Dauidica familia recessere, dixerunt, *Quæ vobis pars in Dauid*, &c. Quo loco parum videtur cautè se gessisse Ieroboamus, cùm memoriam excitauit vituli, quẽ damnatum à Domino, & eius causa multa populum pertulisse infortunia, ignorare poterat nemo. Quare nisi cum pietate mentem quoque exuissent, facilè intelligere potuissent in vitulis nihil esse diuinum. Conflauisse autem ex metallo, aut è ligno, saxóve finxisse aliorum deorum simulacra, quæ populo religioso cultu veneranda proposuit, habemus ex lib. 2. Paral. cap. 11. v. 15. *Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum, vitulorúmque, quos fecerat.* Quo artificio cùm ex eo populo alij in alios gentium Deos essent propensi, omnium animos diuerso deorum cultu sibi deuinxit, & à veri Dei religione distraxit.

*In Bethel, & Dan duo locati vituli.*

22. Vers. 29. *Posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan.* ] Nouerat Ieroboamus molestum esse populo ter in anno ex vniuersis Israelis finibus, quantumcunque longè à Hierosolyma distarent, ad vnum tantùm locum religionis gratia conuenire; à qua molestia vt populum liberaret rationem iniit, licèt impiam, non tamen suis rationibus importunam. Designauit enim duo loca eo situ, atque ordine inter alias imperij Israelitici regiones, ad quæ cum minori labore, atque impendio accedere possent, quicunque diem, & locum sacrum vellent obire. Alterum posuit in Dan, quæ est ad Aquilonarem regionem terræ promissionis: alterum in Bethel, quæ ad meridionalem spectat plagam, & pertinet ad tribum Ephraim, aut certè tunc erat ab Ephraimitis occupata. Quæ sit Bethel, & quo priùs nomine vocata, habes Genes. cap. 21. Cur cùm vitulus, qui in Dan tam fuerit ab Hebræis cultus, neque in eo minus impietatis, quàm in illo qui positus erat in Bethel, in hunc tamen, quàm in illum diuinæ intorqueantur minæ, & sæpius, & durius, diximus in nostris commentariis ad locum nuper citatum ex Osea. Noua autem illa non tam religio, quàm infamia sic affecit leuiculum, facilé-que commutabile Hebræorum ingenium, vt neque locorum interualla, neque viarum asperitas retardarint hominum studia, quominus ab extremis meridianæ plagæ finibus ad Dan vsque Aquilonarem terminum terræ promissionis peregrinationem religionis, ac voti causa susceperint. Illud enim videtur indicare illud vers. 30. *Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus adorandum vitulum vsque in Dan.* quasi dicat, ex longinquo loco, etiam ex Bethel. Solent enim homines, qui pij videri volunt, & religionis, quam susceperunt, amantes, dissita procul fana, aut religionis gratia, aut nouitatis studio frequenter inuisere.

*Cur maioris offensionis vitulus, qui in Bethel.*

*Et fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui nõ erant de filiis Leui.* ] Ne filij Israel, quos retinere secum voluit Ieroboamus, antiqua sacrificia desiderarent, quæ priùs obiri audierant in tabernaculo, & proximè multo maiora viderant in Salomonis templo, illorúmque imaginem quamdam, & vmbram esse voluit in vitulorum, idolorúmque delubris, quæ construxit ad Gentilium morem in lucis, excelsísque locis. Elegit autem sacerdotes de extremis populi, id est, de fæce plebis, cùm ex Leuitico genere nemo vellet illud nefarium sacrificij genus obire, & alij, qui aliquo essent in numero, vile putarent munus illud, & nõmen sacerdotale, quod apud gentes videbant nullo esse, aut certè exiguo in pretio. Porrò qui ex genere erant sacerdotali, & assueti templo, nullo modo sunt passi aut adorari vitulos, & alia dæmoniorum monstra, quæ à Ieroboamo fabricari nouerant, aut carere templo, vbi honestum illi ministerium obibant, & vnde ad domesticos sumptus abundè suppetebat. Quare omnes excessere ex decem tribuum finibus, etiamsi cum ciuitatibus à Iosue pro leuitico ordine quõdam assignatis suburbana prædia, & alia commoda à lege constituta relinquerent. Quare coactus est Ieroboamus ad alias tribus pro deligendo, constituendóque sacerdotio confugere, ex quibus cùm recusarent alij, qui mediocri etiam conditione censebantur, extremos elegit, id est, quibus erat in populo vilis, & extrema conditio. 23.

*Sacerdotes & Leuitæ recesserunt à Ieroboam.*

Quòd autem sacerdotes à Ieroboamo, vitulorúmque impia veneratione recesserint, & ad Roboam templique ministeria redierint, constat ex lib. 2. Paral. cap. 11. v. 13. *Sacerdotes autem, & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israel, venerunt ad eum* (nempe Roboam) *relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam, & Ierusalem* 24.

eo

*eo quòd abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius, ne sacerdotio Domini fungerentur.* Quæ verba sic accipio, licèt aliter censeat Abulensis q.19. Quia sacerdotes viderunt sibi per Ieroboamum non licere templũ adire Hierosolymitanum, sicut antea fecerant, quod non putabant, quando à Dauidis familia defecerunt. Quare statuerunt potius deserendum esse Ieroboamum, & commoda, quæ in ciuitatibus à Iosue pro sua familia destinatis habuere parata, quàm templum, & sacerdotale ministerium; quod cùm vitulis, diisque aliis Gentilicis præstare nollent, ex aliis tribubus Ieroboamus sacerdotes assumpsit. Ita penè Lyra in hunc locum. Quòd autem è Leuitarum ordine vitulis, idolisque sacrificauerint, permittente vtique, imò & iubente Ieroboamo, constat ex Ezechiele cap. 44. v. 10. vbi Leuitæ, qui sequuti sunt Ieroboamum, & errores Israel, & idolis sacrificarunt, à nobilioribus sacrificiorum ministeriis arcentur. *Sed & Leuitæ, qui longè recesserunt à me in errore filiorum Israel, &c. pro eo quod ministrauerunt illis in errore idolorum suorum, & facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis, idcirco leuaui manum meam super eos.* Vide quæ nos in eum locum.

*Multi ex Leuitis coluerunt vitulos.*

25. Cùm autem viri Israelitæ, qui nouerant ex vno tantùm ordine Leuitico sacerdotes sumi oportere, illud consilium tanquam nouum, & iniquum horrerent, ad illos orationem habuit artificiosam, & callidam Ieroboamus, qua sedauit animos, & illud non esse à pietate, atque religione auita alienum persuasit. Quam Iosephus aut veram attexuit, aut verisimilem affinxit, vbi post alia dixit, *Nec deerunt sacerdotes, & Leuitæ ex vobis per me designati, ne quid Leuiticam tribum, & Aaronis progeniem desideretis. Ergo quicunque ex vobis sacerdotium ambit, vitulum, & arietem Deo mactet, quo ritu ferunt etiam primum sacerdotem Aaronem creatum esse. His verbis populum decepit auctor et factus patriæ deserendæ religionis.* Hæc Iosephus.

26. Vers. 32. *Constituitque diem solemnem in mense octauo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda.* Sicut apud Hebræos siue ex Dei præscripto, siue ex religiosa consuetudine, ac voto, stata erant, atque legitima tempora, in quibus præcipuæ quædam solemnitates celebrabantur maiori quadam religione, sic etiam in sua noua, atque fucata religione Ieroboamus certos voluit, atque solemnes dies maiori quadam esse celebritate venerandos, in quibus octaui mensis decimam quintam constituit diem. Non video quódnam festum Hebræorum in octaui mensis decimamquintam diem incurrat, vt eo die ad Hebræorum similitudinem in sua hæresi Ieroboamus aliquam solemniorem celebritatem instituerit. Video tamen in Hebræorum Kalendario quosdam esse dies, in quibus dedicationes celebrabantur tabernaculi Moysis, templi Salomonis, & purgati, & renouati templi à Machabæis, quæ dicuntur *encænia*; atque ideo suspicor constituisse Ieroboamum ad decimumquintum diem mensis octaui dedicare aureos vitulos, & illorum altaria, ita vt quotannis dies ille rediret festiuus, & sacer: aut fortasse aliud festum instituit, quale obiri soleret in Ierusalem, & Azymorum, Tabernaculorum, Penrecostes. Vt liber, accipe. 27.

*Et ascendens altare similiter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat.* ] Licèt priùs aureos conflaret vitulos Ieroboamus, non tamen illis videtur primùm altaria constituisse, sed aliis idolis, quæ in Lucis, & excelsis collocarat. Vbi sacerdotes quoque designati fuerant ex populi fæce, qui sanè videntur fuisse non pauci, quando ex illo numero selegit aliquos, qui sacris præessent in Bethel augustissimo omnium, atque notissimo sacrario, pro vitulorum religioso cultu constitutis. Id enim, vt opinor, valet illud, quod additur proximè, *constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.* 28.

*Ieroboam vitulorum sacerdos.*

*Et ascendit super altare, quod extruxerat in Bethel.* ] Cùm nouis illis sacris conciliare vellet autoritatem Ieroboamus, ipse voluit esse illorum sacrificiorum Antistes, vt regium nomen cum sacerdotali sociaret. Illum autem decimumquintum diem de corde suo finxisse dicitur; quia neque lex erat vlla, quæ diem illum aut aliqua religione sanctum ostenderet, aut aliqua superiorum temporum memoria consignaret. Sed suo arbitratu diem illum ex omnibus elegit, in quo impiæ aræ victimarum sanguine redundarent, & vitulorum nomen cum Symphonia, & plausu clariùs resonaret. 29.

Licet ad extremum addere ex lib. 2. Paralip. cap. 11. quod ad hanc historiam pertinet, de vitulorum sacris, & noua religione in Israeliticam gentem introducta; quam licèt amplexati fuerint plurimi: fuerunt tamen nõ pauci qui illam detestati sunt. De sacerdotibus, & penè totò ordine Leuitico diximus paulò antè ex hoc ipso cap. 11. v. 13. de aliis agitur v. 16. qui eo numero relictis suis possessionibus amore patriæ religionis ad Roboamum sese applicuerunt, vt maximopere auxerint illius vires. *Sed & de cunctis tribubus Israel, quicunque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum, & roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam.* Sed non diu perstiterunt in suscepto consilio, ac fide: nam tertio anno postquam ad sacra paterna rediissent, ipsi quoque à Dauidis via, & auita religione defecerunt, vt clariùs constat capite sequenti, vbi tam Roboamus, quàm totus Israel defecisse dicuntur à diuina lege. Alia sunt in hoc capite de Roboamo, quæ suis locis commodiùs exponemus.

*Multi ex decem tribubus non sunt secuti Ieroboam.*

# IN CAP. XIII. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*DAB AT aureis vitulis ſacrificalem operam Ieroboam in Bethel, vbi primum erat impiæ religionis maximúmque ſacrarium ; cum adfuit Propheta, qui minaci vaticinio ſacra, ſolemnitatémque turbauit, & ne propheticis minis videretur abfuiſſe pondus, quod à Propheta fuerat prædictum, non dubiis ſignis confirmauit Deus. Nam diſturbatum eſt altare, & arefacta manus, quam Rex furoris impatiens aduersùs Prophetam eleuarat. Cùm autem ad Prophetæ preces reſtituta eſſet Regi rediuiua dextera, mitior iam factus eo rerum euentu, munera offert Prophetæ, & ad menſam inuitat. Negat Propheta id ſibi per diuinum præceptum licere, atque ideo impranſus, & ieiunus ab eo loco recedit. Abeuntem reuocat malus quidam propheta, deceptúmque paſcit interdicta menſa; cuius paulo pòſt à Leone occiſus pœnas exoluit. Cúmque his rebus admonitus ad ſanam mentem Ieroboamus redire debuiſſet; in ſua tamen impietate hæſit obſtinatior.*

## CAPVT DECIMVM TERTIVM.

1. ET ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente.

2. Et exclamauit contra altare in ſermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet.

3. Dedítque in illa die ſignum, dicens: Hoc erit ſignum quod locutus eſt Dominus: Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis qui in eo eſt.

4. Cúmque audiſſet rex ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe.

5. Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari, iuxta ſignum quod prædixerat vir Dei in ſermone Domini.

6. Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi. Orauítque vir Dei faciem Domini, & reuerſa eſt manus regis ad eum, & facta eſt ſicut priùs fuerat.

7. Locutus eſt autem rex ad virum Dei: veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera.

8. Reſpondítque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto:

9. Sic enim mandatum eſt mihi in ſermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua veniſti.

10. Abiit ergo per aliam viam, & non eſt reuerſus per iter, quo venerat in Bethel.

11. Prophetes autem quidam ſenex habitabat in Bethel, ad quem venerũt filij ſui, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba quæ locutus fuerat ad regem, narrauerunt patri ſuo.

12. Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Oſtenderunt ei filij ſui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iuda.

13. Et ait filiis ſuis: Sternite mihi aſinum. Qui cùm ſtrauiſſent, aſcendit,

14. Et abiit poſt virum Dei, & inuenit eũ ſedentem ſubtus terebinthum: & ait illi: Tu ne es vir Dei qui veniſti de Iuda? Reſpondit ille: Ego ſum.

15. Dixítque ad eum: Veni mecum domum, vt comedas panem.

16. Qui ait: Non poſſum reuerti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto.

17. Quia locutus eſt Dominus ad me in ſermone Domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reuerteris per viam qua ieris.

18. Qui ait illi: Et ego propheta ſum ſimilis tui: & angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum,

19. Et reduxit ſecum: comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam.

20. Cúmque ſederent ad menſam, factus eſt ſermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum.

21. Et

21. Et exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus,

22. Et reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, in quo præcepi tibi ne comederes panem, neque biberes aquã, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum.

23. Cúmque comedisset & bibisset, strauit asinum suum prophetæ, quem reduxerat.

24. Qui cùm abiisset, inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectũ in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer.

25. Et ecce, viri transeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem stantem iuxta cadauer. Et venerunt, & diuulgauerũt in ciuitate, in qua prophetes ille senex habitabat.

26. Quod cùm audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit iuxta verbum Domini, quod locutus est ei.

27. Dixítque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cùm strauissent,

28. Et ille abiisset, inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum, & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec læsit asinum.

29. Tulit ergo propheres cadauer viri Dei, & posuit illud super asinum, & reuersus intulit in ciuitatem prophetæ senis; vt plangeret eum.

30. Et posuit cadauer eius in sepulchro suo: & planxerunt eum: Heu, heu mi frater.

31. Cúmque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cùm mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est, iuxta ossa eius ponite ossa mea.

32. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in vrbibus Samariæ.

33. Post verba hæc non est reuersus Ieroboã de via sua pessima, sed è contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorũ: quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum.

34. Et propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ.

---

# IN CAP. XIII. LIB. III. REGVM COMMENTARII.

Vers. 1. *Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini, Ieroboam stante super altare, & thus iaciente.*]

1. VIx dum nouus sacerdos, & sacrorum antistes Ieroboamus sacrificale ministeriũ adierat, cùm adolere pararet thura, & vitulis, quibus aptius fuisset fœnum, libamenta quædam sacrificali ritu diffunderet, insonuit Iuda fulmen, quod turbauit illud sacrificale nefarium sacrificium, & graui Regem pauore concussit, & vulnere sauciauit. Venit enim Propheta Domini, qui grauia minatus est Ieroboamo, & quo illis maior inesset fides, quæ minacibus edixerat verbis præsenti portento confirmauit.

2. De hoc Propheta varia produnt historici, atque interpretes. Tertullianus contra Physhicos c. 12. Sameam vocat. Epiphanius Ioam in lib. de morte Prophetarum in Ioam. Sed communior est opinio vocatum esse Addo, quod, meo iudicio, liquet aperte ex lib. 2. Par. c. 9. v. 29. *In visione quoque Addo videntis contra Ieroboam filium Nabath.* Hunc porrò quidam patrem esse putant Zachariæ. Nam Zacharias c. 1. suæ prophetiæ filius dicitur Addo. Sed hi errant omninò: neque enim, vt in eo loco Zachariæ docet Hieronymus, idem est, nomen, quo hic & quo ille nominatur: hic enim dicitur עדו *iehdi*, ille עדו *Ghido*. Itẽ quia inter illum Addo & Zachariam interiecti sunt 480. anni, & eo plus, quod eo sęculo duæ hominũ ætates non implerẽt.

*Quia Propheta qui locutus est cõtra Ieroboam.*

3. Vers. 2. *Et exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine,* &c. ] Licèt hæc verba præcipuè petant Ieroboamum, & sacerdotes, qui illius imperio operam sacrificalem vitulis impendebant: verba tamen contra altare, cui nihil erat mentis, & sensus, diriguntur. Tum quia in illo futurum erat signum, de quo mox; tum quia in eo immolandi sacerdotes, qui vitulis aut immolarunt victimas, aut incenderunt odores. Adde quòd cùm res est eiusmodi, vt graues in animis excitentur affectus, res inanimatæ aut aduocantur testes, aut audiunt de se formidandum aliquid, quod tamen hominum, aut scelus ostendunt immane, aut supplicium intendũt horribile. Vide quid nos suprà lib. 2. c. 1. ad illud, *Mõtes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos.*

4. Hæc porrò impleta sunt à Iosia, qui sacerdotes in eo trucidauit altari, in quo ipsi impias immolarunt victimas, & ossa aliorum in eodem altari igne cõbussit, in quibus verisimile est multa illorũ sacerdotum fuisse, qui sub Ieroboamo in vitulorum munus obierunt sacerdotale. Hæc omnia latè persecutus est sacer historicus lib. 4. Regum c. 23. quæ nos vbi ad eum locum ventum fuerit, pluribus explicabimus.

5. Vers. 3. *Ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est.* ] Non facilè illa saltem apud innitos

auditores consequuntur fidem, quæ longo pòst tempore dicuntur habitura exitum, nisi præsenti aliquo signo confirmentur, & eo consilio Isaias cap.7. cùm nasciturum diceret Emanuelem ex virgine, quod non nisi multis exactis sæculis futurum fuit, signum exhibuit præsens duorum Regum, & regnorum interitum, à quibus & sibi, & suis extrema omnia metuebat Achaz, vt nos eo loco pluribus ostendimus. Acceptarus videbatur propheticas minas Ieroboamus tanquam nugaces & quasi ab inani cerebro, & quasi nunquam essent habituræ pondus. Quare præsens à Propheta signum accepit, quod illum de re tanta dubitare non sineret, nempe altare illud recens è firmo, vt apparet, & bene compacto lapide disiiciendum esse statim, & effundendos ex eo cineres, in quos ligna in eo congesta, & victimas in eo combustas ignis redegisset. Quod sanè statim propheticâ liberauit fidem, discissum enim altare dispersit cineres, simul atque Propheta minacem illam orationem habuit.

6. Vers. 4. *Apprehendite eum, & exaruit manus eius, quam extenderat contra eum.* ] Non tulit superbus Rex tam liberam Prophetæ vocem, quæ excitandæ nouæ, atque impiæ religionis studium tam reprehendisset audacter, támque infelicem denunciaret. Quare non solùm voce iubet apprehendi Prophetam; sed vt primùm, & quàm acriter fiat, manu significat extensa, atque minaci: neque ipse, vt credo, infensas abstinuisset manus, nisi violari religionem timeret interruptis sacrificiis, quibus quasi esset Pontifex maximus, operam daret. Sed Deus, qui legatos à se ministros immunes ab omni iniuria esse vult, sicut humani Principes suos ab omni tuentur ignominia, quia sibiipsis fieri interpretantur iniuriam, non est passus audacem illam manum impunitam abire: statim enim atque superbam illam vocem offensionis plenam emisit, exaruit, vt erat vel ad plagam intenta, vel ad aliam aliquam iniuriam eleuata, ita vt neque contrahere posset illam, ad omnem iam vsum prorsus inutilem.

*Ieroboam manus arida.*

7. Vers. 6. *Et ait Rex ad virum Dei: deprecare faciem Domini Dei tui.* ] Vexatio dedit intellectum Regi, cui sanam mentem impotens dominandi libido sustulerat, & verum Deum esse confessus est, cuius paulo ante religionem prodiderat. Atque ideo iam mitior, iam minus quàm proximè superbus, & tumens orat Prophetam, vt suam apud Deum sanitatem procuret, vt manus iam inutilis, & mortua ad priores vires, & vsus reuocetur. Quod tandem assecutus est; neque tamen ideo animum deposuit antiquum, aut ad mentis sanitatem rediit; sed, vt habes ad finem capitis in nouam illam impietatem non minus, quàm antea grauiter incubuit.

8. Vers. 7. *Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera.* ] Alius iam est à seipso Ieroboam, quando Prophetæ, cuius modò vocem tam impatienter acceperat, & prandium condicit, & munera promittit, Sed sicut Deus ex impiis, & contaminatis manibus non accipit munus, sed potiùs execratur, & horret, vt grauiter ipse Isai. cap.1. pluribus ostendit; sic etiam suorum manibus ab huiusmodi donis continentiam indixit. Quare præcisè Propheta sibi quicquam accipiendum esse negat, non solùm de manu Ieroboam, sed etiam de omnibus, quotquot erant in eo loco, nempe Bethel, quod erat religionis illius nouæ primum, maximúmque sacrarium, etiamsi maximarum rerum iactura esset subeunda. Neque aliam causam adducit Propheta bonus, & fidelis, nisi quia illud habebat in mandatis à Deo; quæ vna ratio iis, qui piè atque sapienter de rebus cogitant, instar multarum est; imò vbi hæc adfuerit, reliquæ nihil debent habere momenti. Hoc exemplo Cyprianus vtitur, vt probet catholicis cum schismaticis nullum futurum esse commercium, lib.1. epist.6. quæ est ad magnum. *Tanta*, inquit, *indignatio Domini extitit aduersus illos, qui schisma fecerant, vt etiam cùm homo Dei ad Ieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque vltionem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cùm non custodiisset, & contra præceptum Domini prandiisset, statim diuinæ censuræ maiestate percussus est, vt inde regrediens impetu, ac morsu leonis necaretur in itinere. Et audet quisquam dicere aquam Baptismi salutarem, & gratiam cœlestem communem cum schismaticis esse posse, cũ quibus nec terrestris cibus, nec sæcularis potus debet esse communis?* Quæ verba in omnes hæreticos non minùs commodè conueniunt.

*Commercium nullum cum impiis.*

Vers. 9. *Nec reuerteris per viam, qua veniſti.* ] Difficile est statuere cur Deus Prophetæ iusserit, ne per illam regrederetur viam, per quam esset ingressus. Neque enim apparet, quid hæc viarum diuersarum ratio ad Ieroboami, & ad illorum, qui cum eo consenserant, ignominiam faciat, aut certè ad Prophetæ securum, & expeditum reditum, cùm ignoraret nemo per quam viam esset regressus, cùm in ipsa meridiana luce, eo nimirum tempore, quo Ieroboamus operam suis nauaret sacrificiis, non gustato pane ab vrbe recesserit. Neque sanè falsi prophetæ filij viam, per quam esset reuersus, ignorarunt, quando parentem ad reducendum illum deduxerunt. Ego primùm puto, vt voces ipsæ sonant, per aliam viam Prophetam iussum esse reuerti: quòd & ipse primùm fideliter præstitit, qui non eadem, qua venerat via, reditum parabat in patriam. Nihilominus ego prouerbiale hîc aliquid intueor: hoc enim dicendi modo significare solemus constantiam, firmúmque progressum in eo, quod semel arripuimus: & contrà, cùm aliquis inconstanter aliquid facit, & sine successu, ille retrorsum rediisse dicitur, aut per viam, qua ierat, fuisse reuersus. Multa nos in eam sententiam adduximus lib.2. cap.1. ad illud, *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis.* Vbi hanc sententiam multis confirmauimus exemplis, quibus adde illud Isai. cap.37. v.29. de Sennacherib, qui sine vllo successu vilis, & pudibundus reuersus est. *Reducam te in viam, per quam veniſti.* & statim v. 34. *In via, qua venit, per eam reuertetur.* Iuxta hæc ego putabam sic hac dicendi forma Prophetæ à Domino commendari constantiam, ne minis terreatur, neque vllo modo à commendato sibi negotio deficiat, aut in eo peragendo languescat: sicut illi faciunt, qui aut adducti promissis, aut exanimati minis retrorsus abeunt. Quod quidem Propheta cùm principio præstitisset egregiè, ad extremum defecit: cùm enim victor excessisset è Bethel, rediit tamen eodem repetitis vestigiis, & in ciuitate à Deo propter nouam illam religionem inuisa cibum sumpsit. Propter quod, opinor, idem supplicium subiisset interfectus à fera, etiamsi nullum gustasset cibum, quia retrogressus eandem esset viam non obsequendo remensus, quàm proximè egressus obediendo calcauerat.

*Redire per eandem viã inconstantiam indicat, & defectum.*

Prophe

11. *Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel.*]Hic senex licèt tunc habitaret in Bethel,erat tamen è Samaria, vnde ad vitulorum, altarísque dedicationem, quò sibi à Ieroboamo gratiam iniret, profectus est. Sanè lib.4. Paralip. cap.23. v.28. venisse dicitur de Samaria. Licèt autem hic malus fuerit, fuit tamen Propheta verus, per quem aliquando loquutus est Deus; ita tenent, licèt obscurè, Lyra, Caietanus, Abulensis q.138. Theodoretus verum appellat Prophetam, & bonum. *Cùm enim*, inquit, *Prophetam alium deduxit, vt secum comederet in Bethel, non ideo fecit vt eum deciperet, & in malum induceret; sed quia ex eo, quod à filiis audierat, virum sanctum esse cognouerat; ab illo benedictionem voluit accipere.*

12. *Propheta de Samaria verus, sed sceleratus.*

Ego primùm cum aliis fermè omnibus verum existimo esse Prophetam, quia, vt constat infrà B versf.29. verbum propheticum accepit à Deo,quo Prophetæ, qui contra Domini præceptum reuersus è via cibum gustauit, futurum interitum esse prædixit, & v.32. verum dixit esse futurum,quod Propheta sanctus contra aram Bethel, & templa à Roboamo constructa vaticinatus est. Existimo item cum aliis plurimis hominem esse sceleratum, & callidum (neque nouum est vt mali etiam homines spiritum habeant prophetiæ, vt Balaam) sceleratum quidem, quia cùm sciret Prophetam alium habuisse à Domino præceptum, ne quid gustaret in Bethel, repeterétque, quàm antè decurrisset, decepit tamen hominem parum cautum, & plus satis credulum, & primùm in peccatum, deinde in corporalem mortem induxit.

13. *Cur malus propheta bonum decepit.*

Cur autem Prophetam decipere voluerit varij varia cogitant. Abulensis q.12. opinatur malum istum prophetam voluisse nutantem iam Roboami animum in priori sententia confirmare:cùm enim Dei minas accepisset, illásque altari subitò disrupto, & cineribus ex eo defluentibus confirmatas vidisset, de mutando consilio, abolendísque vitulis cogitabat, quæ res magno Prophetam illum emolumento priuaret. Quare voluit Prophetæ, id est, diuino vaticinio fidem detrahere, & dolosæ nugacitatis arguere, ne quid apud Regem iam fluctuantem in priori D sententia ponderis haberet. Quod tunc facilè se consecuturum sperabat, si adeò aliquo modo durius affectus videretur; atque ideò studuit, vt præceptum à Deo impositum de non repetenda via, aut gustando cibo,violaret, quia id non credebat abiturum impunè.Idem penè historia scholastica, quæ etiam addit, egisse Prophetam illum malum cum Ieroboamo, ne sibi persuaderet, quòd obriguisset manus, aut disruptum fuisset altare, & effusi cineres, accidisse diuinitùs: illud enim ex eo prouenisse, quòd brachium lassasset sacrificando: hoc verò, quia tantum pondus altare sustinere nequierit. Glossa hæc eadem adducit, magis tamen explicata. *Iste*, inquit, *pseudopropheta princeps erat sacerdotum, & valde à Rege colebatur tanquam diuinus: timens autem, ne per sermonem viri Dei Rex ab idolorum cultura recederet, & se tanquam maleficum interficeret, excogitauit vt virum Dei deciperet, satis acutè agens, vt dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret, sicut postea fecit, cùm magis homini, quàm Deo credidit. At per hoc monstrarentur esse falsa, quæ prædixit, sicque Regi persuadere posset, sicut fecit.* Reliqua ad versf. 20. obscura non sunt.

*Gasp. Sanctij Com. in Reg. lib.*

A Versf. 20. *Cúmque sederent ad mensam, factus est* 14. *sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum.*] Vix dum ad negatam sibi mensam accubuerat nimium simplex propheta, cùm Dominus felle oblatos illi cibos aspersit:percussit enim illum non minus acerbo vaticinio, quàm quo ipse paulo antea Ieroboamum,& altare concusserat.Deus enim seni licèt malo, vero tamen Prophetæ reuelauit peccasse Prophetam alium: dum repetit viam, quam egressus iam fuerat emensus, & cibos capit in vrbe idololatride, quam ipse eo nomine exosam habuerat, ideoque illi durum subeundum esse supplicium, quod his verbis expressit, *Non inferetur cadauer tuum in sepulcrum patrum tuorum.* Quasi diceret,non illum peruenturum in patriam ad quam tunc moliebatur reditum, sed in medio cursu moriturum. Et ita prorsus accidit, nam cùm paululùm à loco recessisset, vbi sumpto cibo, indictum sibi mandatum violauerat, immisso inobedientiæ vindice leone, interfectus est.

Hîc paulisper immorari libet, quo pudore, 15. vel animo senex ille Prophetés seuerum illud supplicium denunciare potuit homini simplici,quem ipse fallaci blandimento, imò & fallaci vaticinio deceperat, qui nullo modo redeundum sibi esse dixerat, idque vsque adeò consilio præstiterat offirmato, vt neque precibus, neque muneribus ab ipso Rege superari potuerit, imò neque modicè inflecti à priori constantia. Sanè mirum est potuisse in eo reprehendendo crimine, cuius auctor C ipse videbatur fuisse, leuiter mutire,cùm non minus in sua,quàm in alterius viscera aculeos reprehensionis adigeret. Sed fecit Dei mandatum, vt homo ille scelestus, &, vt suprà ex multorum sententia dicebamus, idololatra has omnes difficultates perrumperet, & in alieno scelere suum proderet scelus. Hîc ego viuum quoddam simulacrum intueor eorum,qui pro suggesto id in aliis carpunt, quod à suis moribus nequeunt vllo modo depellere: quod quidem insignis videtur audaciæ,ne dicam impudentiæ argumentum. Nihilominus si Deus iubeat reprehendi scelera, quæ maximè aut grassantur, aut nocent in republica, licèt ipse suo se cum aliis gladio compungat,subire debet pudorem illum, qui non potest non esse grauissimus,ne suo sibi muneri desit,ac fidei.

Versf. 22. *Qui cùm abiisset, inuenit eum leo, &* 16. *occidit.*] Hoc fuit inobedientiæ supplicium,neque leuiter timere debent, quibus Dei voluntas leuis est. Sanè multa leuia videntur homini, dum humanam adhibent trutinam, quæ si ad diuinam regulam expendat, aut pondere exploret sanctuarij, leuia non sunt. Sanè qui Deo in omnibus placere student, nihil exiguum esse statuunt, si modò, quantumcunque modice, à diuina voluntate recesserint. Quare Deum à Deo fugiunt, dum in suis sibi studiis obsequuntur,aut tempestatem metuunt, qualem Ionas subiit, aut ceti stomachum, vbi triduo durum, & sepulcro simile nactus est hospitium, aut certè ne in statuæ modum obrigescant, quod accidit vxori Loth. Certè Deus à seipso minatur homini rebelli, quíque suo abducitur, non à diuino regitur arbitratu, quod huic Prophetæ in ipsa via, per quam, Deo prohibente, redierat, accidit à leone.Sic enim ille Oseæ c.13. v.7.*Et ego eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.*

17. *Peccata quædam venialia grauiter punita.*

Multa peccata, quæ venialé gradum non excedunt, corporali morte fuisse punita solũ humano

historia, sed etiam canonica docemur. Peccauit quidem Moyses ad aquas contradictionis, vt est communis Sanctorum opinio, venialiter. ita Abulensis in cap. 20. Numer. quæst. 14. ibidem Cornelius; & tamen ob eam culpam è conspectu terræ promissionis, ad quam multis antè annis cum incredibili labore contenderat, quam salutare potius quam adire potuit, iubente Domino, mortuus est. Venialiter quoque peccasse existimatur vxor Loth, & tamen in statuam salis conuersa est. Nec ille grauiùs videtur peccasse qui percutere Prophetam noluit infrà cap. 20. v. 36. & tamen à Leone occisus esse dicitur. Sic ergo hic Propheta venialem videtur admisisse culpam, cùm à grauiori illum multa liberent; quia deceptus ab B eo, quem Prophetam putabat, & à Deo habuisse mandatum, vt ipsum ad sumendum cibum è via reduceret; quia sciebat Deum aliquando mutare, aut moderari, quod priùs præcepisset, pro rerum opportunitate, quia non sponte videtur perfectus, sed quasi vi adductus, cùm priùs quoad potuit, recusarit, obtendens quod aliter esset imperatum à Deo. Ita sanè putat Caietanus, & Abulensis indicat q. 19. vbi paruum dixit existimari peccatum, & cùm q. 15. ostendisset multis peccasse Prophetam, qui cùm oppositum haberet in mandatis à Deo, debuit diligentiùs examinare senis illius verba, in quibus aliquid fraudis latere poterat, & Deum ipsum orando, aut alia ratione consulendo scisciari C quid factum esse vellet; in q. tamen 16. culpam illius multis extenuat. Idem ex veniali culpa tenet Cornelius à Lapide in c. 19. Gen. vbi tam vxoris Loth, quàm huius Prophetæ venialem fuisse dicit inobedientiam. Dionysius aut lethale peccatum fuisse dicit, aut veniale crassum. Hoc certè dixit Cassianus non obscurè collatione 7. Nam cùm c. 25. docuisset viros sanctos corporaliter traditos esse Satanæ, & grauia passos in corpore propter peccata leuissima, statim cap. 26. & 27. exempla produxit optima aliquorum, qui propter peccata vsque adeò leuia, vt vix in illis maculam venialem agnoscas; grauibus tamen tam à dæmone, quàm à dolorum acerbitate, & fœditate morborum affecti sunt incommodis, quibus occisi à leone Prophetæ exemplum annumeratur. Lege vtrumque caput, & discès, quàm non sint contemnenda illa, quæ homines leuia esse putãt, venialia, quando Deus illa, cùm tamen id agat misericorditer, tanta seueritate castiget.

18. *Propheta à leone occisus mortem tantùm subiit corporis.* Hîc etiam explorare libet, an hic Propheta cum corporali, ac temporaria, spiritualem etiam, & æternam mortem subierit? Quòd si venialis illa culpa fuit, quod maximè putabamus esse probabile, non est dubitationi locus; sin autem lethalem ex eo facto maculam contraxit; tamen cùm admonitus iam esset à Propheta sene, & mortem iam impendere proximè suspicari posset, credibile est agnouisse culpam, & de violato mandato diuino salutarem concepisse dolorem. Quomodo id cumque contigerit, quærimus, an gratus Domino, id est, liber à mortali culpa è viuis excesserit. Nemo, E quem ego viderim, damnatum esse affirmat, æternam obtinuisse salutem Gregorius asserit lib. 4. dialog. cap. 24. Et ex ipso in glossa Rabanus, Angelomus, Eucherius, qui dicunt peccati inobedientiam pœnas dedisse occisum Prophetam à leone, neque aliquid præterea ex ea culpa purgandum reliquisse. Sic autem eo loco Gregorius. *Vir Dei contra Samariam missus, qui per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in eodem itinere occidit. Sed statim illic scriptum est, quia stetit leo iuxta asinum, & non comedit leo de cadauere. Ex quare ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viuentem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit, quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punitâ inobedientiâ erat iam iustus ex morte. Leo ergo, qui priùs peccatoris vitam necauerat, custodiuit postmodum cadauer iusti.* Hæc Gregorius. quo argumento etiam adducitur Theodoretus q. 42. & Cassianus collat. 7. de qua nuper.

Accedit quòd lib. 4. Regum cap. 23. in sepul- 19. cro huius Prophetæ aliqua multis pòst sæculis inuenta sunt signa, quæ eximiam illius viri sanctitatem ostenderent, quæ fecerunt, vt Iosias cùm sepulcra omnia, quæ erant in Bethel, disiicere vellet, & quæ in illis essent ossa, comburere, huius tamen sepulchro pepercerit, quia in eo aliquid vidit eximium, cuius rationem habendam esse duxit. Illud ergo existimo fuisse titulum, seu monumentum, vt ex illo loco 4. Regum constat, quod posuit senex ille Propheta, qui sibi cum Propheta alio commune sepulcrum esse voluit. Neque illi malè cessit consilium illud, quo id consecutus est, ne ossa sua effoderentur à tumulo, & sicut alia omnia per ludibrium, & dedecus in vitulorum altari soluerentur in cineres. Sed Hebræi, quorum C vnus est Rabi Salomon illius cogitationis auctor & princeps, affirmant, sed planè Rabinica fide, in eo tumulo, in quo duo Prophetarum corpora iacuerant, res apparuisse longè diuersas, quæ duorum Prophetarum merita diuersa, & conditionem dissimilem ostenderent. In eo enim sepulchri, seu speluncæ latere (nam speluncæ formam habent Hebræorum sepulcra, maximè illa, in quibus potentiorum hominum cadauera conduntur) vbi Prophetæ scelerati, & senis iacebant ossa, spinæ nascebantur, & fœtentes herbæ: at verò, vbi alterius ossa condebantur, herbæ germinauerant pulchræ, suauiter olentes, quibus nimirum è sacris ossibus suauis quidam & sacer odor adhæserat.

*Hebræorum fabula de huius Prophetæ sepulcro.*

Addo ad extremum quod de hoc Propheta, 20. quem leo extinxit, scribit Chrysostomus in Psal. 3. obscuriùs tamen ibi videtur agere, atque confusiùs, dum duorum Prophetarum opera in vno videtur Propheta coniungere. *Quemadmodum,* inquit, *canis, aut quælibet fera, quam homo beneficiis cicurauit, sibique in omnibus obsequentem reddidit, si vultum simulet alienum, aut proprium mutet, & obscuret, fuligine puta, aut cœno, aut colore non proprio, non minus illum allatrat, morsúque appetit domesticus canis, aut lacerat mansuefactus leo, quàm si esset alienus.* Sic, inquit Chrysostomus, *quia Propheta iste per inobedientiam vultum fuligine fœdauerat, non agnouit leo tanquam dominum suum, atque ideo tanquam alienum interfecit. Longè aliter,* inquit, *sese leones habuere cum Daniele, cùm tamen essent in lacu famelici, quia in eo talem inuenerunt speciem, & vultum, qualem venerari, & osculari iussi sunt; neque enim mutauerat, aut fœdauerat faciem fuligine peccati, sicut hic Propheta, qui vultui priùs puro, ac candido inobedientiæ stercus, aut cœnum aspersit.* Porrò veniale peccatum sicut cœnum esse, aut fuliginem, quibus facies deturpatur, & horret, docet S. Thom. 3. p. quæst. 8. art. 2. ad 3.

*Inobedientiæ hominem nõ agnoscunt fera tanquã dominum.*

21. Vers. 28. *Non comedit leo de cadauere, neque læsit asinum.*]Si,quod dixit Gregorius suprà inobedientiæ peccatum morte laxatum,atque purgatum est, quid impedit hoc loco meditari cadaueri restitutam esse speciem, & colorem,quem inobedientiæ priùs fuligo fuscauerat, atque adeò illius cadauer leo attingere non est ausus,quem viuum extinxerat. Ex hoc apparet non casu leonem occurrisse, sed immissum à Deo, quandoquidem abstinuit à præda,neque famem Prophetæ, aut asini carnibus exaturare permissus est. Mansit igitur iuxta cadauer leo, non tamquam prædator vt laceraret, sed tanquam custos,vt seruaret integrum sepulturæ, neque nocuit asino,vt esset, qui mortuum referret illum, quem ad illum locum viuum adduxerat.

22. Vers. 30. *Et planxerunt eum:Heu,heu,mi frater.*] *Planctus pro funerũ honore.* In planctu exequiarum significatur honor, qui spectari solet in feralibus facibus,& atra veste, licèt gemitus audiatur nullus,aut nullæ oboriantur lachrymæ,vt diximus in nostris commentarijs ad illud Actuum c.8. *Curauerunt Stephanum viri timorati,& fecerunt planctum magnum super eum.*Vide ea de re Hieronymum ep.25.ad Paulam. Erat porro familiaris apud Hebræos lugendi forma,*Heu,heu, mi frater*,& aliæ similes,vt,*Væ frater, & væ soror,væ inclyte,& væ Domine.* De quibus nos pluribus super Ieremiam ad illud c.22.v.18.*Non plangent eum, væ frater,& væ soror,non concrepabunt ei, væ Domino, & væ inclytæ.* Et cap.34.ad illud cap.5. *Væ domine, plangent te.*Quæ loca omninò vide.

23. Vers. 31. *Sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est.*] Quo id consilio fecerit senex ille,& veterator Propheta,ostensum est nuper, nempe ne ossa sua simul cum impiorum ossibus extraherentur è tumulo,& abirent in cineres;quod Propheta alius sanctus prædixerat, de cuius prophetica fide,& euentu futuro non dubitauit.Et sanè quod destinarat animo,consecutus est: vt enim Prophetæ sancti ossa loco mota non sunt, sic etiam nec alia, quæ in eumdem tumulum cum illis illata sunt. Tumulum autem illustrem esse arbitror, quando post tot sæcula integrum, & notum fuit. Cùm enim homo esset locuples, & potens senex ille Propheta, vtpote familiaris Ieroboamo, & magno apud illum loco, & sibi vellet cum alio Propheta communem esse tumulum, haud dubie curauit vt in illo præter cætera aliquid appareret eximium.

24. Vers. 33. *Post verba hæc non est auersus Ieroboam de via sua pessima.*]Satis hæc videbantur grauia,vt Ieroboam à priori consilio,atque perfidia deduceret;sed sanè ea est apud malè institutos,aut constitutos animos ambitionis potẽtia,vt prosternat omnia, & rebus natura fortissimis fortitudinem adimat. Pugnabat in Ieroboami animo regnandi libido cum Dei minaci vaticinio,cum metu mortis,cum aliis denique,quæ natura hominis horret, & damnat:at sicut illa telum esset futile,& plumbeum,neque grauiores petitiones haberent,quàm inanes stipulæ, sic ab ambitionis iniusta potentia superata sunt. Quomodo quidam putauerint, neque fortasse malè,titubantem Ieroboami animum à malo hoc propheta propter priuata commoda in sua perfidia confirmatum,diximus paulo antè, & notauit apertè Iosephus lib.8. c.3. Cùm enim longam orationem apud Regem habitam retulisset, & quomodo nugator esset potius quàm propheta ille, quem magni alicuius sceleris reum occidisset leo.Tandem addit,*His dictis,Regi persuasit, & mentem eius à Deo, & iustis, ac piis operibus in totum auersam in extremam impietatem præcipitauit.*

*Quicunque volebat implebat manum suam, & fiebat* 25. *sacerdos excelsorum.*] Tam lõgè aberat Ieroboamus, vt ad meliorem mentem,& frugem rediret,vt magis se ad omnem impietatem proiiceret.Quare ex nouissimis,id est,ex plebis fęce sacerdotes excelsorum constituit:imò & permisit,vt quicumque vellet,sacerdos fieret;neque opus erat,vt aliis initiatus fieret sacerdos, sed sua quisque autoritate ad sacrum illud,imò & immane, ac execrandum ministerium reddebatur idoneus, quisque sibi suam manum implebat,neque ab alio expectabat legitimam sacrificandi potestatem.

Quid sit *implere manum*, & quomodo significet 26. consecrare aliquem, & idoneum facere sacerdotali,atque sacrificali ministerio,diximus in nostris commentariis super Ezechielem fusè, ad illud c. 43.v.26.*Et implebunt manum*,&c. Qui dicendi modus in Scriptura sacra frequens est,vt ibi ostendimus.Exo.28.v.41.& c.29.v.9.& v.35.vbi vulgatus legit,*initiare*,aut *consecrare manus* Hebr. est מלא יד *male iad*,id est,implere manum,neque ab Hebraico idiomate abstinuit vulgatus.Nam Iudic.17.v.5. & v.12.hęc eadem verba ad significandam consecrationem adhibuit.Et clarius Ezechias lib.2. Par. c. 29.v.31.vbi sic ad sacerdotes, *Implestis manus vestras,Domino accedite,& offerte victimas.*Quæ dicendi forma etiam rebus accommodatur inanimatis, quæ ad diuinum cultum consecrantur,vt de altari consecrato dixit Ezechiel loco proximè citato. Ratio nominis obscura est. Caietanus in c.17.Iud. ignorare se dicit: duas tamen inuenit ex sacerdotum consecratione, & ministratione desumptas. Altera est, quia in consecratione manus illinuntur oleo: altera,quia manu capiunt aut victimas, aut libamenta, vtroque modo manus plenæ videntur dici posse. Idem Abulensis q. 41. Ego aliam rationem putabam non ineptam, cùm viderem, quæ perfecta sunt, appellari interdum plena, idque non infrequenter, quia consecratæ manus perfectæ sunt nouo dignitatis auctoramento, ideo in consecratione impletas manus appellari putabam. Plura de hac re in nostris commentariis in Ezechielem, quæ tu vide. *Implere manum, idem quod sacerdotem fieri.*

# IN CAPVT XIV. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*GRAVI laborabat morbo Ieroboami filius, de cuius salute, vt Deum verum per prophetam Ahiam consuleret, à quo priùs Rex fuerat designatus, vxorem mittit, eo habitu, vt nemo illam Ieroboami vxorem esse suspicari posset. Sed non decepit Prophetæ oculos, qui paulo antè à Domino didicerat, quænam esset, & cuius causa accessisset illuc, & quod tandem esset domum responsum allatura. Quare illa, quæ regium deposuerat amictum, & vulgarem induerat, suum audit nomen, & exprobrata priùs Ieroboami perfidia intoleranda, duros annunciat exitus, tã ipsius familiæ, quàm populo, qui ad eius imperium nefariam religionem amplexus est. Ac tandem filij mortem, quæ tunc accidit, quando primùm vxor domum reuersa est. Neque duæ tribus quæ Roboami partes secutæ sunt, ab ea fuerunt prorsus labe immunes, quæ Ieroboami asseclas, & regnum infecit: Nam & idola coluerunt, & in eorum cultum sacrauerunt lucos, & excitarunt aras, & effœminatorum permiserunt publicum, ac venale prostibulum. Propter quod quasi illorum scelerum vindicem immisit Deus Sesac Ægyptiorum Regem, qui tam regiam domum, quàm Domini templum iis spoliauit ornamentis, atque opibus, quas tanto Salomon studio vndecunque conuexerat, pro quibus Roboamus quædam viliora reposuit, ærea pro aureis. Neque quandiu Roboamus in viuis fuit, liberum habuit tempus à bellorum strepitu, quæ vicinus hostis contra ipsum mouit Ieroboamus.*

## CAPVT DECIMVM QVARTVM.

1. IN tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam.

2. Dixítque Ieroboam vxori suæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris quòd sis vxor Ieroboam: & vade in Silo, vbi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quòd regnaturus essem super populum hunc.

3. Tolle quoque in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mellis, & vade ad illum, ipse enim indicabit tibi quid euenturum sit puero huic.

4. Fecit vt dixerat vxor Ieroboam, & consurgens abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ senectute.

5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce vxor Ieroboam ingreditur vt consulat te super filio suo qui ægrotat, hæc & hæc loqueris ei. Cùm ergo illa iuraret, & dissimularet se esse quæ erat,

6. Audiuit Ahias sonitum pedum eius introeuntis per ostium, & ait: Ingredere vxor Ieroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuncius.

7. Vade, & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel:

8. Et scidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo:

9. Sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post corpus tuum.

10. Idcirco ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clausũ, & nouissimum in Israel: & mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum.

11. Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli, quia Dominus locutus est.

12. Tu igitur surge, & vade in domum tuam: & in ipso introitu pedum tuorum in vrbem, morietur puer,

13. Et planget eum omnis Israel, & sepeliet: iste enim solus inferetur de Ieroboam in sepulchrum, quia inuentus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israel in domo Ieroboam.

14. Constituet autem sibi Dominus regẽ super Israel, qui percutiet domum Ieroboã in hac die, & in hoc tempore.

15. Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moueri solet arundo in aqua, & euellet Israel de terra bona hac quã dedit patribus eorũ, & ventilabit eos trans flumen, quia fecerunt

cerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum.

16. Et tradet Dominus Israel propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel.

17. Surrexit itaque vxor Ieroboam, & abiit, & venit in Thersa: cúmque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est,

18. Et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel iuxta sermonẽ Domini, quem locutus est in manu serui sui Ahiæ Prophetæ.

19. Reliqua autem verborum Ieroboam, quomodo pugnauerit, & quomodo regnauerit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel.

20. Dies autem, quibus regnauit Ieroboam, viginti duo anni sunt: & dormiuit cũ patribus suis: regnauítque Nadab filius eius pro eo.

21. Porrò Roboam filius Salomonis regnauit in Iuda. Quadraginta & vnius anni erat Roboam, cùm regnare cœpisset: decem & septem annos regnauit in Ierusalem ciuitate, quam elegit Dominus vt poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris eius Naama Ammanitis.

22. Et fecit Iuda malum coram Domino, & irritauerunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccauerunt.

23. Ædificauerunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos, super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam:

24. Sed & effœminati fuerunt in terra, fecerúntque omnes abominationes gentiũ, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Israel.

25. In quinto autem anno regni Roboã, ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalẽ,

26. Et tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & vniuersa diripuit: scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon:

27. Pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum scutariorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus regis.

28. Cúmque ingrederetur rex in domũ Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: & postea reportabant ad armamentarium scutariorum.

29. Reliqua autem sermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda.

30. Fuítque bellum inter Roboam & Ieroboam cunctis diebus.

31. Dormiuítque Roboam cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid: nomen autem matris eius Naama Ammanitis: & regnauit Abiam filius eius pro eo.

# IN CAP. XIV. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

Vers. 1. *In tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam.*]

1. QVO tempore morbus hic acciderit, incertum: nam accidisse tunc, cùm hæc, quæ proximè dicta sunt de Propheta à leone perempto, durum videtur, neque illud *in tempore illo*, quod idem videtur tempus designare, admodum illi cogitationi fauet. Certum est enim, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Danielem ad illud cap. 12. Dan. v. 1. *In tempore autem illo consurget Michael*, has voces *tunc*, *in illo tempore*, *in diebus illis*, & similia adhibere in sacris literis sine vllo ad superiora respectu. Quod docuit Theophylactus in cap. 3. Matth. & Euthymius in cap. 3. Matth. Augustinus in lib. 2. de consensu Euang. cap. 6. vbi ostendit quomodo cum Matth. cap. 3. actum esset de Christi infantia: De reditu nempe ex Ægypto post Herodis mortem statim dicitur in principio cap. 4. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto.* Idem docuit Chrysostomus hom. 77. in Matth. & hom. 26. in Acta, & iterum hom. 10. in cap. 4. Matth. cuius hîc verba referam, quia valde in hanc sententiam opportuna. *Mos*, inquit, *Scripturarum est, & vtique celeberrimus, vti his verbis, in diebus illis, non solum cùm ad præteritam narrationem aliud tempus adiungitur, verùm etiam cùm illa narrantur, quæ post multorum annorum spatia contigerunt. Sed Dominus cùm in Olineti monte resideret, & accedentes ad eum solliciti discipuli de captiuitate Ierusalem, déque ipsius sciscitarentur aduentu (& certè nostri, quàm grandi hæc medio diuidantur) cùm de vrbis subuersione dixisset, iámque ad dicendum de mundi fine transiret, Tunc, inquit, hæc, vel illa erunt: dicendo autem tunc, non vtique tempora, quæ plurimum erant discreta, coniunxit, sed illud tantummodo, quo euentura erant, tempus notauit, dicens, in diebus illis. Non enim quasi continuò hæc secutura monstraret, hîc posuit, illis, inquit, diebus, in quibus ista contigerunt.*

Regvla. In diebus illis, in tempore illo, tunc, & similia nil interdum referunt antecedens.

Iuxta quam regulam non necesse est statim, atque Propheta dicitur esse occisus, morbus acciderit filij Ieroboami, & quæ hoc capite filo continenti narrantur. Fortasse illud *in illo tempore*, postrema verba refert præcedentis capitis, vt putat Abulensis quæst. 1. quasi dicat, cùm impius esset, & idololatra Ieroboam, accidit vt ægrotaret eius filius Abia. Ego de tempore nihil habeo certum affirmare; illud mihi penè certum est longè post hæc tempora contigisse filij Ieroboami morbum, & interitum, quod item putat Abulens. quæst. 1. Nam Prophetæ interitus non longè aberat à de-

cem tribuum imperio diuiſo, neque hoc ab eo tempore, in quo diuiſo pallio ab Ahia Silonite Ieroboamo decem tribus aſſignatæ fuerunt: at eo tempore non videtur admodum ætate progreſſus Ahias, quando in agrum egreſſus eſt, vtique ſolus, vt Ieroboamum ſolum conueniret, réque totam abſque arbitris ſecretò doceret: at quando de filij morbo à Ieroboamo conſultus eſt, iam vſque adeò ſenex erat, vt præ ſenectute videre non poſſet, quod prouectæ admodum ætatis argumentum eſt.

4. Verſ. 2. *Dixítque Ieroboam vxori ſuæ, ſurge, & commuta habitum.* ] Norat, aut certè prudenter coniectare poterat, infenſum ſibi eſſe Ahiam Silonitem, à quo de imperio diſſecto vaticinium acceperat, qui ipſe gentilicos ſibi fabricaſſet Deos, & ad illorum cultum magnam Iſraelitici ſeminis partem adduxiſſet. Atque ideò id maximè curauit homo cautus, & ſolers, ne Propheta cognoſceret, cuius eſſet filius, de cuius valetudine petebatur oraculum, & quis ille foret, qui valetudinis euentum noſſe vellet. Et ideo artificio ſingulari vſus eſt: allegauit enim vxorem, vt Propheram de ſui filij morbo conſuleret, quod fieri poſſet patris occultato nomine, ſub hac nimirum interrogatus forma. *Quære à Domino, an filius meus, qui grauiter nunc à morbo iactatur, ab illo liberandus?* Vbi certus proponebatur ægrotus, quia certa mater; neque tamen patris audiebatur nomen. Id verò per nullum alium commodè diſcere potuiſſet, quia nemo certum aliquem proponere poſſet ægrotum parentum ſuppreſſo nomine. At quia periculũ erat, ne vxor cognoſceretur Ieroboami, quod neque illi tutum foret in regione tunc temporis non admodum in Ieroboamum affecta, quia non omnibus illius conſilium probabatur; neque aliquid à Propheta fortaſſe audiret opportunum, atque benignum, fecit vt illa habitum, & inceſſum mentita, aliam ſe eſſe ſimularet. Quare regiam abiecit pompam, & comitatum, plebeiam ſe finxit, & vnam è multis, vt de infimæ plebis adoleſcentulo ſciſcitari exiſtimaretur oraculum. Hoc videtur fuiſſe Ieroboami conſilium, vt ex parte coniectat Abulenſis q. 2. ad q. 5.

5. Verſ. 3. *Tolle quoque in manu tua decem panes, & cruſtulam.* ] Hoc quoque ſignum erat fœminæ plebeiæ, ac ruſticæ, quæ ſecum ea portat munera, quæ petuntur è rure, & quæ ad ruſticas delicias comparari ſolent. Quis enim crederet illam eſſe Reginam, quæ panes affert, & modicum mellis, quorum hoc vltrò ipſa affert ſylua, illi in tenui etiam familia deeſſe non ſolent. Pro *cruſtula*, Septuaginta poſuere *collyria*. Chaldæus *placentas*, Hebr. נקודים *nekudim*, quæ vox punctatum aliquid ſignificat, aut certè artificio aliquo piſtorio, aut lineis, aut variis rerum formis impreſſum, quod ad ſuas delicias adhibent ruſtici; quas Hiſpanorum vulgus *tortas pictas* appellat, tranſlatio Hiſpanica *roſcas* reddit. Dicuntur autem *cruſtulæ*, aut etiam in genere neutrali *cruſtula*, quia tenues plerumque ſunt panes ad tabellarum, ſeu cruſtarum ſimilitudinem, quæ vt ab artifice manu formas accipit varias, ſic etiam opere dulciario aliquid habet admixtum, quod palatum mulceat, & oblectet; qualia ſunt quæ *artolagana* dicuntur, aut ſimilæ oleo frixæ. Certè cruſtula in neutrali genere aliquod habẽt ſecum irritamentum gulæ, quæ pueris porrigi ſolent, vt plorare deſinant, aut vt ad honeſtum aliquod ſtudium alliciantur. Sic Horatius lib. 1. Satyr. 1.

*----Vt pueris olim dant cruſtula blandi*

*Cruſtula quid.*

*Doctores, elementa velint vt diſcere prima.*

Quomodo autem ad Prophetas, virôſque Principes ignobilior turba aliquid afferre ſoleret officij, atque obſequij gratia, diximus lib. 1. cap. 9. Vbi Saul cùm adhuc priuatam vitam ageret, munera quædam obtulit Samueli.

Verſ. 4. *Abiit in Silo.* ] Silo in tribu erat Ephraim, ex qua natus Ieroboamus, & quæ in illius tunc erat poteſtate. Nihilominus puto minus incontribulem Ieroboamum affectos Silonitas; quia ſecum Ahiam haberent, qui cauſam Dei ageret contra Ieroboamum, & vitulos; & quia cùm ibi diu tabernaculum fuiſſet, & arca, à vera religione ad gentilicam inſaniam difficiliùs potuerunt abduci. Atque ideo expediit vt Ieroboami vxor habitum aſſumeret alienum, ne minus tractaretur honeſtè, quàm Regium nomen, & dignitatem deceret. 6.

*Quia caligauerant oculi eius præ ſenectute.* ] Cæcitas quæ non ex morbo aliquo, ſed ex ætate prouenit, ſatis indicat ſenectutem eſſe grauem, & ætatem longius eſſe progreſſam: vnde ſuprà colligebamus quàm plurimum interceſſiſſe temporis inter Prophetam occiſum à Leone, & inter Ahiam Silonitem à Ieroboamo conſultum. Reliqua ad v. 10. operam interpretis non deſiderant. Tantùm enim, quo plus habeat acerbitatis reprehenſio, collata à Deo in Ieroboamum commemorantur beneficia, & exprobratur ingratus animus, & vſque adeò meritorum immemor, & priuatæ commoditatis amans, vt abiurata patria religione, ac fide pro gratiis, quas rependere debuit, grauem, & ad illud vſque tempus inauditam retulerit iniuriam. 7.

Verſ. 20. *Et percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſrael.* ] Quid ſit *mingens ad parietem*, diximus lib. 1. Reg. cap. 21. v. 22. ad eadem propè verba: eſt enim deſcriptio canis, qui quomodo ab Hebræis, ſic etiam ab Hiſpanis appellatur *maſtim*. Ibi oſtendimus prouerbialem eſſe formam, qua ſignificamus nihil ex alicuius opibus, ſeu familia futurum eſſe reliquum. In quo dicendi modo, ſicut in aliis, qui attexuntur, quíque eodem ſpectant, ſicut in aliis prouerbiorum formis, aliquid ineſt hyperbolicum. 8. *Mingere ad parietem quid.*

Quod ſtatim ſubditur difficilius eſt, & ſine dubio prouerbiale, quia & ſæpius vſurpatur in Scriptura, & verba ipſa Hebraica cùm paria ſint, & ſimiliter cadentia, & ſono quàm ſimillima ſatis oſtendunt vulgari ſermoni fuiſſe familiaria. Sic autem Hebr. עצור ועזוב *aſur vaazub*, quorum alterum *clauſum* ſignificat, alterum *derelictum*. Vulgatus hæc verba eodem modo coniuncta, non eodem ſemper modo coniungit. Hoc enim loco *clauſum*, & *nouiſſimum* reddidit, vt vides. Sicut etiam lib. 4. cap. 9. verſ. 18. c. 21. v. 21. *clauſum*, & *vltimum*. lib. 4. cap. 14 verſ. 26. *clauſos carcere*, & *extremos*. Deuteron. 32. v. 36. *clauſi*, & *reſidui*. Quid hæc verba valeant nemo dubitat, neque aliud ſignificant, quàm nihil ex tota poſſeſſione, aut domo quantumcunque vile, ſeu pretioſum fuerit, quamtumcunque cuſtoditum, & clauſum, ſiue derelictum, & abiectum fore à prædatione, ſeu ab exitio reliquum. Hoc certum, & notum, illud obſcurum, vndénam fuerit deſumpta metaphora. Mihi videbatur ſumpta fuiſſe è re pecuaria, vbi agni, v.g. & hœdi aut clauduntur domi, aut certè non procul à domo abire permittuntur, vt ſub veſperum claudantur, aut domi, aut intra ſepta, vbi fideli canum, paſtorúmque cuſtodia ſeruantur. Sanè tenerum pecus noctu contineri domi, & noſtris temporibus fieri videmus, 9. *Per clauſi, & nouiſſimũ ſignificatur nihil eſſe reliquum.* 10. *In grege quid clauſũ & quid nouiſſimum, derelictum.*

videmus,& antiquis factum esse legimus. Imbecillum namque pecus, quod matres in pascuis assequi non valet,aut domi relinquitur, aut seorsim non procul à domo pascitur,interdum à puellis, quibus propter iuuenilem petulantiam à domo longiusculè recedere tutum non est. Sic sanè Theocritus Idyl.5.& ex eo Virg.eclog.7.

*Puella infirmum pecus pascere solita.*

*Quid facerem?neque ego Alcippem, neque Phyllida habebam,*

*Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos.*

Quod,credo,munus obibat Rachel Gen.29. & filiæ Iethro sacerdotis Madiam Exod.2. quas patres viri honesti non paterentur abesse longiùs à suburbanis, vnde domum facilè tenerum pecus nocte iam impendente reducerent.Si hinc metaphoram deducas, sensus est facilis eam futuram stragem,vt nihil maneat à periculo liberum, siue domi seruatum,& clausum, siue in agro derelictum, & extra claustra.Sicut cùm grauis ingruit tempestas, & hyemis inclementia durior, neque tenerum pecus effugit mortem, quod domi clauditur, neque robustum,& grandius, quod extra domum stabulatur in locis apertis. Hispanus hæc eadem sub eadem metaphora explicare solet, cùm vniuersalem stragem exprimere vult. *No ha que dado roso ni velloso.* Accedit quòd vox Hebraica משחים *Mastim*,quæ,sicut apud Hispanos *canem* significat pastoralem, satis indicat rem hîc notari pecuariam.quasi dicas, nihil è toto grege,neque canem quidem gregis custodem esse relinquendum.

11. Hæc mihi sententia omnium probaretur maximè,nisi viderem aliò incumbere frequentes alios, qui cùm varias adducant expositiones: vnam tamen,quæ magis est communis, ac verisimilis, ex omnibus producam. Duo sunt bonorum genera; altera, quæ domi,altera, quæ foris in agris possidemus.In illis numero pecunias, vasa,vestes, omnémque supellectilem, atque ornamenta domestica:in his agros, armenta, rem denique totam pecuariam,& rusticã:illa clauduntur domi, & quasi in dominorum sinu seruantur, hæc in agris cœlorum inclementiæ,latronum, & bestiarum iniuriis relinquuntur exposita; vtrisque dicitur imminere strages, siue à temporum iniuria, siue ab hostili manu.In hanc sententiam, vt refert Pagninus in radice עזב *Azab*, exposuit Rab. Iosephus illud Deuter.32.vers.36.*Clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.*Hebr.עצור ועזוב *Non erant opes, quæ domi clauduntur, neque pecudes, quæ in agro relinquuntur.* Sic sanè hunc locum exponit translatio Hispanica, *lo tesaurizado, y lo dexado e nel campo.* Cùm autem parentum gratissima,optimaque possessio filij sint, illi quoque hac dicendi forma auferendi dicuntur, quorum illi,qui ita teneri sunt, aut delicati, aut imbecilli, vt externa curare non possint,continẽtur domi, vocarique possunt clausi, quia à parentum aspectu,aut etiam complexu non recedunt; illi verò, qui foris agunt,relicti dicuntur,quia suis iam nituntur viribus, neque parentum sunt alligati custodiæ. Quomodo pulli cùm adhuc implumes,& molliculi sunt,continentur,& clauduntur in nidulis, vbi parentum cura sustentantur: cùm autem ætate plumarum aliquid,& roboris accessit, relinquuntur à patribus, & sua se sustentant,ac moderantur industria. Hi porrò etiam nouissimi, aut vltimi vocari non immeritò possunt, quia quod ad parentum attinet curam,& indulgentiam,nouissimo loco sunt. Denique hac metaphora significatur pretiosissimum quodque, atque vilissimum, quod quoquo modo pertineat ad Ieroboamum, fore perdendum. Huiusmodi aliæ prouerbiales formæ,quæ significant nihil futurum esse reliquum,in Scriptura sacra reperiuntur, quarum aliquas adduximus Isai. cap.9. v.14.*Caput & caudam,incuruantem, & refrenantem,* quod aliqui in eamdem sententiam ita legunt,*Ramum, & iuncum.* Quibus verbis indicat Propheta summis, atque infirmis, robustis, atque tenuibus vastitatem indici.

*Et mundabo reliquias domus Ieroboam,sicut mundari solet fimus vsque ad purum.* ] Ex tanta domo, quam Ieroboamus sibi ex decem tribubus extruxerat, nullas dicit futuras esse reliquias. Quod quidem ita contigit, vt habes sequenti capite vers. 29. vbi sic de Bassa,*Percussit omnem domum Ieroboam,non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum.*In metaphora autem fimi, seu stercoris duo ego,quæ ad rem maximè faciunt,inuenio.Alterum est Ieroboamum,qui valde sibi in regia potestate,& nomine placebat,quia religionem abiurauerat patriam,& magnam hominum multitudinem ad illam impietatem adduxerat, eodem apud Deum esse loco,quo stercus,& fimus. Et sanè pluris æstimari non debent; qui quantumcunque regio nomine,ac maiestate conspicui suo potius genio,ac studiis obsequuntur,quàm diuinæ seruiunt voluntati,ac gloriæ.Tales ergo Reges à regno, atque à vita mouet, quasi quis fimum, qui grauiter olet,& indecorè fœdat,à domo reiicit. Quod viri potẽtes, quique aliis præsunt,si minus diuina meditentur, illisque ornandis, atque promouendis studeant,de seipsis existimare debent, neque de se cogitare sublimius, quàm de luto, ac fimo, quod ab aliis cum fastidio,atque horrore calcatur. 12. *Reges si mali,non pluris faciẽdi, quã stercus.*

Alterum est, hac dicendi forma in Scriptura non infrequenti omnimodam, atque vniuersam significari stragem, quæ nihil omninò relinquit intactum. Sic Ezechiel cap.26.v.4. cùm significare vellet extremam Tyri vastitatem, dixit: *Et radam puluerem eius, & dabo eam in limpidissimam petram.*Isai.de Babylone cap.14. *Scopabo eam scopo terens.* Cúmque alia plerumque ad summum neque eradi,neque conuerri soleant, quia in illis est aliquid, quod neque sit odoratum graue, neque ad aspectum fœdum, in fimo,quia vtrumque tetrum habet,& graue, ad extremum vsque puluisculum euerri solet.Addo ad extremum in his videri speciem quamdam hypallages, in qua adiuncto tribuitur,quod magis conuenit subiecto. Sic Matth. 8.de leproso dicitur, *Statim mundata est lepra eius,* id est,mundatus est à lepra. Isai.6. *Peccatum tuum mundabitur*,id est,tu à peccato mundaberis.Sic ergo mundandæ dicuntur reliquiæ Ieroboami, sicut mundatur fimus,id est,mundandum esse regnum à Ieroboami reliquiis,non aliter quàm domus mundatur à fimo,cuius ab ancilla sedula,atque studiosa munditiæ neque puluisculus relinquitur in domo locuplete,& laura. 14. *Extremaua stitas quomodo significata.* 15. *Hypallage in Scriptura frequens.*

*Constituit autem Dominus sibi Regem super Ierusalem,qui percutiat domum Ieroboam in hac die,& in hoc tempore.* ] Non diu stetit gloria domus Ieroboami,quia neque ille stetit diu in fide,quam seruare integram Deo debuit. Ex vsu Scripturæ id fieri dicitur,quod futurum est breui. Quomodo Christus dixit Matth.c.9.de filia Archisynagogi. *Nõ est mortua puella,sed dormit*, quæ breui erat à mortuis excitanda.Et Christus Ioan. 17. v.10. dixit se iam non esse in mundo, quia citò in mundo futurus non erat. Hinc fit vt *hodie* aliquando sumatur pro tempore,quod ab hoc die proximè abest. Vt Zachar. cap.9. v.12. *Hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi.* Vbi diximus,quod antecessit proximè, aut 16. *Id fieri dicitur quod faciendum est breui.* Hodie dicitur.

aut non diu pòst futurum est,existimari præsens, & per *hodie*, aut similem aliam vocem explicari. Non percussit Rex à Domino pro Ieroboamo constitutus illius domum eo die,in quo Ieroboami vxor accepit à Propheta vaticinium hoc durum. Quia tamen breui illud erat complendum, vt cap.15.statim appareòit,ideo eodem die dicitur habiturum exitum.

17. Vers.15. *Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moueri solet arundo in aqua, & auellet Israel de terra bona hac.*] Duo hîc Propheta minatur Israeli,quia secutus est Ieroboamum,& abiurata religione patria Gentilicam professus(nam de fœdo, ac breui Ieroboami, & ipsius domus interitu iam actum fuerat.) Alterum est diu futurũ in perpetuo quodam metu,& ab hoste vicino,atque etiam longiori variè vexatum; atque ideo non leuius agitatum iri perturbatione,ac metu, quàm arundo concutitur,aut carex,seu iuncus,qui in alueo nascitur torrentis, & magno impetu decurrentis aquæ, qui nunquam non mouetur,quia vis ei semper adiungitur externa, quæ nec puncto temporis illum quietum esse patitur.Eadem,aut certè non admodum diuersa similitudine expressit Isaias capite 7. metum, quo Achaz Rex Iuda cum populo toto commotus est,cùm armatas contra se inimicorum acies imminere vidit. *Et commotum est cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti.*Illud tantùm est discrimen, quod illic arundo ab vndis, hîc à ventis dicitur lignum in syluis moueri. Alterum vbi diu iactatus fuerit populus, quasi arundo à fluctibus, & ventis, tandem à patriis finibus esse ad terras quàm longissimè dissitas abducendum,non secus atque quercus,vbi sæpe fuerit à lignatoris percussa securi, & suo sæpe pondere nutauerit, tandem à suo stipite abscissa, aut à vento vehementiùs incitato stirpitus auulsa,aut foco destinatur, aut vile cogitur subire ministerium. Quomodo variis Assyriorum appulsibus è suis sedibus ad alienas translatus fuerit Israel,suis locis dicemus.

*Similitudo, qua optimè magna significatur perturbatio, & metus.*

18. Vers.17. *Et venit in Thersa.*] Iam Ieroboam excesserat ex Sichem, vbi Rex à populo salutatus fuerat,postquam illam egregio opere munierat,& abierat in Thersa, vbi stabilem Israelitici imperij sedem locauerat; vbi tandiu stetit,donec ab Amri ædificata Samaria, & ad illam regni sedes translata est,infrà cap. 16. vers.24. & 29. Fuisse autem Thersa ciuitatem amœnitatis eximiæ, ex eo facilè est coniectare,quia aliter non videbatur tanti imperij futura metropolis. Deinde,quia Cant. cap.6. sponsæ pulchritudo cum Thersa comparatur, quod sanè neque aptè,neque prudenter fieret,nisi talem haberet venustatem, & speciem, qualem eo loco meditatur sponsus.Vbi enim Vulgatus, *Pulchra es amica mea,suauis.*Hebr.est,*sicut Thersa,*& ipsa docet nominis notatio deduci à radice רצה *Ratsah.*quæ *velle* significat, aut *placere.*

19. Vers.20. *Dies autem,quibus regnauit Ieroboam,viginti duo anni sunt,& dormiuit cum patribus suis, regnauitque Nadab filius eius.*] Hæc per prolepsim dicta sunt,id est,ante illud tempus,in quo,quæ nunc dicuntur facta,contigerunt.Nam post hæc, vt habes cap.sequenti,bella gessit cum Abia,& regnum produxit vsque ad annum primum regni Asa, qui tertius regnauit à Roboamo. Sed hîc finire voluit sacer historicus,quæ pertinerent ad Ieroboamum, vt quod reliquum erat ex gestis Roboami, ad finem vsque pertexeret.

20. Vers.21. Quadraginta, & vnius anni erat Roboam cùm regnare cœpisset, decem & septem annos regnauit in Ierusalem. Ex hoc loco nonnulli colligunt à duodecim Salomone genitum esse Roboamum. & quidem res esset certa,si à Salomone duodecimo ætatis anno regnum initum esse constaret.Qua de re nos suprà latiùs cap.3. non longè à principio.

*Nomen matris eius Naama Ammanitis.*] Ex alieno genere erat Roboami mater, quæ licet principio cùm ad legitimum Salomonis thalamum adducta est,abiurata patriæ religione, Israelitica sacra complexa est:fieri tamen potuit,imò & factum esse non est improbabile, vt Salomone iam infatuato,& non obscure fauente religioni gentilicæ, ipsa ad religionem,quam repudiasse videbatur(licèt nunquam fortasse animum deposuisset gentilicum) rediret. Quare illi difficile non fuit filio non admodum intelligenti, & cauto persuadere, vt quam ipsa à primis annis religionem hausisset, ipse maternis obsecutus precibus,cùm nullum iam sese ostenderet à parentis seueritate periculum, amplecteretur.Cùm autem apud filios valere plurimum soleat matris indulgentia mollior, & voluntas licèt non semper, neque vbique iustissima, perfecit cum filio plus satis obsequenti, & facili, vt religionem desereret, quam à magis sano parente quondam acceperat. Vnde illa ausus est flagitia, de quibus statim, quæ admitteret ad animum nemo, in quo aliquid esset pudoris, aut mentis. Hæc autem mater Ammanitis dicitur, quæ ex vsu magis frequenti Scripturæ Ammonitis dici posset. & ita habent translationes recentes, & fauet plurimum in originali voce punctorum notatio.

21. *Roboã matre natus e lie nigena, à qua seductus existimatur.*

Vers. 22. *Et fecit Iudas malum coram Domino.*] Diximus suprà cap.12.ad finem ex ordine Leuitico quamplurimos, qui inter decem tribus erant dispersi,adhæsisse Roboamo, & alios non paucos ex aliis tribubus, quibus indicta à Ieroboamo religio displicuit;qui omnes cùm principio religionem colerent antiquam, sensim tamen ita cum suo Rege defecerunt,vt post tres annos nihilo viderentur meliores Ieroboamo iam idololatra, & illius populo, qui penè nihil distabat à gentilico. De quibus lib.2.Paralip.cap.11.v.17.*Ambulauerunt enim in viis Dauid, & Salomonis annis tantùm tribus.* Post quos illa ediderunt flagitia, quæ statim commemorantur, qualia nempe illorum patres olim nihilo magis in religione stabiles admisere.

22.

Vers.24. *Sed & effœminati fuerunt in terra.*] Præter alia multa,quæ contra religionem aut commiserunt, aut permiserunt scelera duæ reliquæ tribus,in quibus religio, & pietas perseuerasse credebantur,vt excitasse aras, sacrasse lucos,& impia gentilicæ vanitatis delubra, illud etiam addidere vitæ iam omninò profligatæ monumentum, vt non tantùm fœminarum (licèt etiam hoc esset execrabile) sed etiam masculorum prostibula, & quasi vtriusque sexus mercede prostituti emporia variis in locis constituerint. Quæ impudentia variis temporibus Hebræorum rempublicam inhonestè fœdauit.De qua Isaias queritur cap.2.vers.6. qui ad hæc fortasse tempora spectabat,*Et pueris alienis adhæserunt.*Hæc etiam pathicorum puerorum monstra fuerunt tempore Iosiæ,quæ pius ille Rex 4.Reg. cap.29. sustulisse dicitur, quibus in ipso templo pro nefanda illa libidine erant destinata cubilia.Sic autem ibi v.7.de Iosia,*Destruxit quoque adiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini.* Quod etiam Machabæorum tempore contigisse legimus lib. 2. Machabæorum cap.4. v.12. vbi sic de

23. *Effœminati, & pathici in duabus tribubus.*

de Iasone sacerdote summo. *Ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque ephebororum in lupanaribus ponere.* Vbi Vulgatus *effœminati*, Hebr. est. קדש *cades*, quæ vox scortum masculum, cynædum, aut puerum meritorium sonat. Quare non placet, quod quidam apud Abulensem q. 35. existimarunt, quod ipsi meritò confutât, in quibus est Lyra, qui dicunt effœminatos esse, qui vt sacerdotes, seu Corybantes esse possent deæ Phrygiæ, quæ Cybele, seu Berecinthia dicitur, sibi ipsis execuere virilia, nisi dicamus hos etiam fuisse pathicos, quia cùm non possent aduersam exercere, auersam consuerunt sustinere libidinem. Sed de hac Corybantum infamia nihil, de alio prostituti corporis flagitio in Scriptura sacra sæpius audimus; atque ideo, meo iudicio, illa de Corybantibus cogitatio locum non habet.

24. Vers. 25. *In quinto autem anno regni Roboam ascendit Sesac Rex Ægypti in Ierusalem: & tulit thesauros domus Domini.* ] Sicut Salomonis impietatem Deus impunitam esse noluit; sic etiam neque Roboami filij, qui & ipse impius fuit. Et quia Principum exempla, præsertim in malum, potentissima sunt, impietatem etiam in reliquas sibi tribus induxit. Contra hunc igitur misit Dominus Sesac Regem Ægypti, qui conflauit exercitum & numero magnum, & bellico apparatu optimè instructum, Qui sic fuit in assumpto sibi negotio fortunatus, vt breui secum thesauros omnes, & ornamenta sustulerit, quæ Salomon in templo Domini, & in domo sua collocarat; quæ & ponderis fuerunt ingentis, & artificij, atque operis eximij. In his numerantur aurea scuta, de quibus cap. 10. v. 16. pro quibus Roboamus ærea suffecit, quorum vsum hîc affert sacer historicus. Ex quo intelligimus aurea scuta, quæ Salomon excudi fecit, quem vsum habuerint, nempe vt Regem comitarentur cùm in domum ingrederetur Dei ad ambitiosam regiæ maiestatis ostentationem, non vt in acie militem munirent. Quare illa his tantùm tradebantur, qui ante domus regiæ fores excubabant, qui Regem in incessu publico præcederent; & cùm iam eo munere essent perfuncti, reddebant scutariorum præfecto, vt illa in armamentarium reduceret.

25. *Sesac idem esse creditur qui Sesostris.* Qualis porrò apparatus Regis Ægyptij fuerit, habes lib. 2. Paralip. cap. 12. & quomodo domum regiam, & templum spoliauerit, & reliqua, quæ ad hunc Ægyptiorum appulsum spectant. Sunt qui hunc Sesac Sesostrem esse dicant, de quo mira narrant Ægyptij, vt auctor est Herodotus lib. 2. Diodorus Siculus lib. 2. ita Iosephus lib. 8. cap. 4. vbi huic Sesac illa attribuit, quæ Herodotus Sesostri. Quod si verum est, grauissimam ab hoc Sesac, seu Sesostri ignominiam pertulit Roboamus, illámque sua impietate, atque stupore non indignam. Refert enim de Sesostri Herodotus, & eadem, vt apparet, Iosephus de Sesac, si quando Regem imbellem, & timidum superasset, erexisse tumulum, at monumentum, in quo muliebre potius aliquid appareret, quàm virile, vt ostenderet posteris se cum muliere potius, quàm cum viro habuisse certamen, quæ monumenta variis in locis erecta conspiciebantur. Quam ignominiam, vt opinor, non effugit Roboamus, si vera hæc sunt, qui timido fuit animo, vt habemus lib. 2. Paralip. cap. 13. v. 7. *Roboam erat rudis, & corde pauido, nec potuit resistere eis.* Neque diu, ac fortiter repugnauit Ægyptio; quare si quispiam aliud, hic dignus fuit, cuius memoria ad æternam ignominiam incideretur in saxis.

*Roboã grauẽ ignominiam passus à Sesac.*

De hoc Sesostri alia quædam referunt historici, quæ si passus est Roboamus, nihil ingenuo accidere potuit acerbius, nihil regiæ personæ indecorum, & indignum magis. Eò etenim barbarus hic Princeps insolentiæ processit, vt Reges, quos armis superasset, ad currum iungeret triumphalem, & ea inusitata pompa supra Reges se esse, atque supra homines videretur. Huius pompæ immanis planè, & barbaræ meminit Plinius lib. 33. cap. 2. Diodorus lib. 2. Lucanus lib. 10. 26. *A Sesac, seu Sesostri Reges ad curule iugũ cogi soliti.*

*Venit ad Occasum, mundique extrema Sesostris,*
*Qui Pharios currus Regum ceruicibus egit.*

Hæc ego vera esse non credo, quia horum nullum apparet in sacra Scriptura vestigium, neque cum Rege ea ratione superato satis aptè conueniunt, quæ statim de Roboamo dicuntur; cuius parum post hanc victoriam videtur aut potestas fracta, aut obscurata maiestas.

Vers. 20. *Reliqua autem sermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Iuda.* ] Quæ sint hæc verba dierum, siue Regum Iuda, siue Regum Israel, diximus in prolegomenis ad hos libros Regum. Ex quibus in libris Paralipomenôn sumpta sunt plurima, quorũ hic aliquid adducemus, nequid desit ex Roboami historia, quod alio nobis loco referendum sit. Primùm ex cap. 11. lib. 2. Paral. habemus multas ciuitates muratas, hoc est, curasse, id est, curasse vt mœnibus cingerentur, quibus præposuit viros, qui illas tuerentur, & regerent, curauítque ne horreis, quæ in singulis ciuitatibus extruxit, cibaria deessent ad vitam necessaria, neque in armamentariis scuta, atque hastæ. Vxores habuit decem & octo, & in his Maacha filiam Absalomis, ex qua suscepit Abiam; quem ex omnibus sui loco Regem suffecit, quia magis illum administrando regno putabat idoneum. Præter has, sexaginta concubinas habuit. Ex his porrò viginti octo suscepit filios, & filias sexaginta, & ad finem vsque vitæ cum Ieroboamo pugnauit. Sed cùm hæc fecerit, in quibus aliquid videretur apparere consilij; non tamen ita suam, aut publicam rem administrauit, vt euitaret rudis, aut stolidi nomen. Quod ipse etiam Abias obiecit parenti, à quo appellatus est *rudis, & homo cordis pauidi.* Sed de illo grauius habemus iudiciũ Eccles. c. 47. v. 27. vbi sic de Salomone. *Et dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, & immunitum à prudentia Roboam, qui auertit gentem consilio suo.* 27. *Roboami in rempublicã studium.* *Roboam stultus.* 28.

Quàm impiè vixerit Roboam, gentísque suæ mores non solùm malè viuendi permissa licentia, sed etiam exemplo vitæ pessimo corruperit, paulo antè diximus ad versũ 22. Neque videtur per idoneam pœnitentiam resipuisse: tum quia de illa nihil habemus ex Scriptura; tum etiam, quia obstinati in sua iniquitate animi aliquod apparet in Scriptura vestigium. Nam lib. 2. Paralip. cap. 12. v. 14. fecisse dicitur malum, neque de pœnitentia, aut quærendo Deo cogitasse. *Fecit autem malum, & non præparauit cor suum, vt quæreret Dominum.* Quod esse extremæ impœnitentiæ non obscurum indicium in hunc locum Paralipomenôn putat Abulensis quæst. 21. Hæc sunt quæ de Roboami vita, ac moribus, rebúsque gestis dicere habui. Alia omitto, quæ quia leuiora sunt, non, puto, à nobis lector desiderabit.

IN

# IN CAPVT XV. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*SVCCESSIT in regno Abiam Roboamo parenti, vir planè sceleratus, & impius, dignúsque, qui non vltra triennium regnum obtineret, cui succeſſit Asa parenti suo longè dissimilis. Hic enim effœminatorum sustulit obscœna diuerticula, matrem, quæ sacris præerat Priapæiis, ab illa impurissima præfectura summouit; & terram sibi creditam ab idolorum sordibus latè purgauit. Neque quamdiu vixit, cessauit à bellis, quæ cum Baasa Israelis Rege habuit penè continua, cuius consilia, ac vires accersito mercede Rege Syriæ Benadab, & eluſit sapienter, & compressit feliciter. Ac tandem cùm optimè esset de regno meritus, quod variis ornauit modis, senex dolore pedum extinctus est. Deinde proponitur quid sub hoc tempus acciderit in regno Israel, & præcipuè in domo Ieroboam. Anno secundo Asa, quo tempore Ieroboamus deceſſit, regnauit eius loco filius Nadab, duobus tantùm annis, qui Ieroboami parentis vestigia sequutus, vt regni hæres, sic etiam impietatis, & perfidiæ fuit. Quem per insidias sustulit Baasa de tribu Issachar anno tertio Asa, & iuxta Aiæ verba domum euertit Ieroboami, & Israelis regnum occupauit: cum quo, vt capite præcedenti dictum est, continenter bellum gessit Asa. Fuit autem Baasa consiliorum Ieroboami imitator, & consors, ac populi Israelitici dira labes.*

## CAPVT DECIMVM QVINTVM.

1. IGitur in octauo decimo anno regni Ieroboam filij Nabat, regnauit Abiam super Iudam.

2. Tribus annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Maacha filia Abeſſalom:

3. Ambulauítque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.

4. Sed propter Dauid, dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, vt susciB taret filium eius post eum, & statueret Ierusalem:

5. Eo quòd feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.

6. Attamen bellum fuit inter Roboam & Ieroboam, omni tempore vitæ eius.

7. Reliqua autem sermonum Abiam, & omnia quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda? Fuítque prælium inter Abiam, & inter Ieroboam.

8. Et dormiuit Abiam cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid: G regnauítque Asa filius eius pro eo.

9. In anno ergo vigesimo Ieroboam regis Israel regnauit Asa rex Iuda,

10. Et quadraginta & vno anno regnauit in Ierusalem. Nomen matris eius Maacha, filia Abeſſalom.

11. Et fecit Asa rectum ante conspectũ A Domini, sicut Dauid pater eius:

12. Et abstulit effœminatos de terra, purgauítque vniuersas sordes idolorũ, quæ fecerant patres eius.

13. Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priappi, & in luco eius, quem consecrauerat: subuertítque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in Torrente Cedron.

14. Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis:

15. Et intulit ea, quæ sanctificauerat pater suus, & vouerat, in domum Domini, argentum & aurum, & vasa.

16. Bellum autem erat inter Asa, & Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum.

17. Ascendit quoque Baasa rex Israel in Iudam, & ædificauit Rama, vt non posset quispiam egredi, vel ingredi de parte Asa regis Iuda.

18. Tollens itaque Asa omne argentum & aurum quod remanserat in thesauris domus Domini, & in thesauris domus regiæ, & dedit illud in manus seruorum suorum, & misit ad Benadad filium Tabremon, filij Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens:

19. Fœdus est inter me & te, & inter patrem meum, & patrem tuum: ideo misi tibi munera, argentum & aurum: & peto vt venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baasa rege Israel, & recedat à me.

20. Acquiescens Benedad regi Asa, misit principes exercitus sui in ciuitates Israel,

&

& percuſſerunt Ahiõ,& Dan,& Abeldomũ Maacha,& vniuerſam Cenneroth, omnem ſcilicet Terram Nephthali.

21. Quod cùm audiſſet Baaſa, intermiſit ædificare Rama,& reuerſus eſt in Therſa.

22. Rex autem Aſa nuncium miſit in omnem Iudam,dicens:Nemo ſit excuſatus, & tulerunt lapides de Rama, & ligna eius, quibus ædificauerat Baaſa,& extruxit de eis rex Aſa Gabaa Benjamin,& Maſpha,

23. Reliqua autem omnium ſermonum Aſa,& vniuerſæ fortitudines eius, & cuncta quæ fecit, & ciuitates quas extruxit,nónne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda? Verumtamen in tempore ſenectutis ſuæ doluit pedes.

24. Et dormiuit cum patribus ſuis,& ſepultus eſt cum eis in Ciuitate Dauid patris ſui. Regnauítque Ioſaphat filius eius pro eo.

25. Nadab verò filius Ieroboam regnauit ſuper Iſrael anno ſecundo Aſa regis Iuda:regnauitque ſuper Iſrael duobus annis.

26. Et fecit quod malum eſt in conſpectu Domini, & ambulauit in viis patris ſui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael.

27. Inſidiatus eſt autem ei Baaſa filius A Ahiæ de domo Iſſachar, & percuſſit eum in Gebbethon, quæ eſt vrbs Philiſthinorum: ſiquidem Nadab & omnis Iſrael obſidebant Gebbethon.

28. Interfecit ergo illum Baaſa in anno tertio Aſa regis Iuda,& regnauit pro eo.

29. Cúmque regnaſſet, percuſſit omnem domum Ieroboam: non dimiſit ne vnam quidem animam de ſemine eius, donec deleret eum, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu ſerui ſui Ahiæ B Silonitis,

30. Propter peccata Ieroboam, quæ peccauerat, & quibus peccare fecerat Iſrael: & propter delictum, quo irritauerat Dominum Deum Iſrael.

31. Reliqua autem ſermonum Nadab, & omnia quæ operatus eſt, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael?

32. Fuítque bellum inter Aſa, & Baaſa regem Iſrael,cunctis diebus eorum.

33. Anno tertio Aſa regis Iuda regnauit Baaſa filius Ahiæ, ſuper omnem Iſrael in Therſa,viginti quattuor annis.

34. Et fecit malum coram Domino,ambulauítque in via Ieroboam, & in peccatis eius,quibus peccare fecit Iſrael.

---

# IN CAPVT XV. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII

### Verſ.1. *Igitur octauo decimo anno regni Ieroboam filij Nabath regnauit Abiam.*]

1. REGNAVIT Ieroboamus, vt capite 14. verſiculo 20. diximus viginti duos annos, quare quatuor annos antequam ille regno defungeretur, & vita. Cuius cùm tres annos tantùm durarit dominatus, conſequens eſt, vt poſt Abiæ mortem, vno anno Ieroboamus Iſraeliticum tenuerit imperium. Quomodo verò dicatur nihilominus duobus annis regnaſſe poſt Abiæ mortem, dicemus ſtatim ad verſicul. 19. Quare toto vitæ tempore hoſtem habuit vicinum, & acerrimum, quo cum penè continenter, ſicut antè patet,bellum gereret.

2. Verſ.2. *Nomen matris eius Maacha filia Abeſſalom.*] Multi nomen illud duobus putant eſſe commune, & negant hunc Abeſſalom eſſe Dauidis filium,qui aliter vocatur Abſalom. Sanè Abſalom dicitur libro 2.Paralipomenôn capite 11.verſiculo 21. vbi hæc Maacha filia dicitur Abſalom. Mihi penè certum eſt Abeſſalomem, ſeu Abſalomem iſtum filium eſſe Dauidis. Sic enim Scriptura de Abſalome loquitur,quaſi homine notiſſimo, cùm nullam addat notam, quæ illius genus,ſeu ordinem manifeſtet;quia nempe ex libro ſecundo ſatis erat non ſolùm contribulibus,ſed etiam alienis,ac remotiſſimis notus.Et facit quod Abſalomis mater filia Regis Geſſur Maacha dicebatur: quare A cauſam aliquam habuit Abſalom, cur idem filiæ nomen indiderit. Hoc nomen antea lib.2. Reg. cap.14.v.27. filiæ Abſalomis putabamus eſſe proprium,nam ibi Thamar appellatur,quod exiſtimabamus eſſe cognomentum illi à populo propter eximiam pulchritudinem impoſitum: ſicut etiam putabamus vxorem Ioachim appellatam eſſe Suſannam propter pulchritudinem; Suſanna enim lilium vocatur; & Eſther Ediſſam, quæ vox myrtum valet; vtraque autem planta ſpecioſiſſima eſt. Sic ergo Maacha Abſalomis filia propter egregiam ſpeciem Thamar eſt à populo nominata,quę vox palmam ſignificat.Et eadem fortaſſe de cauſa ſoror etiam Abſalomis, quam oppreſſit Amon, Thamar eſt appellata,cùm aliud nomen priùs habuerit à parentibus inditum. Alius fuit Abeſſalom, & alia Maacha illius filia,de qua ſtatim. B

*Quibuſdam propter pulchritudinẽ ab ſpecioſis plantis inditum nomen.*

Verſ.3. *Ambulauit in omnibus peccatis patris ſui.*] 3. Id penè ſolum habemus de Abia,& quòd toto vitæ tempore,quod ſane fuit exiguum, nẽpe triẽnij, bellũ geſſit cum Ieroboamo.Libro porrò 2.Paral. c.23.oratio refertur grauiſſima, quã habuit Abias, tũ ad ſuos,quos ad aciẽ adduxerat,tũ ad illos, qui cõtra eũ cũ Ieroboamo ex aduerſo cõſtiterãt.Qua ſuos ſic excitauit, vt à Deo ſperarẽt sũma omnia, à quo inimici defecerant impiè,atq; inuerecundè;

& tandem insignem victoriam obtinuerint, in qua ex Ieroboami exercitu quingenta hominum millia desiderata sunt. Quâ clade sic fuerunt decem tribus attritæ, vt per multos annos contra cognatas tribus nihil tentauerint hostile. Hæc in illo cap. 13.

4. Vers. 4. *Sed propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam.*] Dignus erat Abias propter vitam ad Roboami potius impij, quàm ad Dauidis piissimi exemplar institutam, quem Dominus extingueret, neque ex stirpe pessima vllum germen pullulare pateretur, sed tam illi fuit Dauidis iucunda memoria, & tam fidelis illi facta promissio, vt lucernam, id est, præclaram sobolem indulserit scelerato nepoti, nempe Asam, de quo statim multa, & lib. 2. Paralipomenôn cap. 14. 15. & 16. Quid sit lucerna, & cur filij vocentur lucerna parentum, diximus suprà cap. 11. vers. 36. & latiùs lib. 2. cap. 14. ad illud, *Quærunt extinguere scintillam meam.* Neque vnum filium tantùm suscepit Abias, qui lib. 2. Paralip. c. 13. vers. 21. ex quatuordecim vxoribus viginti dicitur habuisse filios, & sedecim filias.

5. Vers. 5. *Eo quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, & excepto sermone Vriæ.*] Quomodo cùm alia Dauid peccata commiserit, in causa tamen Vriæ tantùm declinasse dicatur à præceptis Domini, diximus lib. 1. Reg. cap. 45. à numero 49. neque aliquid succurrit noui, quod addamus.

6. Attamen bellum fuit inter Roboam, & Ieroboam omni tempore vitæ eius. Iam hoc tempore, quo agitur de regno Abiæ, extinctus fuerat Roboam: quare ergo sacer historicus nunc bellorum meminit, quæ toto vitæ tempore inter Roboamum & Ieroboamum commissa sunt. Aliqui putant Roboamum patronymicè pro Roboamide poni, id est, pro Abia, qui Roboamo patre natus est. Est enim hoc & apud sacros, & apud profanos scriptores frequentissimum, vt absque vlla mutatione patronymicè parentum nomina pro filiorum nominibus vsurpentur. Quomodo Dardanus pro Dardanide, Danaus pro Danaide, & Teucri, & Troes millies pro illis, qui à Teucro, & Troë propagati sunt. In sacris sæpe Christus Israel dicitur, & Dauid, quia Dauidis, & Israelis filius fuit. Vide quæ nos pluribus in nostris commentariis super Acta ad illud capite 7. versiculo 16. *Quod emit Abraham pretio argenti.* Vbi hoc ipsum Roboami adduximus exemplum. Vide item nostros commentarios super Ezechielem cap. 34. versiculo 23. ad illud, *seruum meum Dauid.* Neque hæc mihi explicatio displicet. Sed est fortasse alia commodior, si ita accipias. Quia Dauidis Domino accepta merita, & grata memoria, concessit illi lucernam in Israel, id est, posteros, qui regnum tenerent, Israeliticum, sed nihilominus illorum errata noluit esse, etiam dum regnum obtinerent, impunita. Nam Roboam quandiu vixit, nunquam habuit pacatum imperium, cùm à Ieroboamo quotidianis vexaretur insultibus, & idem etiam accidit Abiæ, qui exiguum illud tempus, in quo cum potestate fuit, non habuit à bello, vel à sollicitudine vacuum. In hanc porrò explicationem libentius abeo, quia frustrà priori loco actum esset de Abia Roboamitide, cùm statim de illo in eamdem sententiam futurus esset sermo.

*Nomina patrum patronymicè pro posteris.*

7. Vers. 9. *In anno ergo vigesimo Ieroboam Regis Israel regnauit Asa Rex Iuda.*] Visitatum est in Scriptura sacra, vt annus inceptus aut omittatur interdum, aut sumatur pro cõpleto, ex quo fit vt non idem in Scriptura eorumdem rerum adhibeatur numerus. Anno decimo octauo Ieroboami regnasse dicitur Abias, & eius imperium fuisse triennale. Quare finitum fuisse oportuit anno vigesimo primo Ieroboami, si tres integros Abiæ tribuamus imperio. Sed aut decimus octauus annus Ieroboami imperfectus fuit, & connumeratus Abiæ pro pleno, aut vigesimus imperfectus, quasi plenus foret datus est Asa. Quare verum est à decimo octauo Ieroboami anno triennale fuisse regnum Abiæ, & à vigesimo inchoasse regnum Asa.

*Annus inceptum interdum aut omitti. aut etiam sumi pro cõpleto, in Scriptura vsitatum.*

8. *Nomen matris eius Maacha filia Abessalom.*] Sicut mater Abiæ Maacha dicebatur Abessalomis filia; sic etiam idem nomen habuit vxor Abiæ, & mater Asa, quæ etiam patrem habuit, qui vocabatur Abessalom, qui sanè ab aliis fuere diuersi, licèt vtrisque fuerit commune nomen. Exempla in Scriptura sacra habemus quamplurima. Duæ fuere matres Mariæ nomine, quæ duos habuere filios eiusdem nominis, quorum alter Iacobus Alphæi, alter Zebedæi filius vocabatur. Duo itẽ fuere Salathieles, qui duos item Zorobabeles genuerunt.

9. Vers. 12. *Et abstulit effœminatos de terra, purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerunt patres eius.*] In patribus Salomonem, Roboamum, & Abiam intellige, qui à Salomonis tempore iam infatuati in omne se turpitudinis genus effuderunt. Qui fuerint effœminati paulo antè diximus. Sordes, quæ terram Israelitidem infecerunt, aut fuerunt à libidine vbique venali, aut ab idolorum cultu nefario: vtraque enim dicuntur contaminasse terram cap. 14. v. 22. & 23. hæc autem omnia, cùm primùm potuit, sustulit Asa, fecitque vt neque religionis impiæ, neque libidinis nefariæ vlla manerent in ciuitate vestigia.

10. Vers. 13. *Insuper & matrem suam Maacham amouit ne esset Princeps in sacris Priapi.*] Hanc Maacham ex genere puto natam esse gentilico. Sicut etiam fuit Maacha, ex quo Dauid suscepit Absalomem. Hæc autem Maacha filia fuit Tholmai Regis Gessur, in qua regione videtur illud nomen esse familiare. Hæc igitur Maacha iuxta morem patrium idolorum sacris non solùm interfuit, sicut aliæ mulieres è turba, sed etiam præfuit, tanquam illorum sacrorum Princeps, & Antistes. Vbi Vulgatus *in sacris Priapi*, Hebræus tantùm habet, *ne domina esset, seu princeps*, neque quicquam aliud addit. Fortasse tempore Hieronymi aliquid erat aliud, quod ad inuerecunda Priapi sacra pertineret. Veram, & magis expressam huius loci sententiam habemus lib. 2. Paral. cap. 15. v. 16. vbi eadem omninò verba sunt in Hebraico textu. *Sed & Maacham matrem Asa Regis ex augusto deposuit imperio, eo quòd fecisset in luco simulacrum Priapi.* Neque dubium est hanc fœminam ex augusto loco fuisse deiectã propter idoli fabricam, & illius sacris præfuisse, quorũ ipsa fuisset auctrix, vt hoc loco habet vulgata trãslatio Hebraicè pro *Priapi* מפלצת *miphleseth*, quæ idolum significat, quod obseruantiam erga se, atque terrorem excitat, & ideo fortasse Hieronymus Priapum reddidit, quia ille est custos hortorum, & auiculas terret, & latrones specie quadam flagitiosa arcere existimatur. Neque leue Hieronymo argumentum fuit, quòd statim simulacrũ illud fuisse dicitur turpissimum; quod de nullo magis, quàm de Priapo affirmari potest. Sanè Priapum appellari formidinem dixit Horatius lib. 1. Satyr. 8. apud quem sic Priapus: *Deus inde ego furum, auiumque maxima formido.* Huic igitur idolo, quodcunque sit, lucum dicitur consecrasse Maacha, cui ne præesset, sicut antea, prohibuit filius.

*Principi cultus apud Hebræos.*

11. *Idolorum cultus in locis subterraneis & obscuris.*

*Subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.*] Impura quædam Gentilium sacra in locis fiebant subterraneis, aut certè sic abditis, & obscuris, vt in illis quoduis exerceri posset impurum, quæ non tam sacraria debuerint, quàm libidinis appellari diuerticula. Talis hîc videtur fuisse specus, in quo digna Priapo sacra peragi solita non est improbabile. De sacris Priapi vide Abulens. quæst. 11. Vnde intelligi potest quàm fuerit pudica Abiæ vxor, eadémque mater Asa, cùm præesse voluerit impurissimis sacris, & illud opus, & sua auctoritate, & suæ impurissimæ vitæ exemplo fouere. Quámque ab omni puritate, & pietate alienus fuerit Abias, qui ab vxore, eadémque Regina talia institui, atque administrari permiserit. Torrens Cedron adiunctus erat Hierosolymæ, in quo confractum, atque redactum in cineres fuit simulacrum illud inuerecundum Priapi; quod sanè ligneum fuit, & fortasse ficulneum, quale fuit illud, de quo Horatius suprà. Quod item fecit Iosias libro quarto Regum capite vigesimo tertio, versiculo sexto, quia has huiusmodi immunditias combussisse dicitur in conualle Cedron. Ex quo colligere mihi videor simulacrum esse in vrbe regia, quæ cùm sit totius regni cor, & caput, argumento est regnum totum, quod quasi corpus à corde, & capite sensum habet, & vitam, esse corruptum. Neque fortasse erraret, qui in templo, quod sibi Dominus proprium elegit domicilium, collocatam Priapi turpissimam imaginem crederet; sicut alias variis temporibus locatas esse legimus. Vide quæ hac de re in nostris commentariis super Ezechielem adduximus. Sanè lib. 4. Regum cap. 23. fuisse traduntur in templo deorum simulacra, effœminatorum ædiculæ, & quæ in excelsis, & lucis destinari solent religioni gentilicæ.

12. *Excelsa qua.*

Vers. 14. *Excelsa autem non abstulit.*] Excelsa dicuntur altaria, seu delubra in præaltis montibus excitata, quæ vanis idolorum sacris seruiebant, & quæ religionis ergo statis tẽporibus abierunt, qui gentilicis se moribus imbuerant. Hoc verò peccatum Asa cum multis aliis Regibus commune fuit, qui cũ alia sustulissent siue lustra religionis impię, siue lenocinia, ab excelsis tamẽ manus alioqui religionis vindices abstinuerũt. Aut quia ausi nõ sũt magnæ populi in eã religionẽ intenti multitudini repugnare, aut quia quod fiebat in montibus occultum, non existimabatur grandem populo allaturum perniciem. Sed videtur dicendum cum Abulensi quæst. 10. & quæst. 13. & 14. abstulisse Asa excelsa omnia, succidisse lucos, & euertisse religionis gentilicæ impura sacraria, vt habemus libro 2. Paralipomenôn cap. 14. versiculo secundo. *Subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa, & confregit statuas, lucósque succidit.* Reliquit tamen fana, quæ ad montem Oliuarum fabricauerat Salomon, quæ multis pòst annis diruit Iosias lib. 4. Regum c. 23.

13. *Cor Asa perfectum erat cum Domino omnibus diebus suis.*] Non satis cum his videtur consentire, quod de Asa traditur libro secundo Paralipomenôn, capite 16. versiculo decimo. Vbi de eo ea narrantur, quæ nemo posset à peccato vendicare, vt quòd Prophetam, qui à Domino Regi aduersa nunciauerat, in neruum compegerit, quòd de populo, dum suo obsequitur furori, multos occiderit. Huic ergo obiectioni respondeo peccasse quidem Asa, quod negabit nemo; non tamen defecisse à Deo, & ad idola colenda defluxisse; & quoad hanc partem videri cum Deo ambulasse perfectè ita Abulensis quæst. 18. Quomodo Eccles. 49. versiculo quinto præter Dauidem, Ezechiam, & Iosiam omnes dicuntur peccauisse; quia videlicet non coluerunt gentium simulacra: nam Dauidem peccasse, idque non leuiter sacræ produnt historiæ. In horum autem numerum non venit Asa, quia excelsa non abstulit, quod fecerunt alij tres, sed reliquit vbi homines sacrificiis nefariam operam darent in fanis, vt diximus, à Salomone constructis; illa verò non diruit Ezechias, vt putat Abulensis quæst. 15. quia suo tempore illa fana non erant populis scandala, quia tunc in illis fiebat nihil in idolorum cultum, sicut cùm regnaret Asa, & longo pòst tempore Iosiæ, quæ eam ob causam subuertenda curauit.

Vers. 15. *Et intulit ea, quæ sanctificauerat Pater suus, & vouerat in domum Domini.*] Incertum est quænam fuerint, quæ priùs sanctificauerat, seu vouerat Abias, in cultum videlicet, & sumptus sacrificiorum, seu templi. Abulensis quæst. 17. coniectat eo tempore vouisse, id est, sanctificasse, & destinasse templo ea, quæ filius postea religiosè præstitit, cùm dimicandum fuit cum Ieroboamo eo prælio, in quo Israelis vires attritæ sunt, & fracti insolentes antea Ieroboami spiritus. Et quãdo hîc agendum coniecturis, Abulensis coniectura mihi non displicet. Quæ porrò fuerint hæc vota, habemus 2. Paralip. cap. 15. v. 18. vbi sic de Asa, *Eaque quæ vouerat pater suus, intulit in domum Domini, argentum, & aurũ, vasorúmque diuersam supellectilem.* 14.

Vers. 16. *Bellum autem erat inter Asa, & Baasa Regem Israel cunctis diebus eorum.*] Ex quo ab Abia, facta illa ingenti Israelis strage, attenuatæ sunt inimicorum vires, cessatum est à bellis multis annis, neque quicquam intentatum est ab Israele contra Asam ad annum vsque 36. imperij illius, vt habes libro secundo Paralipomenôn capite 15. versiculo 19. *Bellum verò non fuit vsque ad trigesimum quintum annum regni Asa.* & statim capite 36. in principio, *Anno autem trigesimo sexto regni eius, ascendit Baasa Rex Israel in Iudam.* Ex hoc autem tempore non ausi sunt Israelitæ quicquam contra duas tribus Iuda aduersum moliri: at ausi sunt Æthiopes anno Asa decimo ex libro 2. Paralipomenôn capite 14. quos debellauit exitu felicissimo, Deo pro ipso dimicante, de qua victoria planè prodigiosa, cùm ad illum locum venerit commentatio, fusiùs agemus. 15.

Sed hærent hîc interpretes dum non vident quomodo Baasa Rex Israel cum Asa Rege Iuda congredi potuerit, anno illius trigesimo sexto, cùm multo antè illud tempus interierit. Quod ex eo liquet, nam Baasa regnum caput Israel anno tertio Asa, neque supra annos 24. regnum produxit, vt constat ex hoc ipso capite v. 33. quare decessit anno Asa 27. nempe nouem annis ante annum, in quo dicitur longum cum Asa bellum suscepisse. Multa hîc fingunt, & meditantur interpretes. Lyra in lib. 2. Paralip. cap. 16. trigesimum sextũ annum, in quo bellum Baasa tentasse dicitur Asã, non numerat à regno Iuda primùm inito, sed à victoria, quam de Zara Rege Æthiopum consecutus est, cuius ea posset ostendi ratio, quia cùm tunc gloriam apud omnes obtinuisset eximiam, tunc se primùm regnare putauit, quando visus est dignus imperio. Hanc opinionem Lyra optimè confutat: Abulensis in illud capite Paralip. 16. quæst. 3. & Dionysius ibidem. Alij cùm ab hac difficultate exitum non inueniant, ad illud sese perfugium cõferunt, quod extremũ habet desperatio 16.

Dicunt enim cap. 1. v. 1. lib. 2. Paralip. corruptum esse textum, & pro trigesimo sexto, legendum esse vigesimum sextum annum. Ita putant Caietanus hic, & Dionysius. Ioannes Lucidus lib. 2. de emendatione temporum cap. 9. Canus libro 11. locorum Theologicorum ad argumentum in duodecimum; & eodem modo extremam partem capitis 14. dicunt esse corruptam, vbi dicitur bellum non fuisse, scilicet à Regibus illatum Israelis vsque ad 35. annum Regis Asa, vbi legendum esse dicunt annum 25.

17. Antequam meam sententiam aperio, quod sit meum de hac posteriori iudicium, paucis ostendam. In primis illam expediendi nodi rationem, quæ ad sacrorum codicum corruptionem confugit, non esse vbique admodum piam, maximè cùm de vulgata translatione facta ab Ecclesia fuerit tam seuerum examen. Quare optimè Emanuel Sa, cùm huius solutionis meminisset, addidit, *Ego id non ausim dicere.* Secundò dico, hac sua mutatione, aut, vt ipsi dicunt, restitutione loci corrupti nihil hos autores efficere: neque enim ad hunc vigesimum quintum annum Asa peruenire potuit Baasa, ita vt longum cum Asa bellum gerere potuerit: quod videtur facer textus ostendere, dum ait versiculo 32. *Fuitque bellum inter Asa, & Baasa Regem Israel cunctis diebus eorum.* Porrò mortuum fuisse Baasa anno vigesimo sexto Asa, idque, vt est verisimile, in initio, satis constat, vt habet statim capite 16. versiculo octauo. *Anno vigesimo sexto Asa Regis Iuda, regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis.* Ex quo aliud mihi argumentum sumo, vt probem in principio anni vigesimi sexti mortuum esse Baasa, nam filius illius Ela, qui regnasse dicitur, vtique patre mortuo, duobus annis ibidem, statim numero decimo occisus esse traditur anno 27. Asa. Ex quo fit eodem anno inchoatum esse, atque finitum bellum inter Asa, & Baasa, contrà quàm modus loquendi Scripturæ sacræ significat.

18. Mihi placet quod visum est primùm doctoribus Hebræorum in Seder-Olam, trigesimum sextum annum non esse numerandum ab eo tempore, in quo regnum iniit Asa, sed ab eo, in quo decessit Salomon, id est, in quo diuisum fuit regnum, & duo ex vno constituta regna. In hunc sensum, in anno trigesimo sexto, ex quo exordium cœpit regnum Iuda, quod idem est atque regnum Asa, quia tunc illud Asa moderabatur, Hæc cogitatio omnia vitat incommoda, quæ alij plus satis curiosè deprehendisse se putant, neque aliquid est à litera distortum: illud enim, *Anno autem trigesimo sexto regni eius (* nempe Asa *) ascendit Baasa*, hunc habet sensum procliuem, & facilem: Anno trigesimo sexto regni Iuda, cuius eo tempore Asa gubernaculum tenebat. Ita tenent, vt dixi, Hebræi in Seder-Olam capite 16. Mariana hîc. Torniellius ad annum mundi 3094. Iuxta quam numerandi rationem hoc bellum incepit anno 16. ex quo primùm regnum suscepit Asa. Nam ab exordio regni Iudæ, id est, à primo anno Roboam, interceßere anni septemdecim, tres Abiæ, si ex regno Asa sedecim sumas, numerum trigesimum sextum implebis. A decimo sexto anno vsque ad vigesimum sextum Asa, in quo Baasa ex regno, & vita discessit, satis spatij fuit, vt verè, & iuxta hominum consuetudinem dici possit bellum fuisse inter Asa, & Baasa cunctis diebus eorum.

19. Vers. 17. *Et ædificauit Ramah, vt non posset* A *quispiam egredi, vel ingredi.* ] Ramah in finibus erat Benjamin, vt constat Iosue 18. & non procul à Ierusalem, quæ sita est in ipso duarum tribuum confinio, ita vt vel sit communis vtrique tribui, sicut Ierusalem partem occupat Iuda, partem Benjamin; aut certè Ephraimitarum terminos proximè contingit. Hoc posterius minùs mihi difficile est, videtur enim esse in montium angustiis hæc ciuitas, quas Latini fauces, Græci Pylas vocant; quæ hominibus ad vlteriora aditus aperiunt: aut è superiori loco imminere angustiis, vt facilè ab illis faucibus excluſum viatorem aditu prohibeat. Multæ huiusmodi fauces inueniuntur, quæ maximo regnis existimantur esse munimento, vt in Alpibus, Pyrinæis, Amanno, Apennino. Baasa igitur vrbem Ramah, B si ad ipsius ditionem pertinebat, muniuit, voluitque esse Israelitici regni claustrum & hoc constat ex libro secundo Paralipomenôn capite 16. versiculo primo, & arcem fortasse construxit, quæ immineret viarum angustiis, ne vllus ex decem tribubus transfugeret ad Iudam, aut ex Iuda ad Israelis regnum impunitus irrumperet.

Vers. 18. *Tollens itaque Asa omne argentum, &* 20. *aurum.* ] Ante hoc tempus iam confecerat Asa exitu felici bellum cum Zara Rege Æthiopum: nunc verò cùm videret nouis rebus studere Baasa, & ex noua substructione magnum aliquid coniectaret aduersarium moliri, externum voluit auxilium accersire. Quare sumpsit quidquid argenti, & auri reliquum erat, tam in domo regia, C quàm in domo Domini; illúdque per legatos trãsmisit Damascum, vbi tunc agebat Rex Syriæ Benadab, quo illum conciliaret sibi, & ab Israelis Regis studiis auerteret.

Vers. 19. *Fœdus est inter me, & te, & inter pa-* 21. *trem meum, & patrem tuum.* ] Rex Syriæ Benadab cum duobus sibi finitimis Regibus fœdus inierat sociale, vt apertè constat ex hoc loco. Quare meritò timere poterat Asa, ne Benadab alterius Regis faueret partibus, & hostem haberet prorsus insuperabilem. Atque ideo præuertit antagonistæ sui maturè consilium, & missis muneribus, quæ ad conciliandos, aut etiam expugnandos animos potentissima sunt, auertere studet ab aduersarij par- D tibus Syriæ Regem, & associare suis, quod tandem obtinuit.

Vers. 20. *Acquiescens Benadab Regi Asa, misit* 22. *Principes exercitus sui in ciuitates Israel.* ] Violato Benadab pacto, quod quondam cum Rege Israelis inierat, vt ab ædificanda Ramah, obtinendísque Iudæ, atque Israelis faucibus abduceret, finitimas prouinciæ suæ partes bello tentauit, illas nempe, quæ ex decem tribubus ad Aquilonarem plagam pertinerent, ex quibus occupauit non paucas ex terra Nephthalim. Quod vbi primùm comperit Baasa, intermisit opus quod aggressus fuerat, vt hostiles copias, quas Syrus inuexerat, à suis finibus auerteret, & re facta rediit in Thersa Israeliti- ci regni primam sedem.

Vers. 22. *Rex autem Asa nuncium misit.* ] Cùm 23. E copias ex montium angustiis abduxisset Baasa, edixit Asa subiectis sibi tribubus, vt omnes quamprimũ aduolarent, vt dũ per hostium discessum, & temporum opportunitatem liceret, illa disiiceret, quæ Baasa pro sui regni firmamento construxerat, quod ardenti populorum studio breui perfectum est, & omnem materiam tam cæsam, quàm rutam ad Gabaa Benjamin, & Maspha transtulit, quas à re diuina materia in eumdem vsum extruxit,

&

& muniuit, in quem Ramah proximè ædificare tentauerat Baasa.

24. Vers. 23. *Reliqua autem omnium sermonum Asa.*] Multa hoc loco prætermittuntur, quæ in antiquos annales Regum Iuda relata fuerant, quæ tamen hoc tempore non extant, sed multa habemus ex lib. 2. Paralip. cap. 14. vbi refertur bellum feliciter gestum cum Æthiopum Rege; & cap. 15. vbi se patriæ religionis studiosum ostendit; & cap. 16. vbi aliqua illius errata commemorantur, quæ nos eo loco fusiùs exponemus.

25. *Verumtamen tempore senectutis suæ doluit pedes.*] Morbus iste lib. 2. Paralip. cap. 16. dicitur fuisse vehementissimus, qui tribus annis videtur Regem alligasse lecto, nam trigesimo nono regni sui anno decubuit, &, vt paulo antè diximus, quadraginta vnum regnauit annos. In eo autem grauiter reprehenditur, quòd in eo, quo laborauit tandiu, qui non alius videtur esse, quàm podagra, non tam quæsiuit Dominum, à quo sperari potuit, & debuit corporis sanitas, quàm medicorum artem, & industriam; sicut etiam, vt proximè vidimus, auxilium potius petiit à Benadab contra Regem Baasa, quàm à Deo: propter quod ab Hanani Prophetа acerbissimam reprehensionem audiuit.

26. Vers. 24. *Et dormiuit cum patribus suis.*] Cap. 16. lib. 2. Paralip. illius honesta tumulatio describitur, vbi conditus esse dicitur aromatibus, & meretriciis vnguentis, de quo postea latiùs, cùm ad illum locum ventum fuerit. Interim vide quæ diximus in nostris commentariis super Ieremiam, ad illud cap. 34. v. 5. *Secundùm combustiones patrum suorum.*

27. Vers. 25. *Nadab verò filius Ieroboam regnauit super Israel anno secundo Asa.*] Quia duo regna Israel, & Iuda vicina sunt, & ex eodem propagata semine, sempérque aut amicitiæ, & societatis gratia; aut infensis animis, & hostilibus odiis, & castris congressa, ideo noster historicus vtraque regna narratione consociat. Regnauit Asa Rex Iuda annos quadraginta vnum. In hos verò inciderunt

*Qui Reges regnant in Israel tempore Asa.*

A Reges multi, qui imperium tenuerunt Israeliticum eodem tempore. Primus omnium fuit Ieroboamus, qui viginti ac duobus annis regnauit, & decessit anno primo, aut iam inchoato anno secundo Asa. Huic successit Nadab, qui anno secundo Asa in regnum successit loco parentis Ieroboami suffectus, qui non amplius biennio cum potestate fuit. Nã cùm Gebbethon Philistinorum vrbem obsideret, occisus est per insidias à Baasa, qui genus ducebat suum ex familia Issachar. Hic porrò Baasa regnum obtinuit anno Asa tertio, produxítque ad annum illius 26. cùm annos regnaret viginti quatuor. Eodem anno, quo decessit Baasa, successit eius loco filius Ela duobus annis, ad annum videlicet Asa vigesimum septimum. Ex hoc tempore ad finem vsque vitæ Asa fuerunt B duo alij Reges Israel Zambri, & Amri, & Achab, de quibus postea. Quare in regnum Asa super Iudam sex incurrerunt Reges Israel, de quibus postea nobis pluribus necessariò agendum est.

Vers. 26. *Et fecit quod malum est in conspectu Domini.*] Dum patris potius exemplar, quàm diuinam legem intuetur Nadab, & ipse sceleratus fuit, & quod scelerati solent Reges, aliis de populo ad peccandum facultatem fecit, & aluit audaciam. Quare non diu vixit: Nam Baasa, vt diximus, in obsidione Gabathon illum per insidias occidit. 28.

Vers. 29. *Cúmque regnasset, percussit omnem domum Ieroboam.*] Impleuit Baasa quod Dominus per Aiam Silonitem Ieroboamo, & illius vxori minatus fuerat cap. 14. v. 10. Nempe clausum, & nouissimum ex domo Ieroboami esse perituros, neque vllas ex tanta familia futuras esse reliquias. G Quæ reliqua sunt huius capitis paulo à nobis antè explicata sunt: quomodo videlicet bellum gesserit Baasa contra Asa, illúdque cepisse anno Asa 36. Hîc additur ad extremum Baasa eumdem tenuisse vitæ modum, quem olim Ieroboam, præbuisséque populo, dum ipse à lege procul aberrat, peccandi licentiam, & audaciam. 29.

---

# IN CAPVT XVI. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*QVM mores sequeretur Ieroboami, cuius deleuerat domum Baasa, illi Deus per prophetam non minora, neque leuiora prædicit infortunia, quàm antè Ieroboamo per Aiam. Rex autem tam seueræ reprehensionis impatiens Prophetam interfecit, neque illi diu superstes fuit. Cui successit Ela, qui duobus tantùm annis regnum obtinuit Israelis: nam cùm vino in aliena domo incaluisset, Zambri vir in illius exercitu princeps, incautum occidit, & domum Baasa funditus euertit. Neque supra septem dies regno, quod per insidias occuparat, potitus est. Exercitus enim Ela, cùm audiisset interfectum esse Regem à Zambri, elegit sibi Regem Amri, qui erat militiæ princeps, qui statim totam aciem conuertit in Zambri, qui cum ex illis angustiis non speraret effugium, occupauit mortem igne sponte combustus. Cúmque pars altera populi, quæ non erat in castris, alium sibi Regem constituisset Thebni, dissectus est in duas factiones populus; illa verò fuit in ea contentione superior, quæ fauebat Amri, qui duodecim regnauit annis in Israel, nihilo melior, quã Reges alij. Cui successit Achab superiorib. Regibus longè peior, qui & vitulos coluit aureos, & inductus ab vxore Gẽtili, genere Sidonia Iezabele, deos præterea gentilicos in Israelẽ inuexit.*

*Quo tempore ædificata fuit Jericho, quod Dominus per Iosue, ne fieret, seueri supplicij denunciatione cauerat.*

## CAPVT DECIMVM SEXTVM.

1. FActus est autem sermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baasa, dicens:

2. Pro eo quòd exaltaui te de puluere, & posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Ieroboam, & peccare fecisti populum meum Israel, vt me irritares in peccatis eorum:

3. Ecce, ego demetam posteriora Baasa, & posteriora domus eius: & faciam domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat.

4. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cæli.

5. Reliqua autem sermonum Baasa, & quæcúmque fecit, & prælia eius, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

6. Dormiuit ergo Baasa cum patribus suis, sepultúsque est in Thersa: & regnauit Ela filius eius pro eo.

7. Cùm autem in manu Iehu filij Hanani Prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum eius, & cõtra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, vt fieret sicut domus Ieroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Iehu filium Hanani, prophetam.

8. Anno vigesimo sexto Asa regis Iuda, regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis.

9. Et rebellauit contra eum seruus suus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa.

10. Irruens ergo Zambri, percussit & occidit eum anno vigesimo septimo Asa regis Iuda, & regnauit pro eo.

11. Cúmque regnasset, & sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos eius.

12. Deleuítque Zambri omnem domum Baasa, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Iehu prophetæ,

13. Propter vniuersa peccata Baasa, & peccata Ela filij eius, qui peccauerũt, & peccare fecerunt Israel, prouocãtes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.

A 14. Reliqua autem sermonum Ela, & omnia quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

15. Anno vigesimo septimo Asa regis Iuda, regnauit Zãbri septẽ diebus in Thersa: porrò exercitus obsidebat Gebbethon vrbem Philistinorum.

16. Cúmque audisset rebellasse Zãbri, & occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris.

B 17. Ascendit ergo Amri, & omnis Israel cum eo, de Gebbethon, & obsidebant Thersa.

18. Videns autem Zambri quòd expugnanda esset ciuitas, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia: & mortuus est.

19. In peccatis suis, quæ peccauerat faciens malum coram Domino, & ambulãs in via Ieroboam, & in peccato eius, quo fecit peccare Israel.

20. Reliqua autem sermonum Zambri, & insidiarum eius, & tyrannidis, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum re-
C gum Israel?

21. Tunc diuisus est populus Israel in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, vt constitueret eum regem: & media pars Amri.

22. Præualuit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortúúsque est Thebni, & regnauit Amri.

23. Anno trigesimo primo Asa regis Iuda, regnauit Amri super Israel, duodecim annis: in Thersa regnauit sex annis.

24. Emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti: & ædificauit
D eum, & vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam.

25. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum.

26. Ambulauítque in omni via Ieroboam filij Nabat, & in peccatis eius quibus peccare fecerat Israel: vt irritaret Dominũ Deum Israel in vanitatibus suis.

27. Reliqua autem sermonum Amri, & prælia eius quæ gessit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

28. Dormiuítque Amri cũ patribus suis, & sepultus est in Samaria: regnauítque A-
chab filius eius pro eo.

29. Achab

29. Achab verò filius Amri regnauit super Israel anno trigesimo octauo Asa regis Iuda. Et regnauit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti & duobus annis.

30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum.

31. Nec suffecit ei vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat: insuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, & seruiuit Baal, & adorauit eum.

32. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificauerat in Samaria,

33. Et plantauit lucum: & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel, super omnes reges Israel qui fuerunt ante eum.

34. In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel, Iericho: in Abiram primitiuo suo fundauit eã, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius: iuxta verbũ Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filij Num.

# IN CAP. XVI. LIB. III. REGVM COMMENTARII

*Factus est autem sermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baasa.*]

1. IN fine præcedentis capitis actum est de Regibus Israel, qui Ieroboamum consecuti sunt. Nunc idem facer historicus institutum persequitur, & ne obscurior fiat Regum Iuda institutus sermo, qui cum Regum Israel plurimùm narratione contexitur, alios adducit Reges Israel, qui σύγχρονοι fuerunt Asa, & non solùm animis, sed etiam studiis, & castris aduersarij. In fine legimus Baasa nihilo meliorem Ieroboamo extitisse, sed licèt ab eius dissideret partibus, eósque ad mortem vsque hostiliter oppugnaret, ab illius tamen non recessisse vestigiis, sed fouisse impietatem constanter, quam in Gentem sibi creditam Ieroboamus inuexerat. Quare sicut Aias Silonites extinguendum esse dixit Ieroboami nomen cum familia; sic etiam nunc missus à Domino Iehu filius Hanani eadem prædixit Baasa illiúsque familiæ, ac posteris infortunia. De hoc Iehu, nisi hoc loco, nihil in Scriptura sacra legimus. Illud certum fuisse Prophetam, quia, vt vides, afflatus à Domino futura prædixit: certum item non fuisse illum Iehu, à quo lib. 4. Regum Israel: nam & ille filius dicitur esse Iosaphath filij Namsi, hic autem Hanani, quem Baasa, vt statim dicemus, propter acerbum nuncium interfecit. Creditur autem filius esse Hanani illius Prophetæ, qui Regi Asa lib. 2. Paral. cap. 16. durum à Domino pertulit nuncium, propter quod in neruum dicitur esse compactus. Ita Abul. q. 2. & Lyra, Dionysius, & Hugo.

*Beneficia augent ingrati crimẽ.*

2. Vers. 2. *Pro eo quòd exaltaui te de puluere.*] Beneficiorum commemoratio plurimum auget immemoris, atque ingrati animi crimen. Quare Deus cùm aliquem seuerius reprehendit, oblata priùs beneficia sæpiùs amplificat. Sic per Samuelem Saulem, per Natham Dauidem, per Aiam Silonitem Ieroboamum; per Hanani Asa: sic nunc Baasa graui beneficiorum commemoratione cõpungit. Cui quia pro gratia, & humili obsequio, inducta, aut instaurata religione noua, iniuriam rependit, talia minatur infortunia, qualia nuper ipsius Baasa manu Ieroboamus pertulit. Neque verbis fides, aut pondus abfuit: nam breui eamdem tam ipsi, quàm posteri fortunam sunt experti quam illis propheticum indixit vaticinium. Illud *exaltare de puluere*, extremam significat conditionem illius qui ex puluere excitari dicitur: In puluere enim sedere dicũtur miseri, abiecti, sordidi, quíque extrema naturæ patiuntur incommoda. Existimo dicendi modum haud dubiè prouerbialem ex ea consuetudine sumptum esse, qua sponsa fingitur esse in puluere, aut puerperij sanguine relicta, & inde excitata à sponso, & ad regium vsque thalamum prouecta. Qua de re nos pluribus ad illud Cant. cap. 8. *Sub arbore mala suscitaui te.* & multo accuratiùs in c. 16. Ezechielis & lib. 1. Reg. c. 2. ad illud, *suscitat de puluere egenum.*

*Ex planta varia ad generis propagationem metaphora.*

3. Vers. 3. *Ego demetam posteriora Baasa, & posteriora domus eius.*] Sententia non obscura: tantùm enim significatur hac dicendi forma, quæ adagialem item habet speciem, neque diuturnam in Baasa familia futuram esse fortunam regiam; imò neque longam domus, aut amplam futuram successionem. Ita vt breui ingratæ, atque immemoris domus extinguatur nomen, quod homines omni studio, atque opera æternum esse cupiunt. Metaphora difficilis non est, sumitur enim à planta, & à vite, præsertim, quæ ramos circumquaque diffundit, qui instar habent filiorum. Sanè à vite, seu planta multa ad familiæ, generísque propagationem desumuntur. Primùm, sicut in vite germinatio palmitum, sic in familia fœcunda, soboles propago nominatur. Deinde stirps ex qua rami pullulant, & crescunt, nomen dedit generi, ex quo familia propagatur. Sanè familia Israel vsque ad mare dicitur extendisse palmites suos, & propagines suas vsque ad mare. Dum ergo dicuntur posteriora Baasa, &, quod per epexegesim in eamdem sententiam iteratur, posteriora domus eius demetenda, nihil aliud dicitur, quam nullam ex ea familia futuram esse posteritatem, & sicut plantam stirpitus, sic domum Baasa funditus esse delendam.

4. Vers. 7. *Ob hanc causam occidit eum, hoc est, Iehu filium Hanam Prophetam.*] In Hebræo, & apud septuaginta tantùm est, *ob hanc causam occidit eum*: reliqua addita sunt ab interprete explicationis gratia, quod facit sæpe, cùm aliquid est dubium, aut aliquid arcani latet in peregrina voce, vt Genes. 35. *Benoni* dixit significare *filium doloris*, & Benjamin *filium dexteræ*. Exod. 12. Phase *transitum Domini*, & c. 16. Manhũ, *quid est hoc*. Sic etiam cùm hîc esset non admodum expeditum, quísnam esset, qui

hoc loco occisus esse traditur, interpres noster addidit cœlesti absque dubio illustratis lumine, occisum fuisse Iehu Prophetam. Hebræi hæc referunt ad Cædam Nadab, quem per insidias interemit Baasa in obsidione Gebbethon, ita vt duplici de causa dicatur sumptum esse supplicium, & quia vanam religionem confirmauit, & fouit, & quòd Dominum suum Nadab, cuius salutem tueri debuerat, interfecit. Ita putant alij ex nostris, Lyra in libro differentiarum ad hunc locum, Caietanus, Vatablus. At rectè exposuisse vulgatum, præter summam autoritatem, quam habet ab Ecclesiæ iudicio, probat, quia non antecesserat, nisi admodum longè nomen *Nadab*, quod referre posset pronomen *eum*. Respondent illi in Ieroboamo patronymicè intelligi Nadab, aut certè in Nadab occiso, occisum videri Ieroboamum, quia in illo stirpitus excisa est Ieroboami tota familia. Non nego hunc dicendi modum vsitatum esse in Scriptura, & eo in rebus dubiis vti sacros interpretes, vbi aliqua grauis difficultas vrget; sed hîc nullam video, quæ nos ad figuratam dicendi formam abire compellat, & deserere propriam. Neque iam quæstioni locus est homini pio, quando sacra Ecclesiæ intercedit autoritas.

5. Sed contra hanc sententiam grauis vrget ratio ex lib. 2. Paral. c. 19. v. 2. vbi occurrisse dicitur Iosaphath Iehu filius Hanani videns. Quod sanè fieri nullo posset modo, si occisus foret à Baasa, cum Iosaphath aliquandiu post hæc tempora regnare cæperit. Hîc ego libentiùs fatebor, aut Hanani Prophetæ duos esse filios eiusdem nominis, aut duos esse patres vocatos Hanani, qui totidem habuere filios appellatos Iehu. Nam illud improbare, quod probatum videmus ab Ecclesia, audacis est ingenij, & parum pij.

6. Vers. 8. *Anno vigesimo sexto Asa Regis Iuda, regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis.* ] Sicut Nadab Ieroboami filius anno secundo regni sui occisus est à seruo, in quo Ieroboami familia tota periit, sic vt Baasa supplicium esset non absimile, secundo anno postquam regnare cæpisset illius filius Ela à seruo quoque ipsius interfectus est. Cùm enim in Thersa Israelitici regni prima sede poculis indulgeret intemperatiùs, ac tandem iam esset temulentus, irrupit Zambri seruus Ela, qui dimidiæ equitatus parti præerat, & illum incautum, & securum oppressit.

7. Vers. 11. *Percussit omnem domum Baasa, & non reliquit in ea mingentem ad parietem.* ] Hic dicendi modus extremam indicat vastitatem, vt alio loco diximus, qua in re sicut Baasa proximè audierat à Propheta, eodem, quo Ieroboami, ipsius quoque domus exitio interiit.

8. Vers. 15. *Regnauit Zambri septem diebus in Thersa.* ] Cùm secum equestre agmen attulisset Zambri, cui ipse à Rege fuerat præpositus, quod ad regij corporis custodiam videtur esse deductum, facile fuit Regem inermen, & imparatum opprimere; non diu tamen parato per insidias regno frui licuit. Nam licèt à cognitis Ieroboami pateretur nihil, quos omnes eadem, qua Regem celeritate atque impetu ad vnum sustulit; tamen vbi primum exercitus, qui tunc obsidebat Gebbethō extinctum esse Regem audiuit, & Zambri illius sibi nomen, & locum vsurpasse, damnauit infidelis serui sceleratam audaciam, & de nouo eligendo Rege secum ipse deliberat. Ac tandem principem militiæ Amri Regem magna omnium ordinum conspiratione conclamat. Qui confestim totam aciem corripuit contra Zambri, vt Regis insidiosè sublati vlcisceretur cædem. Qui cùm angustè premeretur, & euadere se posse ex eo conflictu desperaret incolumem, tutiùs existimauit, & ambitiosa cogitatione deceptus magis honestum, si seipsum sua manu perimeret, quàm si hosti cum iugulo victoriam præberet. Quare animum sumpsit ex desperatione, & quod hostis ageret, id in seipsum negotium anteuertit: ergo cùm capi ab hoste ciuitatem videret, regiam incendit domum, in qua seipsum cum illa combussit. Quid spectaret dum sibi mortem vltrò immaturam accersit, diximus suprà, ne videlicet hosti suæ cædis gloriam relinqueret, & illam effugeret ignominiam, quæ necessario esset in conspectu exultantis inimici subeunda. Quam alij in omni ferme ætate non pauci rationem inuenere euitandi dedecoris. Sic sanè paulo antè Saul, ne ludibrio esset Palæstinis, in sua sibi viscera ferrum adegit. Idem fecisse traditur Sardanapalus, qui vt refert Iustinus lib. 1. *Victus in regiam se recepit, vbi extructa pyra, se, & diuitias suas in incendium mittit; hoc solo imitatus virum.* Quod item Iosepho teste, & scriptore lib. de bello 3. cap. 14. fecere Iudæi, qui ne in potestatem Vespasiani venirent, mutua se cæde peremerunt: tantùm apud illos valuit pudor, & ambitio. Fecere hoc ipsum apud Hispanos olim Numantini, quibus ne victoria insolens Romanus illuderet, sibiipsis veneno, aut ferro, aut etiam incendio vitam ademerunt. Neque mirum, si id viri aliquando tentarint cùm imbellis fœminarum sexus pudoris, atque honestatis amans, mortem non horruerit. Nam ne quid eiusmodi ab hoste victore Teutonicæ fœminæ subirent, suffocatis, elisisque infantibus suis, vt autor est Florus lib. 4. cap. 4. aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto ab arboribus, iugisque plaustrorum pependerunt.

*Zambri regnum, & mors.*

*Multi vt ignominiam effugerent, mortem sibi consciuerũt.*

9.

10. Quærit hîc Abulensis q. 12. cur cum mitiori sibi mortis genere vitam sibi potuerit eripere Zambri, incendium elegerit, in quo & mors longior fuit, & maior acerbitas? Et respondet voluisse in posterum suæ dignitati consulere: Si enim cadauer in hostium potestatem veniret, quorum non minus erant infensi animi, quàm armatæ manus, raptari poterat, aut obiici canibus, aut per summum ludibrium cum communi populorum conuitio traduci; quod accidit Sauli, cuius corpus priùs variè circumductum, tandem Palæstini ad grauiorem ignominiam, & dedecus è muro suspenderũt: à quo sanè ludibrio regium cadauer fuisset immune, si priùs fuisset in cineres redactum. Quam ignominiam, vt declinaret Sylla, cremari se iussit, cùm ante illum nemo fecisset ex Corneliorum genere. De quo sic Cicero lib. 1. de legibus ad finem: *Marij sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sylla victor acerbiori odio incitatus, quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, primus è patriciis Corneliis igni voluit cremari.*

*Cur aliqui cremari sua corpora voluerunt.*

11. Vers. 19. *Ambulans in via Ieroboam, & in peccato eius, quo fecit peccare Israel.* ] Quod fuerit peccatum Ieroboami iam sæpius audiuimus. Sed quo modo tam breui spatio (nam septem tantùm dies regnasse dicitur) peccare fecerit Israel, paulo obscurius est. fortasse ideo dicitur scandalo fuisse populo; quia cùm plurimum posset apud Ieroboamum, aut illi auctor fuit vt vitulos conflaret, aut certè ad illam curam magno Regi adiumento fuit, dum populo nimium credulo persuadet id rei communi futurum ex vsu. Id credo potiùs, nam licèt post occisum Ela tantùm regnauerit septem dies, quia septimo ab occiso Rege die electus

ctus est Amri; tamen postea aliquot vixit dies, & fortasse non paucos, donec capta fuit Thersa, & ille eò desperationis adductus, vt voluntaria morte iugulum ab hostili ferro vindicarit. Toto antè illo tempore, licèt obsessus; erat tamen inter suos potentia, & autoritate Princeps. Quare facilè potuit in vitulorum obseruantiam continere populum, ac tandem perficere, vt in illa rerum angustia, immolatis victimis ad fœlicem bellorum exitum illos sibi redderet propitios. Porrò regnasse dicitur Zambri septem dies, quia ipse pro Rege se gerebat, non quia reuera Rex fuerit illo septemdiali spatio: cùm neque oblatum accepisset à populo, neque vllo sibi legitimo nomine vendicasset regnum: quod apertè docet Scriptura, dum indicat v. 20. illum fuisse tyrannum. *Reliqua*, inquit, *sermonum Zambri, & insidiarum eius, & tyrannidis, nonne hæc scripta sunt*, &c.

12. At dices, cur septem diebus regnasse dicitur? Responsio est ex Scripturæ consuetudine non difficilis. Nam Scriptura sacra non solet à vulgaris sermonis consuetudine recedere, quæ Deos appellat eos, in quibus nihil est numinis, quia sic iudicat & nominat vulgus. Sic Maria Luc. c. 14. Ioseph patrem appellat Christi, quia sic putabatur, & appellabatur à populo. Id autem contingit inter homines frequentiùs, qui nomine alios afficiunt indebito, non tam veritatem spectantes, quàm hominum obsecuti consuetudini. Quomodo appellati sunt quidam Reges Machabæorum tempore, Aristobulus, Hircanus, Alexander, &c. quia sic illos vulgus aut assentatorio blandimento, aut metu, aut ineundæ ab illis gratiæ studio salutabant. Qua de re nos pluribus in cap. 21. Ezechielis, vbi illos fuisse Reges negat Hieronymus. Vt ergo hi vocati sunt Reges, cùm tamen à Regum legitimo titulo procul abessent; sic iste Zambri cùm vi potius, & astu, quàm vllo legitimo titulo aspirasset ad regnum; Rex tamen breui illo spatio temporis vocatus fuit, cùm nullus tunc esset, cui regni foret pacifica possessio.

REGVLA. *Scriptura à vulgaris sermonis consuetudine non recedit.*

*Qui ex Machabæorum genere Reges dicuntur, Reges propriè nō fuerunt.*

13. Vers. 21. *Tunc diuisus est populus Israel in duas partes.* Hinc apparet nondum Amri in Israele dominatum esse pacificè, quando populus alium sibi Regem proposuit, & in duas factiones dissectus, rebus studuit nouis, & graui metu turbauit, concussitque rempublicam. Seditionis autem illa videtur Princeps causa, quia Amri ab exercitu, non à toto populo Rex est appellatus, quod reliqui tulerunt iniquiùs, cùm non minus ipsorum, quàm militum suffragiis res esset statuenda. Quare in regnum aduocarunt Thebni, sed illo à contraria factione superato, imperium pacificè tenuit Amri anno Asa 31. quod ad annum vsque Asa 38. moderatus est, cùm in debellandis, sedandisque tumultibus trienniũ posuisset, vt statim dicemus.

14. Vers. 24. *Emitque montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti.*] Ad illud vsque tempus imperij prima sedes fuerat in Thersa: quam cùm Amri transferre decreuisset, emit à viro quodam editum collem, quem ædificandæ nouæ ciuitatis opportunum putabat, quam à veteri possessore Samariam vocauit. Illa deinceps fuit Israelitici imperij constituta metropolis, donec omninò dissolutum est, & genus illud hominum ad Assyrios translatum. Fuit, opinor, ante hoc tempus ædificata Samaria, non tamen illi adiunctus erat mons ille, qui emptus dicitur fuisse à Somer, qui videbatur futurus ad munimentum firmus, & ad speciem præclarus. A quo cùm magnum existimaretur præsidium habitura antiqua ciuitas, emptus est, & ædificatus à nouo Rege. Sanè Propheta ille senex, qui suprà capite 13. verum decepit Prophetam, quem occidit leo, venisse dicitur de Samaria, de ciuitate nempe illa, quæ adiecto monte à Somer duorum talentorum pretio redempto, Samaria appellata est. Dicta porrò est Samaria eo loco, cùm nondum illud nomen haberet, quia quo tempore historicus hæc sacris tradidit monumentis, Samaria dicebatur. Neque nouum est, vt per prolepsim satis scriptoribus familiarem, nomen alicui loco detur, quod longo pòst tempore nactus est. Exempla nos adduximus suprà lib. 1. Regum c. 4. n. 2.

*Per prolepsim nomen dātur loco, quod multo post impositum est.*

15. Vers. 29. *Achab verò filius Amri regnauit super Israel anno trigesimo octauo Asa Regis Iuda.*] Hic fuit septimus ex Regibus Israel, qui in Asa Regem Iuda imperium incurrerunt. Hîc nodus occurrit in speciem explicatu difficilis. Neque enim videtur posse fieri, vt cùm Amri anno trigesimo primo Asa regnare cœperit, Regnũque tenuerit duodecim annos filius eius Achab, qui non nisi parente mortuo in regnum successit, trigesimo octauo anno Asa regnare potuerit, cùm inter annos 31. & 38. etiamsi extremos annos numerando concludas, non plus sint octo annis, atque ideo ab hoc numero ad duodenarium quatuor anni deficiant. Hîc ego in Amri duo tempora considero, seu duos status, alterum cùm vocatus est Rex, non tamen obtinuit regnum, cùm alij, nempe Zãbri, & Thebni de regio nomine certarent, & regni possessione. Si regnum ab eo tempore aspiceres, quo Rex ab exercitu salutatus est, duodecim reuera regnauit annis, & regium nomen primùm audiuit anno Regis Asa 27. à quo ad annum illius 38. si vtrumque extremum amplectare, anni sunt interiecti duodecim. At quia nondum aliquid erat definitum, & certum, cùm iudicium tunc totum positum esset in armis, neque tota in eligendo Rege potestas esset in exercitu, verè Rex appellari non potuit, nisi subactis priùs hostibus, qui de regni possessione certabant. Cùm autem anno Asa 31. res esset tota bello transacta post quartum annum, ex quo ab exercitu Rex est salutatus, Rex omnino pacificè censeri potuit; atque ideo verè, & propriè octo annis regnauit ab anno trigesimo primo, ad annum trigesimum octauum Asa. ita Lyra.

16. Vers. 31. *Insuper duxit vxorem Iezabel, filiam Ethaal Regis Sidoniorum.*] Non recessit Achab à parentum suorum impietate, imo & aliquid aliud meditatus esse, & amplexus dicitur, quod ante illum ausus est nemo. Nam licèt Pharaonis filiam duxerit Salomon; non tamen, vt diximus, id fecit prius, quam patriam abiuraret religionem, iuxta ea, quæ Deut. cap. 21. antiqua lex præscribit. At Achab vxorem duxit primariam Gentilis Regis filiam, & ipsam Gentilem vsque adeò patriæ religionis amantem, vt insectaretur ad mortem vsque illos, qui veram religionem retinerent, & Sidonios Deos Israeli colendos proponeret: idque vsque adeò callido consilio, pertinacique studio, vt tandem consequeretur optata, & ad priorum Regum impietatem, illud ipsa, & Rex ab ea fallaci blandimento seductus, introduceret, quo populum omninò corrumperet, & nulla pietatis antiquæ vestigia relinqueret. Quid enim non faceret fœmina potens, superba, quæ in virum plus satis vxorium, plus habuit potestatis, quàm amantem viri vxorem, & modestam fœminam diceret? Accedebat, quòd filij, quia matribus magis quàm patribus, præsertim in ætate tenera, assidui sunt, ab

*Achab ab vxore Iezabele seductus.*

*Mater magis filiorum moribus nocet quàm pater.*

ab illarum consuetudine, & disciplina informantur potiùs: quare filij à gentili matre gentiles fiũt, & cum lacte hauriunt, quod nulla postea magistrorum doctrina, nulla parentum sedulitate deponant. Hi patres, qui alienigenis adhæserunt vxoribus, dicuntur alienos filios genuisse, Oseæ cap. 5. quia illi maternis blanditiis magis ad sacra gentilica, quàm patrum monitis ad veram religionem adducuntur.

17. Vers. 32. *Et posuit aram Baal in templo Baal.*] Perfecit Sidonia coniux cum Achab, vt ad impias aras, quas excitauerant superiores Reges, aras quoque adiungeret Baal; & illi Sidonium in morem templum erigeret, in quo fierent hominum conuentus, & sacra peragerentur legitimo Gentilium ritu, non aliter, neque minus frequenter, quàm in Sidone ac Tyro fieri consueuissent. De Baal diximus alibi sæpe, & postea dicendum nobis aliquid necessariò. Tantùm dico Baal significare *maritum*, & *Dominum*, qualem sponsæ coniuges sæpe salutant, & quia hoc nomen amabile aliquid, & obseruandum significat, fit vt dij Gentilium, sicut *dæmones*, id est, fortunati dicuntur, sic etiam dicantur Baalim, id est, Domini. Sed fuit aliquis Deus præcipuus maxime apud Sidonios, qui per antonomasiam commune nomẽ sibi vendicauit. Sicut Roma, dicitur vrbs, Paulus, Apostolus. *Baal quis.* Quis autem Deus iste fuerit, incertum. Abulensis in lib. 4. Reg. cap. 3. q. 3. Herculem esse putat, quia ille apud Sidonios, & Tyrios magna in veneratione, atque honore fuit. Sanè Salomonis tẽpore luculentum templum, & statuam Herculi ab Hiram fuisse constructam, tradit Iosephus l. 8. antiq. c. 2. Factos autẽ Thyri Herculis quinquẽnales ludos magno vndecunque populorum concursu, habemus lib. 2. Machab. c. 4. *Cùm autem*, inquit, *quinquennalis Agon Tyri celebraretur, & Rex præsens esset, misit Iason facinorosius à Hierosolymis viros peccatores portantes argenti drachmas trecentas in sacrificiis Herculis.* Hoc mihi videtur non improbabile, sed de Baal alibi à nobis actum pluribus, vide quæ diximus in nostris commentariis super Oseam c. 2. ad illud v. 16. *vocabit me vir meus, & non vocabit me vltrà Baali.*

18. Vers. 34. *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel,* *Iericho reædificata.* *Iericho in Abiram primitiuo suo fundauit eam,* ] &c. Accidit dum regnaret Achab, quo tamen tempore Scriptura nõ docet, hominem quemdam haud dubie idololatram, quia erat è Bethel, vbi vitulus aureus è Ieroboamo positus, & vnde impietas in decem tribus primùm erupit, & latè deinde per annos plurimos grassata est, contra quam à Iosue c. 6. esset reditum reædificasse Iericho, quæ anathemati fuerat antea deuota. Dixerat autem Iosue cùm igne, ferróque vastasset vrbẽ Iericho c. 6. v. 26. *Maledictus vir corã Domino, qui susciturauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Ad hoc vsque tempus nemo fuit, qui contra Iosue edictum, siue vaticinium, quicquam auderet; spectabantur quotidie ruinæ Ierichuntinæ, laudabatur ager fœcundus, & lætus: nemo tamen è rediuiuo lapide excitare muros, aut domos moliri tutum putabat; donec vir infidelis Hiel, qui in Iosue minis nihil credebat esse ponderis; cùm ex instaurata vrbe magnum spectaret captum iri compendium, rem ausus est, quam horrerent omnes præter infideles, & auaros, quia illi nihil timent, quoniam defecit, aut elanguit fides, isti nihil non audent, dummodò aliqua se illis commoditas ostentet.

A Multa hîc quærunt Abulensis à q. 20. & Serarius in cap. 6. Iosue, à quibus hîc ego prudens abstineo. Illud tantùm dico quod ad rem nostram, & institutum pertinet, cur ista hoc tempore narrata, cùm nullo modo videãtur pertinere ad Achab, cuius in præsentia texitur historia, cuius duas causas inuenio. Altera est, vt ostẽdatur quã fuerit hoc tẽpore, in quo ad vxoris libidinẽ rẽ Israeliticam moderabatur Achab, profligata fides, quãta inducta cœlestium dirarum vilitas, & obliuio, vt quod tot annis tentarat nemo, cùm contrà staret diuina maledictio, id vidente Rege, & populo, tentaret homo ex vitulorum consuetudine, & nunc addito à Iezabele nouo sacrificiorum genere, planè demens. Altera, vt de hoc supplicio discerent idololatræ, quorum tunc maior erat, quàm antea numerus, B non futuras illas minas sine pondere, quas Dẽus multis in locis contra illos intorserat, qui verum abiecissent Deum, & ad vanissima idolorum mõstra defluxissent, cùm antiquissimas minas experti essent, non vanas, & nugaces, sed acerbas, & veras. 19.

*In Abiram primitiuo suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius.* ] Iuxta Iosue verbum c. 6. mulctata fuit filiorum interitu Hielis audacia. Nam cùm primùm aperta fuerunt murorum fundamenta, extinctus fuit primogenitus filius Abiram, ita vt aperuisse videretur non fundamẽtum ad excitãdam molem, sed sepulcrum, in quod statim filium exanimatum inferret. Cùm verò eò C res esset deducta, vt absoluto murorum ambitu, adhibendæ essent portæ, cecidit Segub filiorum postremus. Quare tunc nullum filium, aut hæredẽ habuit, cuius honori, ac commodis immanis illa, ac sumptuosa fabrica seruiret. Quot filios Hiel in ea substructione Ierichuntis amiserit, non constat, ad vnum tamen omnes periisse certum est. Rupertus in illum locum Iosue cap. 20. ait in ipso operis progressu cecidisse filios, ita vt non construeretur murorum moles, nisi destructa familia. Sic autem Rupertus ibi. *Quando fundamenta (Ierichuntis) iecit, statim mortuus est filius eius primogenitus: & deinceps inter ædificandum paulatim secundum ordinem natiuitatis decedentibus filiis omnibus, vbi (quod nouissimum erat) posuit portas eius, mortuus est filius eius nouissimus mira ambitione pertinaciam fulciente conditoris nomen. totum cum affectu perderet genitoris honorem.* Ambi- 21. tioni ergo Rupertus tribuit, quod patris, cadenti- *Ambitionis vis, & tyrannis.* bus in operis progressione filiis, studium non lan- gueret. Et reuera ambitio, vbi hominum animis altiùs insedit, non modò naturæ, sed etiam diuinas leges pessundat, & frangit, neque audit filiorũ agentium animas miserabiles gemitus, neque Dei voces extrema rerum incommoda minantis. Aut fortasse placere voluit Achab, qui Deum contempserat, coluerat vitulos, & ad hæc Sidoniorũ Deo templũ, & aras excitarat. Putabat enim gratum se futurum Principi, ad cuius amicitiam, & gratiam aspirabat, si cœlestium minarum, & prędictionum se contemptorem ostenderet, quasi pluris faceret, quod Regi temerario, & stolido, quàm vero, & patrio Deo placuisset; neque quicquam habere pensi quòd filij in illius operis molitione perierint, dũmodo Regi suo gratum aliquod obsequium impenderet. Quod faciunt, proh dolor! hoc tempore aulicorum plurimi, qui vt captent, captámque re- *Aulicorum vesana cupiditas, & furor.* tineant Principum gratiam, non illos ab impio, stultóque conatu pietas, nõn filiorum amor, insitus à natura, non pudor, non grauia populi iudicia retardant. Quos exangues vides, egentes, Deo, atque hominibus inuisos, quasi illis fatale foret odiosos

odioſos,& miſeros perire,à Principum aulis, imò à Principum nutu non recedunt.

11. Sed rogabit quiſpiam,cur tam dirum ſuppliciũ indictum priùs à Ioſue, iubente nimirum Domino, vt habemus hoc loco (*iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filij Nun.*) & poſtea inflictum extinctis filiis eius, qui antiquas ciuitatis ruinas excitare voluit? Alias mitto rationes, quas apud Ioſue interpretes curioſus lector inueniet,& dico illam mihi videri grauiſſimam, maximéque formandis moribus opportunam, quia Deus ciuitatem illam non humana potentia, ſeu induſtria ſubuertit. Non enim catapultarum, aut ſaxorum verberatione, ſed circumducta ſepties arca, & tubarum clangore muri ceciderunt Ierichuntini;quod autem Deus excidit, excitare illud velle tutum non eſt: ſecus eſt ſi hominum induſtria,ac manu euerſa ſit ciuitas,aut abrogatæ leges, aut deiectum aliquid, quod hominum conſilium, & labor excitauit:id enim non ſolum permittẽte, ſed etiam iubente,atque probante Domino,è lapide quaſi rediuiuo renouari poteſt. At excitare velle,quod diſſipauit,& diſturbauit Deus inanis omninò eſt,& pernicioſus labor. Quẽadmodum ſiquis velit excitare Pentapolim,quam cœleſte iam olim abſumpſit incendiũ. Sunt à Deo multa ſiue docente verbis, ſiue moriente dãnata,qualia ſunt, quæ Ioannes ep.1.c.2.concupiſcentiam appellat carnis concupiſcentiã oculorum,& vitæ ſuperbiam. Hæc à Deo damnata ſunt æquo, ſeueróque iudicio, & funditus euerſa;ſi quis illa excitare velit, & in illum ſtatum,ex quo exciderant, reuocare, ille dignus eſt,cuius intereat ſoboles,id eſt,pereãt operæ atque conſilia,& nomẽ à viuentiũ num. deleatur.

---

# IN CAP. XVII. LIB. III. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*ELIAS Thesbites, cùm Regi Achab longam prædixiſſet famem, iuſſus eſt à Deo in torrentem ſecedere, ex quo biberet;nam de epulis iam illi per coruos abundè prouiderat. Cùm verò diu deficiente pluuia torrens aruiſſet, iubetur iterum in Sarepththam Sidoniorum excedere, vbi paſceretur à vidua, cui, quia priùs ex ſua tenuitate Prophetam pauit, ad tempus vſque vbertatis, neque in lecytho oleum neque in hydria farina defuit. Hic fuit miſericordiæ fructus primus; neque verò ſolus,nam cùm viduæ filius abiiſſet è viuis, illum Elias excitauit à mortuis; contrahens ſe quoad eius fieri potuit, ad pueri menſuram.*

## CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

1. ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab:viuit Dominus Deus Iſrael,in cuius cõſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.

2. Et factum eſt verbum Domini ad eum dicens:

3. Recede hinc,& vade contra Orientem, & abſcondere in Torrente Carith, qui eſt contra Iordanem.

4. Et ibi de torrente bibes:coruíſque præcepi vt paſcant te ibi.

5. Abiit ergo,& fecit iuxta verbum Domini: cúmque abiiſſet,ſedit in Torrente Carith: qui eſt contra Iordanem.

6. Corui quoque deferebant ei panem & carnes: manè ſimiliter panem, & carnes veſperi,& bibebat de torrente.

7. Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens: non enim pluerat ſuper terram.

8. Factus eſt ergo ſermo Domini ad eum dicens:

9. Surge,& vade in Sarephta Sidoniorum & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ vt paſcat te.

10. Surrexit,& abiit in Sarephta. Cúmque veniſſet ad portam ciuitatis:apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixítque ei. Da mihi paululum aquæ in vaſe vt bibam.

11. Cúmque illa pergeret vt afferret, clamauit poſt tergum eius, dicens: Affer mihi,obſecro, & buccellam panis in manu tua.

12. Quæ reſpondit. Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho:en colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illum mihi & filio meo,vt comedamus,& moriamur.

13. Ad quam Elias ait: Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti: veruntamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcineritium panem paruulum, & affer ad me:tibi autem & filio tuo facies poſtea.

14. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vſque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.

15. Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ:& comedit ipſe,& illa,& domus eius: & ex illa die

16. Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu

nu Eliæ.

17. Factum est autem post hæc, ægrotauit filius mulieris matri familias, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus.

18. Dixit ergo ad Eliam. Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?

19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulítque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum.

20. Et clamauit ad Dominum, & dixit, Domine Deus meus, etiam ne viduã, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti, vt A interficeres filium eius?

21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum & ait: Domine Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius.

22. Et exaudiuit Dominus vocẽ Eliæ: & reuersa est anima pueri intra eum: & reuixit.

23. Tulítque Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: En viuit filius tuus.

24. Dixítque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

---

# IN CAP. XVII. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab.*

1. NIHIL hactenus dictum fuerat de Elia, quem modò quasi ex abrupto, & inopinato erupisse videmus contra Regem Achab, vt illius in omne impietatis, atque intemperantiæ genus audaciam præcipitem cohiberet. Quia verò de hoc illustri viro multa nobis, eadéque admodum illustria commemoranda sunt tam in hoc, quàm in sequenti libro, non putaui esse sine magno operæ, atque studij pretio, aliqua hîc breuiter hinc inde collecta conferre, quæ aut in his duobus libris nullo modo, aut quæ non nisi admodum obscurè cognoscimus.

2. Prophetam esse Eliam nemo negauit vnquam, neque dubitauit, cuius memoria non in veteri solùm testamento clara, sed etiam in nouo, quam excitauit Ioannes Baptista illi in viuendi forma quàm simillimus; & Christus dum illum secum in transfiguratione apparere voluit, & de illo non semel honorificè loquutus est. Illius præclarum habemus elogium Eccl. c. 48. quod nos, dum occasio tulerit, commodiùs explicabimus.

*Elias Propheta.*

3. Fuisse ex tribu Leui, imò & sacerdotem magnũ nonnulli putant. Ex familia Aaron ortum esse dicunt Simeon Metaphrastes apud Surium, Dorotheus in Synopsi, D. Ioannes Episcopus Hierosolymitanus cap. 1. tomo 9. Bibliothecæ, Isidorus de vita, & morte Sanctorum, Epiphanius de vita, & interitu sanctorum: quorum aliqui dicunt ciuitatem Thisbi, à qua illum denominatum esse putant ciuitatem esse credunt sacerdotalem. Ego de genere, ac patria nihil habeo, nisi obscurum admodum; tantùm enim lego fuisse de habitatoribus Galaad, sed ibi duæ tribus Gad, & Ruben, & dimidia tribus Manasse suos habuere funiculos, vt constat ex Numer. cap. 32. Quare incertum est, de qua istarum familiarum fuerit, cùm nihil habeamus de certa sede ex Scriptura definitum, neque de ciuitate Thisbi certum est aliquid, cuius nomen in sacra Scriptura nunquam auditur. Cur A Elias vocatus fuerit Thesbites, vide Eliam Germanum in suo Thisbi, vbi de eo nomine multa: vereor ne satis ad veritatem. Quidam Eliæ patriam Theben esse putant, vbi à fœmina quadam Abimelec occisus esse dicitur. In quo planè infantiliter peccant: ciuitas enim illa non pertinet ad Galaad, sed est in tribu Ephraim propè Sichen. Quod si de ciuitatis situ non constat, multo minùs de dignitate, & gradu; atque ideo non video cur existimetur esse sacerdotalis. Mihi placet quod placuit Abul. q. 1. vbi dicit neque sacerdotem, neque Leuitam Eliam fuisse, quod sanè non tacuisset Scriptura, quæ cùm plurimum faciat sacrum illum ordinem, non videbatur omissura, sicut in aliis non omisit. Neque oppositæ sententiæ B quicquam fauet, nisi eorum, quos suprà retulit autoritas.

*Illius ignotum genus & patria.*

De parente, ac genere nihil habemus certius. Patrem Epiphanius, & Dorotheus, & Ioannes Episcopus Hierosolymitanus suprà appellant Sabacha, sed vnde id acceperint non docent, neque fortasse possunt. Illud addunt Metaphrastes, Dorotheus, Epiphanius, in ortu Eliæ aliquid accidisse mirabile. Audi in Dorotheo reliquos, qui ab illo ferè nihil dissentiunt. *Cùm nasciturus esset Elias, pater eius Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tanquam fasciis inuolui, & flamma ignis veluti cibo ali, & Hierosolymam profectis rem istã* C *indicauit; dictúmque illi est ex oraculo, ne timeret; fore enim vt puer nasciturus in luce habitaret, & quæ diceret firmam sententiam haberet, iudicarétque Israelem in gladio, & igne.*

4. *In ortu Eliæ aliquid mirabile.*

*Elias totus igneus.*

5. *Elia nomẽ.*

De nomine Eliæ aliquid etiam obseruandum. Hebr. אליהו *Eliahu*, quem Septuaginta, sicut alia plurima eiusdem formæ, conuerterunt Eliu, Hebræi Eliiahu. Chrysostomus hom. 3. de Elia tomo 1. putat significare solem, nempe homo Græcus Græcam spectauit originem: sol enim Græcè dicitur ἥλιος. Quidam hoc Solis nomen ortum esse putant

Græcam ſpectauit originem : ſol enim Græcè dicitur ἥλιος. Quidam hoc Solis nomen ortum eſſe putant ex Eliæ nomine, inter quæ maxima ineſt ſimilitudo. Aiunt enim ideo à poëtis fingi ſolem vehi in igneo curru, quia in igneo curru ſublatus è terra fuit Elias. Ita Beda, & ex illo, vt opinor, Angelomus in lib.4. Reg. cap.23. vbi carmina quædam adducit ex Sedulio, quæ hoc ipſum indicant. & dixit apertè Chryſoſtomus, qui cùm aſcenſum Heliæ deſcripſiſſet, addit homil.3. de Elia, *Hinc poëtæ, atque pictores in figuranda Solis imagine exempla ſumpſiſſe credo, qui curru, atque equis fulgentibus ipſe rutilans, atque radians è fluctu Oceani ſubleuatus inter præruptos montium ſcopulos euadens, quaſi ad cœleſtia videtur aſcendere in ſimilitudinem luminis eius inductus : Sol enim Græco ſermone Elios appellatur, vnde Elias verè Elios, quoniam curru, atque equis fulgentibus igne de Oceani fluctu, id eſt, de mundi commotione, per montium ſcopulos, id eſt, permagnorum laborum progrediens ad cœleſtia diuectus aſcendit.* De hac Græcorum audacia, qui veriſſimas Scripturæ ſacræ hiſtorias in vaniſſimas, & ſtultiſſimas fabulas incluſerunt, diximus in noſtris commentariis ad cap.10. Ionæ, vbi plus ſatis exemplorum adduximus. Portò Eliam ſignificare *Deum fortem*, aut *Deum Dominum*, docet Hieronymus.

*Ab Elia igneo curru creditur ſol accepiſſe nomen.*

6. Virginitatē coluiſſe perpetuā, communis eſt veterum Patrum, conſtánſque ſententia. Ita Hier. lib. 1. aduersùs Iouinianū, & ad Euſtochiū de cuſtodia Virgin. Ambroſius lib.1. de Virgin. S. Ephrem non vno loco. Sanè lib.1. paræneſi 1. cœleſte donum vocat caſtitatem, ad quam exemplo Eliæ alios adhortatur. *Donum*, inquit, *monachi optimum eſt Virginitas, curru ipſum ad cœlos cum Elia vehens.* De Elia quid Gnoſtici impudentiſſimè ſomniauerint, vide Epiphanium.

*Elias Virgo.*

7. De patria Eliæ diximus nuper, nempe eſſe in tractu Galaad : quandiu autem ibi habitauerit, incertum eſt; habitaſſe autem aliquandiu, imò & diu, & fortaſſe non procul ab eo tempore, in quo ſeſe oſtendit Achab, illúmque & reprehendit acerbiùs, & famem longam minatus eſt, ſatis eſt veriſimile. Et quidem Epiphanius, & Dorotheus ſuprà, Eliam non ſolùm in regione Galaaditide natum, & educatum, ſed etiam habitaſſe tradunt. Neque eſt improbabile etiam ibi, antequam in terram, quæ verè promiſſionis dicitur, aut ipſe vltrò, aut certè euocatus à Deo ingrederetur, extra montem Carmelum inſtituiſſe aliquam religionis formam, & ibi religioſum habuiſſe cœtum, quem tamen poſtea in montem Carmelum ſecum adduxit. Vbi diſcipulis, qui poſtea ſæpe filij Prophetarum vocati ſunt, monaſticæ vitæ nouam formam indixit, & ad legitimum Dei cultum religioſis diſciplinis excoluit. Fuiſſe autem plurimos ſub hac Eliæ præfectura diſcipulos, hoc etiam tempore, quo primùm in Scriptura ſacra ſeſe nobis magnus hic pater oſtendit, conſtat, quia Iezabel ſub hoc tempus, in triennali videlicet fame magnam edidit Prophetarum cædem. Prophetas autem illos eſſe puto, qui potiùs ex inſtituto laudes canerent diuinas (ſicut de Prophetis aliis diximus Samuelis tempore) quàm qui, quod Prophetarum primum, & proprium eſt, futura prædicerent. Hos verò apertè fuiſſe Domino conſecratos, & religionis veræ certum aliquod inſigne præſetuliſſe, ex eo conſtat, quia in illos præſertim graſſabatur Iezabel, quæ vt patriis diis honores impendebat diuinos, ſic eos, qui contrà facerent, ad exitium quærebat; quare in eos animo verè hoſtili bacchata eſt, qui religionem veram profiterentur exteriùs. Illos porrò notos fuiſſe, atque adeò Eliæ familiares, ex eo fit probabile, quia cap.19. v.10. à Deo interrogatus reſpondit, *Altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus.* Nempe ex illo Prophetarum cœtu, quos ipſe religioſis diſciplinis ad veram ſanctitatem excoluit. Hæc mihi difficilia non ſunt, neque cuiquam dubium eſſe debet viros illos Prophetas, &, vt exiſtimamus, tanti Patris in ſchola religioſa diſcipulos, veros fuiſſe Martyres, quando veræ religionis ſtudio, amoréque tenaci, deteſtati falſam, ſub Iezabele impia ſubiere mortem. Quàm verò Monachorum iſtorum fuerint numeroſi greges, illud probat, quod cap. 18. verſ.13. Abdias ait Eliæ, dum Iezabelis ferrum graſſaretur hoſtiliter. *Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo quid fecerim, cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, quòd abſconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis, & pauerim eos pane, & aqua?*

8. *Ex Elia cœtu multi à Iezabele occiſi.*

Vbi hoc tempore viri iſti habuerint domicilium, incertum eſt : neque enim certa Eliæ in Scriptura inuenitur, & quaſi propria ſedes. Licèt enim in Carmelo occidiſſe dicatur Prophetas Baal, & ibi precibus à Deo obtinuiſſe pluuiam; domum tamen ibi habuiſſe non legimus: imò toto tempore, quo durauit fames, non videtur adiiſſe Carmelum; cùm enim famem denunciaſſet Achab, iuſſus eſt à Domino, vt ſecederet ad torrentem Carith, qui longè aberat à Carmelo, cùm hic eſſet in tribu Iſſachar, ille verò in tribu Ephraim. Deinde poſt multos dies extra terminos terræ promiſſionis habitauit in Sarephtha Sidoniorum, vbi à muliere vidua paſtus eſt tempore, vt apparet, non exiguo, donec tandem exacto triennio occurrit Achab, & in Carmelo, poſtquam cœlitùs deprehenſa eſt Baalis, & religio vana, & ſtulta futilitas, & eam ob rem ibidem ſacerdotes interfecti quamplurimi, ac tandem orante Propheta data de cœlo pluuia, ex eo tempore non legimus Eliam adiiſſe Carmelum. Nam cùm Iezabelem fugeret in ſpelunca latuit Oreb, neque alium locum ſtabilem legimus, vbi ſuam Elias commorationem habuerit, donec in igneo curru tranſlatus eſt. Eſt tamen veriſimile & ante indictam ab Elia famem, & poſt ſacerdotum cædem, & fugam in Oreb, habitaſſe Eliam in Carmelo. Neque enim ab Achab cap. 18. in Carmelo vocantur ſacerdotes Baal, niſi quia ibi tunc erat Elias, quo cum futura de religione concertatio. Et dum in Carmeli verticem orationis gratia aſcendiſſe dicitur Prophetа, nonnullam nobis præbet coniecturam, vt ſuſpicemur illum in orando familiarem habuiſſe locum. Abul. lib.4. c.1. quæſt.16. ait in Carmelo Eliam habitationē habuiſſe ſequeſtratam à populo, & ibi tunc fuiſſe quando igne de cœlo miſſo, Ochoziæ milites interfecit. Quod iterum docuit lib. 4. c.4. quæſt.35. Accedit his, quòd Eliſæus diſcipulorum maximus, & pro Elia in illorum Prophetarum collegio pater, magiſtérque ſuffectus, cùm fuiſſet in Iericho, vbi collegiū erat Prophetarum, veniſſe etiā dicitur in Carmelū, vt creditum fortaſſe cœtum inuiſeret, vt habes lib.4. Reg.cap.2. verſ.25. & cap.4. verſ.25. fœmi-

9.

*Veriſimile eſt Eliam in Carmelo habuiſſe domū.*

*Eliæ cœtum ſecum religioſorum habuit.*

na, cuius fuerat mortuus filius, vt Elisæum quæreret, ad montem Carmelum quasi ad illius familiare domicilium profecta est.

Ex hoc monte arbitror Eliæ discipulos habuisse nomen & appellatione familiari Carmelitas vocatos; quia ibi aut primùm, aut plurimùm commorati sunt. Nam toto triennio, quo fames Israelitidem gentem durè vexauit, nullum habuit Elias socium, nisi vnum, aut alterum, qualis ille seruulus fortasse fuit, quem speculari iussit nubeculam ascendentem è mari, qui filius fuisse dicitur Sarephthanæ viduæ, quem iam exanimem reuocauit ad vitam. Nam in torrente Carith quî latere posset si socios secum haberet, aut quomodo illos non deprehendisset Achab, qui tanto studio illum inuestigarat, & per Israelem totum quosdam quasi venaticos canes latè dispersérat? Qua de re Abdias cap. 18. vers. 10. ad Eliam, *Viuit Dominus, Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum, quo non miserit Dominus meus te requirens: & respondentibus cunctis, non est hîc, adiurauit regna singula, & gentes eo quòd minimè reperireris.* Quis tantum studium, & sedulitatem effugeret, si secum hominum cœtum alligatum haberet? Adde quòd solus videtur fuisse in torrente, quem corui pascebant: & inde solus profectus est in Sarephtha Sidoniorum, vbi à paupercula vidua sustentatus est. Esto tamen sedem sibi, ac suis Elias in Carmelo non habuerit, quod non puto, quid obstat discipulos Elisæo autore excitasse collegium, vbi simul viuerent, quod vt facerent multæ illos rationes adduxerunt. Primùm ipsa loci ad vitæ licèt frugale, & tenue subsidium, tum etiam ad orationis otium opportunitas, tum parentis optimi grata memoria, qui eodem in loco oratione efficaci, & longa cœlum aperuit, & illum impio Sacerdotum sanguine, & verius sacrificio à Deo accepto per ignem consecrauit. Cùm autem, vt dicemus postea, collegia aliis in locis habuerint, & fortasse nõ pauca: ab hoc tamen monte multis nobilitato nominibus Carmelitarum nomen accepere. Quod etiam fecere nostris sæculis religiones neque paucæ, neque ignobiles, quales sunt Carthusianorum, Camaldulensium, aliis *clara*, atque *vmbrosa valles* nomen indidere. Habuisse autem aliis in locis cœnobia, id est, communes domus, Eliæ, Elisæique discipulos, satis constat. Nam primùm prope Ierichuntem habitasse, aut in ipsa fortasse ciuitate, docemur lib. 4. cap. 2. vbi, quo commodior esset ciuitatis habitatio, sanatæ sunt ab Elisæo aquæ, ne in posterum essent insalubres. Fuerunt etiam in Galgalis ibidem v. 1. vnde egressi sunt Elias, & Elisæus, quando iam instabat ex hominum conuictu prodigiosa translatio. Fuerunt in Bethel v. 3. de Iericho habes iterum ibidem v. 5. Quærit autem Abulensis lib. 4. Reg. quæst. 13. cur Elias ante suum discessum loca hîc commemorata lustrauerit? Respondet autem id facere voluisse, quia ibi erant filiorum Prophetarum certa quædam collegia, qualia nunc sunt religiosorum, quorum ille pater erat, & Princeps. & sanè ita decebat, vt in extremo digressu salutaret filios, eósque ad seuerum illud vitæ curriculum, quod ingressi fuerant, sanctè, atque legitimè conficiendum vrgeret.

*Elia discipuli à Carmelo vocati Carmelitæ.*

*Multis in locis habuere collegia.*

12. Cùm tot essent Discipulorum Eliæ excitata cœnobia, non est difficile in Carmeli montem deductam esse quamdam quasi coloniam, quæ quia in loco tot nobilitato miraculis, & ipso Eliæ nomine, & sacrificiis illustri, principem tandem locum inter reliquas Prophetarum domus obtinuit. Quod curasse Elisæum verisimile est, cùm tot à magistro esset ornatus modis, neque beneficiis notari vellet ingratus, & immemor, à quo loco ille sanctorum ordo accepisse videtur nomen, & qui institutum illud sunt complexi, Carmelitæ vocati. Hinc, opinor, ortum habuerunt antiquum, & nobilem, qui nostro æuo Carmelitæ dicuntur, viri religionis gloria, & vitæ sanctitate conspicui. Quod vt credam facit non solùm illius ordinis, sed & omnium penè gentium constans, & perpetua traditio. Et quidem si ab hac mea cogitatione nihil staret præter traditionem omni memoria superiorem, satis putaretur habere præsidij; quia communis, conspiránsque consensio nullo interrupta tempore eam habet authoritatem, quam nulla, nisi magna fides conuellere, aut infirmare posset. Qua de re nos pluribus in nostro libello de aduentu S. Iacobi in Hispaniam tract. 2. Sed præter traditionem, quæ, vt diximus, constans existimatur, atque perpetua, sunt alia multa, quæ ad hanc cogitationem plurimum afferunt momenti, Doctorum nimirum, non tantùm ex illa religiosa familia, quorum ingens numerus, sed externorum, quos longum esset numerare, grauis authoritas: Et tam veteres, quàm recentes historiæ, & sacri ordinis antiqua monumenta. Accedit ad hæc à Pontificum iudicio grauissimum pondus, qui sacrum hunc ordinem ab Eliæ disciplina, atque instituto exordium habuisse testantur. Ita sanè apertè in suis bullis Sixtus quartus, Iulius secundus, Gregorius decimus tertius, Clemens octauus, qui dicunt Carmelitanæ familiæ viros ab Elia, atque Elisæo hæreditariam successionem tenere. Hæc mihi grauissima sunt, neque desunt alia neque pauca, neque leuia, quæ, si Carmelitanæ causæ vindicem agerem, libens adducerem, à quibus in præsentia abstineo, ne ab interpretis munere (quod longas digressiones non admittit) defeciisse videar. Plura nobis dicenda sunt de Elia, quæ in commodiorem locum reseruamus.

*Carmelitarum ordo ab Elia ortus.*

*Et dixit Elias Thesbites.* ] Cur hoc loco indu- 13.
ctus sit Elias, quasi ex abrupto, cùm parum alicui videri possit locus opportunus, quærunt interpretes. Lyra ex sententia Rab. Salomonis ait occasione mortis filiorum Hielis, quos extinxit Iosue antiqua comminatio: alias minas antiquiores ab Elia renouatas in præsentia. Norat Achab, & viri alij Israëlitæ, Deut. 28. hoc per Moysem à Domino denunciatum esse supplicium his, qui à diuina lege, ac religione defecissent, vt mutato aëreo cœlo in ferream naturam, sitirent agri pluuiarum defectu, & legis, religionísque desertores longa fame, & lenta tabe consumerentur. vers. 24. *Sit cœlum, quod contra te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea: det Dominus imbrem terræ puluerem, & de cœlo descendet super te cinis donec conteraris.* Cogitabat tamen Achab Iosuanam diram imprecationem, quia recentior esset, habuisse vim, & instauratoris Ierichuntinorum mœnium potuisse funditùs delere familiam; at Mosaicas diras, & cœlestes minas præ antiquitate sua extabuisse prorsus; & sicut vinum vetus euanuisse, aut sicut mustũ feruens principiò despuisse furorẽ, & fumantes spiritus cõpressisse. Atq; ideo nihil iam esse timendum eorũ, quæ

per

per Moysem olim Deus Israelitico populo denunciasset. A qua cogitatione, & spe fallaci, vt Regem, & populum deduceret Elias, offert se vltrò, & talia nunc minatur, qualia olim Moyses, vt intelligat antiquas esse minas, non antiquatas, & illis obsecutas olim, & nunc etiam obsecuturas nubes, si tales esse pergant, quales nunc inceperunt. Ab hac sententia non procul abiit Caietanus, neque ego commodiorem aliam rationem inuenio. Quomodo Deus propter hominum peccata terram reliquerit arentem à pluuia, docuit suprà trium annorum inducta fames propter violatam Gabaonitis à Saule fidem, 2. Regum cap. 21. & apud Zachariam, & Aggæum hoc ipsum aliquoties contigisse discimus.

14. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.*] Edoctus credo fuerat, & instructus à Deo Propheta, vt talia tam prædiceret impauidè, neque de minarum exitu dubitaret. Quare affirmat audacter tamdiu in nubibus continendas esse pluuias, quamdiu ipse voluerit, quasi sua sibi manu dispensaturus esset cœlestes imbres. Quod, quo magis Regis, & aliorum animos compungat, & proposito metu deterreat à peccando, interposito, atque iterato iuramento confirmat. *Viuit Dominus*, iuramentum est, quod idem valet, atque per Deum viuum, Deum videlicet verum, quem colit Israel: nam alij, quos colebat Achab populúsque Gentilicus, mortui sunt. Aut certè tam erit hoc verum, quàm verum est Deum esse viuentem. Illud etiam, *in cuius conspectu sto*, speciem habet iuramenti: quale est illud Pauli, *coram Deo, quia non mentior*, licèt hîc non videatur iuramentum esse à priori diuersum.

Viuit Dominus, *quod iuramentũ, & quæ illius significatio.*

In cuius cõspectu sto, *iuramenti species.*

15. Orasse porrò Eliam vt compressis in nubibus imbribus, fames dura peccatores homines vexaret, vt vel adactis stimulis excitati, à quo esset salus, atque satietas speranda, cognoscerent, sentiunt communiter autores, quod sanè necesse est, quando id Scriptura desertis verbis docet. Ita Iacobus Epist. can. cap. 5. v. 17. Vbi cùm magnam esse diceret orationis vim, exemplum attulit Eliæ. *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* In ea oratione impetrauit à Domino quod voluit, & ex ea promissione audacia concepta, cum Rege insolente, & barbaro sic egit audacter, vt nemo cum plebeio, atque vulgari homine egisset audaciùs. Eccles. 48. *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Quanta audacia cum Deo, quàm præfractè ageret Elias, ita vt neque à Deo videatur cohiberi potuisse, quominus seuerè mulctetur populus ingratus, & à Domini complexu, & religione transfuga, docet Chrysostomus tom. 1. hom. 1. de Elia, vbi mirus est Chrysostomus in amplificando Eliæ zelo, qui alicui videri posset neque satis piè, neque satis prudenter, ad vindictã inflammatus: sic enim agit apud Chrysostomum zelo ad peccatorum supplicium inflammato, vt nolit rem totam Deo integram relinqui, qui illius misericordiam facilè putabat inflectendam ad veniam; sed de re tota sibi pro suo arbitratu esse decernendum; de cuius seueritate nihil à quoquam remittendum esse sibi persuaserat. Quod cùm à Deo offirmata, ne dicam obstinata oratione tandem extorsisset, dixit audacter, datam sibi esse in aëreum cœlum à Domino potestatem, & claues, vt cùm liberet, clauderet nubes, aut aperiret ad pluuiam.

Elia qualis oratio.

Cur Elias, imò cur per Eliam Deus Achab & idolorum cultorem populum pluuiarum defectu, & longa fame mulctare voluerit, eam rationem adducit Ioannes Episcopus Hierosolymitanus cap. 9. tom. 9. Bibliothecæ veterum Patrum; quia populus ille Baalem Deum esse putabat pluuiarũ, & illius beneficio credebat fœcundos esse cãpos, & hominibus cibos abundè suppetere. Quod videtur Deus significasse Oseæ cap. 2. vers. 8. *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum: & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal.* Sic autem ibi Ioannes Hierosolymitanus. *Ob hoc volens Elias tunc Regi Achab, & populo Israel ostendere illum verum esse Deum, quem ipse colebat, & Baal esse falsum Deum, quem Rex instigante Regina nouiter à populo adorandum introducebat, prædixit eis in verbo Domini, quod quantumlibet inuocarent Baal, pluuiam eis largiri non posset: neque annis illis ros, aut pluuia descenderet, donec pro hoc ipse Elias Deum Israel peroraret.* 16.

Vers. 3. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith.*] Non videtur Elias expectasse quid Rex ad hasce minas respondere, aut etiam quo esset affectus animo, sed abiisse è vestigio à Regis conspectu. Quem Dominus, vt regio subduceret furori, & de cibo prouideret, quem ipse furente Rege, & cum ipso populo grauiter commoto, neque tutò, neque commodè parare sibi poterat, in secretum locum abire iussit ad plagam Orientalem, & eam partem torrentis Carith, quæ proximè spectat Iordanem. Vbi opportunæ erant latebræ, & paratus è torrente potus. De cibo verò dixit sibi iam coruorum ministerio fuisse prouisum, quibus iam id datum esset negotij, vt quotidie statis horis opportunum afferrent alimentum. 17.

Vers. 6. *Corui quoque deferebant ei panes, & carnes manè.*] Coruos hos esse verè, non est cur aliquis dubitare debeat, cùm id apertè doceat Scriptura, neque necessitas vlla cogat ad explicationes transfugere metaphoricas. Quidam Angelos esse existimarunt, qui assumpta coruorum specie, quandiu mansit in torrente Elias, ministrarunt ei. Qua de re latè Abulensis q. 15. & quæst. 16. Vbi veros esse coruos existimat, non tamen negat adfuisse quoque Angelorum aliquod ministerium, & curam. Putat enim non improbabile cibos illos, qui quotidie afferebantur à coruis, esse de Regis mensa, & egregiè conditos, sublatósque per Angelos inde, & in locum aliquem delatos, vnde corui ad Eliæ latebras, & diuersorium deducerent. Quod si ita est, vt non temere coniectat Abulensis, non solùm sufficientem, sed etiam lautum, & regium cibum à Dei prouidentia liberali, & à coruino ministerio suscepit Elias. Augustinus lib. 2. de Mirabilibus cap. 15. ignorare se dicit vndenam corui cibos illos attulerint. 18.

*Virum verè corui fuerint, aut Angeli.*

De hac mirifica Dei prouidentia, déque coruorum in alendo Prophetæ ministerio multa dicunt, multa meditantur interpretes sanè cogitatu dignissima; quæ huc adducerem non grauatè, nisi illorum pleraque in Glossam, quam vocamus ordinariam, nuper locupletatam viderem esse congesta: vbi ex Ambrosio non pauca, ex Chrysostomo quamplurima coacernata sunt. Afferam tamen vnum aut alterum locum Chrysostomi, ex his, quæ habet Glossa recentior, 19.

*Mirifica Dei in suos prouidentia.*

quæ magis explicant qualiter pluuiæ defectu premantur idololatræ,& Dei in Eliam prouidentiam mirificam. Prior locus est homil.2. de Elia tom.1. *Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum aspiceret, cúmque Baal, & lucos despecto Domino cœli à sacrilegis peruideret; cúmque creatore despecto figmentis sese, nemoribúsque omnis populus addixisset, Zelo Dei commotus Iudæam terram siccitatis sententia, & pluuiarum sterilitate addixit. Tunc subitò anhelat terra, siccatur cœlum, sitiunt omnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aër feruet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant noctes, dies arescunt, fatæ torrentur, arbusta ægrotant, &c. iram Dei vniuersa creatura testatur.*

*Siccitatis optima descriptio.*

20. *Cur Elias vocatus facula.*

Quia verò nunc siccitatem, & quasi incendium quoddam misit in terram, quo illius viriditatem, & speciem exussit, & arentes reddidit aquarum scatebras, ideo Ecclesiast. cap.48. facula videtur appellari ardens verbum illius, quia magnum apud idololatras excitauit incendium, & illorum delicias; imò & necessaria commoda combussit. Nam cùm dixisset, *Elias propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* causam deinde videtur indicare, *Quia induxit in illos famem.* Et statim, *verbo Domini continuit cœlum, & deiecit de cœlo ignem ter.* Sanè idem Chrysostomus in homilia de Petro, & Elia, quam posteriori hoc sæculo Latinam accepimus, verbum Eliæ in hac inuehenda sterilitate, & fame febrem appellat, quæ ardor quidam est, & vim habet igneam. *Vix dum,* inquit, *exierat sermo eius, cùm subitò mutatus aër, cœlum æneum factum: idémque sermo in terræ viscera tanquam febris incubuit. Et è vestigio exaruerunt omnia, omnia solitudine, ac vastitate horruerunt, herbæ siccatæ sunt, plantæ simul, & arbores, tum frugiferæ, tum steriles,* &c.

21. *Deus, quo suis prouideat, rerum videtur mutare naturas.*

Hîc valde nobis considerandum est, quàm sit Deus de suorum alimento sollicitus, qui rerum naturas mutat, aut naturales rerum propensiones, quia sic exigit illorum necessitas, qui diuinæ se fidei, & curæ crediderunt, suarum rerum, & commodorum immemores. Multa adduci possent, & nostro, & antiquis sæculis exempla eorum, quos belluæ aluerunt immanes, & defenderunt à feris, & alia præstiterunt obsequia, qualia teneris infantibus indulgere solet materna sedulitas. Hoc tamen, quod in præsenti habemus, illustrissimum est. Nemo ignorat, qua sit voracitate coruus, qua auiditate, & studio carnes quærat, à quibus, etiamsi maximè fœteant, non continet voracissimam rabiem. Adde quòd auis est inhumana, & in filios etiam, vt notauit Chrysostomus homil.2. de Elia, crudelis, quos è nido deturbat implumes, & omninò morituros, nisi Deus speciali quadam prouidentia foueret, atque aleret, de quibus est illud Psal.146. *Et pullis coruorum inuocantibus eum:* Et Iob.38. v.41. *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quòd non habeant cibos?* Hi ergo qui filios despiciunt, quos tam arcto natura vinculo coniunxit, qui tam auidè sibi cibos vndecunque venantur, neque à putridis abstinent carnibus, quo suam sibi rabiem voracissimam expleant; abstinent tamen stimulante fame ab optimis carnibus, eásque illibatas afferunt ad Prophetam. Fuisse porrò videntur corui familiares Eliæ in ipso torrente Carith, iuxta quem tutum habuit, & occultum hospitium, ex quo, vt erat necesse, potus gratia egrediebatur nó infrequenter. Coruos autem prope torrentes habitare, quia naturæ sunt calidissimæ, & ipsa docet experientia, & habemus expressum Prouerb. cap. 30. vers.17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus.*

*Coruus in pullos suos crudelis.*

Vulgatus ex Hebræo dicit manè, & vespere allatos esse panes, & carnes ad Eliam. Septuaginta transtulerunt, *Panes manè, & carnes vesperi.* Fortasse transtulerunt non aliter, quàm vulgatus interpres, & vitio temporum aliquid est in eorum translatione mutatum. Sanè, vt est in vulgata trãslatione, legit Theodoretus, & Chaldæus; neque aliter habet editio Cõplutensis. Fateor antiquos Patres sic habere, vt habent communiter Græci codices.

Vers.7 *Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram.*] Experti sunt antiqui non infrequenter, & nostro sæculo non semel vidimus exaruisse fontes, & torrentes aquarum cõuersos in sitim. Hoc idem accidit Eliæ tempore, cui siccato torrente necesse fuit mutare solum, vt sitim sedaret, quam ex tanto, támque copioso torrente explere non poterat. Ex quo colligo coniectura non infirma latuisse diu, ad triennium fortasse ad torrentem Carith: nam tales fontes, qualia videntur esse illius torrentis capita, etiamsi cœlum videatur ferreum; exiguo tamen tempore siccari non solent: hîc verò vsque adeò siccatus est torrens, vt neque satis habuerit aquæ pro vnius hominis sedanda siti. Talis esse videtur sitis illa, quæ accidit Ieremiæ tempore cap. 14. Vbi serui aquatum missi, quia exhaustæ fuerant cisternæ, & siccati fontes, vasa domum vacua reportauerunt. 23.

*Non enim pluerat super terram.*] Dubitant hîc Interpretes, an illa sitis, & cœli quasi ferrea natura totam arefecerint terram, vel partem aliquam terræ promissionis, quam decem tribus occuparunt, quas imperio suo subiecerat Achab? Mihi placet quod visum est Abulensi quæst.9. nempe in terra tantùm Israel siccitatem illam contigisse, quia Deus Israelitarum tantùm peccata punire voluit, qui vera, atque auita religione prodita, idolorum insaniam amplexi sunt. Neque minæ illæ, de quibus nuper, omnibus sunt à Propheta intentæ, sed Achab, vt constat: neque tam durum se Propheta in omne hominum genus ostendit, & in omnem terram, cùm neque omnium cognosceret mores, neque haberet, cur in gentem ignotam illius inflammaretur zelus. Quod sentit Iosephus lib.8. cap.7. vbi fidem allegat externam, quæ hanc famem non in omni terra contigisse affirmat. *Meminit*, inquit, *huius inopiæ pluuiarum etiam Menander in gestis Ithobali Tyriorum Regis sic scribens. Hoc regnante etiam pluuiarum defectus fuit ab Hyperberetæo mense vsque ad insequentis anni Hyperberetæum continuus, qui cum supplicationes indixissent, secuta est magna vis tonitruũ.* Hic Rex Tyriorum in idem incidit tempus cum Achab. Ab hoc Menandro id saltem habemus non fuisse famem illam vniuerso communem. Cæterùm in eo peccat externus iste historicus, quòd vno tantùm anno defectum tradit fuisse pluuiæ, ab Hyperberetæo vsque ad sequentis annum Hyperberetæum, id est, mensem Octobrem. Cùm constet ex Luc.4. Iacobo cap.5. tres annos durasse, & sex menses. Deinde si putet in regione Tyrio Regi subiecta contigisse, quia fortasse in regione tantùm Israelitide fuit ille pluuiarũ defectus; sed autor ille nihil aliud affirmat,

quàm

quàm Ithobalo regnante contigisse famem; de loco autem nihil tradit definitò. Accedit autem huic historico, quod aliis fermè omnibus, qui historias sacras profanis inseruerunt; quales fuerunt Herodotus, Iustinus, Cornelius Tacitus, qui multa affingunt, multa peruertunt, reddúntque è sacra profanam, & sæpius fabulosam omnino narrationem.

Ego sic arbitror in ea tantùm regione accidisse famem, quæ tunc Achab subeRat imperio. Quod mihi illa præcipuè ratio persuadet, quia Deus illud peccatum punire voluit in Achab, regionéque illa, cui tunc cum imperio præerat, quod proximè ante propheticas minas antecesserat. Illud porrò fuit, vt constat ex fine antecedentis capitis, quia plantauit lucos, coluit Baal, & in illam impietatem nimis obsequentem, & facilem populum induxit. Deinde, quia vbi primùm Baal sacerdotes interfecti sunt, statim ærei cœli liquefacti fuerunt, & depulsa fames, quæ iam videbatur inueteraſſe triennali mora. Neque id Deo inusitatum est, vt largum in vnam ciuitatem imbrem demittat, & aliam omninò relinquat ârentem, si peccata clamant, & ipsos pluuiarum fontes, & quasi conceptacula exhauriunt. Qua de re nos pluribus ad illud Amos cap.4. v.7. *Et pluit super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non pluit*, quæ tu vide, quia ad huius loci explicationem plurimùm conducunt.

25. *Fames in ea tantùm regione quæ subeRat. Achab.*

*Fames propter peccatum.*

26. Sed dices Christum apud Lucam cap.4. v.25. omnem terram hoc tempore aquarum penuria laborasse. *Multæ*, inquit, *vidua erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames in omni terra.* Sed est adhæc ex Scripturæ consuetudine solutio non difficilis. Vt enim Hieronymus docuit ad illud Isai.13. *Vt disperdam omnem terram*, cùm Scriptura omnem terram, aut aliquid simile dixit, non omnem absolutè, sed iuxta materiam orationi, seu disputationi subiectam intelligendum est. Exempla sunt plurima. Primum hoc ex Isai. cap.13. de quo proximè, vbi, vt explicat ibi Hieronymus, non intelligitur totus orbis, sed terra Babylonis, & Chaldæorum, de qua tunc erat sermo. Et Cyrus apud Esdram cap.1. dicebat, *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus*, nempe Assyriorum. Sic Lucas cap.2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, subiectus nempe Romanæ ditioni. Actuum cap.2. Iudæi conueniisse dicuntur *ab omni natione, quæ sub cœlo est*, id est, ab illis nationibus, in quibus habitabant Iudæi. Sic ergo omnis terra illa dicitur, cui imperabat Achab, & vbi habitabant illi, qui iisdem se cum Achab peccatis implicuerant.

REGVLA. Omnis terra, & similia de ea terra dicitur, de qua est sermo.

27. Sed vrgebis adhuc vicinam ciuitatem Sarephtham, quæ extra fines erat Israeliticos, eodem tẽpore laborasse fame. Nam Sarephthana vidua, ad quam Elias missus esse dicitur, eò adducta est necessitatis, vt consumpto farinæ pugillo statim sibi moriendum esse diceret. Quidam dicunt ciuitatem illam pertinere ad terram Israel, licèt tunc occuparetur à Sidoniis, atque ideo famem illam extra Israeliticos fines non esse grassatam. Quæ solutio non admodum obiectioni satisfacit, nam neque ciuitas illa, neque alia ex his, quas incoluere Sidonij, parebat Regi Achab, neque recens aliquid sub id tempus admiserat, cur tunc potiùs in se diuinũ furorem inflammaret; atque ideo quod ad supplicium istud spectat, regio illa censeri potuit non Israelitica. Respondere aliquis posset hãc Sarephthanam fœminam esse Israelitidem, & eiuitatem illam Israëli finitimam non tam à Sidoniis, quàm ab Israelitis habitari: dici autem Sarephtham Sidoniorum, quia non procul abest à Sidoniis, & eo nomine distingueretur ab alia Sarephtha, quæ à Sidoniorum prouincia, atque conuictu recessisset. Quemadmodum Isai.cap.8. v.1. cùm duæ sint Galilææ, & vtraque ad terram promissionis ab Israelitis tunc temporis occupatam pertineat: tamen altera Galilæa nominatur Gentium, quia Gentilium terminos attingit, & eo nomine distinguitur ab altera. Hanc ego solutionem probarem magis, nisi Christus ipse ad aliam me sententiam cogeret. Luc. cap.4. v.25. Vbi Sarephthanam viduam Gentilem esse dicit, & à viduis Israelitici generis omninò secernit. *Multæ*, inquit, *vidua erant in diebus Eliæ in Israel, quãdo clausum est cœlũ annis tribus, & mensibus sex; cùm facta esset fames multa in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephtha Sidoniæ ad mulierem viduam.* Quod etiam probat exemplum, quod continenter inducitur. *Multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Hæc omninò cogunt me, ne vllo modo posteriorem hanc explicationem admittam, & aliam excogitem, quæ si non omninò vera; maiorem tamen habere videtur speciem veritatis.

*Sarephthana vidua Gentilis.*

Tota regio, quæ ad Tyrios, & Sidonios spectat, cùm ad alios vtiles naturæ necessitati prouentus commodissima sit; ferendis tamen frugibus est importuna. Quare nisi aliunde comportetur frumentum, patiatur oportet grauem, & penè necessariam famem. Quocirca, vt vidimus suprà cap.5. ad v.9. pro magno labore, atque impendiis, quæ in templi fabricam contulit Tyriorum Rex, id sibi mercedis à Salomone postulauit, vt domi suæ ex Israelitide terra cibum præbeat: imò, vt Iosephus vult lib.8. cap.2. id exigit, sibi vt liceat ex Israelitide terra non gratis, sed venale comportare frumentum. Et Actuum 12.v.20. cùm Herodes in Cæsaream secederet, ad illum statim officij, atque honoris ergo Tyrij aduolarunt, atque Sidonij, vt illum sibi placarent, quem infensum, & indignatum esse ex vsu suo fore non putabant. Eo quòd alerentur regiones eorum ab illo, quasi dicat, eo quòd fame ipsis esset pereundum, nisi ex regione illa finitima, & frumenti feraci paratam haberent alimoniam. Laborabat ergo fame Sarephthana ciuitas, quia cùm vicina prouincia, quæ horreum erat Sidoniorum, nihil triennali spatio tulisset frumenti, illi necessarium illud vitæ subsidium defecerat; quod neque venale quidem comportari poterat.

28. *Terra promissionis Tyris atque Sidoniis horreum.*

Vers.10. *Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibã.*] Rab. Salomon (vt dicit Lyra, neque improbat, nec certè probat, sequitúrque Caietanus) dicit ignorasse Eliam in cuius viduæ pascendus esset hospitio; atque ideo hoc ipsum aliquo signo explorare voluisse, cúmque audiisset seruum Abrahæ eo signo didicisse, quænam Isaac futura esset vxor, id ex aquæ poculo cognouit: ad huius igitur exemplum aquam priùs postulauit à fœmina, quã ex habitu viduam esse cognouit; quam cùm illa hilari vultu promisisset, panem præterea postulauit. Quod, meo iudicio, qui sic coniectant, non mihi admodum à bona coniectura videntur aberrasse. Licèt Abulensis non probet q.27.

29.

Vers.12. *En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi.*] Hæc omnia obscura non sunt. Illud *duo*, ex Hebræorum vsu, credo etiam ex aliarum gentium, exiguum significat numerum. Sic lib.2. Regum capit.13. vers.6. Amnon

30. Duo *pro paucis.*

de manu ſororis Thamar duas ſorbiciunculas ſumere deſiderabat, id eſt, pauculas. Et Iſai. cap. 7. ea dicitur futura familiarum tenuitas, ſeu habitatorum paucitas, vt duæ oues, id eſt, paucæ poſſent ad ſatietatem vſque ſuſtentare familiam. Et Latini paſſim hoc numero paucitatem, aut breuitatem ſignificare ſolent, quibus familiare eſt, *audi duo verba*, aut *vnum, & alterum verbum*, id eſt, ſermonem breuiſſimum, quod etiam in ſuo idiomate ſeruat Hiſpanus. Sic ergo nunc vidua duo ligna, id eſt, pauca quærit, vt faciat, id eſt, paret ad cibum pugillum illum farinæ.

31. Verumtamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcineritium panem. Crudelis planè videretur Elias, niſi quis futurus eſſet eleemoſynæ fructus priùs à Domino didiciſſet, cùm ex pugillo farinæ, qui pro duorum alimento reliquus fuerat, partem aliquam, neque pro ipſius tenuitate modicam petierit; ſed illum ab omni inhumanitatis ſuſpicione liberat de rerum omnium abundantia diuina promiſſio. Fuit quidem, licèt mole, & natura ſua exiguum, opus illud miſericordiæ, quo mulier illa Prophetæ neceſſitatem leuare voluit: quid enim tantum eſt farinæ pugillus, vel potius ex farinæ pugillo pars exigua; ſed certè magnum eſt alicui ſuum impendiſſe ſanguinem, impendiſſe ſpiritum, & vitam, quæ omninò exiguo illo alimento ſublato conſeruari non poterat. Atque ideo digna fuit Sarephthana vidua, quæ aliis fame interea pereuntibus, ipſa pro ſe, ac filio alimento abundaret neceſſario; quando ad Prophetæ votum, tam ſe ſuæ, ac filij

32. vitæ prodigam, & immemorem præbuit. Hinc diſcant illi, quibus tenuis eſt, & anguſta fortuna, ſibi non deeſſe, quo diuinam ſibi miſericordiam mereantur, ſi ex eo quod ſibi neceſſarium habent, licèt illud ſit exiguum, quia in eo pars etiam ſanguinis, & vitæ exhauritur, non eſſe quod confertur exiguum. Oſtendit hoc Chriſtus Luc. cap. 21. v. 2. in vidua paupercula, qualis fortaſſe erat hæc Sarephthana, quæ cùm duo tantùm minuta in gazophylacium coniecisſet, alij verò multa, atque luculenta munera; dixit tamen Chriſtus gratius eſſe, ac maius illud paupercula viduæ ad ſpeciem tenue, & contemnendum obſequium, quàm omnia dona, quæ liberali diuites, atque ambitioſa manu contulerunt. *Verè* (ait *Chriſtus*) *quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit: nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, miſit.* Ac ſi diceret; alij ſua, imò ex ſuis ſuperflua: hæc verò ſuum ſanguinem, & vitam, & quodammodo ſeipſam largita eſt.

33. Subcineritius panis ille dicitur, qui prunis, feruentique cineri ſupponitur, & tegitur, quem Græci ἐγκρυφίαν appellant, qui facilè paratur; atque ideo in hoſpitum aduentu ſæpiùs auditur. Hunc Elias parari ſibi poſtulat, tum quia ille breui tempore, leuique opera torreri poterat: tum quia in illo non inueniebantur illæ deliciæ, quas captare ſolet delicatorum hominum voluptas. Vide quæ de hoc ſubcineritio pane diximus ad illud Oſeæ cap. 7. verſiculo 8. *Ephraim factus eſt quaſi ſubcineritius panis, qui non reuerſatur.*

34. Verſ. 14. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* ] Hîc multa Patres, & interpretes de miſericordia, quæ non attenuat, aut exhaurit opes; ſed potiùs amplificat, reddit-

que diuturnas. Dedit Eliæ farinæ pugillo modicum panem, quo id conſecuta eſt, vt ad longum tempus alimentum ſibi, ac ſuis neceſſarium parauerit. Vide Chryſoſtomum homil. 1. de Elia. Ambroſium lib. 1. de Abraham cap. 5. & lib. de viduis.

Verſ. 17. *Ægrotauit filius mulieris matris familias, & erat languor fortiſſimus, ita vt non remaneret in eo halitus.* ] Quo tempore morbus iſte lethalis filium viduæ inuaſerit, incertum eſt, ſicut etiam incertum eſt quamdiu Elias apud illam diuerſatus fuerit. Hunc puerum Hebræi (vt refert Hieronymus in proœmio Ionæ) dicunt eſſe Prophetam Ionam, quem dominus poſtea miſit Niniuen. Quod etiam quidam tenuerunt ex noſtris, ita Epiphanius, & Dorotheus in ſynopſi, Chronicon Alexandrinum, & Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus tom. 9. Biblioth. cap. 12. qui etiam ait excitatum puerum traditum eſſe à Matre Eliæ, & illi ſemper miniſtraſſe. Qua de re nihil habemus certum. Vide quæ de patria, & de genere diximus ſuper Ionam prolegomeno primo in noſtris commentariis. Quòd ſi ille ex Iſraelitis fuit, vt nos diximus in eo prolegomeno, & ipſe aperte fatetur, dum cap. 1. verſ. 9. Hebræum ſe eſſe dicit, non video quomodo exiſtimari debeat filius Sarephthanæ viduæ, cùm illa fuerit ex Sidonio, id eſt, ex Gentili populo. Neque tempus, in quo prophetaſſe exiſtimatur Ionas, aptè cum hac cogitatione conſentit. Dicitur enim σύγκρον & Oſeæ, Ioel, Amos, & Iſaiæ. Vide quæ nos ſuper Ionam prolegomenûm 2. & quid hîc Abulenſis quæſtione 31. Halitus idem eſt quod ſpiritus, ſeu anima; quare non remanere halitum in puero, idem eſt omninò, quod eſſe mortuum.

Verſ. 18. *Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* ] Hanc viduam quidem licèt genere, patriáque Gentilem; religione tamen, ac pietate Iſraelitidem eſſe putant, quia per Deum iurat Iſrael, non per patrios Deos, quos colunt Sidonij. Sic enim proximè verſ. 12. *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem*, & ea creditur eſſe cauſa, cur ad illam miſſus fuerit Elias, ſuſtentaretque diu, alioqui perituram familiam, & extinctum filium reuocarit ad vitam, & ancillæ ſibi in medio nationis prauæ fidelis, ac deuotæ paupertatem ſingulari illo beneficio ac paterna prouidentia ſolaretur. Ex ea pietate, ac fide nouerat religioſa fœmina, quæ quis admiſiſſet ſcelera, aliquando punienda fore; etſi Deus aliquamdiu vltricem manum à vindicta continet: non tamen in æternum impunitatem habitura. Peccaſſe ſe cognouerat Sarephthana vidua, & ad illud vſque tempus, & aduentum Eliæ dilatam putabat peccatorum vindictam; atque ideo beneuolè, atque modeſtè queritur, quod ad ingreſſum Eliæ, extincto filio, pœnas ſuorum ſcelerum expenderit. Hîc obſerua hoc eſſe in ſcriptura familiare, vt cùm Deus hominum iudicio aut non punit ſceleratorum errata, aut iuſtorum non vlciſcitur iniurias, aut non videtur eſſe miſertus, dicatur peccatorum, aut iuſtorum immemor, ſeu oblitus. Cùm autem peccatorum vlciſcitur mores, & amarè vexat, & bonorum tuetur cauſam, & à dura vexatione vendicat, tunc recordari exiſtimetur. Vnde ſæpius audimus, *Memento, recordare, eſto memor Domine,*

*Non exiguũ eſt munus, quod ex neceſſario vitæ alimento detrahitur.*

*Qui ex neceſſariis dat ſanguinem ſuum, & vitam dat.*

*Subcineritius panis quis.*

*Halitus quid.*

35.

36.

*Filius viduæ Sarephthanæ creditur eſſe Ionas.*

37.

*Quando Deus dicitur peccatorum oblitus, aut memor.*

*mine, expergiſcere, ne obliuiſcaris in finem*, & ſimilia. Quod idem valet atque, oſtende Domine puniendo peccatores, liberando, atque fouendo iuſtos, te neque horum, neque illorum depoſuiſſe memoriam. Iuxta hæc bona iſta fœmina ait Deum recordatum eſſe ſuarum iniquitatum, de illiſque ſublato filio pœnas exegiſſe. Hîc Theodoretus obſeruat huius viduæ modeſtiam, quæ non queritur de Propheta, quaſi cauſa fuerit ſuæ ſolitudinis, atque orbitatis, ſed filij mortem ſuis tantùm iniquitatibus adſcribit. A

38. Verſ. 19. *Tulitque eum de ſinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat: & poſuit ſuper lectulum ſuum.* ] Vt eſt mollis, & vehemens fœminarum amor in liberos, non tantùm viuos, ſed etiam mortuos amplexantur, & quaſi calore ſuo in vitam reuocare poſſint, in ſinu fouent, & halitum inſpirant ſuum, quaſi cum illo mortuis vitam, & ſpiritum inhalent. Quod ſe cum fratre Satyro feciſſe dicit Ambroſius in oratione quadam de illo. *Nihil*, inquit, *mihi profuit vltimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus meos inſpiraſſe morienti.* Ex hac matrum quotidiana, & quaſi naturali conſuetudine dixit Maro eclog. 5. B

*Matrum in filios amor.*

*Cum complexa ſui corpus miſerabile nati,*
*Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.*

Habebat, vt apparet, mater in ſinu, atque amplexu exanimatum filium, quia in illius vlnis fortaſſe deceſſerat, quod contingit præſertim in tenera ætate: neque enim filiorum pondus graue matribus eſt. Quare Propheta optimè de ſe meritæ matris commiſeratus, ab illius ſinu filiolum diſtrahit, ſecúmque in cœnaculum, vbi ipſe lectulum habebat, & familiare diuerſorium abduxit: quem in ſuo lectulo conſtituit, & ſe quam primùm in preces dedit, vt à Deo extincto puero ſpiritum, & vitam, & lugenti, atque propè exanimatæ matri ſolatium impetraret. C

39. *Et poſuit ſuper lectulum ſuum.* ] Multa hîc Patres de modo, quo filium viduæ excitauit Elias, in quo Chriſti Saluatoris ſpirantem meditantur imaginem, qui vt genus humanum excitaret ab ea morte, quam iam olim ab ipſa mundi conſtitutione ſubierat, humanam aſſumpſit carnem, & homo factus ſeipſum ad hominis menſuram demiſit. Hæc nota ſunt, ego hîc aliquid pro moribus obſeruo, non aptum eſſe locum maternum ſinum, atque amplexum, vt exanimatus puer reuocetur ad vitam. Quare ab eo complexu à Propheta diſtrahitur, & ad illud traducitur cubile, vbi ſollicitos ſomnos, & inſomnes noctes ipſe ducebat, & quod potius lacrymis iugiter manantibus, quàm ſuaue aliquid halantibus vnguentis irrorat. Moritur ſanè puer in lectulo molli, quem inſtrauerat, aut, quod fortaſſe verius, in materno ſinu, inter delicias nimirum, quas maternus comparat affectus, & plus iuſto indulgentia profuſior: excitatur autem in duro lectulo, quem non voluptatis blanda mollities, ſed pœnitentiæ durus rigor inſtrauit. Perimit ſæpe matrum indulgentia liberos, quos confirmat, & ſeruat doctrina ſeuerior. Oppreſſit meretrix illa, de qua ſuprà cap. 3. filium ſuum, quia dormiens etiam voluit habere in ſinu ſuo. Eſt quidem humor terræ neceſſarius, & cœleſtis imber; at ſi illi immoderatum eſſe contingat, & nimium, pereat neceſſe eſt omnis terræ prouentus, & terra reddatur vliginoſa, & ſterilis. Moderatam indulgentiam teneræ adhuc proli commendamus, qualem exigit imbecillis ætas: nimiam tamen omninò prohibemus, quæ magis debilitat, ac frangit, quàm confirmat ætatem. Sapienter igitur Elias è molli lecto, & è matris ſinu puerum abducit, & transfert ad durum. Quod conſilium in ſpirituali ſuſcitatione ſeruandum, vt qui in molliori vitæ genere mortem incurrit animæ, idem vitam à ſeueriori viuendi ratione pœnitendo quærat. Neque enim vita eo in loco inuenitur, vbi mors regnat, neque mors ibi ſuperanda, vbi maiores habet vires, & magis eſt ad omnem contentionem inſtructa. D

*Parentum indulgentia mollior filios perimit, rigor excuſcitat.*

*Vitam reſtituit rigor, quam abſtulit mollities.*

Verſ. 21. *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus.* ] Si hiſtoriam ſpectes, res eſt non obſcura: ſi myſterium requiras, illud eſt, quod ſuprà dicebamus. Nam in Elia ad exiguam pueri menſuram contracto imaginem intuemur Chriſti, qui factus homo eamdem ſibi cum homine voluit eſſe menſuram. Quod ad hiſtoriam pertinet, cùm ſolus eſſet Elias cum defuncto puero in ſuperiori cœnaculo, orauit pro illius rediuiuo ſtatu oratione feruenti, quam iterauit tertiò, donec tandem quod optabat conſecutus eſt. Quomodo verò ſeipſum expanderit, séque fuerit ſuper puerum menſus, obſcurum eſt. Frequentes ita communiter ſtatuunt, vt incubuerit Elias ſuper puerum, & quoad eius fieri poterat cum pueri membris membra componeret, vt os ori, oculis oculos, manus manibus, & ſingula, prout rerum natura patiebatur, ſingulis adaptaret. Quod alio conſilio longè diſſimili fecerunt barbari, & ferino planè ingenio tyranni, de quibus Clemens Alexandrinus in Protreptico, & Auguſtinus lib. 4. contra Pelagianos. *Simili*, inquit, *nos affectos ſupplicio, atque eos, qui quondam cum in prædonum Hetruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viua cum mortuis aduerſa aduerſis accommodata quam aptiſſimè colligabantur.* Quod de Mezentio cecinit Maro lib. 8. Æneid. E

*Elias quomodo ſe ad pueri menſuram coarctauit.*

*Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,*
*Componens manibúſque manus, atque oribus ora.*

Hoc ipſum feciſſe Eliam mihi magis cum communi ſententia veriſimile. Et ſuadet quod hoc ipſum fecit dum alium puerum ſuſcitare vellet Eliſæus lib. 4. cap. 4. verſ. 34. ad imitationem, vt opinor Eliæ, quem magiſtrum habuit, & parentem. *Aſcendit Eliſæus, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.* F

Hæc mihi potiora ſunt. Sed quæres cur ſe Elias expandit ad orandum ſuper puerum? Nam præter myſterium, quod in hoc Eliæ facto meditantur patres, aliud videtur aliquid ſumptum ex Hebræorum ritu, qui vario corporis habitu in preces incumbunt: modò enim manus in cœlum eleuant, modò in genua procumbunt. Sicut oraſſe dicitur Salomon ſuprà cap. 8. verſ. 54. & cap. 19. verſ. 18. Multi dicuntur non curuaſſe genua ante Baal. De alio orandi modo, quo vſus eſt Elias in Carmelo, cùm à Domino pluuiam exorare vellet, poſita inter genua facie dicemus ſuo loco. Alius fuit modus Hebræis vſitatus, cùm placare offenſos aliorum animos ſtudent, & ab illis impetrare, quod maximè eſt in votis. Abiiciunt enim ſe ad infimas preces, & ita ſe ſternunt humi ſupplices, vt apprimant terræ faciem ſuam, & puluerem lingant. *Quare frequens eſt in puluerem cadere, ponere in puluere os ſuum, adhærere terræ ventrem.* Hoc modo orauit Elias cùm expandit ſe, neque quicquam in hoc orandi habitu tentauit inuſitatum. Quòd autem incubuerit ſuper puerum, & quantum potuerit ad eius ſe menſuram collegerit; 41.

*Vary apud Hebræos orandi modi.*

*Elias cur ſe incurauit ſuper puerum.*

gerit, illa videtur esse causa, vt quo magis se ipsum in angustum arctaret, humiliaretque, tanto magis diuinam misericordiam inflecteret, quæ humiles benignis intuetur oculis, nec despicit
42. cor contritum, & humiliatum. Neque fortasse alia causa est cur homo de geniculis oret, & ille orantis habitus iudicetur ad impetrandum aptissimus: nisi quia homo aliquid de corporis proceritate tollit, & tanto seipso breuior, & aliquo modo despicacior est, quantum patet à genibus ad pedes vsque magnitudo. Vel vt incumbens super puerum maiorem significaret animi dolorem, ad matris similitudinem, quæ mortuum amplectitur filium, & ab illo diuelli non patitur, quæ eo maiori commiseratione digna est, quo filium diligit ardentiùs, & illius mortem flet miserabiliùs. Deinde quia illa membrorum compositio amorem significat ingentem, quo toto cadauere videtur velle frui, qui viuus est, & totum se in exanimatum amici corpus infundere, vt illi det vires, spiritum, & vitam, & quidquid demùm mors abstulit acerba. Sanè amicus, aut amatus pars esse dicitur amantis dimidia. Sic Horatius lib. 1. Ode 3. amicum animæ suæ dimidium appellauit. Quod idem quoque dixit Augustinus lib. 4. confes. cap. 6.

*Cur in oratione genua flectuntur.*

43. Optat igitur qui amat dimidium illud sibi adiungere, atque ideo in illius lubens hæret amplexu, & ori mortui suum idemtidem inhalat spiritum, & anhelatam animam, si quomodo possit etiam cum animæ suæ dispendio ad vitam excitare: quomodo paulo suprà dicebamus Ambrosium fecisse super fratre Satyro, qui suum illi inspirabat anhelitum. Hæc videtur esse causa cur Propheta extincto puero se magis infuderit, vt magis iuxta parentum consuetudinem, dolorem suum, & amorem vehementiùs exprimeret, & eo nomine magis Deum ad commiserationem inflecteret; & quo præsente puero, sibique quodam modo colligato excitaretur ad orandum ardentiùs.

44. Dicitur porro incubuisse super filium puerum, vt ostendatur in excitando puero plurimum laborasse Prophetam; neque oratio videtur esse breuis, aut ignaua, cùm præsentem haberet exanimem puerum, qui dolorem acueret, & optimè de se meritam matrem, quæ studium inflammaret obtinendi voti. Quare iterum, atque iterum orat, neque remisse, aut languidè, atque ideo clamasse dicitur ad Dominum, quod indicat feruentissimæ orationis non leue pondus. Iterum, atque iterum incumbit, vt seipsum magis ad orandum, atque clamandum incitet: neque cessat ab eo studio contentio, neque clamandi, donec in maternum complexum refert redituum filium.

45. In Elia ad animandi cadaueris negotium intento imaginem video sacerdotis, qui de peccatoris vita, ac salute satagit: vt enim Elias amplectitur mortuum, neque exanimem horret; cùm tamen id maximè horreat natura mortalium; sic etiam sacerdos, cui ad vitam datum est excitandi mortuos negotium, horrere non debet peccatorem, qui vere mortuus est, quamtumcunque aspectu sit tetro, atque horrido, quamtumcunque sanie fluat, & tabo, quamtumcunque fœteat, licèt scateat vermibus, & vt alter Lazarus quatriduanus intollerabilem fœtorem exhalet; illum tamen amplecti debet iterum, ac sæpius, & super illum lugubre aliquid sonare, clamare vehementer, rugire constanter, omnem adhibere contentionem, & machinam, vt à sanie vendicet, ad vitam referat, vt ex tumulo, in quo deformis, tabidúsque iacebat, effodiat. Quòd si luctator cùm hostem aggreditur, illum etiam amplectitur, vt non foueat molliter, blandiatur amanter, sed vt certans athleticè de statu deiiciat; sic etiam sacerdos amplectatur necesse est rebellem lumini, & gratiæ peccatorem, cum illo pugnet: neque tandem aliquid sibi otij, & quietis assumat, donec illum à sinu diuellat, in quo lethalem contraxerat morbum, & animam egerat infelicem; quod perinde est atque è sepulcro extrahere, & ad auram reuocare vitalem, quam spirando ducat.

*Peccator quantumcunque fœtidus sacerdoti nauseam non debet.*

*Quantus labor sacerdoti subeundus in suscitando peccatore.*

Sunt qui putant id Eliam agere voluisse, dum incubat super puerum, vt carnem foueret, & à suo calore calefaceret, quo ad animandum illud corpus exangue, & frigidum disponeret; sicut calore sensim disponuntur ligna, vt ignem concipiant. Quidquid sit de Eliæ in hac incubatione consilio, non laboro, quia fortasse ab hac cogitatione longè aberat Elias. Verùm libro 4. Regum cap. 4. vers. 34. vbi quàm simillimum huic accidit miraculum, antequam puer reuiuisceret, illius caro dicitur calefacta, quasi eo modo foret ad excipiendam animam aptè disposita. In re tamen morali ad excitandum peccatorem à morte maximè curare debet sacerdos, vt per frigidum culparum glacie peccatoris pectus deuotionis calere confoueat, & ad gratiam, quæ animarum nostrarum vita est, ea ratione disponat, si modò velit aliquem ex sacramento Pœnitentiæ fructum capere. Quam in rem tribus vicibus, id est, iterum, sæpius incumbendum est: aliter enim pœnitentia non viuificabit exanimem, si absit idonea ad vitia dispositio: ignis enim, nisi calidum lignum non accendit, ita pœnitentia, nisi priùs animus calorem à deuotione conceperit, non euocat ad vitam. Incumbunt priùs ouis auiculæ, & suo calore confouent, neque aliter viuunt, & excluduntur pulli: sic etiam incumbat sacerdos necesse est, si modò quem expectat, videre studet spiritum salutis.

46.

IN

# IN CAP. XVIII. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*STATVERAT Deus exacta iam triennij ſiccitate indulgere pluuiam, & Eliam apud omnes ſic honorare, vt eius precibus conceſſa videretur. Atque ideo iubet, vt adeat Achab, quò conceſſæ ſibi diuinitus pluuiæ teſtem habeat. Quod cùm facere aggreditur, obuium habet Abdiam, quem in varias regni partes Rex ipſe dimiſerat, ſicubi pro alendis equis pabulum inueniret. Fuit autem hic Abdias vir vſque adeò ſtrenuus, & patriæ religionis amans, vt cum capitis non dubio periculo ſubtraxerit Iezabelis ferro centum Prophetas, eóſque in ſpeluncis abditos abunder aluerit. Rogat ab hoc Propheta, vt annunciet Regi inuentum Eliam, quem magno quæſierat ſtudio, & adeſſe propè: quod cùm principio recuſaret Abdias, obſequutus eſt tamen. Cúmque duriùs Prophetam appellaret Achab, non minùs durè, atque conſtanter reſpondit Elias, qui hortatur Achab, vt omnes accerſat Prophetas Baal, atque lucorum, quorum ingens erat numerus, vt certo aliquo conſtet experimento, quis ſit verus Deus, quæ ſancta, atque probanda religio: neque aliunde putat, quàm è cœlo diuinitus petendum teſtimonium. Illud autem proponitur, & omnium omninò admittitur conſenſu, vt ille verus exiſtimetur Deus, qui à ſuis cultoribus imploratus, miſſo deſuper igne oblatum ſibi ſacrificium conſumat. Quod cùm omni adhibita contentione effuſóque ſanguine, non obtinuiſſent ſacerdotes Baal, neque id difficile impetraſſet Elias, indignatus in eos vehementer populus, Elia iubente, omnes ad vnum trucidauit. Deinde monet Regem vt pluuiam expectet, séque vt illius impetum declinet, confeſtim præparet. Quam Elias tandem expreſſit, in ardentem orationem intentus, quam habuit in Carmeli vertice, vbi paulo antè factum fuerat de vera religione iudicium.*

## CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

1. POſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ.

2. Iuit ergo Elias vt oſtenderet ſe Achab: erat autem fames vehemens in Samaria.

3. Vocauítque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ: Abdias autem timebat Dominum valde.

4. Nam cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abſcondit eos quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, & pauit eos pane & aqua.

5. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad vniuerſos fontes aquarum, & in cunctas valles, ſi fortè poſſimus inuenire herbam, & ſaluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant.

6. Diuiſerúntque ſibi regiones, vt circuirent eas: Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram ſeorſum.

7. Cúmque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cùm cognouiſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam, & ait: Num tu es domine mi, Elias.

8. Cui ille reſpondit: Ego. Vade, & dic domino tuo: Adeſt Elias.

9. Et ille, Quid peccaui, inquit, quoniam tradis me ſeruum tuum, in manu Achab, vt interficiat me?

10. Viuit Dominus Deus tuus, quia non eſt gens aut regnum, quò non miſerit Dominus meus te requirens: & reſpondentibus cunctis: Non eſt hîc: adiurauit regna ſingula & gentes, eò quòd minimè reperireris.

11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic Domino tuo: Adeſt Elias.

12. Cúmque receſſero à te, Spiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro: & ingreſſus nunciabo Achab, & non inueniens te, interficiet me: ſeruus autem tuus timet Dominum ab infantia ſua.

13. Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, quòd abſconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, & pauerim eos pane & aqua?

14. Et nunc tu dicis: Vade, & dic Domino tuo: Adeſt Elias: vt interficiat me?

15. Et dixit Elias: Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum ſto, quia hodie apparebo ei.

16. Abiit ergo Abdias in occurſum Achab,

Achab, & indicauit ei; venítque Achab in occursum Eliæ.

17. Et cùm vidisset eum, ait: Túne es ille, qui conturbas Israël?

18. Et ille ait: Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.

19. Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me vniuersum Israël in monte Carmeli, & Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetásque lucorum quadringentos, qui comedũt de mensa Iezabel.

20. Misit Achab ad omnes filios Israël, & congregauit Prophetas in monte Carmeli.

21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Vsquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum.

22. Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi Propheta Domini solus: Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt.

23. Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam.

24. Inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio.

25. Dixit ergo Elias Prophetis Baal: Eligite vobis bouem vnum, & facite primi, quia vos plures estis: & inuocate nomina deorum vestrorum, ignémque non supponatis.

26. Qui cùm tulissent bouem, quem dederat eis, fecerunt: & inuocabant nomen Baal de manè vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebántque altare quod fecerant.

27. Cúmque esset iam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.

28. Clamabant ergo voce magna, & incidébant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis: donec perfunderentur sanguine.

29. Postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes:

30. Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curauit altare Domini, quod destructum fuerat.

31. Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israël erit nomen tuum.

32. Et ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris.

33. Et composuit ligna, diuisítque per membra bouem, & posuit super ligna.

34. Et ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursúmque dixit: etiam secundò hoc facite. Qui cùm fecissent secundò, ait: Etiam tertiò idipsum facite. Fecerúntque tertiò.

35. Et currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est.

36. Cúmque iam tempus esset vt offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, ostende hodie quia tu es Deus Israël, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.

37. Exaudi me Domine, exaudi me: vt discat populus iste, quia tú es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum.

38. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.

39. Quod cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait; Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.

40. Dixítque Elias ad eos: Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cison, & interfecit eos ibi.

41. Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluuiæ est.

42. Ascendit Achab vt comederet, & biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua,

43. Et dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. Qui cùm ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Reuertere septem vicibus.

44. In septima autem vice, Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari: Qui ait: Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum & descende, ne occupet te pluuia.

45. Cúmque se verteret huc atque illuc, ecce,

ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Iezrahel:

A

46. Et manus Domini facta est super Eliam, accinctísque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezrahel.

# IN CAP. XVIII. LIB. III. REGVM COMMENTARII.

## Vers. 1. *Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio.*

1. QVOTO anno, vel mense, ex quo sibi in domo viduæ hospitium parauerat Elias, mandatum acceperit, vt occurreret Achab, incertum est; tantum enim habemus post multos dies, & anno tertio hoc habuisse à Domino mandatum. Ex hoc loco quidam existimant famem durasse triennium, quod quidem, si Scripturæ consuetudinem aspicias, durum non est, quæ inceptos atque imperfectos annos interdum omittit, interdum pro perfectis numerat. Suprà cap. 2. v. 11. Dauid regnasse dicitur septem annos in Hebron. Item lib. 1. Paralip. c. 29. v. 23. & tamen lib. 1. Paralip. c. 3. v. 4. septem annos, & sex menses regnasse dicitur in Hebron, alibi omissos, hîc expressos vides menses sex. Sic cùm hoc loco tres annos tantùm videatur defecisse pluuia, & fames inducta: apud Lucam tamen c. 4. & Iacobi c. 5. durasse dicitur fames, aut cælesti rore caruisse terra annos tres, & mẽses sex. Nisi fortè dicas quod nonnulli putant, tertio anno, ex quo Elias in Sarephthanæ viduæ venit hospitium, hoc à Domino habuisse præceptum, quasi sex mensibus fuerit in torrente Carith, & annis tribus in Sarephtha Sidoniorum. Quod diximus videri difficile. Alij putant tres annos, & sex menses negatam esse pluuiam in Israël: exactis tamen sex mensibus cœpisse populum laborare fame, & à tertio anno, ex quo grassari fames cœpit, Eliam occurrisse Achab. Vtraque solutio non leuibus laborat incommodis, multò magis videtur esse soluta, quæ primo loco à nobis posita est.

B

C

D

2. Vers. 1. *Vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ.* ] Posset Deus inscio, atque etiam inuito & renitente Elia, missis largè in terram sitientem imbribus exhilarare, & reficere deficientes homines. Noluit tamen, nisi conscio, ac penè consulto, & inspectantibus aliis, hoc ipsum à Deo impetrante, quò maior illius esset apud omnes authoritas, & talis existimaretur, qui posset, cùm vellet, claudere, & aperire cœlos, & peccatores homines aut inedia conficere, aut ad satietatem vsque alimentis explere. Vsque adeò Eliæ apud homines existimationi consultum esse voluit. Quare impertiri imbrem hominibus noluit, donec Elias appareret Achab, & illi contra omnium spem, cùm cœlum adhuc ferreum appareret, pluuiam promitteret, quo illo tempore nullum videbatur maius conferri posse beneficium. Aut etiam id agebat Deus, vt omnes ab Elia impensiùs orante, & à Domino impetrante, & quasi extorquente pluuiam, vel inuiti cognoscerent à Deo priùs, cessante pluuia, inductam esse famem; & postea insperato concessa fuisse depulsam.

*Elias à Deo maximè honoratus.*

E

3. Vers. 2. *Iuit ergo Elias vt ostenderet se Achab.* ] Prodit sese hîc Eliæ obedientia mirabilis, qui cùm sciret offensum in se grauiter Achab, & id egisse sæpe, ac diu, vt illum comprehenderet, & occideret; cùm ab eo putaret immissam esse famem, quæ tunc vehementissimè Samariam vrgebat, & eam ob rem omnes Israëliticæ terræ sinus scrutatus fuerat, vt ab eo (vt dicemus statim) calamitatis publicæ pœnas exigeret; sed timores omnes superauit facilè obsequentis animi inuicta constantia, & exorbuit quicquid ab exulcerato Regis animo in ipsius caput parari, aut excogitari potuit.

4. Hîc Elias magnum illis documentum dedit, qui secessum sibi, & solitudinem elegerunt, vt quietem relinquant, & orationis quietum otium, si quando proximorum salus nostrum à nobis studium, & operam requirat. Sic enim Deus illud probat vt istud præcipiat. Egebat populus, qui aureum vitulum supplex adorabat Moysis præsentia, iubet Dominus, vt se relicto quamprimum ad populum descendat. Exod. 32. v. 7. *Vade, & descende, peccauit populus tuus.* Notum est, & celebre hominum memoria, quod de Phraate viro sanctissimo, & maximopere solitudinis amanti refert Theodoretus in historia lib. 4. c. 24. Cùm enim quo se Imperatore Valentis consiliis opponeret, reíque catholicæ ab impiis oppugnatæ subueniret, secessum deseruisset, & solitudinem, eóque nomine reprehenderetur ab Imperatore, quasi alienis se, & sæcularibus curis implicaret homo solitarius, eúmque ad suam sibi cellam redire iuberet; ille ad Imperatorem intrepidè. *Dicito*, inquit, *mihi ô Imperator, si filia alicuius essem, & sederem in conclaui, vti ædes curarem: atque deinde cernerem flammas in eas incidisse, ædésque paternas iam conflagrare, quid me facere oporteret, intus ne manere, & ædes incensas negligere, expectaréque donec flammæ impetus longiùs peruaderet, an relicto conclaui sursum, deorsúmque cursitare, & aquam afferre, quæ flammam extingueret? Atque hoc ipsum nos agimus Imperator. Etenim cùm tu iam in patris nostri ædes flammam iniecerís, nos circumcursitamus, quo eam maturè possimus extinguere.*

5. Vers. 3. *Vocauitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ.* ] Abdias vir erat religiosus, & pius, qui patriam legem adhuc retinebat. Quod in Regis impij domo, & inter aulicos impios conseruasse tamdiu planè prodigij instar est: maximè cùm regiæ domus dispensator esset, quẽ locum ille tenere non solet, qui non se totum Regum moribus, & votis attemperat. Hic autem vsque adeò religionem patriam, & ipsius amatores complexus est studiosè, vt contra Regis voluntatem, & Reginæ Iezabelis inflammatum odium, quo veri Dei nomen, & cultum, sublatis de medio Prophetis, abolere voluit, seruarit tamen centum Prophetas, illósque in tanta rerum angustia abundè sustentarit, &, vt est verisimile, ex regio penu, cuius ipse dispensator erat. De hoc Abdia quidam è nostris multa

multa cum Hebræis meditantur interpretes, nempe fuisse vnum ex duodecim Prophetis, qui quarto annumeratur loco, qua de re nos in illius commentariis plura proleg. 1. Quod si ita est, ducentis propè annis antiquior fuit aliis, qui sub hoc nomine scriptis vaticinia sua prodiderunt: tantum enim temporis interfuit inter Achab, & Reges alios quorum ætate floruerunt alij. Hoc minus est improbabile. Illud verò difficilius, maritum fuisse illius Sunamitidis, cuius filium excitauit Elisæus lib. 4. Reg. c. 4. Quod refert ex Hebræorum sententia Lyra, in lib. 4. Reg. De quo nos aliquid in nostris Abdiæ & Ionæ Prophetarum commentariis in prolegomenis. Vbi obseruo pro Sunamitide positam esse Sarephthanam viduam, & huius coniugem existimari Abdiam; & licèt id in erratis animaduersum sit, tamen huius rei lectorem admonitum esse volo, qui neque semper errata consulit, cùm tamen maximè interdum expediat, neque omnes libri cum erratorum notis à Biblipolis distrahuntur.

6. Hic porrò Abdias discipulus existimatur Eliæ, vt docet Ioannes Episcopus Hierosolymitanus de institutione Monachorum c. 15. to. 7. Biblioth. vbi etiam tradit esse illum quinquagenarium qui tertio loco missus fuit ab Ozia, quem supplicem audiuit Elias, fecitque ne illum ignis è cœlo delapsus absumeret, cuius beneficij memor relicta aura ad solitudinem se contulit, & totum se in Eliæ tradidit disciplinam. Quod tenent complures alij, & in nostris comment. in Abdiam diximus proleg. 2.

7. Vers. 5. *Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus inuenire herbam.*] Ex hoc loco colligere posse videor in ea tantùm parte Israëlitidis regionis, quæ ad Achab pertinebat, contigisse triennalem famem ex agrorum siti. Neque enim egressus esse dicitur Achab, & illius dispensator Abdias, vt frumenta quærerent, quia illa coëmpta pretio ex vicinis vrbibus, quos grandis illa sitis agrorum non tetigerat, comportari poterant; sed quia in alienas regiones pabulandi, atque aquādi gratia equi, ac reliqua iumenta transportari non poterant, aut non sine magno suo periculo, aut rerum domesticarum dispendio, in suis prouinciis fontes, & pabula requirunt, vbi quod iumentorum erat reliquum conseruarent. Quæ cura tanti putabatur esse momenti, vt illam Rex ipse susceperit, quasi in illis rerum angustiis suæ maiestati non indecoram, & cum illo communicarit, cui domus suæ dispensationem crediderat, quémque ex omnibus sollicitum magis, magísque fidelem fuerat expertus.

8. Vers. 9. *Quid peccaui, inquit, quoniam tradis me seruum tuum in manus Achab.*] Egressus fuerat Elias iuxta Domini præceptum è Sarephthano hospitio, vt occurreret Achab, sed incidit in Abdiam, qui non multo antè, vt apparet, in eo pabulandi studio digressus fuerat à Domino suo, cui iubet, vt ad Regem redeat, illíque enunciet adesse Eliam. Expauit ad hoc mandatum Abdias, cùm videret in eo non dubium capitis periculum proponi; quod quale sit, dicemus statim.

9. Vers. 10. *Non est gens, aut regnum, quò non miserit Dominus meus te requirens.*] Non poterat maiori studio requiri, quàm à Rege quæsitus est Elias, cùm omnes regni sinus, & latebras perscrutatus fuerit; & cum à nemine prorsus inuentus esset, adiuraret omnes, vt interposita iurisiurandi religione certiùs cōstaret nullibi gentium reperiri, & nequicquam ab vllo post hoc èsse quærendum, aut iureiurando adegit, vt quicunque inue-

*Cur Elias quæsitus ab Achab.*

nerit Eliam, illum comprehenderet, & ad se deduceret. Quod etiā finitima regna promisisse videntur, tū quia aliqui cum Achab intercedebāt vsus, & officia; tum etiam quia timebant, ne sibi aliquid mali cōtingeret ex vicino malo. Ita Lyra, & Abulensis quæst. 9. Quem ad finem Achab inuestigarit Eliam, dubium est. Quidam dicunt quæsitum esse à Rege, non vt illum occideret tamquam publicæ rei inimicum, quasi siti voluerit, & tabe ingentem illum populum consumere, cùm dare potuerit de cœlo pluuiam, sicut priùs ademerat. Dixerat enim suprà c. 17. v. 1. *Viuit Dominus, &c. si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Cùm autem videret Achab prohibitam esse tandiu pluuiam, sicut minatus fuerat Elias, futurum etiam credidit, vt ad eius imperium pluuia defluere, & leuaretur fames. Ita putat Abulensis q. 8. Alij expetitum dicunt Eliam ad mortem tamquam acerbissimum rei communis hostem, qui ad extremam miseriam adegisset populum, maximè vrgente Iezabele, quæ Prophetas Domini animo infectabatur hostili, & illorum plurimos occiderat; & extinxisset complures alios, nisi illos tyrannico furori Abdiæ sedulitas, & fides subduxisset. Ita tenet Hugo, & Augustinus lib. 2. de Mirab. *A Domino*, inquit, *Eliæ dicitur, vt in spelunca torrentis Charith se absconderet, quatenus, & tempore famis haberet alimoniam, & persecutorum auide se quærentium rabidam effugeret iram.* Quam ego sententiam libentiùs amplector. Neque dubium fui consilij, atque animi argumentum dedit Achab, qui non mollibus verbis excepit Eliam, qualibus supplices alios salutare solent, sed duris, & contumeliosis, ita vt facilè videas spiritus intus latere minaces, qui rabiem anhelarent, & cædem, atque compressum diu acerbitatis venenum euomerent. *Tu ne, inquit, es, qui conturbas Israël?*

Vers. 12. *Cúmque recessero à te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro.*] Ex hoc loco quiuis facilè sibi persuadebit non semel à Spiritu raptum fuisse Eliam, & ex hominum oculis ereptum: neque enim aptè, & opportunè hæc dixisset Abdias, nisi aliquid simile aut vidisset ipse, aut audiisset antea. Quod etiam indicant Prophetæ illi qui Eliæ, atque Elisæo fuere familiares, qui nisi eiusmodi aliquid cognouissent, non dixissent Elisæo, postquam ab illorum oculis sublatus est lib. 4. Reg. c. 2. *Ecce serui tui sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere Dominum tuū, ne forte tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit in vno montium, aut in vna vallium.* Ita putat Abulensis q. 10. & statim q. 11. & q. 12. licèt verisimile puter spiritum illum, à quo raptus dicitur Elias, esse Angelum à quo non aliter sublatus censeri potest, quàm Abacuc, quando Danieli ad Babylonem vsque detulit cibum; tamen eò magis propendet, vt existimet spiritum istum ventum fuisse vehementem: seu turbinem, qui aliquando abripuit Prophetam, & ab hominum oculis aliò procul præcipitem abduxit: quod ideo putat, quia sumpta, vt apparet, ex aliis Eliæ raptibus coniectura dixerunt Prophetæ ad Elisæum de Elia. *Ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit in vno montium, aut in vna vallium. Proiicere*, inquit, *non est Angeli, qui potius deponeret, quàm proiiceret Eliam; sed venti, qui impetu aliquo absque consilio aliquid circumagit, & rapit, & ibi relinquit temere, vbi primùm impetus sedatur, & frangitur.* Quod confirmat alius raptus Eliæ, qui fuit omnium extremus: Nam lib. 4. Reg. c. 2. v. 11. vbi legimus, *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Et Eccles. 48. v. 13. *Qui receptus est in turbine ignis, in*

10. *Elias non semel à Deo raptus.*

*curru*

*curru equorum igneorum.* In hanc ego sententiam libentiùs descendo.

Vers. 17. *Túne es ille, qui conturbas Israel?* ] Hæc verba non sunt eius, qui ad alicuius clementiam supplex accedat, vt aliquid sibi necessarium obtineat, sed illius, qui adhuc compressum seruat odiũ, & aliquid secum meditatur hostile. Conturbatum esse Israelem, & vrgente fame compulsum exire domo, & ab alienis quærere necessaria vitæ subsidia, Elię quasi sui generis inimico adscribit Achab: neque qua erat in Eliam offensione abstinuisset manus à cæde, vel iniuria, nisi Deus, cuius tunc parebat Elias imperio, aut sedasset animum, aut metum, atque languorem indidisset; sicut antea Esau fratris, & soceri Laban aduersùs Iacob inflammatum furorem temperasset.

*Sed tu, & domus patris tui.* ] Indidit Deus Eliæ frontem, sicut adamantem, & silicem, vt postea Ezechieli cap. 3. v. 9. vt duram, & adamantinam frontem adamantinæ inimicorum fronti aduersam opponeret. Quare non minus constanter respondet Regi, quàm à Rege in ipsum conuitia iactantur liberè. Nec dubitat dicere propter ipsius, ac parentis impietatem turbatum esse Israelem, & ad extremum penè statum deductum, cùm veram religionem abiecerit, & gentilicos mores, & barbaram impietatem induxerit. Quod sanè verum fuit: nam si ad alienos Deos non transfugisset Achab, & subiectos sibi populos secum non traduxisset, non audiisset à Propheta minacem orationem, neque illius pondus esset expertus.

13. Vers. 18. *Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me vniuersum Israel.* ] Non dubium quin inter Regem, & Eliam longior esset institutus sermo, & hinc, atque inde obiectæ, atque depulsæ criminationes, & orta longa vtrinque de religione concertatio. Postquam eò deuentum est, vt in eum locum, cui tunc, opinor, proximè confederant, ad montem videlicet Carmelum conuocaretur vniuersus Israel, & quotquot essent lucorum sacerdotes, Baalis sacrificuli, & Prophetæ, & ibi spectante populo honesta iniretur, & legitima ratio, quæ religionem probaret, aut argueret leuitatis, quam ipse, qui tunc erat in ea populorum frequentia solus aut alij omnes venerarentur, & colerent. Quod ideo, vt opinor, à Rege non nimis sibi beneuolo, ac reliqua multitudine impetrare potuit, quia non aliter dandam sibi desideratam tandiu de cœlo pluuiam sibi persuaserant. Statim igitur Rex conuocauit Israelem, & Baalis sacerdotes, & Prophetas ad condictum locum. Neque parum videtur interiectum spatij, cùm latè essent sacerdotes, Prophetæque dispersi, & ex omnibus tribubus essent congregandi non pauci. Interim verò existimo in Carmelum secessisse Prophetam, vt rem totam commendaret Domino, vbi ipse forsitan orarat sæpe feruenter, & plurimas desuper illustrationes acceperat. Aut igitur ea de causa Carmelum elegit, quasi futuri certaminis nobile stadium, aut quia Prophetas veros, suósque discipulos ibi interfecerat impia Iezabel, cùm ibi commune suũ haberent diuersorium, & quia non occultè pietati vacabant, Iezabelis sedulitatem, & illius ministrorum oculos latere non poterant. Voluisse itaque videtur Elias auctorare ibi & commendare religionem veram, vbi effuso tot Prophetarum sanguine, illam Iezabel exauctorare, & damnare voluerat; vt ibi impiorum prophetarum sanguinem profunderet, vbi piorum viderat esse profusum.

*Cur in Carmelo certatum inter Eliam, & sacerdotes Baal.*

14. Vers. 21. *Accedens autem Elias ad omnem populum*



A *ait: Vsque quo claudicatis in duas partes?* ] Cùm iam, quod optabat Elias, maximè esset consecutus, egit ad populum audacter, coarguítque instabilitatis, atque perfidiæ, quòd lubricis incederet gressibus, neque in aliquo certo loco stabili hęreret vestigio, cùm modò Deum verum colere se profiterentur, & tamen ad Achab, & Iezabelis vota, ad Baalis aras supplices accederent. Hoc autem est in duas partes claudicare, dum huc atque illuc nutante gressu corpus etiam totum, & pręcipuè caput dextrorsum, ac lævorsum inflectitur. Tales tunc erant Israelitæ, qui placere cùm studerent Iezabeli, neque à patria religione defeciisse vellẽt, & à suis in caput suum iustum odium conflare, à Baalis ara ad Dei se conferebant altaria, & ab iis rursus se ad Baalis aras referebant. Ita dum student vtriusque religionis esse participes, vtriusque potiùs se profitentur expertes. Hi sunt, de quibus Paulus 2. Cor. 6. v. 15. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Quo loco Paulus ad hanc Eliæ reprehensionem spectasse videtur. Latinus hoc Hebræorum prouerbium aliter enunciat, *duabus sellis sedere.* Quod faciunt qui cùm ex vsu suo vident futurum esse, modò se ad hanc, modò ad illam partem attemperant, neque tam aliorum voluntati, quorum aucupantur gratiam, quàm suæ commoditati seruiunt.

*Nemo duobus dominis seruire potest.*

B

*Et non respondit ei populus verbum.* ] Compressit forsan loquendi libertatem iniectus à Propheta pudor: neque enim conscius animus habebat, quid Prophetæ verbis honestum opponeret. Vel illa C fuit dicentis autoritas, ille spiritus, illud orationis pondus, vt turbarit animos, fauces præcluderet, neque vllam relinqueret loquendi facultatem. Est enim illud experientia cognitum, & rationali naturæ consentaneum, vt pudor, & obiecti sceleris conscientia elingues reddant homines. De hoc pudore est illud Iob c. 5. v. 16. *Iniquitas contrahet os suum.* & Ps. 106. v. 42. *Omnis iniquitas oppilabit os suũ.* Micheas 7. v. 16. *Videbunt gentes, & confundentur, ponent manum suum super os suum.* Sanè ille, cui Dominus Matth. 22. v. 12. exprobrarat quòd absque nuptiali veste, in nuptiale conuiuium esset ingressus, obmutuisse dicitur, quia nimirum pudor, & iusta Regis indignatio fauces obstruxerant.

15. *Pudor, & peccati conscientia elingues facit.*

Vers. 22. *Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi Propheta Domini solus: Prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri sunt.* ] Postquam obmutuisse populum vniuersum vidit Elias, neque respondisse vllum ad obiecta de religione verbum, ipse rationem ostendit, qua quiuis intelligat, vtra sit vera, falsáve religio, cuius examen in sacrificio, atque oratione posuit. Et ne quis personarum contentione, ac viribus, & non potiùs vera sanctitate iudicium, aut aliquo artificio elusum esse putet, partes aliis superiores concedit: ita vt aliis omnibus rebus præterquam religionis professionis, & sanctitate vincant. Primùm se magnæ Prophetarum multitudini solum opponit: ipse enim solus è veris, E sanctisque Prophetis in eo congressu reperiebatur. Deinde iubet, ne qua in sacrificiis esse posset fraudis, calliditatísque suspicio, vt ipsi eligant duos boues suo arbitratu, & ex illis eligant, quem magis suis votis, atque rationibus opportunum esse putauerint: quorum alterum ipsi sumant, & sacrificali ritu in frusta concidant, suppositísque lignis sine igne superimponant.

16. D

Quod item ipse faciet; tunc autem ille verus Deus existimabitur, qui preces audierit supplicantis, & emisso desuper igne oblatum sibi sacrificium cõbusserit. Et eodem consilio, cùm de aqua nihil inter disceptantes de religione conuenisset, neque ab aliis aliquid aquæ super sacrificium, & ligna foret infusum, quominus res suspicioni pateret, non solùm super sacrificium, & altare, sed etiam latè circùm aquarum plurimum induxit. Quod diuinæ cuiusdam solertiæ, & magnæ in diuina promissione fiduciæ argumentum fuit.

17. *Igne Deus sacrificium gratum sibi fuisse significat.*

Vers. 24. *Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.*] Deus exaudire dicitur per ignem sacrificãtis, atque orantis vota, precésque, cùm misso desuper igne consumit, & resolutum in fumum, ac sursum eleuatum in odorẽ suauitatis admittit, quod quia nimis erat notum, nemo de populo toto, quẽ Rex euocauerat, ignorare poterat, cùm illustrissimis antiqua recentique memoria abundarẽt exẽplis. Gen. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Quod Patres communiter exponunt significatum esse misso desuper igne sacrificium Abelis Deo placuisse. Vnde Theodotion reddidit ἐνεπύρευσεν, id est, inflammauit, seu cremauit. & Iud. 6. v. 21. ignis à Deo missus, & emicans repentè de petra Gedeonis sacrificia consumpsit. Idem accidit Aaroni Leu. 9. v. 24. & Dauidi 1. Par. c. 21. v. 26. & non longè ab hoc tempore sacrificium à Salomone oblatum cœlestis flamma consumpsit, 2. Par. 7. vers. 1. Quare populus, licèt à Iezabele, eiúsque marito plus satis vxorio deceptus, illorum sacrificiorum memoriam non abiecerat. Atque ideò lubens propositam ab Elia conditionem admittit, dicítque, *optima propositio*, quia non videbatur honestior vlla ratio, quæ meliùs illud de religione iudicium definiret.

18. *Facio verbum sacrificale.*

Vers. 26. *Qui cùm tulissent bouem, quem dederat eis, fecerunt.*] Elegerunt sacerdotes, Prophetæque Baal bouem, quem suis consiliis magis censebant opportunum. Quem libenter illis Propheta cõcessit, & illi patrio ritu imposuerunt altari, fecerúntque reliqua, quæ ad impura illa sacra lex sacrificalis, & consuetudo præscribit. *Facere* verbum est sacrificale, quod idẽ valet, atque *immolare*, seu ad aram disponere legitimè. quod verbum Scripturæ sacræ familiare, vt habes in hoc c. suprà v. 13. Leu. 15. v. 15. & 23. v. 19. & alibi millies. Qua de re nos pluribus in nostris commentariis super Ezechielem c. 43. ad illud v. 25. *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie.* Apud Græcos sanè ῥέζειν, & θύειν non solùm facere, sed etiam sacrificare significant, quod lib. 14. obseruauit Athenæus. Quod apud Latinos inusitatum non est, hunc illi tribuit vsum Virgilius eclog. 3.

*Cùm faciam vitulam pro frugibus, ipse venito.*

19. *De sacrificio Elia Hebræorum fabula.*

Hîc suo more nugantur Hebræi, dicunt enim cum magistro suo Rab. Salomone (vt dicit hic Lyra, & Abulensis q. 27.) bouem, quem sibi elegerũt, qui pro Baale certabant, fugisse ab illis, & ad Eliã se recepisse, quasi indignaretur, aut dedignaretur immolari dæmoni, & illius aram ipsius imbui, & consignari sanguine, sed nihilominus illis ab Elia fuisse traditum. Quod si verum fuisset, ad rem moralem non parum habuisset momenti; sed Euangelicus doctor ad instruendam vtiliter concionem Hebræorum non indiget figmentis, & nugis.

20. *Sacerdotes*

*Transiliebántque altare quod fecerant.*] Matutinum tempus antagonistis suis concesserat Elias, quia magis sacrificiis idoneum, cúmque omnis in orãdo, atque clamando adhiberetur contentio, neque vlla appareret Baalis vox, nullus motus, aut sẽsus, neque tanto studio responderet Baal, magis quàm saxea moles, aut lignea, iuxta patrios ritus transiliebant altare inter dissectas victimæ partes; Quasi ipsi quoque, dum altare conscendunt, vellent esse victimæ, aut victimas se esse ea ratione simularent: aut certè eo frequente, numerosóque transultu Deum suum placarent, aut etiam repugnantem impellerent. Fuit autem modus ille sacrificandi vsitatus Gentilibus, qui vario incessu, motúque Deorum suorum festos obibãt dies, aut sacra peragebant, quales fuerunt Corybantes, Salij, Lupersi, & eiusdem farinæ complures alij. Sanè idem feciſſe videntur viri Israelitæ in eo maximè sacrificio, quod ad firmandum pactum adhibetur. Ieremiæ cap. 34. v. 18. *Vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* & idem repetitur v. 19. *Gentiles sacrificantes altare transilire solita.*

21.

Vers. 27. *Cúmque esset iam meridies, illudebat eos Elias.*] Iam transactum erat matutinum tempus, quod fuerat ex pacto Baalis sacrificio definitum. & cùm omnes animi, ac corporis neruos ad illud opus intendissent Prophetæ, neque sudando, atque anhelando profecissent hilum, eos amaro quodam scommate subsannabat Elias, dicebátque vt quàm maximè possent voce contenderent, vt Deum suum dormientem excitarent, aut tardantem acuerent, aut distractum ad alias curas ad suũ opus, & sacrificium reuocarent. Sic Elias insultabat Prophetis, vt verè cæcis, & amentibus, & Baalem quasi truncum, & saxum graui exagitabat, liberóque conuitio.

22.

Vers. 28. *Incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.*] Hoc erat extremum quod offerre sacerdotes iuxta sacrificalem ritum poterant, vt optata consequerentur: quasi enim infirmi essent clamores, & voces, & laceratæ victimæ ad inflectendum Deum, vt postulata concederet, rem aliter tentant, nouas admouent machinas, neque alieno iam litant sanguine, sed suo. Quare non aliter in se, quàm in victimas sæuiunt, cultris se incidunt, & secant, lanceolis se compungunt, donec suo toti sanguine commadeant. Miserabile planè spectaculum videre sacerdotes suo more infulatos, rubentes, atque stillantes sanguine, rugientes ad Deum inanimatum, & surdum, à quo nihilo magis excipiuntur clementer, & benignè, quàm à silice, aut à rudi, atque syluestri stipite.

23. *Dæmoni gratum sacrificium, aut humanus sanguis aut abscisũ membrum.*

Notum est gratum esse dæmoni quicquid ab humano corpore expressum, aut desectum est. Neque quicquam magis amant in sacrificiis, quàm hominum aut abscissa membra, aut libatum sanguinem. Ita Isidorus citatus ab historia scholastica in hunc locum. Et quidem humano sanguine delectari dæmones, & humanas sibi victimas exigere docent regiones æuo nostro vltra Oceanum ab Hispanis apertæ, in quibus passim immolantur homines, & illorum sanguine occurrunt vbique obuiæ rubentes aræ. Gentiles olim aut seipsos, aut filios, aut etiam hospites immolabant diis, quos sibi placatos, & tutelares esse volebant; vt probant Dianæ Tauricæ belluina sacra, & alia his quàm simillima, quæ vide apud Alexandrum Neapolitanum lib. 6. Genial. cap. 26. & ibi Tiraquellum, & Lactantium lib. 1. de falsa religione cap. 21. Sed quod propiùs facit ad hæc sacrifi- *Gentilium in suis sacrificiis admiranda crudelitas.*

24.

cia,

cia,in quibus sacerdotes non alieno litant sanguine, sed suo,est sacrificium quod offerre consueuerunt antiqui quibusdam diis, quos sibi voluerunt reddere propitios. De quo Lactantius loco nuper citato, cuius verba hîc referam. Nam cùm egisset de Idææ matris execrabilibus sacris, in quibus sacerdotes seipsos mutilato corpore turpiter effœminant, de Virtutis,seu Bellonæ sacerdotib. dicit. *Alia Virtutis* (sacrificia) *quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificãt. Sectis namque humeris,& vtraque manu districtos gladios exerentes currunt,efferuntur, insaniunt.* De hac Tibullus vbi fœminam sacrificantem induxit,

*Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,*
*Sanguineque effuso spargit inepta deam.*
*Státque latus præfixa veru,stat saucia pectus,*
*Et canit euentus,quos Dea magna mouet.*

Prudentius huiusmodi Gentilium sacrificia deridet in hymno de S. Romano sub finé, vbi multa commemorat his similia, quæ passi nunc sunt in sacrificando sacerdotes Baal.

*Sunt sacra,quando vos met ipsi exciditis,*
*Votiuus & cùm membra detruncat dolor,*
*Cultrum in lacertos exerit fanaticus,*
*Sectisque matrem brachiis placat deam.*
*Furere, ac rotare ius putatur mysticum.*
*Paria ad secandum dextra fertur impia,*
*Cœlum meretur vulnerum crudelitas,*
*Quid? cùm sacrandus accipit Sphragitidas*
*Acus minutas ingerit fornacibus.*
*His membra pergunt vrere: vt igniuerint*
*Quamcumque partem corporis feriens nota*
*Stigmarit,hanc sic consecratam prædicant.*

Alia hîc in eamdem sententiam,& consuetudinem memorat Prudentius, quæ hîc repetere prohibet pudor. Ex his constat, quæ hîc in suis sacrificiis faciunt sacerdotes Baal,fuisse Gentilibus nõ inusitata, & hunc Baalem fuisse dæmonem crudelissimum, qui hoc tam barbaro ritu sibi litari vult.

25. Hîc ego suspicabar sacerdotes Baalitas altare, quod fecerant,transiliisse, vt habemus suprà v.26. vt sanguis,quem cultri, atque lanceolæ ex corporibus expressérant, aram imbueret, & cum boue ibidem immolato coniungeretur, vt sanguis ille quoque victima fieret, & Deum magis ad commiserationem inflecteret. Neque obstare huic meæ cogitationi putabam, quòd ille priùs narretur transultus, quàm sanguinis effusio, cùm tam in sacra, quàm in profana historia, non eodem ordine facta narrentur, quo gesta sunt, & ὕστερον πρότερον in Scriptura sit non inusitatum.

26. Vers.30. *Dixit Elias omni populo: Venite ad me;& accedente ad se populo,curauit altare, quod destructum erat.*]Præterierat iam sacrificij tempus, neque suis clamoribus,atque vulneribus miserabilis ille Prophetarum, atque sacerdotum cœtus quicquam effecerat. Quare cùm iam spem omnem desponidissent, & animum, suum negotium audacter aggreditur Elias. Quare populum sibi magis,quàm antea æquum aduocat, instaurat altare, quod ibi priùs excitatum fuerat, & iam aut impiorum sacrilego conatu,aut temporum iniuria, seu diuturnitate destructum. De hoc altari varij varia cogitant. Abulensis q.27. putat altare illud destructũ, erectum quondam à Saule 1.Reg.c.15.v.12. & idẽ (vt inquit Lyra) putat Rab. Salomon, qui dicit destructum fuisse à Iezabele, quia nullum volùit veræ religionis extare vestigium. Sed ex eo loco non colligimus excitatum esse à Saule aram, sed fornicem triumphalem, quia ibi potius esse voluit victoriæ monumentum, quàm sacrificij locum, quem habuit in Galgalis. Alij meliùs meo iudicio, putant ante illum articulum extructum ab Elia Hebræorum ritu altare in Carmelo,qui eò aduocauerat Prophetas, & populum Baalis nefariæ religioni deuotum; in quod insilierunt grauiter indignati sacerdotes, videntes nihil se clamando,ac sacrificando perfeciisse. Quare cùm sibi persuaderent ex eo certamine nihil præter ignominiam futurum esse reliquum, irruperunt impatienter in aram illam pro sacrificio præparatam,& quod ab Elia constructum fuerat, facta conspiratione disturbant.Ita Serarius putat,neque ego rationem vllam meliorem inuenio.

27. *Duodenarius numerus celebris apud Hebræos.*

Vers. 31. *Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob.*] Numerus duodenarius in populo Israel celeberrimus fuit, & quodammodo sacer, propter duodecim filios Iacob, ex quo Israeliticum genus propagatum est. Sic duodecim lapides educti sunt è Iordanis alueo, & totidem eorum loco reposíti. Iosue c.4.v.5. *Iuxta numerum filiorum Israel.* Totidem lapides filiorum Israel nominibus inscripti reperiuntur in rationali summi sacerdotis inclusi. Vt ergo Elias ostenderet colere se,atque implorare nomen illius, quem antea duodecim tribus, & eorum parentes in suum, & verum Deum agnouerunt, altare construxit è lapidibus duodecim,vt quotquot essent è duodecim tribubus, parentum suorum Deo sacrificatum, & illius nomen imploratum scirent.

28. Vers. 32. *Fecit aquæductum,quasi in duas aratiunculas in circuitu altaris.*] Aratio apud Latinos non solùm actionem significat,qua terra proscinditur, aperitur,& subigitur vomere,sed etiam terram ipsam vomere subactam.Sic Tullius de homine, qui multis abundabat latifundiis, & qui multis in agris colendis vtebatur iugis, dixit multas arationes habuisse. Sic aratio sterilis dicitur, exilis, fructuosa,id est,ager sterilis, &c. Quare cùm Elias aratiunculas fecisse dicitur,aut aquæductum,quasi duas aratiunculas, nihil videtur aliud significasse, quàm areolam quamdam circum altare fuisse relictam. Quam impleuit aqua, quò magis appareret vis cœlestis ignis,qui non solum bouem immolatum,sed etiam aquam vndique circumfusam consumeret. Hebr. est, כבית סאתים זרע *beth setaim, zerahh.* id est, secundùm saccum, seu mensuram duorum satorum seminis: quasi dicat tantum spatium seu areolam ad excipiendam aquam esse relictum circum altare, quantum occupare solent duo sata frumenti,nimirum seminata.Ita putat Abul. q.17. Lyra in lib.differentiarum. Caietanus hîc. Illam autem areolam cauam fuisse oportet, atque profundam,clausam certè vallo, vt excideret,& contineret aquam. Hîc Rab.Salomon multa suo more confingit: cùm enim videret aream illam, nisi aquarum vi multa impleri non posse, neque satis putaret aquæ à ministris infusũ pro tanta areolæ magnitudine, dixit ab Elisæo, qui tunc aderat in illa populi confusa multitudine,allatam fuisse hydriam, quam cùm effunderet, partem aliquam aquæ,Eliæ manus attigisse, & nouo miraculo ex Eliæ manibus tamquam è fontibus erupisse aquas, quæ latum illud spatium impleuerunt. Et ideo putat lib.4. cap. 3. vers.11. dictum esse ab Elisæo in Eliæ manus aquam infusam.

*De altari Eliæ fabulæ Hebræorum*

Sed quantum fidei huius commentis adhibendum sit, non semel admonuimus.

30. Cur autem tantum aquæ super sacrificium, & altare, & circumquaque sit effusum, ea ab aliis adducitur ratio, quam suprà attigimus, vt maior esset diuinæ voluntatis, atque potentiæ significatio, dum maior opponitur aduersaria vis, non quæ ignem ad se attrahat, & foueat, sed quæ illum potiùs retardet, & extinguat; & nequis suspicaretur sub altari clausum esse ignem, illúmque artificio aliquo ad Eliæ votum erupisse. Ita putat Lyra. Addam hîc, quod in homilia quadam de Petro, & Elia, quæ est apud Metaphrastem, & refert Surius tom. 4. ad vincula S. Petri die primo Augusti. *Attende*, inquit Chrysostomus, *quod dicturus sum: vidi enim ipse, quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiori parte altaris, & fouea quædam obscura. Descendunt autem erroris artifices in foueam illam, & ex foraminibus, quæ diximus, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita vt multi decepti ignem illum cœlestem existiment esse. Ne igitur & Elias in suspicionem veniret, quòd & ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, vt aqua illa nulla esse infra altare foramina ostenderet. vbi enim aqua foramen inuenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat necesse est.* Hæc Chrysostomus.

*Gentilium in suis sacrificiis calliditas, & fraus.*

31. Vers. 38. *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocausta, & ligna, puluerem quoque,* &c. ] Cùm breuem Elias orationem habuisset, plenam tamen ardoris, & fiduciæ, delapsus est inopinatò à Domino ignis vsque adeò vehemens, & acer, vt non solùm holocaustum, & ligna, sed etiam lapides, ex quibus recens altare constabat, & puluerem circumfusum, & proximum, etiamsi subtus aquam esset in illa areola, ceu fossa, de qua nuper: imò & ipsam aquam omninò consumpserit. Quod spectabat, sperabátque Propheta, quo maiori prodigio concuteret populum, & ad veri Dei cultum, quem aut prodiderat, aut non adeò curauerat, reduceret.

32. *Et aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* ] Hebr. est, לחכה *lachechah*, quæ vox maximè explicat ignis naturam, maximè flammæ, quæ potius videtur externa lambere, & molliter attingere, quàm interiora penetrare, altéque consumere. Certè ita apparet in aqua, cuius flamma summam faciem, id est, superficiem lingit; & cùm interna non tangat, tamen summa, interiorésque partes feruefacit, & in calidos vapores soluit, & siccat. Sic sanè Horatius lib. 1. Satyr. 5.

*Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam*
*Vulcano, summum properabat lambere tectum.*

Virgilius lib. 2.

*Ecce leuis summo de vertice visus Iüli*
*Fundere lumen apex, tectúmque innoxia molli*
*Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.*

Claudianus lib. 1. de raptu.

*Lambit continuas innoxia flamma pruinas.*

Satis itaque significanter explicatur quomodo ignis summæ innatet aquæ, eamdémque sensim populetur, & in vapores totam dissoluat.

33. Vers. 39. *Quòd cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam.* ] Prodigium hoc inopinatum, & rarum commouit populum, qui licèt assentatus Iezabeli, & Achab ad peregrinam, & barbaram religionem defecisset; non tamen antiquam superiorum temporum memoriam abiecerat, nec ignorabat, quot olim modis suam Deus & suis, & alienis diuinitatem probauisset. Quare præteritorum memor, & hoc grandi miraculo perculsus, corruit in terram adorabundus, & supplex, & Hebræorum Deum, verum esse Deum professus est.

34. Vers. 40. *Dixitque Elias ad eos, apprehendite Prophetas Baal.* ] Hoc vnum optabat Elias, vt omnes verum Deum agnoscerent, & sua consilia meliori iam mente damnarent. Quare cùm ad abolendam funditùs illam religionem impiam, quæ à Sidoniis in gentem Israeliticam irruperat, cœperátque latè dominari; statuit ex vsu fore religionis antiquæ, & veræ illos sacerdotes, & Prophetas tollere de medio, quorum opera, & studio publica illa populi calmitas serpebat latè, & grassabatur impunè. Cùm ergo ad quiduis audendum cerneret paratos animos, & alacres, iubet, vt quotquot ibi essent Prophetæ Baal (erant autem non minùs quadringentis, & quinquaginta, vt constat suprà v. 22.) comprehenderent; quos deduxit Elias ad torrentem Cison, qui Carmeli radices alluebat, vbi multitudinem illam interfecit. Et quidem mirum est cùm in illo cœtu esset Achab, cuius imperio omnes illi Prophetæ conuenerant, nihil contra Eliæ consilium, & populi conspirationem esse molitum. Sed planè illi Deus timorem incussit, & subiti illius incendij cœlestis admiratio regios fregit spiritus. Neque alioqui satis putabat tutum incitatam, & conspirantem multitudinem è suo conatu, tam ardenti, atque alacri prohibere. Dicitur autem Elias occidisse Prophetas, quia iussit, vt occiderentur à populo: quomodo etiam dicitur illos duxisse ad torrentem Cison, quia fecit, vt comprehensi à populo ducerentur. Quomodo enim homo vnus tantam multitudinem horrore mortis renitentem adducere potuisset? Est tamen verisimile sua manu interfecisse illorum aliquos, quomodo fecit Samuel lib. 1. Reg. c. 15. v. 33. qui sua ipse manu Amalecitarum regem occidit.

35. Quærit hîc Abulensis q. 35. an Elias in tot Prophetarum interitu peccauerit; & omninò negat, quod necesse est, & videtur significare non obscurè Eccles. 48. vbi ab hoc facto Elias commendari videtur. *Qui induxit in illis famem, & irritantes illum inuidia sua pauci facti sunt.* Cuius rei argumentum est non leue, quia statim ab horum cæde pluuiam impetrauit è cœlo. Neque si rem suis momentis expendas, aliquid in hoc Eliæ facto apparet iniustum. Nam hi Prophetæ Baalis impietatis antistites, & illius religionis vindices seueri auertebant alios à vera sanctitate, & dum suum Baalem commendant, & colunt, Israelis Deum despiciunt, & obscurant. Quare digni fuerunt, quos Propheta abiectæ religionis zelator, & vindex de medio populo deleret, & tolleret. Ita sanè Augustinus lib. 2. de miraculis sacræ Scripturæ, vbi dicit sine homicidij culpa cædem illam factam. *Quippe qui Elias erat in ea lege, quæ dicit Leuit. cap. 24. blasphemum non patieris viuere. Nullus hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus extiterit. Ac per hoc, qui idololatriæ cultores mactauerat, blasphemos, & sacrilegos de terra purgabat.* Basilius homil. 20. de ira. *Illum, qui tanquam pharmaco ad ea, quæ oportet, ira vtitur, Dominus minimè condemnat. Moyses omnium hominum mansuetissimus vituli idololatriam damnans Leuitarum manus in cædem fratrum armauit. Phinees iusta contra publicè fornicantes ira, vt oportebat, vsus protinus vtrumque trucidauit. Samuel Regem Amalech iusta ira in medium trahens occidit.*

*A iustis sanctè impij occisi.*

*occidit. Sic itaque fit ira ſæpenumero bonarum actionum miniſtra. Elias verò zelotes quinquaginta ſuprà quadringentos turpitudinis ſacerdotes, & quadringentos ſacrorum nemorum comedentes de menſa Iezabel iuſta ſapientique indignatione in totius Iſrael vtilitatem, vt morte mulctarentur effecit.* Hæc Baſilius. Eadem penè Optatus Mileuitanus lib.3. contra Parmenianum Donatiſtam.

36. Verſ. 41. *Et ait Elias ad Achab: Aſcende, comede & bibe, quia ſonus multæ pluuiæ eſt.* ]Non minus, opinor, clauſerat cœlos, & pluuiam in promiſſionis terra omnium maximè neceſſariam compreſſerat, (quæ, vt habes Deut. c.11. v. 11. irrigua non eſt, ſed montoſa, & campeſtris) ſacerdotũ, Prophetarúmque ſedulitas, & ardens ſtudium extinguendæ religionis veræ, & amplificandæ illius, quæ Baali diuinũ impendebat obſequiũ, quàm Eliæ votum, & oratio. Quare poſtquam extincti ſunt Prophetę & ſublata populi publica pernicies, atque Baalis manifeſtis indiciis explorata futilitas, certus de pluuia imminenti dixit Elias ad Achab, qui præſens ſpectabat ad torrentem Ciſon, publicum illud & horribile Prophetarum exitium, vt aſcenderet, nempe in montem Carmelum, vbi etiam ſacrificiis intererat, & ſe ibi cibo maturè reficeret, & quamprimum ſe, ac ſuos expediret ad reditum, ne illos grauis pluuia, cuius ipſe iam ſonum, & fragorem audire videbatur, opprimeret. Erat autem multum vt apparet, temporis tranſactum à meridie: nam ad meridiem vſque productum eſt Baalitarum ſacrificium, inde inchoatum, perfectúmque, quod immolauit Elias, in quo non exiguam moram poſitam oportuit, cùm excitaſſet altare, adduxiſſet aquam, effudiſsétque, donec areolam, ſeu aquæductum impleret; ac tandem deductos Prophetas ad torrentem Ciſon omnes ad vnum occidiſſet. Cùm ergo Rex, vt eſt veriſimile, ad illum vſque articulum rerum euentum ieiunus expectaſſet, iubet Propheta, vt cibum capiat ſecurus de pluuia, & de meliori in poſterum fructuum prouentu.

37. Verſ. 42. *Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua.* ] Dum Achab poſt Prophetarum cædem vadit ad capiendos cibos, Elias ad Carmeli verticem aſcendit, vt ardentiùs oret, & pluuiam ſibi paulo antè promiſſam, aut excipiat oblatam, aut tardantem acceleret. Quo porrò corporis habitu Elias orauerit, obſcurum eſt. Caietanus hîç duas actiones, & duos orandi modos agnoſcit. Primùm enim putat proſtrauiſſe ſe Prophetam, & in faciem corruiſſe, ſicut fecit antea, cùm Sarephthanæ viduæ filium excitaret. Deinde ſediſſe in terra, ac inter genua poſuiſſe faciem. Aut certè priùs ſtrauiſſe ſe in faciem, vt gratias ageret pro re bene geſta. Deinde mutato corporis habitu oraſſe pro pluuia. Abulenſis q.35. non putat faciem propriè poſitam inter genua, quia illa corporis diſpoſitio & difficilis eſt, & deuotioni non admodum idonea; ſed inclinatum credit Prophetam, & faciem etiam inclinatam ad genua. Idem propè hiſtoria ſcholaſtica. Alij ita accipiunt corporis figuram ſicut ſonat litera, ita vt verè faciem genibus incluſerit, atque inſeruerit Elias. Sic Chryſoſtomus in Pſal. 129. Aug. ſerm.291. de tempore. Et in ea poſitione aliquid inueniunt, quod maximè videatur ad orantis affectum, & ad ſollicitandam diuinam miſericordiam opportunum. Eo enim habitu eſt fœtus in maternis adhuc viſceribus incluſus, conglobatus videlicet in ſeipſum, ea ſpecie, qua nulla videtur fingi poſſe miſerior, qua clamat ad Deum, ſibi vt liceat lucem aſpicere, & auram ducere vitalem. Quod explicuit optimè Iſidorus lib.11. orig. cap.1. *Genua*, inquit, *ſunt commiſſiones femorum, & crurum, & dicta genua eo quod ſint in vtero genis oppoſita; cohærent enim ſibi, & cognata ſunt oculis lacrymarum indicibus, & miſericordiæ: nam à genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni, formarique hominem dicunt, ita vt genua ſurſum ſint, quibus oculi formentur, vt caui, & reconditi fiant. Ennius, genua comprimit arcta gena, inde eſt quòd homines dum ad genua ſe proſternunt, ſtatim lacrymantur. Voluit enim eos natura vteri materni rememorari, vbi quaſi in tenebris conſidebant antequam ad lucem peruenirent.* Hoc ipſum dixit Ariſtoteles lib.7. de hiſtor. animal. cap.8. *Homo in ſemet conglobatus ſic geſtatur, vt naſus inter genua, oculos ſuper genua, aures extra genua habeat.*

Quo habitu orauit Elias.

38. Quo habitu fœtus in vtero.

Sed eſt adhuc dubium an in hanc figuram ſe complicarit Elias ſedens, aut humi ſtratus? Caietanus ſediſſe putat, & quidem quomodo aliter caput genibus inſerere potuerit non video, niſi admodum indecorè. De hac re nihil ab autoribus definitum inuenio. Si propriè caput genibus inſertum ſtatuamus, placet quod putat Caietanus: neque enim alio corporis habitu, niſi diſtorto corpore fieri poteſt. Quòd ſi, vt putabat Abulenſis, caput potiùs eſt inclinatum ad genua, & non propriè genibus inſertum, vtrumque videtur non difficile, neutrum certum. Qui enim in mœrore ſunt, & fœminæ præcipuè, caput demittunt ad genua, ne lucem videant, aut aliquid hauriant, quod exhilaret animum, vt faciunt plerumque viduæ, cùm coniuges primùm amiſerunt. Neque mihi difficile eſt, quando textus, præſertim Latinus, non in vnam magis, quàm in alteram partem pronus eſt, ſi proſtratum humi dicamus Eliam, & faciem eius appreſſam puluerì, ita tamen vt corpus non tam ſit ſtratum, & extenſum, quàm curuatum, & nixum genibus, & ab illis non procul ſtatuto capite, quomodo conuerterunt Septuaginta. *Inclinauit ſe in terram, & poſuit faciem ſuam inter genua ſua.* Eodem modo Chaldæus, & omnes recentiores interpretes, & clariùs Hiſpanica tranſlatio, *e deſcendioſe de vientre en tierra.* Qui orandi modus Hebræis erat in ſummo dolore, aut orandi ſtudio non inuſitatus. Quem orandi modum audio etiam nunc quibuſdam peregrinis nationibus familiarem, quæ incuruato corpore terram oſculantur, quod fieri nullo modo poteſt, niſi facie genibus aut applicata, aut proxima.

39.

40.

Verſ. 43. *Et dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare.* ] Non dubitabat Elias venturam eſſe pluuiam, eámque ingentem, cuius ſonitum paulo antè audiiſſe videbatur; cupiebat tamen illam aduenire quamprimum, vt & propheticã ſtatim liberaret fidem, & mœrentes animos populi ſolaretur, quem vehemens tunc vrgebat fames, & ſpe promiſſæ pluuiæ dolorem ſuum vtcunque ſuſtentabat. Quare iterum, ac ſæpius dimittit puerum, quem ſecum adduxerat, vt versùs mare, Mediterraneum opinor, intueretur, ſi qua nubes inde in aere concreſceret. Cúmque ſexies miſſus nihil vidiſſet, iterum, atque iterum ſe dedit in preces, donec tandem ſeptimò miſſus videre ſe dicit nubeculam paruam aſcendentem è mari, quale hominum ſolet apparere

vestigium. Tunc verò ingruere vehementem pluuiam odoratus per eumdem puerum Regem admonuit, vt quamprimùm ascenderet currum, ne illum in aperto loco tempestas deprehendat.

41. *Ionas Eliæ discipulus fuisse creditur.* Quidam hunc puerum esse putant filium Sarephthanæ viduæ, quem Elias paulo antè excitarat à mortuis. Alij Ionam esse putant, quem Sarephthana mater in Eliæ disciplinam, & societatem tradidit, vt illi esset assiduus, & seruilem quoad posset, & liceret operam præstaret. De hac re pluribus Ioannes Episcopus Hierosolymitanus c.120.t.9.Bibliothecæ. Alij ista non probant, quorum ego sententiæ libentiùs adhæreo. In hac nube S. Ioannes episcopus Hierosolymitanus agnoscit B. virginem, & ex nubis proprietate, quæ ascendens ex mari amaro; nihil tamen inde trahit amaritudinis, sine vlla macula ortam esse dicit, B. Virginem conceptam, credo, intelligit, quia sicut nubes nihil habet amarum, cùm oritur è mari, sic etiam è mari nihil concipit amaritudinis.

42. Vers. 45. *Cúmque se verteret huc, atque illuc, ecce cœli obtenebrati sunt.*] Dubium est, quis sit iste qui se huc, atque illuc assiduè versabat? Existimare nonnemo posset fuisse Eliam, qui cùm signum vidisset instantis pluuiæ, aut præ gaudio, quia res successerat ex voto, aut præ sollicitudine, ne nubes illa euanesceret, & expectationem, tam suam, quàm aliorum relinqueret hiantem; huc se, atque illuc sollicitus versabat, atque anxius, quod homines in graui aliqua sollicitudine, ac metu frequenter faciunt, quos vno in loco affectus ille acriter incitatus consistere non sinit. Aut certè orationis ardor, & studium sicut animum, qui maximè in eo orationis æstu laborat, sic etiam corpus in has, atque illas partes impellit. Quod etiam accidisse A videtur Elisæo lib.4. Reg. c.4.v.35. qui cùm esset intentus excitando puero, & iam super eum incubuisset, *deambulauit in domo semel huc, atque illuc.* Tùc autem orasse vehementiùs, vt magis se ad alteram incubationem compararet. Verumtamen placet magis communis sententia, quæ hæc de Achab accipit, qui cùm maturè ab Elia foret per famulum admonitus, vt sunt Regum tarda molimina, & illorum incessus impediti, dum alia, atque alia aut meditantur, aut curant, aut etiam quia non satis sibi persuaserat instare pluuiam, extractum est aliquantulum temporis: interim verò incubuit tempestas, & Regem tardiùs molientem occupauit, tandem conscenso curru venit in Iezrael.

Vers.46. *Et manus Domini facta est super Eliam, & accinctus lumbis currebat ante Achab.*] Manus Domini, opus Domini significat: tunc autem dicitur super aliquem fieri, cùm aliquid inspiratur, aut mittitur à Deo, quo hominum aut illustratur mẽs aut incitatur animus, vt aliquid arduum, aut bonum aggrediatur, & efficiat. Quomodo lib.2.Par. c.30.v.12. dicitur facta in Iuda manus Domini, vt corde vno facerent iuxta præceptum Regis: sic etiam nunc facta dicitur super Eliam Domini manus & inditus nouus animus, & spiritus, vt tonante, & fulgurante cœlo non solùm sequeretur, sed etiam antecederet regium currum: neque timeret indignationem illorum, qui cædem Prophetarum dolerent, & illam studiosè conarentur vlcisci; qui sanè in Iezraele esse poterant non pauci, cùm ibi esset Iezabel, de cuius mensa tot illi, aut illorum multi Prophetæ comedebant. Sed inspirante Deo vires, & audaciam superauit hæc omnia, & in ciuitatem illam regiam omnium primus intrauit. 43. *Manus Domini quid.*

# IN CAP. XIX. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*DOCTA Iezabel à Rege quid contra Baalis prophetas ausus esset Elias, illi in diem crastinum exitium minatur non dissimile. Muliebris tunc furoris metuens Elias, quamprimum qua se aditus ad salutem ostentabat, fugam intendit, incertus quo tenderet, sine cibo, aut alio quouis vitæ subsidio. Cùm verò iam fame lassitudinéque iaceret languidus sub iunipero, vitæ tot iam laboribus, periculisque propositæ pertæsus mortem optat. Cum autem tædio, mœroréque languenti sõnus obrepsisset, excitatus ab Angelo panem inuenit subcinericium; cúmque eo se paululum refecisset, rursus somno prægrauanti succubuit. Excitatus rursus fuit ab Angelo, & iussus comedere, viámque suscipere longam; cui ipse confestim obsecutus, & ad quadragesimum vsque diem, quandiu durauit illa profectio, illo cibo recreatus vsque ad montem Horeb peregrinatus est, vbi cùm in spelunca abditum sibi quæsisset hospitium euocatus est: & semel, atque iterum rogatus quid ibi solus ageret, respondit, ex omnibus Prophetis se solum esse relictum, & qui suæ vitæ insidientur, esse quamplurimos. Tandẽ cùm se ad ostium speluncæ foras efferret, expectauit ibi aduenientem Dominum, quem turbo quidam vehemens & ingens motus, & post illum ignis antecedebat. Ac tandem aura tenuis, exile quiddam sibilans, ex qua diuinã accepit vocem, & ab ea mandatum, vt rectà inde adiret Damascum, & ibi Regem Syriæ Hazaelem vnctione designaret, & Iehu Regem Israel, & pro se Prophetã vngeret Elisæum. Hic verò duodecim tunc temporis aratris terram vertebat, qui vbi primùm fuit sacra vnctione ab Elia delibutus, atque ab ipso consecutus facultatem, vt parentibus suis extremam diceret salutẽm, Eliæ parentum loco tamquam duci, ac magistro totus adhæsit.*

CARVT

CAPVT DECIMVM NONVM.

1. NVnciauit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidiſſet vniuerſos prophetas gladio.

2. Miſitque Iezabel nuncium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam ſicut animam vnius ex illis.

3. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas: venítque in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum.

4. Et perrexit in deſertum, viam vnius diei. Cúmque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quàm patres mei.

5. Proiecítque ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede.

6. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormiuit.

7. Reuerſúſque eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixítque illi: Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via.

8. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb.

9. Cúmque veniſſet illuc, manſit in ſpelunca: & ecce ſermo Domini ad eum, dixítque illi: Quid hîc agis Elia?

10. At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderũt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam vt auferant eam.

11. Et ait ei: Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, & poſt A ſpiritum commotio: non in commotione Dominus.

12. Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.

13. Quod cùm audiſſet Elias, operuit vultum ſuũ pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hîc agis Elia? Et ille reſpondit:

14. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus: & quærunt animam B meam vt auferant eam.

15. Et ait Dominus ad eum: Vade, & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: cúmque perueneris illuc, vnges Hazael regem ſuper Syriam,

16. Et Iehu filium Nam, vnges regem ſuper Iſrael: Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te.

17. Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſeus:

G 18. Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum oſculans manus.

19. Profectus ergo inde Elias reperit Eliſeum filium Saphat, arantem in duodecim iugis boum, & ipſe in duodecim iugis boum arantibus vnus erat: cúmque veniſſet Elias ad eum, miſit pallium ſuper illum.

20. Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam, & ait: Oſculer, oro, patrem meũ, & matrem meam, & ſic ſequar te. Dixítque ei: Vade, & reuertere: quod enim meum erat, feci tibi.

21. Reuerſus autem ab eo, tulit par boũ, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: cõſurgénſque abiit, & ſecutus eſt Eliam, & miniſtrabat ei.

---

# IN CAPVT XIX. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

Verſ. 1. *Nunciauit autem Achab Iezabel omnia, quæ fecerat Elias.*]

1. QVo animo hæc omnia à Rege fuerint vxori nunciata, non conſtat, cùm multa nunciaſſet, quæ magnopere Prophetæ virtutem, & ſanctitatem commendare potuerint, vt quòd ignem euocarit è cœlo, pluuiámque impetrarit, quod ſummum eo tempore beneficium exiſtimari poterat, propter quod ſuſpici ab omnibus, & amari deberet. Hoc narrari poterat à Rege, vt vxorem impiam à vano idolorum cultu ad veram religionem adduceret; & Dei famulum Eliam plurimi faceret, & vt verum Dei Prophetam agnoſceret, séque illius diſciplinæ excolendam traderet. An id Rex curauerit incertum. Illud certum, nihilo ex eo meliorem factam Iezabelem;

imò id certius aut nihil horum cogitasse, aut adeò id egisse molli brachio, vt nihil horum impetrauerit ab vxore impiæ parentum religioni obstinatiùs alligata. Quæ non tam lætata est quòd missa fuerit tandem de cœlo pluuia, quàm inflammata in Prophetam odio, quòd neci dederit patriæ religionis Prophetas,& antistites.Quare talem Prophetæ per nuncium minatur plagam, qualem ipse priùs aliis intulerat.

2. *Timuit ergo Elias,& surgens abiit.*]Expositionem huius loci moralem vide apud D.Bernardum sermone 64.ex paruis.Qui neque Regem timuit, neque populum,qui regium stipabat latus, qui ausus est copiosum Prophetarum agmen occidere, ille nunc vnius fœminæ vultum sustinere non potest, & illius minaci oratione perterritus in fugam se quamprimum dat,neque tutum se putat, nisi quadraginta dierum itinere confecto.Hæc eloquentissimè,vt solet,amplificat Chrysostomus homil. de Petro,& Elia, quæ est apud Metaphrastem, & adducitur à Surio tom.4.in mense Augusto,qui illius timoris,& fugæ aliquas adducit causas. Ait enim primùm in his, quæ hactenus exposuimus, aliquam Eliæ interceſſisse culpam, crudelitatis nempe,quod mihi durum est, neque omnibus probari videò; culpam verò spiritus debilitare, ac frangere, & strenuis etiam, atque audacibus animis pauorem incutere, satis Scriptura sacra clamat, & docet experientia.Alia ratio est, *quia Deus declarare voluit miracula illa,quæ ostensa fuerant,non ab Elia, sed à sua ipsius potentia facta fuisse. Vide quid faciat, quo tempore Deus ipse operabatur, Reges,Principes, & populi Eliæ succumbebant; cùm verò Deus abscessisset, etiam mulier vna Prophetæ ibi terribilis visa est. Abscessit Deus,& natura humana redarguta fuit.* Deinde vt ex hac tanta rerum dissimilitudine Elias intelligeret dum aliquid faceret,aut auderet egregium, diuinæ potentiæ potius,ac benignitati, quàm suis viribus esse tribuendum. *Vidisti,* inquit,*quemadmodum recedente gratia redarguta est natura humana,fugit enim Elias itinere quadraginta dierum. Non vno, aut altero,sed quadraginta diebus aufugit; & ad regionem omninò desertam se contulit,non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens; nam tamquam ebrius præmetu cætera nihil curabat, sed desertas tantùm regiones sequebatur.*Idem penè hîc Angelomus,& Rabanus. *Sancti,*inquiunt, *viri subleuante spiritu ad summa rapiuntur: quandiu verò in hac vita sunt,ne superbiant, tentationibus reprimuntur.* Idem Theodoretus q.47. Sanè cùm capite præcedenti in fine manus Domini facta est super Eliam, contra vim tempestatis pedibus suis regios currus turbinis in modum volantes præcedebat, & eum in locum, vbi Iezabelem esse nouerat, Prophetarum vltricem, properabat alacer. At vbi Deus manum illam, quæ vires Prophetæ inspirabat, & animos subduxit, fœminam timet, & ne in illius manus incurrat, ignobilem fugam meditatur: neque quamtumcunque semotus securum se putat à fœmineo furore. Cur Elias Iezabelem timuerit, cùm priùs fuerit omni formidine superior,tractat Abulensis optimè hîc q.3.

*Peccatũ hominem timidum facit.*

*Timor, & languor docet, si quid strenuè factum, id esse à Deo.*

4. *Quocunque eum ferebat voluntas.*] Ebrio nuper similem esse Eliam dixit Chrysostomus, neque enim minus timor,aut furor mentem eripit,quàm vinum,aut ebrietas, vnde in Scriptura sæpe audimus homines ebrios non à vino, sed à mœrore, desperatione, aut à grauiori aliqua perturbatione. Sic sanè Isaias cap.29. v.9. *Obstupescite,& admiramini,fluctuate,& vacillate, & non à vino:*& cap. 51.v.21.*Audi hoc paupercula,& ebria,& non à vino.*

*Metus sicut vinum, aut tempestas homines sine consilio rapit.*

A Præterea hominem in æstu graui, & perturbatione animi similem facit naui, quæ graui æstu maris iactatur,quam non regit ars vlla nautica, quia ars omnis à tempestate vincitur, neque aliquid est feruente pelago in gubernatore consilij. Sic certè sæpe in descriptione horribilium tempestatum audimus. Ouidius lib.3.de tristib. Eleg.1.

*Rector in incerto,nec quid fugiátve,petátve*
*Inuenit,ambiguis ars stupet ipsa malis.*

Vtramque similitudinem coniunxit Dauid Psal. 106. v.26. *Ascendunt vsque in cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat,turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum denorata est.* Sic inquit Chrysostomus. *Elias tanquam ebrius, quocumque illum ferebat voluntas, rapiebatur potius, quàm quò illum consilium, & ratio deducebant;sicut & nauis,quam rapit tempestas omni arte superior,non regit gubernatoris prudentia.* Comparat cum vento vehementi Iezabelis orationem furoris, & minarum plenam: nam quemadmodum ventus nauim iactat, rapítque; sic Iezabelis oratio minax Prophetam rapuit incertum, & vagum, quocumque ferebat timoris impetus, aut quâ se primus aditus aperiebat ad fugam. Audi Chrysostomum. *Quemadmodum Zephyrus cùm vehementer flat in velum aliquod, nauigium ipsum cum impetu transmittit, ita mulieris oratio in Prophetam irruens multo cum impetu ad solitudinem desertam eum compulit.*

B

5. *Venitque in Bersabee Iuda,& dimisit ibi puerũ suũ.*] Bersabee est in extrema parte Iudæ, & terræ promissionis ad Australem plagam, quæ respicit desertum. Vnde cùm extremi adhibentur fines terræ promissionis, Dan ab Aquilonari parte ponitur, ab Australi, siue à deserto Bersabee. Cùm eò igitur veniret primo die ex quo ex Iezraële profugit,reliquit ibi puerum, quem in montem Carmelum secum adduxerat,aut quia noluit, vt puer secum laborem, & famem sustineret, aut ne puer ab aliis cognitus dum foras egreditur obsonandi gratia,aut ob alias causas agit incautè,magistrum prodat. Maluit enim, vt receſſum haberet magis occultum, vt fecit ad torrentem Charith, latere solus, quàm cum periculo socium habere solitudinis suæ.

C

6. Vers.4. *Cúmque veniſſet, & sederet subter vnam iuniperum,petiuit animæ suæ,vt moreretur.*]Vbi noster *iuniperus*,Hebr.est רתם *Rothem.* quam quidam genistam esse dicunt. Vnde ea planta apud Hispanos appellatur *Retama.* Neque obstare putant, quod hoc arbustum in multis locis humile;neque ad opacandum locum aut frondes habeat explicatas,& latas, neque ad inducendam vmbram ramos diffusos; sæpe enim videmus vt quæ vno in loco exilia sunt, & parum supra terram eleuata, eadem alibi procera sint,& crassa, & cum magnarum arborum magnitudine certent. Quod in hac ipsa regione probat sinapi, quod cùm aliis in locis sit exile, & humile; in terra tamen promissionis eius est magnitudinis, vt in arborem crescat,vt habes Matthæi cap.13. Nihilominus iuniperum esse arbitror,vt cum vulgato conuerterunt aliqui, cuius vmbra, licèt non vsque adeò grata sit, est tamen multo magis idonea ad quietem. Cùm autem ad illum locum peruenisset Prophetа,cùm languor animi, & lassitudo corpus occupasset; neque quo in ea solitudine famem leuaret,haberet aliquid opportunum,cœpit illum tædere vitæ,atque ideo mortem optat, eámque non minus ardenter postulat, quàm antea vitam filio Sarephthanæ viduæ. Petere porrò animæ suæ,

D

E

nihil

nihil est aliud,quàm sibi petere. Animal enim ex vsu Scripturæ per illius animam circumscribitur. Quare idem est *anima mea*,atque *ego: animam suam*,atque *se: animæ suæ*,atque *sibi*.

Animæ suæ, idem quod sibi.

7. Quærit hîc Abulensis q.3. quare cùm tam se priùs constantem præstiterit Elias, nunc mulierem tantopere metuat, vt fugiat ab illa quàm longissimè: cuius iam rationem suprà reddidimus. Nunc addimus multo magis mulierum, quàm virorum iram esse metuendam: mulier enim in vtramque partem potentissima, imò impotentissima est, quæ si sibi aliquid faciendum proposuit, illud ad mortem vsque persequitur: neque ratione ducitur, aut consilio, sed à sua libidine impotenter abripitur. Multa de mulierum ira implacabili dixerunt antiqui, quæ hîc referre longum esset,& est ab interpretis instituto alienum. Vide Iuuenalem Satyra 6.Ouidium lib.2.de arte, sic de ira mulieris:

Mulierũ ira implacabilis.

*Sed neque fuluus aper media tam sæuus in ira est,*
*Fulmineo rabido,dum rotat ore canes:*
*Nec lea cùm catulis lactantibus vbera præbet,*
*Nec breuis ignaro vipera læsa pede.*

Seneca in Hercule Oeteo de irata fœmina:

*Scylla,& Charybdis Sicula contorquens freta*
*Minùs est timenda,nulla non melior fera est.*

Sed habemus in Scriptura testimonium illustrius. Eccles.25. v.23. *Non est caput nequius super caput colubri,& non est ira super iram mulieris*. Ambrosius epist. 23. grauiores esse dicit tentationes à mulieribus, quibus viri etiam strenui superati sunt; & licèt de pugna spirituali locutus esse videatur, illud tamen ipsum de corporali periculo, eo,quem diximus, sensu potest intelligi. De muliere optimè Chrysostomus in sermone de decollatione S.Ioannis.

8. Illud etiam hîc quærendum quomodo cum tanto studio mortem fugiat Elias, mortem tamen expetat, quam paulo antè inuenisse videbatur, quámque subiisset à Iezabele, nisi suæ sibi vitæ matura fuga prouidisset. Eius rei plurimæ adducuntur causæ. Angelomus, & Rabanus duo mortis, seu potiùs duo homicidarum genera considerant.occidi à muliere turpe existimatur, & homine ingenuo prorsus indignum, maximè in casu, in quo de religione est certamen. Horrebat Abimelec mortem illatam à fœmina,Iudic.cap.9. v. 54. expetebat à viro forti, & ideo dixit ad armigerum suum, *Euagina gladium tuum, & percute me; ne fortè dicatur quòd à fœmina interfectus sum*. Sic ergo horrebat Elias illatam à Iezabele mortem, non solùm quia id viro foret indecorum, sed quia non tam ipsi, quàm religioni, de qua proximè videbatur instituta contentio, graue inferebatur, & importunum vulnus. At à Deo, à quo afferri sibi mortem optabat, vulnus accipere lethale,& vitæ declinare longa fastidia,non putabat horribile. In hanc sententiam inclinat Caienus, vide hac de re Petrum Damianum tom.2. serm.2.de S.Vitali.

Turpiùs mors à fœmina illata.

9. Chrysostomus epist. ad Olympiam cùm hanc tractaret quæstionem, ait sæpe tristitiam multo esse morte duriorem, atque adeò homines optare sæpe, dum se à molestis curis, & angoribus exoluant, vitam duram, & tristem cum honesta morte commutare. Sic inquit, *Ionas tristitiam fugiens confugit ad mortem sic etiam Dauid mortem requirit. Notum fac*,inquit, *Domine finem meum*. De hac re nos pluribus in nostris commentariis super Ieremiam cap. 20. vers. 14. ad illud, *Maledicta dies in qua natus sum*,& ad illud cap. 32. v.5. *& ibi erit do-*

Mors in laboribus optari solita.

*nec visitem eum*; vbi satis exemplorum adduximus tam ex profana,quàm ex sacra pagina. Quod homo patientissimus Iob suo confirmauit exemplo cap.3.vers.20. *Quare misero data est lux;& vita his, qui in amaritudine animæ sunt*.Quod etiã docuit Ecclesiasticus cap.30. *Melior est mors,quàm vita amara*.Contingit aliquando, vt aliquis maximè mortem declinare studeat,meliorem sibi statum, conditionémque pollicitus,qui tamen,si labi in miseram conditionem, & statum ærumnosum contingat,optaret magis tunc interiisse,quàm trahere ægrum, & infelicem spiritum. Sic multi dolent, quòd mortem effugerint, quam mallent cum aliis habuisse communem, quàm in vitam incidisse, quam vndique grauissima circunstant incommoda.Exempla ibi adduximus ad loca proximè citata,nunc aliud accipe ex Seneca in Agamemnone, vbi mortem qui euaserant è Græcis, onustique barbaris exuuiis reuertebantur in patriam, cùm se iactari viderent tempestatibus,illos felices vocant, qui in acie ceciderunt; & mallent subiisse mortem, quàm in æstuante pelago tam dira tempestate iactari.Sic autem ibi Seneca:

*Quid fata possunt? inuidet Pyrrhus patri,*
*Aiaci Vlysses,Hectori Atrides minor,*
*Priamo Agamemnon. Quisquis ad Troiam iacet*
*Felix vocatur.*

Ad hunc igitur modum cùm Elias defessus iaceret,neque commodam haberet vmbram in graui, vt arbitror,æstu,indigeret cibo, & potu,neque in solitudine illa vtriuslibet haberet copiam, in votis cœpit habere mortem, quam horruerat priùs, cùm nondum tantam rerum inopiam esset expertus.

10. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum,quàm patres mei*.]Hac oratione sibi à Deo diem efflagitat extremum Elias. Quasi dicat,satis iam sibi, patriæque vixisse, neque maiorem vitæ vsuram datam esse patribus,id est(vt exponit Abulensis quæst.4.)aliis Prophetis,qui præcesserunt,quos honoris gratia patres appellat, eo fortasse nomine, quia pro religione iugulum vltro subiecerunt Iezabelis gladio. Sufficit, inquit, hucusque occisis fratribus meis me fuisse superstitem. Sufficiat abs te tantum accepisse honoris apud populum, cui pluuiam orando abstuli, ablatámque orando iterum restitui; cuius votis voluisti obsecundare nubes, parere cœlos; & ipsam obsequi mortem,cùm,me orante, vitam reddidit illi,cui ademerat.Satis itaque supérque datum est, nihil amplius opto, illud superest, quod aueo vehementer,vt tollas animam meam, id est, me de numero viuentium. Quid enim à me sperari potest, quod præstare non potuerint parentes mihi charissimi; quos tamen Iezabelis ferro subiectos video; aut quid ego grauius commerui, propter quod me in tam ærumnosum vitæ,aut mortis genus compegisti.Parentes,vt dixi,aut illi sunt, qui priùs pro religione vitam profuderunt, aut certè alij, qui non Eliæ solùm, sed etiam Israelitici generis parentes appellari potuerunt,quales fuerunt Abraham,Isaac, &c. qui omnes mortui sunt, neque est cur Elias illo numero aggregari non debeat.

11. Sed diceret aliquis immeritò queri Eliam, aut imprudenter optare in moriendi tempore aut vitæ modo similem esse parentibus, cùm illi supra centenarios decesserint: ille autem non videatur eò annorum esse prouectus, vt suorum parentum adæquaret ætatem. Respondeo illud visum esse Prophetæ in eo mentis angore, quod miseris hominibus,

minibus,qui æternas putant futuras esse miserias, quia illas vehementer horrent, sicut contrà, qui in deliciis sunt, & hilares viuunt, momentaneam putant,aut timent futuram felicitatem.Eo fortasse erat affectus animo Propheta, vt non putaret impositum iri calamitati modum, etiam cùm ad parentum ætatem peruenisset. Quid si iam à Deo cognouerat sibi ad finem vsque mundi non esse moriendum?quod fortasse verum est. Tunc queri potuit,aut dolere Propheta,quòd exors esset conditionis illius,quam parentes optimi non effugerunt, cùm illorum fuerit nemo,cui moriendi necessitas ignouerit.

12. *Mœror somnum inducit.*

Vers.5. *Proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi.* ] A ieiuno stomacho abesse plerumque solet somnus,& quies; attulit tamen Eliæ somnum mœror, & lassitudo. Sanè Dauidem Psalm.118. vers.28. præ tædio dormitasse legimus. *Dormitauit anima mea præ tædio.*Idem accidisse tribus discipulis in horto, docet Lucas cap.12. vers.45. *Et cùm surrexisset ab oratione,& venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia.* Sed illud Eliæ præterea accidit incommodi,quòd arborem nactus est infelicem, cuius vmbra aut nulla est, aut exilis, cùm frondes iuniperus non habeat, sed spinas, quæ etiamsi à nobis se radiis solaribus opponant, neque solem auertunt, neque calorem frangunt. Adde quòd non solùm iuniperi vmbra inutilis est:id enim ferendum esset, sed etiam vehementer noxia.Ita Virgil.eclog.10.

*Surgamus:solet esse grauis cunctantibus vmbra,*
*Iuniperi grauis vmbra.*

13. *Elias sub iunipero typus hominis, qui à rebus humanis sub sidiũ petit.*

Tale miseris mundus parat hospitium, in quo nihil sit,quod ames,nihil quod non horreat. Primum spinas affert, & si quid habet, quod vllam præ se ferat vtilitatis speciem, qualis est non tam bonum,quàm vana quædam bonitatis vmbra, illa noxia est, quæ dolorem affert capiti, visceribus angorem.Et tandem somnum viuam mortis imaginem à mœrore, & tædio, quam optimè vocare possumus vmbram mortis,quia nimirum ad mortem adducit,& cùm ab æstu non deflectat,sed inflammet potiùs, eripit tamen Solis splendorem, relinquítque animum obnubilatum, & obscurum. Bernardus aliam inuenit vmbram, quæ recreat ab æstu,reficit vires, homil. 2. super *Missus est.*Hæc verò vmbraChristus est.*Qui paruulos ad se confugientes sub vmbra alarum suarum protegere non desinit,siue ab æstu carnalium desideriorum, siue à facie impiorum,qui eos afflixerunt.Bona,& desiderabilis vmbra sub alis Iesu, vbi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium.* Sub alis hominum si quis sibi perfugium parat,vmbram sibi parat iuniperi, in qua nihil inuenit,nisi spinarum aculeos, & capitis vertiginem,& hoc in deserto arenti,& squalido, vbi nullum apparet animæ laboranti subsidium. Quare maledictus dicitur, qui confidit in homine,cuius status futurus dicitur myricæ quam simillimus, quæ cùm in terra sitienti plantata sit, nunquam tamen videbit à cœlesti rore infusum sibi bonum.Ieremiæ cap.17.v.5. *Maledictus homo, qui confidit in homine,&c.erit enim quasi myrica in deserto,& non videbit,cùm venerit bonum.Benedictus vir, qui confidit in Domino,&c.*

*Christus laborantibus vmbra.*

14. *Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge,& comede.* ] Sanè Deus adiutor est in tribulationibus, & tunc propior, cùm homo maximè videtur ab humano subsidio destitutus. Iacebat sub spinosa atque infelici planta Elias, sic lasso corpore,ac deficientibus viribus, vt non tam homo putaretur viuus, quàm viuentis hominis spirans simulacrum. Adfuit tunc è cœlo, cùm non speraretur è terra opportunum auxilium. Excitauit illum Angelus à somno,ac iussit vt oblatos sibi assumeret cibos,cúmque à graui sopore iam esset solutus,inuenit prope se subcineritium panem, & vas aquæ plenum,quibus cùm se refeciisset,rursus in somnum relapsus est.

15. Non aderat aspectabili specie Angelus Eliæ cùm comederet, alioqui non se rursus ad dormiendum componeret, sed audiuit vocem, cuius tamen esset,non videtur prorsus agnouisse, neque fortasse se vocatum ab aliquo,atque iussum comedere putasset,nisi solutus iam à somno paratam sibi mensam inuenisset. Cùm autem an prouisum sibi de alimento ignoraret fore in posterum, parcè videtur vsus oblato cibo,ne sibi in crastinũ, & reliquos dies deficerent alimenta,quod potius esset protrahere mortem, quàm sustentare vitam. Quare gustato modico cibo, iterum sopori vehementer prementi succubuit.

16. Vers.7. *Reuersúsque est Angelus Domini secundò, &c. grandis tibi restat via.* ] Cum stomacho hæc videri possunt dicta ab excitante Angelo,quasi reprehendat nimis securum,& torpentem Eliam, & quòd tali pastus cibo langueſcat adhuc,& somno se rursus, ac desidiæ tradat, cùm inimicam habeat, & tunc maximè infensam Iezabelem: quæ nihil magis habeat in votis, quàm vt anhelantem rabiem sedet occiso Propheta.Quod facere posset non difficile,cùm non esset longè, & sint ex regia familia non pauci, qui Reginæ Prophetæ sanguinem sitienti sedulam, atque constantem operam præstare velint. Quare iubet, vt de crastino victu curam deponat,expleat famem,quam vix obtuderat modici cibi gustatione leui,sibíque persuadeat longam adhuc superesse viam, quam nisi conficiat, salutem suam non omnino fore à periculo immunem. Quocirca oportet,vt seipsum ad longum opus,& immensa locorum spatia,magnaque rerum discrimina confirmet. Atque adeò monet vt comedat,& bibat,séque extra omnem aleam in loco tuto,ac separato constituat.

17. Vers.8. *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus.*]Excitatus iterum ab Angelo, iterum comedit,& bibit, & vires integrat, quas inedia proximè, & lassitudine perdiderat, qui cibus tantam ad firmandum corpus virtutem habuit, vt ad arduum opus per quadraginta dies, quos in itinere conficiendo consumpsit, vsque ad montem Horeb,& per aliquot alios, quos in spelunca posuit,qui sanè videntur esse non pauci, vires firmitatémque suffecerit.Horeb idem est, qui mons Sinai, vbi Moysi lex data est; qui locus antiqua religione celebris.Eò peruenit Elias,& ibi lubens constitit, quia erat maximè ab hominum conuictu separatus, neque eò videbatur peruentura Iezabelis sedulitas. Quandiu ibi Elias latuerit, non constat;latuisse verò dies non paucos constat: vt quid enim tam longam susceptam esse viam oportuit,si statim ab illius termino recedendum fuit; vt autem,quandiu in eodem loco stetit Moysis,ita ieiunus fuit, vt ne modicum quidem aquæ gustauerit (vt constat Exod.cap.34.vers.28. *fuit ergo ibi* (Moyses) *cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit.* Idem habes Deuteron. cap. 9. vers. 6. & 18.) sic etiam neque quandiu ibi mansit Elias, esculentum aliquid,aut poculentum habuit;sed robur accepit ab eo cibo, quem sibi per Angelum diuina prouidentia ministrauit. Ita putat Abulensis q. 8. qui multis tractat hanc quæstionem.Sunt,qui putent

*Subcineritij panis quanta vis.*

*Horeb idem quod Sinai. Mons religiosus & celebris.*

tent eam vim habuisse illum panem ministratum ab Angelo, vt aleret, conseruarétque Prophetam, & insuper calorem innatum prohiberet, ne quid ex humore radicali minueret; quod indicat Au-
18. gustinus in lib. de Mirabilibus sacræ Scripturæ. In ea porrò spelunca latuisse existimatur Elias, in qua priùs Moyses inclusus vidit gloriam Dei. Ita putat Rabi Salomon à Lyra citatus, cuius sententiam alij complexi sunt. De hac autem spelunca dicitur in Exod. cap. 33. vers. 22. *Cùm transibit gloria mea* (verba sunt Dei ad Moysem) *ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam: tollámque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quod si ita est, constat quàm ille locus gratus fuit Deo, cùm sæpe in eo apparere voluerit, ante illud etiam tempus, quo data est lex, vt tradit Iosephus lib. 2. antiquit. cap. 12. vbi tradit ante Moysis ætatem locum illum, ita antiquis visum esse sacrum, vt pastores religione quadam prohiberentur greges ad illum montem appellere, quia ibi diuinum esse aliquid suspicabantur.

19. Vers. 9. *Et ecce sermo Domini ad eum, dixítque illi: Quid hic agis Elia?* ] Quoto ab ingressu in illa spelunca die locutus fuerit Dominus ad Eliam, non constat; non tamen diu, qua est Deus in suos clementia, videtur Eliam reliquisse solum, & mœstum in illo loco tenebricoso, & magis ad contrahendum, quàm explicandum, & hilarandum animum oppottuno. Est igitur illum allocutus Dominus, per Angelum videlicet, vt aliis etiam locis atque temporibus docent communiter Scholastici. Sanè hoc ipso in monte, vbi diuinæ præsentiæ plura leguntur argumenta, datam esse legem non à Deo, sed Angelorum ministerio, docet apertè Stephanus Actor. 7. vers. 31. & 35. vbi Angelum docuit apparuisse in rubo, & vers. 53. in dispositione Angelorum datam esse legem. Sic ergo nunc Angelus, aut Dominus per Angelum ad Eliam. *Quid hic agis Elia?* Hanc vocem Tertullianus ad Psychicos cap. 6. plenam esse dicit beneuolentiæ, quam sibi à Domino promeruit Eliæ ieiunium. *Elias*, inquit, *minante Iezabel, fugiens post vnicum pabulum, & potum, quæ ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit ad montem Horeb, vbi cùm in spelunca diuertisset, quàm familiari congressu Dei exceptus est: Quid tu Elia hic? multo amicior ista vox quàm: Adam, vbi es? Illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blandiebatur. Tanta est circumscripti cibus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuerà pari. Si enim Deus æternus non esuriet hoc erit tempus, quo homo Deo adæquetur cum sine pabulo viuit.*

20. Vers. 10. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël.* ] Rationem reddit Propheta fugæ, & eam adducit, aut solam, aut præcipuam, quia cùm patriæ religionis zelator esset acer, & constans, neque ferre posset à filiis Israël diuinam voluntatem, & legem conculcari, & assiduè illos reprehendebat, & acerbè; ex quo sic in illum sunt animati hostiliter, vt ad mortem quærant, & omnibus vestigiis indagent. Cúmque alios occiderint Prophetas, & antiquæ legis zelatores, non dubitandum, quin ipsius vitæ parcendum non fuerit, qui ex omnibus solus relictus est. Quòd autem legem, & auitam religionem filij Israel prodiderint, ex eo probat, quia altaria in diuinum cultum olim excitata à parentibus, qualia variis in locis religionis ergò à posteris visebantur, subuersa sunt, & in montibus, ac lucis, variisque delubris, ac sacrariis infinita prope ad impias idolorum victimas excitata fuerint, & nunc quoque impudentia simili excitentur quotidie. Hanc itaque suæ fugæ, atque secessus in vastum illud, secretúmque latibulum causam reddit, vt hostilem nempe gladium, & odium vitet, quod in caput suum assidua, atque graui reprehendendi libertate conflauerat.

Hæc communis, &, vt opinor, vera responsio, & illius intelligentia. Chrysostomus durior est in Eliam, quem alicuius culpæ reum redarguit, quæ illi vim ademit, atque constantiam, & formidinem incussit ingentem, quæ in fugam contulit, vt vnius fœminæ furorem declinaret. Vide homiliam primam tom. 1. vbi crudelitatis, aut inclementiæ Prophetam accusat, & docet voluisse Dominum multis illum modis ad lenitatem traducere, & vix tandem fuisse consecutum. Sed hoc ostendit in homilia iam tertiò citata de Petro, & Elia, vbi sic Deum cum Elia loquentem inducit, & ignobilem fugam obiicit, à qua dicit non abfuisse culpam, sicut neque à Petro cùm vocem exhorruit ancillæ. *Duo*, inquit, *illa propugnacula* (Petrus, & Elias) *& arces à duabus mulieribus sunt redarguæ. Petrus ancillam extimuit, & Elias Iezabel formidans in simile incidit peccatum, & fugit itinere dierù quadraginta.* Et paulo pòst sic ad Eliam Chrysostomus: *Tu quidem facinus commisisti crudelitatis plenum. At Deus calamitatem tantam misertus est. Cúmque omnium esset curator, volebat ille quidem inhumanitatem tuam lenire; tu verò in illa permanebas.* Deinde aliud etiam peccatum in Elia deprehendit, cùm ad hunc locum veniret, in cuius nunc commentatione versamur. Sic enim nunc facit Deum cum Elia loquentem. *Quid tu hic Elia? quid, inquam, hic agis? hæc dicens fugam illius innuebat, quasi diceret, cur tu aufugisti? Vbinam est tua in loquendo libertas? vt discas viribus tuis non confidere. Respondet Elias alia in mente habens, & alia dicens: Domine Prophetas tuos interfecerunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam. Quid ad hæc Deus? statim illum redarguens. Non propterea, inquit, fugisti, Elia: non enim tu solus es Baal non adorans. Subiungit autem illum redarguens, Reliqui mihi ipsi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Redarguit igitur illum, quòd non eam ob causam fugisset, sed propter mulieris timorem.* Hæc Chrysostomus: qui certè seuerior est in Eliam censor, quàm alij omnes, & forte quàm Eliæ merita, & æquitas postulabant.

21. *Chrysostomi in Eliam dura reprehensio.*

Vers. 11. *Et ait ei: Egredere, & sta in monte coram Domino.* ] Latebat, vt apparet, in spelunca Elias, cùm superiores accepit sermones ab Angelo: nunc secundò audit, vt è latibulis prodeat, in lucem videlicet, ita tamen vt non recedat à monte, imò fortasse neque ex ipso latebrarum ostio. Eo enim consilio videtur euocatus fuisse, vt Domini audiat incedentis strepitum, & loquentis vocem, & alia videat, quæ maximè ab illo obseruari oportuit, de quibus proximè.

22.

*Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Deum, non in spiritu Dominus.* ] Multa hìc habet Elias, & nos in eo præclara documenta, quæ nos hìc exploremus, atque expendamus oportet, neque erit leue ad rem moralem huius operis pretium. Primùm reuocemus in mentem necesse est eadem penè hoc ipso in loco accidisse prodigia, cùm data

23. *In monte Sinai plura signa.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

ta lex est,vt liquet Exod.cap.19.vers.16.*Et ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Quare locus iste iterum iam fulminantem Deum, & tonantem fuerat expertus. Cùm Deus pactum iniit cum Israelitico populo, montem concussit Sinai, audiri fecit tonitrua,& apparere fulgura,& splendere ignes; eadem etiam edidit signa, cùm contemptum pactum,& conculcatam legem reparare vellet. Neque enim opus minoris esse operæ, atque studij solet,facere nouum,quàm instaurare,aut reuocare ruinosum, & vetus. Ingressus est quodammodo Dominus in hominum animos tonando, fulgurando,commouendo montes,quando legem tulit in monte Sinai,id est,in loco senticoso,& aspero: & idem Deus, cùm populus pactum, quod priùs amplexus fuerat, foret transgressus, vt illum renouaret,& reformaret populum, quem antè data lege formauerat,eadem edidit signa in monte Horeb, qui aut idem est cum monte Sinai, aut certè illius pars non ignobilis,qui aliquid significat siccum, desertum, & æstuosum. Et quidem cùm Deus remigrare meditatur in animum, ex quo fuerat à peccatore relegatus, quia id fit plerumque per pœnitentiam,fulgurat, tonat & radicitus fundamenta conuellit;neque aliter patare sibi domicilium solet. Quod optimè Magnus explicuit Gregorius libro quinto Moral.capite 25.vbi considerat, & ponderat quomodo Spiritus sanctus in die Pentecostes in discipulorum viscera descenderit. Cùm enim explicaret illud Iob cap.4.*Et vocem quasi auræ lenis audiui. Quid*, inquit, *per vocem auræ lenis,nisi Spiritus sancti cognitio designatur? Qui tamen super Apostolos veniens per exteriorem sonum tamquam per vehementem demonstratur, cùm dicitur: Factus est repentè de cœlo sonus tamquam aduenientis Spiritus vehementis. Sanctus enim Spiritus cùm se notitiæ humanæ imbecillitatis insinuat,& sonitu vehementis spiritus,& voce auræ lenis exprimitur, quia videlicet veniens,& vehemens,& lenis; lenis, quia notitiam suam,quatenus cognosci vtcumque valeat, nostris sensibus temperat;vehemens, quia quamtumlibet hanc temperet, aduentu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitati illuminando perturbat.*

Idem multo docuit expressiùs libro 11. Moral. cap.42.ad illud Iob cap. 10. *Reuersúsque mirabiliter me crucias. Omnipotens*, inquit, *Deus vnde mentem nostram visitans, ad amorem suum erigens, inde hanc per lacrymas grauiùs afflixit. Ac si apertè dicat, relinquendo me nequaquam afficis, quia insensibilem reddis,sed cùm reuerteris crucias: quia dum te insinuas, mihi met quàm sim lugendus,demonstras.* Accommodatè ad hanc Gregorij cogitationem dixit Seneca, tunc esse ægroto de valetudine gratulandum, cùm dolet, cùm gemit, & cùm se malè habere cognoscit, & se in graui existimat periculo versari,& indigere aut igne, aut ferro, quibus serpens coërceatur malum,cùm de morte pauidus, & salutis amans medicum aduocat, & illa, quæ horrebat, appetit, & amarum poculum, quasi aliquid esset palato non ingratum lubens haurit. Nam priùs cum delira laboraret phrenesi,aut sensuum stupore, neque iudicabat ægrotum, neque erat de vita,salutéque sollicitus.

Hoc idem videtur Deus commendare Eliæ, cui id à Domino videtur datum negotij, vt corruptos sanet,& quasi recudat Israelitarum mores. Quare iubet,vt Dominum quasi præcursor antecedat in spiritu vehementi, qui dura peccatoris corda commoueat, & scelerum spinosas, atque

24. *Non minoris est opera instaurare vetera, quàm adificare noua.*

25. *Signa Dei ingredientis animã peccatoris.*

26. *Cõturbatio, & dolor signum aduenientis gratiæ.*

27.

A sylvestres plantas ab imis vsque radicibus euellat, quod facit ventus, qui vbi violentior est, saxa commouet, atque diffringit, & sicut ignis quicquid est vitiorum prorsus exurat. Quod fecit postea Ioannes præcursor, qui venisse dicitur in spiritu, & virtute Eliæ, Lucæ capite primo; imò & Elias ipse vocatur à Christo Domino Matth. capite 11.versiculo 14. & capite 17. versiculo 12. Dicitur autem Ioannes Elias, quia eo spiritus ardore prædicauit, quo priùs Elias, quando occurrit Achab,& occidit Prophetas,aut qualis hoc loco hieroglyphico signo esse iubetur, in quo ventum audimus vehementem,commotionem, & ignem; neque verò minus se post hanc admonitionem seuerum, & acrem Elias exhibuit, quàm antea præbuerat, cùm ignem euocarit è cœlo, quo

B milites ab Ochozia missi combusti sunt, & non minus impauidè occurrit secundò Achab post occisum Naboth; & Ochoziæ, cuius quadrigenarios interfecerat,vt durum illi,& breuem enunciaret interitum. Hoc idem Ioannes fecit, qui spiritum habuit, & virtutem Eliæ, quíque ideo Elias vocatus est. Nam cùm ad viros potentes, & doctrinæ, & sanctitatis inflatos opinione ageret,ignem se præbuit, & turbinem, cum illa tonat, quæ hominum possent ita animos concutere, & inflammare, sicut illa, quæ in hoc hieroglyphico signo proposita fuerunt Eliæ. Matth. capite tertio versiculo 10. *Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum,excidetur, & in ignem mittetur.* & infrà

C versiculo 12. *Cuius ventilabrum in manu sua,& permundabit aream suam,& congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Neque minus fuit in Baptista spiritus audax,cùm synagogæ principes, à quibus non leuiora timere poterat,quàm Elias ab Achab,& Ochozia, seuerè exagitauit conuitio, cùm genimina, seu progeniem appellauit viperarum, & futuram iram denunciauit. Quod Eliæ, & Ioanni datum est negotij, id quoque viris apostolicis, & Euangelij præconibus commissum est. Qui enim verbum accepit Domini, ignem accepit, & malleum, quo petras conterat, & vitiorum exurat genimina, & stirpes. De quo Ieremias cap.23. versiculo 14. *Nonne verba mea quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?* Vide quæ nos in nostris commentariis ad hunc locum. Qui verò,

D cùm se profiteantur euangelicum obire ministerium,neque tamen adurunt peccatorum germina, neque radices elidunt,& adamantina pectora non frangunt, sanè satis ostendunt tractare se neque satis castè, neque satis fideliter apostolicum munus.

Aliter exponi potest hic locus, qui ad morales sensus plurimos patet,quod etiam quasi in ænigmate videtur docere Dominus. Quasi velit docere Prophetam, qualem se præbeat in eos,qui & curriculum ingressi sunt spirituale, & cum Deo studeant familiariter agere. Principio enim antequam se animi sui amantibus intime communicet, agere solet minùs familiariter, cùm reprehendit, & his exercet, atque excolit modis,

E quos viri spirituales in viam conferunt purgatiuam. Tunc enim Deus pœnitentes animos compungit, ciet lacrymas, facítque vt homo sibi omninò displiceat; iudicium horreat diuinum, & pœnas timeat suorum scelerum vltrices. At vbi hæc anteceſſit seuera purgatio, iam non ventus vehemens perflat, aut ignis furit, sed aura tenuis,

28. *Ioannes, & Elias similes.*

29. *Viri Apostolici signa.*

30. *Deus quomodo animã ad suam familiaritatẽ disponit.*

*Quomodo vir Apostolicus peccatoris animũ disponere debeat ad gratiam.*

tenuis, & sibilus exhilarans purgatum animum, qualis est ille, qui in sinu dormit sponsi, & ad cellam vinariam introductus est. Ita penè Gregorius lib. 5. Moralium cap. 26. vbi cùm hæc verba de adueniente Domino retulisset, ait, *Spiritus ante Dominum euertit montes, & petras conterit, quia pauor, qui ex aduentu eius irruit, & altitudinem cordis nostri deiecit, & duritiam liquefacit: sed spiritui commotionis, & igni non inesse Dominus dicitur; esse verò in sibilo auræ tenuis non negatur. Quia nimirum mens cùm in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfectè conspicere præualet, Deus non est. Cùm verò subtile aliquid conspicit, quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cùm saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita degustamus.*

31. His verbis Deus consolari videtur mœrentem, & quasi desperantem animum Eliæ, qui videbatur spem abiecisse tranquillitatis, & otij, cùm ex vno in aliud continenter periculum trahatur, & vnius mali finis gradus sit alterius. Quasi dicat, post vehementem turbinem, & ignem deuorantem successuram auram rotantem, & tenuem; neque semper cum dura congrediendum esse fortuna; neque diu cum potestate futuros illos, quorum horret minas, & timet inflammatum odium, atque ideo quasi melior iam incipiat aspirare aura, & candidior fulgere dies, iubet vt nouos vngat Reges tam Israëlis, quàm Syriæ; qui domos subuertant Iezabelis, & Achab, & Prophetam nouum pro se constituat, quem spiritus sui relinquat hæredem, quasi ille statim auferendus sit ab hominum congressu, & meliorem viuendi conditionem habiturus.

32. *Elia qualis raptus, & eius Typus.* Neque, credo, erraret à veritate longè, qui existimaret respexisse Deum ad futurum Eliæ statum non longè ab hoc tempore; nam raptus est ab igne, & turbine, quæ duo potius horrorem & vim afferunt, quàm mollem, & pacatum incessum: post ignem tamen, & turbinem auram nactus est suauiter aspirantem, vitam nimirum longam, eámque aut beatam, aut beatæ proximam. De quo lib. 4. c. 2. v. 11. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Idem Eccles. cap. 48. v. 13. In raptu turbinem audimus, atque ignem; in fine tamen raptus post ignem, & turbinem, quietem mollem, & auræ sibilum.

33. Alij hoc loco reprehendi putant Eliæ durum, & præfractum ingenium, quod ad vindictam, & plagam exardescit facilè, neque sponte ad clementiam, & misericordiam traducitur. Atque ideo præmisit Deus turbinem, commotionem, & ignem, in quibus Deus ipse non erat, & deinde tenuem auram, & sibilantem placidè, & in illa Deum, quasi in sua familiari sede quiescentem. Tonat Deus, fulminat, fulgurat, concutit montes, sed id quodam modo facit inuitus, & tactus dolore cordis intrinsecus, quia proprium est illius misereri, & parcere; atque ideo non inhabitare dicitur in turbine, & igne, quia hæc aliquid sonant horribile, & humanis commodis importunum; sed in aura tenui, quæ recreat, ac reficit laborantem spiritum. Si tamen in igne, & turbine suum sibi videtur locasse domicilium, id facit aut nostris prouocatus sceleribus, quæ punire vult; aut vt ostendat se nostris ærumnis cruciari quodam modo, & iisdem se quoque laborare incommodis, quibus nos ab aliorum inclementia vexamur, & vrimur. Iactabatur populus Domino quondam charus, & electus ab Ægyptiis, & quasi inter spinas morabatur, & fornacibus vrebatur assiduè: atque ideo Deus in eodem tempore visus est à Moyse in ardenti, & spinosa planta. Erat Iob variis tum corporis morbis, tum aliorum conuitiis, quasi à vehementi spiritu, & turbine iactatus; eodem tempore, vt se illius dolorem familiariter dolere significaret, apparuit in turbine, & ad illum de turbine locutus est. Iob cap. 38. & 40. Sic sanè Gregorius lib. 8. Moral. cap. 28. *Si sano, atque incolumi loqueretur* (Deus) *ex tranquillitate dominica locutio facta esse diceretur; sed quia flagellato loquitur, de turbine loquutus fuisse describitur.*

*Elia Dominus clementiam commendat.*

34. *Deus nobiscum quodammodo laborat, & patitur.*

35. Cùm ergo Deus in flammis, & turbine esse soleat, aut cùm punit peccatores, aut cùm dolentibus condolet; tamen quia plerumque in aura refrigerante, ac placida commorari assolet, in aura tenui esse dicitur, non in igne, & turbine. Sicut Rex, licèt aliquando sit in acie, aliquando in fluctibus, si nauigare contingat; tamen habitare dicitur in regia domo, quia illa Regi stabile, ac proprium domicilium est. *Deus in pace cur dicatur viuere.*

36. Vt igitur ad explicandam postremam hanc sententiam redeamus, commendat Deus Eliæ lenitatem, quam ipse plurimùm amat, & in qua libenter requiescit, si velit Deum ipsum habere sibi familiarem. *Neque enim,* vt homil. 6. optimè Macarius, *decet seruum Dei in hoc tam incomposito statu viuere, sed in omni tranquillitate, ac sapientia, vt inquit Propheta Isai. cap. 66. Ad quem respiciam, nisi ad mansuetum, & quietum, & trementem sermones meos. Et temporibus Moysis, & Eliæ reperimus, quòd cùm in apparitionibus, quæ illis obtigerunt, multa ministeria tubarum & virtutum præcessissent dominicam dignitatem, in illis omnibus separatim apparuerit aduentus Domini in pace, & tranquillitate, & quiete. Ecce enim, inquit, vox auræ tenuis, & in ea Dominus. Liquet ergo quòd quies Domini sita est in pace, & tranquillitate.* Hæc Macarius. Eadem propè Tertullianus lib. de patientia cap. 15. *Sedet in throno spiritus eius (id est, Dei) mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est tenera serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit Elias: nam vbi Deus, ibi & alumna eius, patientia scilicet.* *Lenitas, & mansuetudo Deo grata valde.*

37. Hanc sententiam tenent, vt dixi, interpretum plerique. Theodoretus quæst. 57. ait ostendisse Deum facilè se posse momento temporis vniuersum aut vento vehementi, aut igni, aut terræ concussu, aut alio modo, sed maluisse mundum administrare lenitate. *Per hoc,* inquit, *ostendens, quòd lenitas, benignitas, & clementia sola est Deo grata: vnumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas.* Chrysostomus in hac re explicanda multus est, tum homilia prima de Elia tom. 1. tum homil. de Petro, & Elia, à nobis sæpius citata. Vbi eleganter, vt solet, atque copiosè docet multis modis voluisse Deum Eliæ curare animum efferum, & durum, exemplo coruorum, & Sarephthanæ viduæ, quæ in illum contra quàm illorum natura, & huius status angustus exigebat, misericordes, & liberales extiterunt: & nunc etiam docet multo clariùs: *Dum ante se præmittit tamquam aliquid alienum, turbinem, commotionem, & ignem, & in aura molli, & placidè sibilanti quiescens ingreditur.*

38. Hæc ego ideo probo magis, quia magnis pla-

cent auctoribus, ſed nihilominus non tam hîc durum Eliæ ingenium reprehendi, aut illi commendari clementiam, quàm tradi formam, quæ in corrigendis, aut puniendis diuinæ legis tranſgreſſoribus ſeruari debeat, nempe vt illa imitetur, quæ maximè ſunt in rerum natura violenta, ventum nimirum, qui concutit, atque ſubuertit montes, & ignem, qui conſumit, & diſſipat omnia, ídque celeritate incredibili, neque ſuauitatem aſſumat tenuis, & refrigerantis auræ, donec Deum aduenire videat, quem antecedunt quaſi ſtratores viarum, & præcurſores ad parandum hoſpitium ventus, commotio, ignis. Quod videtur indicare Eccleſ. cap. 48. v. 7. vbi ſic de Elia, *Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defenſionis.* Vbi Græcè κρίματα ἐκδικήσεως, iudicia vltionis, quaſi dicat, accepit modum, quo Deum, aut illius legis contemptum vlciſceretur, ſumpto graui de idololatris ſupplicio. Quòd verò hæc ſit huius loci ſententia, ideo mihi perſuadeo, quia ille idem, qui in auræ tenuis ſibilo veniſſe dicitur, nihil Eliæ præcipit non ſeuerum, nihil quod non oleat turbinem, commotionem, & ignem. Nam contra illos, qui transfugæ à lege idola coluerunt, aduersùs quos antea acriter, & hoſtiliter dimicauerat, rurſus iubetur arma ſumere, non minus, quàm in priori congreſſu, cruenta. Iubetur enim, vt tres hoſtes contra Iſraëlitas idololatras armet, quorum manibus impium illud hominum genus intereat, Iehu, Hazael, & Heliſæum, de quibus ſtatim. Neque ſi Elias iuſſus eſſet ſeruare clementiam, & abſtinere à ventorum impetu, & flammarum incendio, euocaſſet ignem è cœlo, qui quinquagenarios, & illorũ cohortem ad vnum extingueret. Neque ſanè poſt hanc admonitionem minus ſeuerum, aut efferum videmus Eliam, quàm antea fuerat. Adde quòd Chriſtus ſpiritum laudat Eliæ, dum tantopere laudat Ioannem, quem veniſſe dicit in ſpiritu, & virtute Eliæ, imò & illum propter morem, & inſtituti ſimilitudinem Eliam appellat, vti nuper dicebamus. Hæc mihi explicatio omnium maximè videtur expedita. Neque parum huic ſententiæ ſuffragatur, quòd illa eadem, quæ à nonnullis in Elia reprehenduntur, laudantur ab Eccleſiaſtico c. 48. cuius inſtitutum eſt laudare viros glorioſos. In laudibus autem Eliæ numeratur, quòd ipſe fuerit quaſi ignis, & verba ſua non aliter funderet, quàm ſi è faucibus flammas eructaret: hoc enim valet illud, *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* Et ſtatim famem immiſſam laudat, & Baalis Sacerdotes occiſos, euocatum eſſe ter ignem de cœlo, confractam eſſe Regum potentiam, & illa tandem omnia, quæ Prophetam poſſent feritatis arguere.

Hîc ad extremum obſeruare lubet, quæ hîc narrantur omnia, vt ab ſpiritu ſeu vento prouenire poſſunt, prout variè attemperatur ad varia: ſic etiam hominum ſpiritum, eorum præſertim, qui vitam meditantur Apoſtolicam, variè etiam, prout hominum exigit vſus, & neceſſitas, attemperari debere. A ſpiritu, id eſt, vento, cùm ſe vehementiùs mutat, & frequenti ſe vertigine circumagit, turbo fit; cùm terram ſubit, illam concutit, & ſaxa interdum aut diſrumpit, aut è ſuis ſedibus horribili fragore conuellit. Idem ignem excitat in nubibus exagitatis acriter, aut colliſis vehementer, vt docuit Ariſtoteles lib. 1. Meteor. cap. vltimo. Et in ſyluis obſeruatum eſt à ruſticis ignem excudi, cùm vi ventorum ſyluestrium arborum rami inter ſe colliduntur. Quod etiam Lucretius docuit cap. 5.

*Exprimitur validis extritus viribus ignis,*
*Et micat interdum flammai feruidus ardor,*
*Mutua dum interſe rami, ſtirpéſque teruntur.*

Sic etiam Virgilius, aut quicunque eſt ille, qui opus de Ætna compoſuit, & magis ad noſtrum inſtitutum accommodatè.

*Ardentéſque ſimul flammas, ac fulmina rumpunt,*
*Haud aliter, quàm cùm prono iacuere ſub Auſtro,*
*Aut Aquilone fremunt ſyluæ, dant brachia nodo*
*Implicitæ, & ſemper iunctis incendia ramis.*

Hæc omnia à ventis fieri, cùm illorum eſt flatus vehementior, docuit Ouidius, qui in fabulas interdum occulta Philoſophiæ ſacramenta incluſit. Sic enim lib. 6. Metamorph. ad finem languentem inducit Boream.

*Apta mihi vis eſt: hac triſtia nubila pello,*
*Hac freta concutio, nodoſaque robora verto,*
*Idem ego cùm fratres cœlo ſum nactus aperto,*
*(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,*
*Vt medius noſtris concurſibus inſonet æther,*
*Exiliántque cauis eliſi nubibus ignes.*
*Idem ego cùm ſubij conuexa foramina terræ,*
*Suppoſuíque ferox imis mea terga cauernis,*
*Sollicito manes, totúmque tremoribus orbem.*

Idem etiam ventus interdum remittit vim, aſpirátque ſedatam, veréque vitalem auram, & qui priùs terrori, idem poſtea leuamento eſt, & quaſi aliquid voluptati & valetudini opportunum maximè à delicatis, & mollibus captari ſolet.

Huic ſimilis eſſe debet viri Apoſtolici ſpiritus, modò ſic incitatus, & vehemens, vt diſrumpat ſaxa, & ab ima ſtirpe robora conuellat, modò excitet ignes, exurat vitiorum fibras, & inolitas ſordes concoquat, vt purum relinquat aurum, & diuinæ menſæ non indecorum. Huius exemplum fuit Paulus, quem modò videas tonantem, fulminantem, concutientem ſaxorum inſtar obduratos animos, modò lenientem oratione leni, & quaſi nutricem puſillorum ori lac immulgentem euangelicum. Quod vt diſcipulus Timotheus faceret, verbis grauiſſimis admonuit 2. ad Timoth. 4. Hæc enim omnia his verbis complexus eſt. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Eſt autem vir ille Apoſtolicus fabro non diſſimilis, qui vel ex ligno, aut marmore imaginem exculpit, vel ex ære format, & excudit. Ille enim, cùm lignum rude eſt, aut vaſtum ſaxum, aut æs informe, ſecurim adhibet, malleum, & vectes, ignem, & incudem, & ſic in materiam arti ſubiectam, ſecando, tundendo, & vrendo deſæuit, vt nihil aliud ſibi videatur propoſuiſſe, quàm vt lignum diffindat, ſaxa confringat, ferrum omninò perdat; quia tunc plurimum inuenit in materia, quod deterat ſecuris, & malleus, aut quod ignis exurat, & informet incus. At cùm iam hæc omnia duriter detrita, aut informata ſunt, ceſſat malleus, & incus, ceſſant ignis, & folles, ceſſat ſecuris, & mitiori iam manu totum opus politur, & abſoluitur, & ad nobilem aliquam, & ſpecioſam formam adducitur.

Verſ. 13. *Quod cùm audiiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpelunca.*] Quod ad hiſtoriam ſpectat, cur hæc Elias fecerit, obſcurum non eſt. Egreſſus fuit ab ſpelunca, ſicut acceperat mandatum ab Angelo, ſed exterritus à vehementi ſpiritu, qui videbatur cómouere montes, &

*Spiritus ardoris in viro Apoſtolico laudandus.*

*Elia quid à Domino in viſione cõmendatum.*

39.

40. *Vir Apoſtolicus his quibuſcum agit, accommodare ſe debet.*

41.

*Ignis ex ramorum colliſione productus.*

42. *Ventorum effectus varij.*

43. *Vir Apoſtolicus vento ſimilis.*

44. *Item fabro aut ſculptori.*

45.

& saxa conuellere, & ab igne, qui præcedebat A suauiter spirantem, & sibilantem auram, continuit se in ostio foraminis, quod solent facere, qui in timore sunt, vt commodiorem habeant ad sua latibula recessum. Et quia satis præcepto factum putabat, cùm iam è latebris foras prodiisset. Deinde pallium oculis oppositit, operuitque vultum; quod etiam faciunt, qui vident, aut videre se putant aliquid horribile, quod & ipsa docet experientia quotidiana. Ad hæc reuerentiæ cuiusdam, & obseruantiæ est, vt notauit Abulensis quæst. 19. faciem operire, quasi indigni videamur intueri faciem eius, cui reuerentiam deberi magnam intelligimus. Sic Moyses Exod. 3. vocatus à Deo est, qui visus fuerat in ardenti rubo, cùm tamen illud à Domino præceptum non esset, B vultum operuit, postquam in rubo Deum esse cognouit. *Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.* Ab hoc tanti magistri facto fortasse didicit Elias ante Deum esse cooperiendum vultum, aut id maximè fortasse commouit obseruantiæ genus, quia id in casu non dissimili videbatur Moysi contigisse. Nam Exod. cap. 33. v. 22. faciem illius Dominus sua manu texit, donec transiret: pòst verò sublata manu vt posteriora videret, facultatem fecit. Ad huius igitur exemplum Elias videtur operuisse pallio vultum suum.

46. Gregorius lib. 5. Moralium cap. 26. id propriæ infirmitatis cognitioni tribuit, quæ cùm sibi persuadeat se non posse cognoscere diuina, neque tutum esse lippis oculis aduersum solem intueri, operit vultum, tegit oculos, & doceri magis vult à Deo, quàm curiosus eius scrutari maiestatem. *Dei maiestas non scrutanda, sed veneranda.* *Tunc*, inquit, *verum est, quod de Deo cognoscimus cùm plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Vnde bene illic subditur: Quod cùm audiisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. Post auræ tenuis sibilum vultum suum Propheta operuit pallio; quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo contegatur, agnoscit. Vultui namque pallium superducere est, ne altiora mens quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, vt nequaquam intelligentiæ oculos vltra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc, quod deprehendere non audeat, reuerenter claudere.* Deinde ad hanc explicationem accommodatè exprimit, quare Elias vltra speluncæ ostium egressus non fuerit. Ait primò speluncam esse humanæ corruptionis statum obscurum, & cæcum, & ad illius ostium tunc hominem prodire, quando aliquam Dei cognitionem captare incipit. *Quia enim*, inquit, *progredi perfectè non possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, iam aliquid de libertatis aura captamus.* Eadem penè omnia à Gregorio repetit Angelomus.

47. *Et ecce vox ad eum*, dicens: *Quid hic agis Elia?*] Iterum Angelus Eliam, quid agat, interrogat; & ille idem iterum ad interrogata respondet. Neque est cur illorum iteratò explicationem adducamus. Tantùm dico Eliam rogatum fuisse secundò, vt ex illius responsione occasione oblata solaretur Angelus Eliam, & quid ab eo factum vellet, admoneret.

48. Vers. 15. *Vade, & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum*, &c.] Hæc à metu liberant sollicitum animum Prophetæ, cùm occidendi dicantur illi, quorum vt effugeret longas, & cruentas manus, tam longam intenderat, & molestam fugam. Item mœrentem spiritum à dolore leuant, quia graue dicitur inferendum bellum diuini nominis inimicis, & his, qui in Israëlitico populo gentilicam fouent religionem. Quotquot enim hi vncti dicuntur, & quasi bellorum duces designati, illos præsertim infectabuntur, & magnis afficient detrimentis, qui à vero Dei cultu ad superstitionem vanam transfugerunt. Iubetur primùm Elias per desertum penè repetitis magna ex parte vestigiis adire Damascum, vt ibi vngat Syriæ Regem Hazael; quem acerrimum hostem experientur Israelitæ. Deinde Iehu Regem Israel, qui familiam Iezabelis, & Achab sic infectabitur hostiliter, vt omninò deleat. Deinde sui spiritus, ac muneris successorem designet, qui quod ab aliis reliquum fuerat ex impio idololatrarum ordine, ipse persequatur, & extinguat. Hæc aperta sunt, quis eorum sit sensus; & qui euentus huius designationis futurus sit, ex his, quæ proximè dicentur, manifestum fiet.

Illud hîc obseruandum. Primum, cur iussus fue- 49.
rit Elias ire per desertum Damascum, cùm per regionem Israëlitidem multo sit breuior, & commodior transmissio. De breuitate constat, de commoditate multo magis, cùm in illo spatio, quod ad desertum spectat, neque esculentum aliquid, neque poculentum occurrat, vt proximè Elias ipse cum magno viæ, imò & vitæ fastidio fuerat expertus: sed hîc apparet paterna in seruum fidelem prouidentia. Neque enim voluit, vt per Israëlitarum terminos, id est, per regiones Achab, & Iezabeli subiectas, iter haberet, ne aut ille aliquid C ab hostibus pateretur acerbius, aut illum saltem periculi suspicio à profectione retardaret. Et quod ad cibum, & potum attinet, satis à Deo fuerat prouisum abundanter. Nam panis ille subcineritius, & vas aquæ, quæ data sunt ab Angelo, cùm sub iunipero iaceret, non solùm aluerunt, confirmarúntque Prophetam per quadraginta dies peregrinationis vsque ad montem Horeb, sed per totum tempus, quo in spelunca delituit, & quo in deserto fuit, vbi nullum offerebatur naturæ subsidium. Ita putat Abulensis suprà quæst. 8.

Quærendum item an propriè Elias Reges, & 50.
Prophetam vnxerit, & quo oleo, sacróne, an vulgari, & profano? Quidam putant vnctos non fuisse Reges, sed tantùm ad regna esse destinatos, D quæ designatio pro vnctione, & designatione fuit. Neque enim putant alienos Reges aut vngi solitos, aut vngi debere, maximè oleo sacro, cùm illud non aptè cadat in profanum caput. Historia scholastica putat Hazaelem non vnctum à quoquam, sed prophetica tantùm voce Syriæ Regem designatum; secus de Iehu, qui licèt non ab Elia, Eliæ tamen mandato ab aliis vnctus est. Idem tenent Dionysius, & Rabbanus. Caietanus incertum esse dicit, an duo illi Reges vncti fuerint, an tantùm Reges futuri declarati, eò tamen inclinat magis, vt putet omnes fuisse vnctos, vt ipsa docet litera. Quod etiam tenet Abulensis quæst. 21. & 22. Et, licèt obscuriùs, affirmare etiam videtur Theodoretus quæst. 58. Et hoc 51.
E de duobus Regibus id mihi longè videtur probabilius, quia id sonat litera, à cuius proprio, atque directo sensu ad improprium, & figuratum recedendum non est, nisi cùm grauis vrget ratio, qualis hîc apparet nulla. De Hazaele minus mihi dubium; neque enim aliam ob causam Elias profectus est Damascum, & longioris, & inamœnæ viæ molestiam assumpsit. Neque quicquam incommodat profanum esse caput, & à vera religione alienum, cùm neque necesse fuerit oleum esse sacrum, imò cùm omninò vulgare

*Duo Reges Iehu & Hazael vncti ab Elia.*

fuerit, atque commune, vt dicemus ſtatim, neque inuſitatum fuerit externos etiam Reges inaugurari oleo ritu legitimo. Sanè Cyrus Iſai. c. 45. Chriſtus appellatur, id eſt, vnctus, cùm eſſet non Iudæorum, ſed Perſarum Rex. Scio hanc putari non propriam, ſed figuratam vnctionem, quod nobis eo loco viſum eſt; verumtamen non legimus vnctionem externis Regibus eſſe negatam; licèt illam ſolis Hebræorum Regibus tribuat Auguſtinus ad illud Pſal. 44. *Propterea vnxit te Deus.* Sed fateamur illud Regibus externis non eſſe legitimum; at, vt conſtat, Reges ad illud vſque tempus per vnctionem plerumque à Prophetis deſignati ſunt. Cùm ergo hoc notum eſſet vicinis Regibus, neque, vt eſt veriſimile, Hazael ignoraret Prophetam eſſe Eliam, habenda ratio fuit non tam deſignati alieni Regis, quàm deſignantis Prophetæ. Quòd autem apud Romanos aliqui magiſtratus olim ſolemni quadam, & ſacra initiarentur vnctione, docuit Varro lib. 5. de lingua Latina. Qui poſtquam alios adduxit ſolemnes ritus, aduocari dixit viros quoſque præcipuos in templum, poſt hæc addit, *Vbi lucet, cenſor, ſcriba, magiſtratus, myrrha, vnguentiſque vngatur.*

*Reges externi an vnctione deſignati.*

*Vnctione aliqui magiſtratus deſignari ſoliti.*

52. De Iehu idem puto dicendum, idque potiori iure, cùm Rex futurus eſſet Iſraël; neque obſtare arbitror, quod nonnullis, vt negarent ab Elia vnctum, argumento fuit, quia lib. 4. Regum cap. 9. vnctus fuiſſe traditur à Propheta, quem ad id negotij miſerat Eliſæus. Nam nihil inuſitatum video, cùm ſecundò vnctus dicatur fuiſſe Saul, & tertiò Dauid. Neque præterea otioſa fuit poſterior hæc vnctio, cùm vngi potuerit ab Elia tamquam Rex aliquando futurus, eo nimirum tempore, cùm à Deo vocaretur ad ſolium, & regale munus; illud verò tempus iam aduenisſe poſterior vnctio definiret; ſicut etiam accidit in vnctione Dauidis.

53. De Eliſæo plures negant, & dicunt pro vnctione, & oleo fuiſſe pallium, quo Elias Eliſæum operuit. Ita Hiſtoria ſcholaſtica, Dionyſius, Rabbanus, neque id Lyræ, & Abulenſi diſplicet. Sed idem ego de Eliſæo, atque de aliis Regibus dicendum eſſe cenſeo. Quid enim prohibet? Dicunt aliqui de his vnctionibus nihil haberi certum in Scriptura ſacra; neque vident plurima omitti, quæ ſalua religione negari non poſſint, cùm aliis locis tradita fuerint, aut ſaltem indicata. In his autem vnctionibus ſatis eſt à Domino fuiſſe præceptas, vt credamus à tanto viro non fuiſſe omiſſas. Sanè hos tres fuiſſe initiatos vera, & propria vnctione, docet Innocentius III. de ſacra vnctione cap. vnico, dum huius veræ vnctionis tria hæc adducit exempla. Porrò quid præter vnctionem habuerit Eliſæus ab Eliæ pallio, dicemus ſuo loco pluribus.

*Heliſæus vnctus ab Elia.*

54. In eo etiam quod deinde traditur, ab Eliſæo occiſum iri eos, qui à Iehu, & Hazaelis manibus elapſi fuerint, aliqui nonnihil vident, quod admirentur, & ita futurum eſſe negant, ſicut præſefert ipſius literæ proprietas. Angelomus, *Non ita*, inquit, *accipiendum eſt, quod Propheta Dei Eliſæus homicida futurus ſit, & tyrannus, ſed magis ſpiritualiter intelligendum. Quia iuſtitia diuina, quæ ſingulis reddit opera ſua, punit peccata hominum aliquando manifeſta vltione, aliquando occulto iudicio, vindicat per Reges, & iudices, vindicat per Prophetas, & ſacerdotes, cùm alios nocentes facit plecti mucrone, alios tranſuerberat gladio linguæ.* Et addu-

A cit illud Oſeæ cap. 6. *Dolaui eos in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei.* Simile eſt illud Iſai. c. 11. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Eodem modo putant Rabbanus, & Hugo. Sed ſanè huiuſmodi locutiones in hunc locum minùs aptè cadunt. Nam eodem modo occidendi dicuntur ab Eliſæo homines impij, quo ab Hazaele, & ab Iehu, quia videlicet qui fugerint duorum Regum manus, id eſt, qui ab illorum armis interfecti non fuerint, non effugient manus Eliſæi, id eſt, illam ſubibunt mortem, quam ſe euaſiſſe crediderant, mortem vtique corporis.

Quare dicendum eſt reuerà transfugas à ve- 55.
B ra religione ab Eliſæo fuiſſe ſublatos, quia aut ferro occiſi, quomodo ab Elia Sacerdotes, & Prophetæ Baal, vel oratione, quomodo euocato cœlitùs igne quinquagenarij cum ſuis quinquaginta perierunt. Quando ferro viros idololatras Eliſæus confecerit, non legimus, neque enim omnia, quæ geſta ſunt, à ſacra produntur hiſtoria. At oratione, & imprecatione minaci aliquos eſſe peremptos, habemus lib. 4. Regum cap. 2. vbi quadraginta duo pueri de Bethel, id eſt, de præcipua idololatrarum ſede interfecti traduntur. Neque eſt improbabile qui imprecatione ſua hos occidit inſultantes pueros, eumdem alios quoque plurimos eodem ſuſtuliſſe ſpiritu de medio. Ita putant Abulenſis quæſt. 23. & Lyra, Caietanus, & alij. Quo mo-
C do Hazael, & Iehu rem Iſraëliticam, & Regis Achab familiam durè mulctauerint, commodior ſuccedet poſteà diſputandi locus.

*Quomodo ab Heliſæo multi occiſi.*

Verſ. 18. *Et derelinquam mihi in Iſraël ſeptem* 56.
*millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal.*] Dixerat Elias ſuprà dolere ſe vehementer, & religionis zelo intimis vri præcordiis, quòd ex Dei cultoribus ipſe tantùm fuerit relictus in Iſraël, conſolatus illum Dominus fuerat, cùm duos Reges, & Prophetam vnum eſſe dixit, qui cauſam Domini tuerentur, & Baalis idolorúmque cultores ferro conficerent, aut certè ſic attererent, vt pro mortuis iudicari potuerint. Sed hoc non poterat eſſe Prophetæ non moleſtum, cùm iuxta ſuam opi-
D nionem nullus ex tanta Iſraëlitarum multitudine videretur eſſe relictus. Hac igitur de re iterum Deus conſolatur Prophetam, & ab hoc etiam mœrore, atque ſollicitudine releuat, dum ait, etiamſi omnes extinguantur idololatræ, futuros tamen eſſe plurimos, qui nunquam ad Baalis aras ſupplices acceſſerunt, quos ab hoſtili ferro pietas exemit.

Interpretum plerique hunc certum eſſe nu- 57.
merum exiſtimant, quaſi tantùm in Iſraële fuerint virorum ſeptem millia, qui à religione vera non defecerunt. Quod quia placet pluribus, mihi etiam placere debet. Nihilominus neſcio quo modo ad hanc cogitationem duriùs afficior.
E Nam ex tanta multitudine exiguum hunc numerum eſſe relictum, qui vni Baal, id eſt, Sidoniorum Deo, flexo genu non ſupplicauerint, videtur non omnino facile, neque enim hîc de vitulis aureis, & aliorum idolorum monſtris ſermo eſt, niſi de vno Baale. Niſi dicas Baalem hîc per Synecdochem vſurpari pro reliqua idolorum turba. Sanè multo plura Iſraëlitarum, quàm ſeptem millia eſſe relicta, videtur certum omninò, cùm poſt tempora Hazaëlis, & Iehu magna fuerit Iſraëlitarum Regum potentia,

&

& exercitus numerosos sæpe conflauerint, qui ex tam exiguis reliquiis conflari non poterant. Quapropter suspicabar ego numerum hîc finitum, & determinatum, pro infinito, & indeterminato sumi: quod cùm in aliis numeris sæpe in Scriptura sacra fiat, in septenario sæpissimè factum obseruamus. Illud Prouerb. 24. *Septies in dies cadit iustus*, omnium consensu magnum significat, & indefinitum numerum, valétque idem, quod *sæpe*. Idem dicendum de illo Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, & Psal. 11. *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*. Et vbi vulgatus legit 1. Reg. cap. 2. in Cantico Annæ, *Donec sterilis peperit plurimos*. Hebræi habent, & Septuaginta *septem*. De hoc septenario numero vide apud Salmeronem proleg. 20. de septenario numero; vbi docet septem millia virorum (de quibus hoc loco) innumeram significare hominum multitudinem. In quam ego sententiam libentiùs abeo, quia neque abhorret à sacræ Scripturæ consuetudine, & multa extricat, quæ sacram historiam, & filum narrationis impediunt. Quod magis quæ proximè succedunt, ostendent.

58. *Septenarius numerus pro magna multitudine.*

*Et omne os, quod non adorauit eum osculans manus.*] Duo hîc ponuntur adorationis genera vsitata olim à Gentilibus impiè, nunc autem à Christianis religiosè, ac piè. Alterum est incuruare genua, quod vt demittit, & abiicit corpus, sic etiam demissum, & abiectum significat animum coram illo, cui exhibetur religiosus honor. Alterum est osculari simulacrum, aut applicito ore, osculo proximè libato, aut vbi manus simulacrum tetigerit, illam ad os referre, & partem illam ea ratione venerari, quia rem meruit contrectare sacram, quæque censetur ex rei sacræ contactu aliquid libasse, & contraxisse sanctitatis. Quod si adeò res procul illa absit, in qua profitemur aliquid esse diuinum, vt tangi non possit, ad illam saltem manus extenditur, cui deinde tamquam rei quodammodo sacræ osculum imprimitur. Quod faciebant idololatræ, cùm solem adorarent, quod indicat Iob cap. 31. v. 26. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo*. Huius consuetudinis externi quoque meminerunt. Plinius lib. 28. c. 2. *Inter adorandum dexteram ad osculum referimus*. Minutius in Octauio, *Cæcilius simulacro Serapidis viso, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens osculum labiis impressit*. Aliquando non osculabantur manum, sed conformabant labia, quasi osculum absentibus impressura, obseruantiæ, atque amoris ergò. Quomodo qui plusquam familiariter amant, se vicissim non tam re, quàm imagine quadam, & significatione osculantur absentes. Ita Tertullianus in Apologetico cap. 16. ad Gentiles. *Sed & plerique vestrûm in affectatione aliquando vt cœlestia adorandi ad Solis ortum labia vibratis*. His omnibus modis credo ab idololatris Israëlitis cultum fuisse Baalem. Et præcipuè osculo ab ore verè, & propiùs impresso, quod faciebant, nisi quid interiectum obstaret, Gentiles in sua adoratione frequentius. Qua de re externi plurima. Vnum tantùm adducam ex Cicerone actione 4. in Verrem, vbi Tullius dicit simulacrum Herculis æreum vsque adeò Agrigentinis fuisse religiosum, *Vt rictus eius, & mentum paulò sit attritius, quod in precibus, & gratulationibus non solùm id venerari, verùm etiam osculari solent*. In Hebraico textu tantùm habemus, *quod non osculatum est eum*. Et ita recentes aliæ versiones transtulerunt. Vulgatus *manus* addidit, vt certam aliquam adorandi formam exprimeret, & quia hæc fortasse fuit in adorando Baale aut sola, aut certè magis vsitata. Sed est non improbabile alias etiam interceßisse osculorum formas.

59. *Osculatio manuum obseruantiæ genus.*

60. *Labia in osculi speciem conformata, obseruantiæ, atque amoris signum.*

Hîc porrò obseruandum eosdem omnino esse illos, de quibus hîc dicitur non incuruasse genua, & eos, qui ab impuris oculis dicuntur abstinuisse labia. Ita putat Abulensis quæst. 23. Quod facilè ille sibi persuadebit, qui textum adhibuerit Hebraicum, & alias translationes, tam nouas, quàm antiquas; vna excepta vulgata, cuius tamen eadem est sententia, licèt translatio paulò obscurior. Ad verbum sic habet Hebraicus codex, *Et relinquam in Israël septem millia, omnia genua, quæ non curuauerunt se ad Baal, & omne os, quod non osculatum illum*. Ita ferme translationes aliæ, Septuaginta paulo aliter. *Et relinques in Israël septem millia virorum, omnia genua, quæ non flexerunt genu ipsi Baal, & omne os, quod non adorauit eum*.

61.

Hîc ego epexegesim quandam agnosco, id est, iteratam sententiam, quæ nihil addit hemistichio priori, sed tantùm rem declarat, & amplificat. Quare hîc nihil significatur aliud, quàm ex graui clade tantùm relictum iri septem millia virorum, qui non adorauerunt Baal. Quod videtur expressisse Paulus ad Romanos cap. 11. vers. 4. vbi altero tantùm hemistichio totam sententiam complexus est. Sic autem ille. *Sed quid dicit illi* (nempe Eliæ) *diuinum responsum. Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal*. Nihil hîc de superstitum numero reliquit Paulus, & tamen alteram reliquit hemistichij partem. Neque aliud significat vulgata translatio, quam sic ordino. *Derelinquam mihi septem millia virorum* (hîc distinctionem adhibeo) *eos videlicet, qui non incuruauerunt genua ante Baal, neque illum per osculum adorauerunt*. Quòd autem vulgatus non transtulerit eodem modo, quo alij Hebraicos codices sequuti, ea videtur esse ratio, quia imitari voluit Apostolum, qui eodem ferè modo alteram hemistichij partem priorem conuertit.

62.

Vers. 19. *Profectus ergo inde Elias reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum.*] Cùm ad Elisæum peruenit Elias, iam in Syria vnxerat Hazaelem; vt enim paulo antè vidimus, iussus fuerat per desertum adire Damascum, & sicut primo loco nominatus est Hazael, sic etiam verisimile est primo etiam loco fuisse vnctum ab Elia, & deinde Iehu, tertiò tandem Elisæum. Cur verò hîc nihil de vtriusque Regis vnctione, ea causa fuit, quia in illorum vnctione speciale aliquid nihil accidit scriptione dignum, & diuinum mandatum ab homine fideli, atque obsequenti susceptum satis indicat; nihil in modo, atque ordine executionis omissum eorum, quæ à Deo priùs fuissent iniuncta. Pater Elisæi dicitur esse Saphat, homo, vt apparet, rei rusticæ locuples, & potens, vt qui duodecim boum iugis araret. Quòd autem non aratet Elisæus tamquam seruus alienum agrum, sed paternum, ac suum excoleret, ex eo fit probabile, quia par mactauit boum, quos cùm in aratro coxisset, aratorum turbæ, ac populo distribuit, quod seruus neque posset facere, neque auderet. De tribu fuisse Ruben dixit S.

63.

64. *Pater Elisæi locuples.*

Epiphanius de vita, & interitu Prophetarum c.6. Isidorus de vita,& morte Sanctorum cap. 36. Hi autem cum auctore historiæ scholasticæ, & cum Ioanne Episcopo Hierosolymitano 13. dicunt in ortu Elisæi mugiisse vnum è vitulis aureis, quos conflauit Ieroboam, & illius mugitum auditum fuisse Hierosolymis, & ex eo sacerdotem quemdam prudentem coniectasse, eo die aliquem esse natum, qui futurus est sculptilibus omnibus, atque idolis extrema labes. Plura deinceps occurrunt de Elisæo, quæ nos suis locis multo commodiùs. Quod verò hîc dicitur arasse in duodecim iugis, nihil arbitror aliud, quàm in suis, aut paternis agris colendis habuisse duodecim iuga, quibus ipse præerat, neque ipsum laborem illum rusticum recusasse, cùm vnus quoque foret ex aratorum numero.

*Heliſæi virtutis præſagia.*

65. *Cúmque veniſſet Elias ad eum, poſuit pallium ſuum ſuper illum.* ] Hîc nonnulli,de quibus paulo antea, cogitant hoc pallium Elisæo fuisse pro vnctione, & oleo, quia prophetali amictu destinatus videbatur, & assumptus ad prophetale ministerium. Quod, meo iudicio, dici non debet, quia nimis sunt voces à sua proprietate distortæ; neque etiam si minùs dura foret illa translatio, sine graui causa, vocum esset deserenda proprietas. Est porrò Patrum communis sententia tres hominum ordines inungi solitos,Sacerdotes,Reges, & Prophetas, & omnes Elisæum nominant:neque enim vllus alius in Scriptura reperitur, qui fuerit vnctione ad munus illud destinatus. Ita S. Thomas ad illud Psal. 44. *Propterea vnxit te Deus.* Et in c.1. Matthæi ad illud, *Liber generationis Iesu Christi.* Qua de re nos plurimus in nostris commentariis ad illud cap. 10. super Acta, *Quomodo vnxit eum.* Esse autem hanc vnctionem Elisæi propriam docuit Innocentius tertius cap. vnico de sacra vnctione, vbi hoc ipsum caput adduxit. *In veteri,* inquit, *Testamento non solùm vngebatur sacerdos, sed etiam Rex,& Propheta; sicut in lib.3.Regum Dominus præcepit Eliæ: Vade, & reuertere,* &c. *Elisæum autem Prophetam, qui est de Abel Meula, vnges Prophetam pro te.*

*Heliſæus propriè vnctus ab Elia.*

*Tres hominum ordines inungi ſoliti.*

66. Quid ergo, dices, sibi velle potuit iniectum pallium ab Elia Elisæo? Illud opinor,vt postquam vnctione designatus esset Propheta, per pallij communicationem ad eamdem societatem,& vitæ communionem vocaretur.Neque enim,si Propheta esset, eo nomine cogebatur cum Elia vitam degere communem.Iniecto itaque pallio in suam sibi societatem asciuit,quasi eiusdem secum instituti participem. Quomodo ex veteri Hebræorum ritu sponsus, quam habere vult domus, thalamíque consortem, suo tegit pallio; vt docuit Ruth, quæ cùm nuptias expeteret Booz,dixit cap.3.v.9. *Expande pallium tuum ſuper famulã tuam.* Et Ezech. c.16. v.8. *Expandi amictum meum ſuper te.* Et quidem si eo iam tempore Elias discipulos habuit, qui vt vitæ genus, sic etiam instituti insigne, & indumentum habuere commune, dum pallium iniicit, ad suum institutum vocat, & cœtum.

*Pallium vitæ, & eiuſdem inſtituti ſocium deſignat.*

Quod non videtur ignorasse Elisæus,quandoquidem orat, sibi vt liceat osculari parentes, vt illorum postea oblitus, deinde illum expeditior sequatur. Vnctio igitur fecit Prophetam Elisæum; pallium autem contubernalem,& monachum.

Vers. 20. *Osculer, oro, patrem meum,& matrem.*] Consuetudo fuit inter Hebræos, vt osculo exciperent, & osculo item dimitterent cognatos, & amicos:Cuius rei in Scriptura sacra exempla sunt obuia. Vnus Iacob vtriusque nobis documento erit, nam Genes. cap.29.v.11. cùm cognatam sibi Rachelem primùm vidisset, iuxta patrium morem osculatus est illam. Et cap.31. vers.28. Conquestus est Laban, quòd furtim se corripuisset Iacob; neque passus esset,vt filias oscularetur abeuntes. Hoc porrò osculum Elisæi futurum esse postremum videbatur; quasi statuisset Propheta nouus repudiatis omnibus adhærere Eliæ, & Dei se totum obsequio, atque tutelæ tradere.

67. *Oſculo apud Hebræos excepti amici, atque dimiſſi.*

Vers. 21. *Reuersus autem ab eo tulit par boum, & mactauit,* &c. ] Duo hîc inuenio, quæ maximè Elisæi commendant alacritatem in relinquendo sæculo, & in amplexando religioso instituto strenuum animum,& studium fidele. Alterum in mactandis bobus,& aratro comburendo, quasi nuncium iam remitteret ruri, rusticísque prouentibus, neque aliquid habere vellet, à quo postea de medio reuocaretur cursu. Alterum, quod conuiuium parauit rusticæ, ac populari turbæ, quod fieri solet, aut cùm aliquid accidit fortunatum, & lætum, vt in triumpho, & nuptiis, aut in feriis parentalibus, cùm vita iam functis iusta persoluimus. Hæc duo videri possunt nouo Prophetæ, ac monacho contigisse. Iniit enim nuptias feliciſſimas cum Deo, quem ex omnibus sponsum elegit, quia, vtpote Propheta, iam cum illo familiarem, atque intimum conuictum habiturus est. Atque ideo exhibere voluit aliis nuptiale,& verè geniale conuiuium. Quod etiam facere debuit alio nomine; quia qui religiosum ingreditur stadium,quod homines expeditos desiderat,& nudos à sæculari pondere, ille si sui instituti rationem,& quid exigat illa noua viuendi forma, cognouerit, mortuum se putabit, & mundo, & sibi. Quare, quæ mortuorum sunt, meditatur, & curat; & ita se gerit, quasi neque motum habeat vllum, non vllum sensum, non aliquid eorum, ad quæ, cùm sæculo, & sibi viueret, magno anhelabat studio. Quòd autem apud Hebræos in mortuorum parentalibus sacris publicum instruatur conuiuium, diximus in nostris commentariis super Ieremiam ad illud cap.26.v.5. *Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum.* Et super Ezechielem cap.24. v.17. *Nec cibos lugentium comedes.* Hæc probabilia, sed credo illud potius geniale, quàm ferale conuiuium,quod putauit Caietanus. Quomodo fecit multo postea Matthæus, qui vocatus à Christo reliquit omnia,& conuiuium apparauit splendidum, ad quod Christum cum discipulis,& eorum aliquos,quos habuerat amicos, & socios inuitauit, Matth. cap.9.

68. *Heliſæus cur occiſis bobus conuiuium parat.*

69. *Conuiuium Heliſæi nuptiale, & funebre.*

*Religioſus mortuus.*

# IN CAP. XX. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*BENADAB Rex Syriæ ex Syro, atque externo milite copiosum collegit exercitum, quo obsedit Samariam, eóque adegit, vt quasi iam in sua teneret potestate, illa ab obsessis insolenter exigeret, quæ neque ab subiugatis ab hoste iam rerum potito postulari solent, aurum videlicet, & argentum, insuper vxores, & filios Regis Achab: neque Rex ipsam (tam arctè premebatur à Syro) conditionem respuit. Cùm verò secundò plura postulasset, addidissétque deberi etiam sibi subditorũ bona, neque pro sua ambitione, ac spe certa victoriæ, quale sperabat, responsum accepisset, extrema minatur omnia, ita vt in euersa vrbe futurum non esset reliquum, vel minimum pulueris. Quare angustiùs cœpit obsidione vrgere, & obsessos premere vehementiùs. Quo tempore Deus per Prophetam certam illi de tanta Syrorum multitudine victoriam promittit, & quo illam consecuturus sit modo edocet. Cumque fugatus esset, & graui strage concisus Syrorum exercitus, admonitus est per prophetam Achab, vt se in sequentem annum ad similem congressum compararet; cùm neque spiritus abiecisset Syrus, neque pugnandi studium. Instruxit igitur Syrus exercitum rursus persuasus à suis Israelitam militem valere in montibus plurimum, quia Deum colit, & implorat adiutorem, qui dominatur in montibus. Quod si in vallibus, campestrique planitie signa cum hoste conferat, non dubiam futuram esse victoriam. Sed impiam illam vocem vltus est Deus longè maiori clade, quæ centum ac viginti millia Syrorum absumpsit. Benadab cùm de vita actum esse crederet, suorum artificio aduersarium Regem placatum habuit, atque propitium. Quam intempestiuam clementiam, Regisque Syri morte dignissimi seruatam vitam exprobrauit Dominus per Prophetam, ea tamen simulatione, atque artificio, vt Rex illius ignarus artificij suo se iudicio condemnaret. Cùm ergo iam apertiùs Propheta grauia esset Regi, populóque minatus, tulit Rex comminationem illam acerbiùs, & furore insaniens rediit in Samariam.*

## CAPVT VIGESIMVM

1. POrrò Benadad rex Syriæ, congregauit omnem exercitum suum, & triginta duos reges secum, & equos, & currus: & ascendens pugnabat contra Samariam, & obsidebat eam.

2. Mitténsque nuncios ad Achab regem Israël in ciuitatem,

3. Ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & aurum tuum meum est: & vxores tuæ, & filij tui optimi, mei sunt.

4. Respondítque rex Israël: Iuxta verbum tuum. Domine mi rex, tuus sum ego, & omnia mea.

5. Reuertentésque nuncij, dixerũt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, & aurum tuum, & vxores tuas, & filios tuos dabis mihi.

6. Cras igitur hac eadem hora mittam seruos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domum seruorum tuorum: & omne quod eis placuerit ponent in manibus suis, & auferent.

7. Vocauit autem rex Israël omnes seniores terræ, & ait: Animaduertite, & videte, quoniam insidietur nobis: misit enim ad me pro vxoribus meis, & filiis, & pro argento & auro: & non abnui.

8. Dixerúntque omnes maiores natu, & vniuersus populus ad eum: Non audias, neque acquiescas illi.

9. Respondit itaque nunciis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me seruum tuum in initio, faciam: hanc autem rem facere non possum.

10. Reuersíque nuncij retulerunt ei. Qui remisit, & ait: Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, si sufficerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.

11. Et respondens rex Israël, ait: Dicite ei, Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus.

12. Factum est autem, cùm audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse & reges in vmbraculis, & ait seruis suis: Circundate ciuitatem. Et circundederunt eam.

13. Et ecce propheta vnus accedens ad Achab regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce ego tradam eam in manu tua hodie: vt scias, quia ego sum Dominus.

14. Et ait Achab: Per quem? Dixítque ei: Hæc dicit Dominus: Per pedissequos principum prouinciarum. Et ait: Quis incipiet prælíari? Et ille dixit: Tu.

15. Recensuit ergo pueros principum prouinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum: & recensuit post eos populum, omnes filios Israël, septem millia:

16. Et egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in vmbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant.

17. Egressi sunt autem pueri principum prouinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad. Qui nunciauerunt ei dicentes: Viri egressi sunt de Samaria.

18. Et ille ait: Siue pro pace veniunt, apprehendite eos viuos: siue vt prælientur, viuos eos capite.

19. Egressi sunt ergo pueri principum prouinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur:

20. Et percussit vnusquisque virum, qui cõtra se veniebat, fugerúntque Syri, & persecutus est eos Israël. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis.

21. Nec non egressus rex Israël percussit equos & currus, & percussit Syriam plaga magna.

22. Accedens autem propheta ad regem Israël, dixit ei: Vade, & confortare, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.

23. Serui verò regis Syriæ dixerunt ei: Dij montium sunt dij eorum, ideo superauerunt nos: sed melius est vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.

24. Tu ergo verbum hoc fac: Amoue reges singulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis:

25. Et instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, & equos secundùm equos pristinos, & curru secundùm currus quos antè habuisti: & pugnabimus contra eos in campestribus, & videbis quòd obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, & fecit ita.

26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, & ascendit in Aphec, vt pugnaret contra Israël.

27. Porrò filij Israël recensiti sunt, & acceptis cibariis profecti ex aduerso, castráque metati sunt contra eos, quasi duo parui greges caprarũm: Syri autem repleuerunt terram.

28. Et accedens vnus vir Dei, dixit ad regem Israël: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.

29. Dirigebántque septem diebus ex aduerso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum, percussérúntque filij Israel de Syris centum millia peditum in die vna.

30. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in ciuitatem: & cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porrò Benadad fugiens ingressus est ciuitatem, in cubiculum quod erat intra cubiculum.

31. Dixerúntque ei serui sui: Ecce, audiuimus, quòd reges domus Israël clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israël: forsitan saluabit animas nostras.

32. Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, venerúntque ad regem Israël, & dixerunt ei: Seruus tuus Benadad dicit: Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc viuit, frater meus est.

33. Quod acceperunt viri pro omine: & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, & adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, & leuauit eum in currum suum.

34. Qui dixit ei: Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam: & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.

35. Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere.

36. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cúmque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit.

37. Sed & alterum inueniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, & vulnerauit.

38. Abiit ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutauit aspersione puluer-

ris

ris os & oculos ſuos.

39. Cúmque rex tranſiſſet, clamauit ad regem, & ait: Seruus tuus egreſſus eſt ad prælíandum cominus: cúmque fugiſſet vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Cuſtodi virum iſtum qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes.

40. Dum autem ego turbatus huc illúcque me verterem, ſubitò non comparuit. Et ait rex Iſraël ad eum: Hoc eſt iudicium tuum, quod ipſe decreuiſti.

41. At ille ſtatim abſterſit puluerem de facie ſua, & cognouit eum rex Iſraël, quòd eſſet de prophetis.

42. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.

43. Reuerſus eſt igitur rex Iſraël in domum ſuam, audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.

---

# IN CAP. XX. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

### Verſ. 1. *Porrò Benadab Rex Iſraël congregauit omnem exercitum ſuum.*]

1. REx iſte Syriæ Benadab exercitum conflauit quàm maximum potuit contra Regem Achab, adduxítque ſecum plurimos Reges, quos habebat ſibi vectigales, & ſubditos, aut quos ad id negotij mercede conduxerat; qui his copiis Samariam Iſraëlitici imperij caput obſedit. Neque Achab contrà cùm multo eſſet viribus inferior, auſus eſt copias extra muros educere, & aperto in campo cum hoſte concurrere. Cùm Regis Iſraël ingentem metum non dubiis ſignis cognoſceret Benadab, ſuíſque viribus nihil non tribueret homo glorioſus, & inſolens, legationem miſit ambitioſæ cuiuſdam acerbitatis plenam, aſſerens ſua eſſe omnia, quæ in ſua Rex Iſraël haberet poteſtate, aurum, argentum, & ea quæ ab hominibus numerantur in bonis; inſuper vxores, & filios. Annuit Rex, vt ea ratione importunum hoſtem ab obſidione ſummoueret. Cùm autem ſequẽti die acerbiorem legationem mitteret, affirmarétque deberi ſibi omnium etiam ſeruorum Regis bona, & die craſtino mittendos eſſe ſeruos, qui optima quæque ſcrutarentur, & auferrent. Viſum eſt hoc Achab inſolens, & durũ, quapropter ex ſuorum conſilio legatos duriùs acceptos ad Dominum ſuum remittit, affirmans facturum ſe, quæ antè promiſerat; quidlibet autem ſubiturum potius, quàm vt à ſecunda legatione poſtulata concederet. Hæc aperta ſunt, neque alia indigent explicatione, quæ eodem fermè modo explicat Ioſephus. Porrò hîc Benadab à ſeptuaginta dicitur filius Ader, à Ioſepho filius Adadi.

3. Verſ. 10. *Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, ſi ſuffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me.*] Accepit Regis, populíque reſponſum Benadab cum ſtomacho, & minatus eſt, quod à barbaro tantùm, & arroganti ſpiritu expectari poterat; eas nempe, & habere tunc, & habiturum copias in obſidione ciuitatis, vt vix pro ſingulis militib. tantum puluꝛis futurum ſit in tota Samaria, quantum poſſet capere pugillus. *In puluere multitudo ſignificatur.* Dubitare hîc aliquis poſſet, cur ad explicandam ſuam potentiam, & infinitam propè militũ multitudinem à puluꝛis pugillo comparationẽ ſumpſerit Benadab? Quaſi dicat non tot futuras puluꝛis in tota Samaria pugilli menſuras, quot ipſe in exercitu habet militum capita. Quidam putant Samariam egregiè fuiſſe munitam, & mœnibus, & aggere intra mœnia, ex quo milites tutò contra externas copias dimicare poterant. Quo aggere, ac munitione freti Samaritæ, cùm ſatis ſe putarent contra hoſtiles incurſiones, & machinas habere præſidij, ſecundæ legationi reſponderunt audaciùs. Cùm igitur non ignoraret Benadab ex illo aggere animos addi deſperanti populo, vt ab hac ſpe, atque audacia deducat, aut ſibi eſſe perquam facile alium aggerem extrarium moliri interiori parem, vt non minus ipſi commodè extra, quàm Samaritæ intra muros dimicare poſſent. Id porrò fieri poſſe, ſi quilibet eorum, quos habet in caſtris, pugillum ſaltem aggerat puluꝛis. Ita putat Ioſephus lib. 8. antiq. cap. 8. Hiſtoria Scholaſtica, Lyra, Dionyſius: Quæ ſententia minus placet, quia aggerem illum interiorem ſine fundamento, imò fortaſſe ſine vllo exemplo fingit. Deinde quia verba Benadab nihil ſonant de aggere; imò potiùs videntur ſignificare in Samaria non ſatis futurum eſſe puluꝛis ad excitandum aggerem, ſaltem, vt implere poſſit ſingulorum militum pugillum.

4. Ego hîc alluſum puto ad duos apud Hebræos familiares, & quaſi prouerbiales dicendi modos, quibus aut hominum multitudinem, aut ciuitatum extremam vaſtitatem ſignificare ſolent. Notum eſt Terræ puluerem in multitudinis ingentis comparationem adduci, quia puluꝛis terræ, ſicut arenæ maris, infinitus eſt numerus. Sic lib. 2. Paralip. cap. 1. v. 9. vbi ſic ad Deum Salomon, *Tu enim me feciſti Regem ſuper populum tuum multum, qui tam innumerabilis eſt, quàm puluis terræ.* In hoc ſenſu diximus explicari poſſe illud Iſai. cap. 16. v. 4. de Aſſyriorum exercitu. *Conſumptus eſt puluis*, id eſt, periit exercitus, qui ſicut terræ puluis erat innumerabilis. Quare hoc dicendi modo ſignificare voluiſſe videtur Benadab non tantum eſſe in Samaria puluꝛis, quantum ipſe in caſtris militũ haberet. Sed eſt ſine dubio alius puluꝛis, magis accommodatus, & hyperbolicus vſus, quo ſumma 5. explicatur ciuitatum ſtrages: cùm enim ſignificare volumus deletam funditùs ciuitatem, neq; puluꝛis minimum ex antiqua mole relictum eſſe dicimus, ſed ſcopandum eſſe, aut radendum puluerem ex ea. Qua de re plura ſuprà cap. 14. *Mundabo reli* *Extrema vaſtitas quibus verbis ſignificata.*

*reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum.* Erit igitur sensus verborum Benadab ita à se excindendã esse Samariam, vt neque in ea pars minima pulueris sit futura reliqua. Quod sibi factu futurũ dicit esse facillimũ, quia tantam in castris militũ habet copiam, vt si illorũ quisque pugillum egerat pulueris, res momento temporis peragenda sit. Neque in Samaria aliquid relinquendũ præter purum, nudúmque saxum, in quo fundata est. Quod de Tyro dixit Ezechiel cap. 26. v. 4. cui simile minatur exitium, *Et radam puluerem eius de ea: & dabo eam in limpidissimam petram.* Non longè ab hac sententia abludit Abulensis q. 5. vbi optimè superiorem explicationem confutat.

6. Septuaginta aliter hunc locum conuerterunt; vbi enim vulgatus *pugillus*, ipsi reddiderunt *vulpibus*, tametsi eorum aliqui codices, sicut vulgatus, *pugillis* habeant. Translationis varietas vnde prouenerit, non est cognitu difficile; vox enim Hebraica modico flexu vtrumque significat à radice שעל *Saal.* Iuxta hanc septuaginta versionem sensus videtur esse non incommodus, ex tota Samaria non esse relinquendum locum, vbi vulpes parare sibi possit foueam. In ruinis enim ciuitatum necesse est latebræ maneant ad occultandas feras opportunæ, in quibus præcipuè numerantur vulpes, quæ in ea regione frequentissimæ sunt. Sanè de Ierusalẽ excisa dixit Ierem. Thren. cap. 5. v. 18. *Propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo.* Chaldæus aliter, *si suffecerit puluis Samariæ, vt tollatur vestigiis plantæ pedum populi, qui mecum est.*

7. Vers. 11. *Ne glorietur accinctus æquè, vt discinctus.*] Prouerbialis hæc videtur forma, qua illius insolentia deprimitur, qui cùm nihil, aut parum possit, nihil sibi putat difficile; aut qui ante certamẽ concipit animo, imò & voce, & tuba anticipat victoriam. Tale est illud Latinorum, quo reprehendere solemus illos, qui quod adhuc est acerbum, & crudum, ad tempestiuam tamen maturitatem peruenisse putant, & cùm plurimum superest laboris, & operæ; rem tamen esse perfectam existimant. Hos dicimus ante victoriam canere encomium, & fructum velle demetere ex segete, quæ nõdum est matura, sed quæ ante messem, aut sterni potest a grandine, aut imbre procelloso, aut à vento sic affici, vt in fauillam, & fumum conuertantur, quæ videbantur agricolis magnum emolumentum allatura, & spem antè conceptam miserabiliter eludant. Talis autẽ spes, & messis dicitur adhuc esse in herba, ex qua ad messem, & horreum multi intercedunt casus, multa pericula, quæ agricolarum expectationem relinquunt hiantem. Hac spe nondum matura seipsum fallebat ille, ad quem dixit fœmina, quam alter non magis tempestiuè, quàm pudicè lactabat:

PROV. *Spes vana quibus significata modis.*

8. *Sed nimium properas, & adhuc tua messis in herba est.*] Hebræi aliorum præproperum studium, & anticipatum gaudium, aut in dubio euentu certam spem, alio solent coërcere, aut corrigere prouerbio. Dicunt enim aliud præcincto, aliud discincto futurum esse consilium, aliud meditandum illi, qui rem iam quietè possidet, quíque nullum habet, qui contrà aliquid aduersum moliatur; aliud illi, qui possessionem ambit, dum adhuc causa seueris exagitatur iudiciis. Illum enim securitas otiosum reddit, & pacatum, hic, quia ancipitem videt esse fortunam, & exiguis momentis magnas interdum accidere rerum inclinationes, neque attollit spiritus, si sapit, neque securum agit otium, sed vndecunque putat immi-

PROV. *Spes stulta & vana quomodo ab Hebræis significata.*

nere periculum. Qui in acie est, & hostem habet nondum subactum, nunquam deponit arma, neque pondus illud molestum putat, dum vitæ cauet, & hostis viuit. Cùm verò iam parta est victoria, neque hostis viuit, aut ita est fractus, vt mutire non audeat, exfibulat loricam, armorũ abiicit pondus, & pro pellibus, sub quibus agebat excubias, vitem eligit, aut ficum, ad quarum vmbras securos captat somnos. Septuaginta paulo aliter vertunt, eodem tamen sensu, nec diuersa metaphora, μὴ καυχάσθω ὁ κυρτὸς ὡς ὀρθιος. Id est, *non glorietur gibbosus vt rectus.* Miles cùm onustus incedat armis, vallo, frumento, ad multorum dierum cibaria, necesse est vt incuruus incedat; quis enim recto progrediatur corpore, qui tali subsit oneri, quale Tullius dicit esse familiare militi, dum militari progreditur more. Fert enim, vt docuit ille in Tusculanis, præter arma, quæ non computantur in onere, vallum, dimidiati mensis cibaria. Quæ omnia, quis ferre queat, nisi curuato corpore, & inflexo collo? Vnde fit, opinor, vt familiare militis epitheton sit incuruus, aut gibbosus, quia hic nisi militari onere, & labore perfunctus, erecto corpore non est. Quare sensus erit, non glorietur, qui in acie adhuc est, & onustus armis, aliísque militaribus sarcinis incuruus incedit, sicut ille, qui confecto fœliciter bello, securo fruitur otio. Pro *discincto*, Hebr. est מפתח *mepateach*, id est, *apertus.* est autem apertus, qui inermis est, quíque vulneri patet; aut qui iam securus, incomitatus incedit, & à satellitio nudus, quia nullum habet, à quo sibi cauendum putet. Vt autem is, quem alij custodiæ gratia comitantur, clausum habere dicitur, aut tectum latus, sic qui solus incedit, apertum dicitur habere latus, aut ab armis, quibus corpus includitur, aut à sociis, qui pro muro sunt. 9.

Illud porrò obseruarunt, qui de re militari cõmentarios ediderunt, aut viri prudentes, qui aliquando militiam professi sunt; hostes non esse nimis vrgendos, quibus animus à desperatione augetur, & vt sunt varij casus, & anceps fortuna belli, qui victores videbantur futuri; imò qui iamiam videbantur manu apprehendisse victoriam, percussos fuisse ab abiectis. Qua de re nos pluribus suprà lib. 2. cap. 2. ad illud, *An ignoras quòd periculosa sit desperatio.* 10.

Quidam ex Hebræis aliam hîc metaphoram, seu metaphoricum prouerbium agnoscunt, ex voce חגר *choguer*, quæ accinctum, & מפתח *mepatheach*, quæ aperientem significat. Sic ergo vertit Hispanica translatio, *Non salve el que ciñne las llaues, como el que abre con ellas.* Tormenta muralia, arietes, catapultæ, claues quædam sunt, quibus ab obsidente hoste murorum claustra reserantur. Sed quẽadmodum non omnibus, qui claues sibi conflauerunt, facultas conceditur aperiendi portas, aut arculas, vnde sumãt, quod sibi maximè fuerat in votis (vnde videtur frustrà accinctus clauibus, quales gestare materfamilias solet, cui datæ sunt claues tantùm ad speciem, & vtendi negata potestas; atque ideo de clauibus, si sapiat, gloriari non debet, quia præter onus nihil habet à clauibus.) Sic qui luculentum habet militarem apparatum, si non contingat aperire muros, & quæ intus recondita fuerint suæ sibi potestati subiicere; quod multas ob causas videmus accidere quotidie; frustrà iactat militum copias, & quæ communi vocabulo bellorum impedimenta vocãtur. Et quidem intempestiuè scrutari vult Benadab regiam domum, & subditorum arculas, licèt claues habere se 11.

se putet, cùm nondum victor domum, aut arculas aperuerit.

12. Vers. 13. *Et ecce Propheta vnus accedens ad Achab.* ] Quis fuerit hic Propheta, non constat; fuisse tamen verum, nemo dubitat, cuius propheticam vocem ipse satis probauit euentus. Quidam putant fuisse Michæam filium Iemla, non Morastitem, qui, vt cap. 22. videbimus, his temporibus floruit. Sed cùm alij hoc tempore Prophetæ vixerint, nihil potest affirmari certi. Mihi nemo minus fuisse videtur, quàm Michæas; quis enim credat cùm hoc nuncium tum lætum, tum verum attulerit Michæas, cui victoriam iure optimo adscribere debuisset Achab, postea ab illo tam seuero edicto coniiciendum in carcerem fuisse cap. 12. v. 17. hæc dicit Rex, *Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Accedit quòd Achab ab isto Michæa v. 8. nullum se audiisse dicit vaticinium bonum; cùm tamen hoc, de quo statim, perquam optimum fuerit. *Remansit*, inquit, *vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Iemla.*

13. *Ego tradam eam* (multitudinem) *in manum tuam hodie, vt scias quia ego sum Dominus.* ] Cùm tam angustè à Syriis premeretur Achab, eóque esset desperationis adductus, vt ad illam fœdam, ac duram conditionem descenderet, verisimile est adiisse deorum aras, quas vxoris hortatu variis in locis excitarat, atque inibi fecisse vota, & sacrificio multiplici Baalis, & aliorum deorum misericordiam, & auxilium aduocasse. Sed planè frustrà, cùm maius in dies singulos immineret ab hoste periculum, & ipse, ac sui ita languerent animis, vt dare se in campum non auderent. Voluit autem Deus stolidum illum, atque impium Regem sui admonere erroris, atque ideo vt intelligeret nihil in idolis esse fidei, nihil constantiæ, & à vero Deo sperari posse, ac debere victoriam, Prophetã mittit, qui victoriam promittat, certúmque præscribat pugnandi modum; & prodigiosam illam victoriam argumento futuram edoceat, vt cognoscat illum solum verum esse Deum, cuius ipse religionem, inductis nouis idolorum monstris, abiuratat.

14. Vers. 14. *Per pedissequos Principum prouinciarum.* ] Tam Hebraica vox נער *naar*, quàm Græca παιδάριον, filios significat & seruos. Iosephus filios esse putat, cum quo Historia scholastica consentit. Vulgatus ad seruos contraxit, cùm dicit *pedissequos.* Illi autem magis videntur fuisse familiares, aulici videlicet, quique à Principum latere nunquam discederent. Quod ex eo videtur verisimilius, quia non videntur eo numero tot fuisse venturi Principum filij, qui ea essent ætate, vt tractare possent arma, & in prima pugnatorum acie cõsistere: fuerunt enim ducenti triginta duo. Qui numerus pro Principum filiis iam bello maturis multus esset, & magnus: pro seruis verò admodum exiguus, nisi illos intelligamus, qui honorarij sunt, & assidui, quique propriè possunt appellari pedissequi. Hos igitur dicit Propheta futuros esse primos in acie, & à quibus, vt incepturum esset prælium, sic incepturam esse victoriã. Quod consilium licèt altius sit, quàm vt illud suggesserit bellica disciplina, quia illud Deus signum esse voluit diuinitus concessæ victoriæ; tamen ad fortunatos rerum euentus plurimum refert viros Principes, & Regem ipsum, quem venerantur reliqui, interesse certamini. Addunt enim animos inferiori turbæ, & aliis quemdam ingenuum pudorem incutiunt, si detrectarint arma, aut minus strenuè adierint bellorum discrimina. Qua de re nos plura lib. 2. cap. 17. parum à principio, vbi hoc idem consilium dedit Absalomi Chusai, vt ille præsens esset pugnæ. Similiter nunc Achab iubetur agmen antecedere, & initium facere pugnãdi.

15. Vers. 16. *Et egressi sunt meridie, Benadab autem bibebat temulentus in vmbraculo suo, & Reges triginta duo cum eo.* ] Hoc, opinor, etiam dixerat Propheta, vt tempus illud Achab captaret ad pugnam, quod minus esset hostibus opportunum, nempe meridianum, quando homines sunt intenti dapibus, distenti vino, in quibus est consilij parum, & plurimum languoris, & inertiæ. Neque enim cùm opera datur instructis epulis, & frequentibus poculis, armati sunt homines, & idoneè ad inferenda, seu propulsanda vulnera comparati. Cùm autem Benadab egressos hostes ex vrbe didicisset, hoc suis inprimis mandatum dat, vt siue pacem petant, siue bellum intentent, illorum neminem occidant, sed viuos ad se referant, vt vel à captiuis discat, quo in statu sit Israëlitarum fortuna, siue vt miseræ illos alliget seruituti, siue vt duris illos cruciatibus excarnificatos extinguat. Accidit autem multo aliter, quàm mente conceperat Benadab: nam cùm illi, qui primùm occurrerant, essent à pedissequis principum prouinciarum, qui in prima fronte constiterant, graui plaga percussi, reliqui exanimati subitò, & inopinato metu aut confecti sunt, aut in fugam diffusi: in quibus fuit Rex ipse Benadab, & tot illi Reges, qui auxiliares copias, & manus ad illius imperium, siue votum armauerant.

16. Vers. 22. *Accedens autem Propheta.* ] Idem hîc videtur esse Propheta, qui proximè Achab victoriam promiserat de Syro. Pergit Deus in Regem impium esse beneficus, vt reducat ad se transfugam, & verum esse Deum cognoscat. Quare admonet Regem, vt se in annum proximum præparet, quasi cum Syris iterum certamen habiturus, quo tempore non minus se Regi propitium præbuit, quàm antea præbuerat.

17. Vers. 23. *Dij montium sunt dij eorum.* ] Vox hæc, vt apparet, & vt coniectat Abulensis q. 10. adulatorum est, qui nolũt Regem Syriæ ab hoste mortali videri victum, quod non poterat esse non molestum Regi, qui spe sibi certissima de Israëlitide gente victoriam deuorarat, & præ sua aliorũ nullam putabat esse potentiam. Dicunt igitur adulatores isti, qui maxima Principum pestis sunt, superatum esse Syrum non à mortali, sed à diuina manu. Atque ideo oportere, vt hostes æstu ab eo abducantur loco, vbi paratum sibi habet, & familiare numinis auxilium. Hoc autem sentiunt, aut dicunt Gnathones isti ex illo Gẽtiliũ errore, qui putant pro locorum varietate varia etiam numina constitui: quæ vbi dominantur, & præsunt, vim existimantur habere potentissimam, extrà verò aut nullam, aut infirmam. Sic in mari marinos Deos plurimum posse aiunt; quorum tamen in terris potentia nec imploratur, nec timetur. Sic alij creduntur in aëre, alij in terris, alij sub terris exercere potentiam, quos si ex suis sibi sedibus extrahas, non est cur quicquam metuas, aut speres. Exemplum hoc ex fabulis accommodatum succurrit. Fauebat Antæo filio terra mater, dum tamen terram attingeret, quia supra terram nihil poterat; cùm terram tangeret à domitore belluarum Hercule superari non poterat, at sublatum è terra facilè suo complexu Hercules compressit, & extin

*Gentiles pro variis locis varios constituerunt Deos.*

extinxit. Inter hos Deos vana Gentilium superstitio fingebat numina quædam, quæ montes incolerent, illis præessent, & quæ in montibus fierent, suo moderarentur arbitratu; extrà verò neque diuinitatem haberent aliquam, neque magis essent timenda, quàm quæ nihil censerentur habere diuinum. Quales sunt Syluani, Fauni, Oreades, & illi, de quibus August. lib.4. de Ciuitate cap.8. vbi montium iugis Iugatinum Deum, collibus Collatinam, Valloniam vallibus Deam præfecerunt.

18. *Alij dij aliis nationibus fauere existimati.*

Deinde obseruandum existimasse Gentiles aliis nationibus alios Deos fauere, aliis aduersari, prout variè illarum exigerent merita. Exemplis abundat tota Ilias Homeri, & Æneis Virgilij, quod etiam de Hebræorum Deo suspicabantur Palæstini lib. 1. Reg. cap.4. ideo cùm viderunt arcam Dei in castris, quasi cum Deo existimarent sibi fore pugnandum, dixerunt: *Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum.* Vide quæ nos ad illum locum, quæ valde huc faciunt. Hi ergo qui Regi Benadab erant à consiliis, pugnatum esse dicebant cum diis Hebræorum (sic enim illi plures esse Hebræorum Deos putabant, sicut plerumque aliarum nationum) & ab illis superatum fuisse Syrorum exercitum, non autem ab Hebræis. Quare vt cum hominibus potius, quàm cum cœlesti aliquo numine ineatur pugna; castra non in montosis, sed in planis, atque profundis locis constituenda sunt.

19. *Vnde suspicati Syri, quem colebant Hebræi Deum esse montium.*

Sed vnde Syri Hebræorum Deum in montibus potius quàm in planis, aut depressis locis habitare, ac dominari suspicati sunt? Sanè si victus foret in campo, aut valle Benadab, in campestribus, ac profundis locis, vt opinor, dominari dicerent, ne Israëlitæ de Syris dicerentur retulisse victoriam. Sed quia in montibus grauem illam plagam acceperunt, in montibus dominari existimarunt, persuaserúntque nimis facili, ac credulo Syrorum Regi. Sed habuit Syrorum error aliquod in Scriptura sacra fundamentum. Audierant in monte datam esse legem, neque dubia, aut pauca fuisse signa, quæ diuinam in eo præsentiam declararent. Visus etenim fuit fulgurum splẽdor, tonitruorum fragor, tubarum clangor, fumante monte, & horribile aliquid humanis oculis obiiciente. Idem penè acciderat proximè, cùm Dominus apparuit Eliæ, quod ignotum Syris non videtur, cùm paulo antè fuisset Elias in Damasco, & Regem vnxisset Hazaelem, & multo antè Deus Moysi adhuc pastori ad eumdem montem Sinai in ardente rubo se videndũ obtulisset. Adde quòd ante excitatum à Salomone templum, in excelsis Deo sacrificabant Hebræi, quod vicinos Syros latere non poterat; qui etiam norant in monte Moria constitutum esse templum, & Deum maximè coli Hierosolymæ, & ibi illius esse præcipuum, & quasi stabile domicilium.

20. Vers.24. *Amoue Reges singulos ab exercitu suo, & pone Principes pro eis.*] Quo spectat hoc consilium, diuinandum est: neque enim apparet quódnam à Principibus maius, quàm à Regib. præstari possit ad secundum bellorum exitum emolumentum. Fortasse audierant à Principum filiis (si modò illi potius filij fuere, quàm serui) turbata castra, & primum ad victoriam aditum apertum; atque ideo sumere voluerunt ab hoste consilium, & Principum filios, aut etiam pedissequos in acie prima constituere; qui hostilem impetum exciperent primi, & inimicas acies disturbarent; Aut certè quia Reges illi potius alienam causam, quàm propriam susceperãt, & pro aliena commoditate certabant, minus se gesserunt strenuè, quàm exigebat sociale fœdus, & data fides; quod de Principibus, qui non solùm pro communi, sed etiam pro sua causa laborabant, timeri non poterat. Aut certè, quia Reges, vtpote molliùs educati, languidi sunt, & inertes, & quia laborem, onúsque recusant; Principes verò, nempe in re bellica (nam vbi Vulgatus *Principes*, Hebraicè est *duces*) magis idonei sunt, & ferendo oneri, & bello administrando. Sic ego coniecto, alij alias rationes inuenerunt, quas ego sicut omninò probare non possum, sic etiam omninò improbare non audeo.

Vers.26. *Ascendit in Aphec, vbi pugnaret contra Israël.*] Conscripto exercitu, qualem anno superiore collegerat, instruxerátque, ascendit in ciuitatem Aphec non montosam, & arduam, qualis erat Samaria, sed planam, atque campestrem, quæ erat in tribu Asser, de qua Iosue cap.19. (nam alia est eiusdem nominis in tribu Iuda, de qua Iosue cap.12. & lib.1. Regum cap.4.) Hæc autem ciuitas licèt pertineret ad filios Israel, cùm esset in terra Chanaan; erat tamen à Syris occupata, sicut aliæ plures, vt constat ex hoc ipso cap.v.34. cúmque ex eo loco commoda esset in Israelitarum terminos irruptio, occurrit Achab, vt Syrorum impediret consilia, & spiritus frangeret. 21.

Vers.27. *Quasi duo parui greges caprarum, Syri autem repleuerunt terram.*] Vbi Vulgatus *parui Greges*, Hebr. est חשפי *casiphe*, à radice חשף, quæ discooperire, ac nudare significat. Quare שחיף nudationem, siue spolium significare potest, quale esset vellus, seu pellis à pecore detracta, & ideo Hispanica translatio vertit *como dos pellejos de cabras*, & Tigurina, *Ac si essent duo denudati greges caprarum.* Prior explicatio planè hyperbolica est, si tamen aliquis illius habendam rationem esse putet. Duo enim caprarum pelles exiguæ sunt, & vehementer duorum agminum tenuitatem amplificant. Est fortasse Hebræorum prouerbium, quod ad hunc vsum non videtur ineptum. Sed non mihi displicet Tigurina translatio, quæ pro paruis gregibus greges posuit denudatos, quales nempe sunt cùm tonsione vellera deposuerunt. Tunc enim licèt numerosi sint greges, ita vt latam compleant planitiem, & spatiosam syluam; cùm tamen recentes sunt à tonsione, & de lauacro ex pastoritia disciplina egrediuntur, vt se mutuò confoueant, euiténtque frigus, quod deposito proximè vellere, & ex aqua, qua sunt recenter abluti, contraxerunt, constipant sese, & ita in angusto coarctant spatio, vt exigui videantur greges. Ex hac gregum constipatione cùm detonsis villis ex lauacro redeunt, sumitur illa similitudo, quæ Canticor. cap.4. sponsæ dentes exprimit, & commendat. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Duo spectamus in dentibus, primum vt candidi, ac mundi sint, & quòd non sint rari, neque aliquid vacui spatij inter ipsos relicti. Alterum habent ab ouibus, quæ lotæ sunt, cùm primùm villos deposuerunt. Quod fieri debere docuit Columella lib.7. de re rustica cap.4. & Virgilius lib.3. Georg. 22. *Pecudes tonsa lauari solita.*

*Turpis oues tentat scabies, vbi frigidus imber*
*Altiùs ad viuum persedit, & horrida cano*
*Bruma gelu: vel cùm tonsis illotus adhæsit*
*Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres.*
*Dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magistri*
*Perfundunt: vdisque aries in gurgite villis*
*Mersatur.*

Quare

23. Quare cùm pecudes ſpoliatæ villis, & madentes aqua neceſſariò frigeant, qua poſſunt ratione ſe calefaciunt, & fouent, atque ideo confertæ, & conſtipatæ gradiuntur. Ex quo fit vt greges, etiamſi numeroſi fuerint, exigui tamen videantur, quia parum occupant ſpatij. Quare optimè, meo iudicio, & iuxta Hebraicos codices tranſtulit Tigurina, neque in alium ſenſum, quo vulgata tranſlatio, dum reddidit, *Ac ſi eſſent duo denudati greges caprarum*; quia hi conſtipati exigui iudicantur. Porrò in Palæſtina capras eſſe tonſiles nemo non ſcit: cùm audiamus ſaga ex pilis caprarum fieri ad cooperiendum tabernaculum, Exod. capite trigeſimoſexto, & à filiis Iſraël oblatos eſſe caprarum pilos, Exod. capite trigeſimoquinto. Sanè Plinius libro octauo capite 50. & Ariſtoteles libro octauo de natura animal. capite 18. in Cilicia, quæ non procul abeſt à Iudæa, caprarum villos tonſiles eſſe tradunt.

*Capræ in Palæſtina tonſiles.*

24. Verſ. 28. *Et accidens vnus vir Dei dixit ad Regem Iſraël.* ] Erat Syrorum exercitus vſque adeò copioſus, vt terram, vbi conſederat, latè conſtrauerit. Huic verò Rex Iſraël duas acies oppoſuerat pertenues, quales apparere ſolent totidem caprarum greges exigui. Quare non poterant Iſraëlitarum animi eſſe non contracti; cùm tanta eſſet inter duo caſtra diſſimilitudo. Sed adfuit Deus qui abiectos excitauit animos, & deſperantes confirmauit, à quo miſſus fuit vir Dei. Idem fortaſſe, qui proximè, qui victoriam promiſit contra Syrios, quia lingua impudenti, atque impia Iſraëlitarum Deum in montibus tantùm dominari dixerunt.

25. Verſ. 30. *Et cecidit murus ſuper viginti ſeptem millia hominum, qui remanſerant.* ] Congreſſi ſunt ſeptimo, poſtquam è regione conſtiterant, die, duo exercitus, & contranitente Deo fractæ ſunt vires, & ſpiritus Syrorum, ſtratis in acie centum hominum millibus, quibus ad fugiendum equorum velocitas ſubſidio non fuit. Nihilo tamen fuit his, qui fuga elapſi ſunt, fortuna melior, nam ex illis, qui ex caſtris ſe in Aphec ciuitatem proximam receperunt, viginti ſeptem millia à murorum inopinata ruina perierunt. Quo id modo contigerit Scriptura non docet; eſt tamen veriſimile, cùm victor inſtaret Iſraëlita, vt belli perſequeretur reliquias, ſtetiſſe pro mœnibus propugnatores, vt hoſtem ſummouerent; & diuina virtute corruiſſe muros, ſicut olim ceciderunt Ierichuntini, & ab illorum inſana mole oppreſſos eſſe Syros, luiſſeque ſubito, ac miſerando caſu petulantis linguæ, atque blaſphemæ ſcelus.

26. *In cubiculum, quod erat intra cubiculum.* ] Id eſt, in abditiſſimum cubiculum, quod miſerorum eſt, timidorúmque perfugium, in quod aut non ingrediuntur exploratores hoſtes, aut certè poſtremùm. Hæc verò, quæ cubicula dicuntur, latebræ ſunt, & ſubterraneæ foueæ, quas obſcurat caligo, neque in illas hoſtis propter loci fœtorem libenter irrumpit. Ioſephus ſubterraneam vocat cellam. Hunc dicendi modum, neſcio quid olet prouerbiale, qui adhiberi ſolet ad explicandum in ſummo periculo ſummum timorem. Sic Michæas filius Iemla ad Achab ſtatim capite vigeſimoſecundo verſiculo vigeſimoquinto. *Viſurus es in die illa quando ingredieris cubiculum intra cubiculum, vt abſcondaris.* Pro *cubiculo* Hebr. חדר *cheder*, quod aliquid occultum ſignificat, penetrale puta, & adytum, locum denique ad latendum idoneum.

*Cubiculum quid.*

Verſ. 31. *Ecce audiuimus quòd Reges domus Iſraël clementes ſunt.* ] Ingenio oportet truculento, & barbaro fuerint Reges alij, quando Reges Iſraël, qui non adeò fuere clementes, vt non grauia aliquando dederint crudelitatis exempla, viſi tamen fuerint clementes, & humani. Illorum igitur clementia confirmauit Syrorum animos, vt bene ſperarent de ſalute, & vita Benadab. Quare ſtatuerunt Regis Achab tentare animum, & explorare an ab illo impetrare poſſint, vt vitam penè exanimato Regi condonet, cùm alioqui illi, vt præſentes vrgebant anguſtiæ, pereundum eſſet. 27.

*Ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris.* ] Hic habitus ſupplicum eſt, & eorum, qui ad miſericordiam alios inflectere ſtudent. Ita putat Ioſephus libro octauo antiquit. capite quarto, vbi dicit antiquum eſſe Syris morem in ſupplicando, vt induantur ſaccis, & reſtibus capita redimiant. Sanè vſitatum eſſe vt ſupplices, ſicut etiam, qui lugent, & capite damnantur, caput operiant, multa probant. Coronari ſupplices dixit Tertullianus de corona capite ſeptimo. *Erant*, inquit, *ſupplices coronarij apud veteres.* Sed hi Syri, qui pro Regis ſui capite laborant, coronant caput ſuum, non oliua, quam geſtare ſupplices ſolent, ſed reſtibus, qui habitus mœſtorum eſt, & eorum, qui ſe aliquid admiſiſſe capitale fatentur. Eſt autem vſitatum, & rerum naturæ maximè conueniens, vt qui orant veniam, ſtatum præ ſe ferant ſordidum, miſerandum, vt ſe quiduis ſubire ab altero paratos non dubiis ſignis fateantur. Ideo cùm oramus, manus conſerimus, coniungimúſque, quaſi ligatæ forent, admiſiſſe nos aliquid dicimus propter quod manus malorum operum inſtrumenta ligari debeant. Sic docuit Nicolaus Papa ad conſultationes Bulgarorum. *Quia in Euangelio*, inquit, *reproborum ligari manus, & pedes reperiuntur, quid aliud iſti agunt, qui manus ſuas quodammodo ligant, niſi Domino quodammodo dicant: Domine, ne manus meas ligari præcipias vt mittas in tenebras exteriores: quoniam ecce ego iam eas ligaui; & ecce in flagella paratus ſum.* Ad hunc modum aliæ ſupplicum ceremoniæ explicari poſſunt, &, meo iudicio, debent. Incuruant victi ante victorem hoſtem ceruicem, & dorſum, quaſi iugum accepturi, & onus, quod victor imponere voluerit, hoc modo iugum & onus à ceruice, & dorſo deprecantes procumbunt humi, oſculantur terram ab hoſte calcatam, quaſi ab hoſte calcandi; quod victi à victoribus ſæpè patiuntur, vt hoc miſerabili ſpectaculo placati hoſtes cætera omittant crudelitatis exempla. Ad hunc igitur modum Syri ſaccos induunt, ſeruile nimirum indumentum, & aptum animi pœnitentis indicium, vt oſtendant ſe iam ſuperiora damnare conſilia, & velle impoſitum à Domino ſeruile ſubire miniſterium. Circumdant caput funiculis, ac reſtibus, ex ſpartea, aut iuncea, aut vili aliqua materia contextis, vt oſtendant deberi ſibi reſtim, & laqueum, qui inſertus collo ſpiritum intra fauces includat. Aut certè, quia illa corona imponi per ludibrium ſolet fatuorum, aut ſceleratorum capiti, ideo hanc Syri ſubeunt ignominiam, vt maiorem fugiant. Voluerunt Ægyptij, vt auctor eſt Philo in Flaccum parum à principio, inſultare Agrippæ Regi, & illum ignominioſis quaſi ſtupidum, & bardum exagitare conuitiis. 28. *Supplices, ſaccos induti caput reſtibus ligãt.* 29. *Manus cur in oratione iunguntur.* *Ceremonia quædam ſupplicum.* 30. *Ludibrij genus vſitatũ Ægyptiis.*

Quam ad rem insanum quemdam hominem Catabam nomine Regis loco supponunt, & eius caput papyraceo, id est, iunceo, seu palustri diademate coronant, eodem, opinor, modo, quo nunc coronati legationem supplicem obierunt Syri.

31. Vers. 32. *Seruus tuus Benadab dicit: Viuat, oro te, anima mea.*] Hæc summa legationis est, qua Rex paulo antè supra modum inflatus, vsque adeò subita rerum inclinatione se demittit, vt seruum se se offerat, vitæ tantùm possessione contentus. Hic est horum verborum breuis, atque germanus sensus. Quem sic Iosepus explicat. *Illi induti saccos, & restibus capita redimiti, qui priscus apud Syros supplicandi mos fuit, Achabum adeunt, & salutis tantùm gratiam petere, Addadum significant, deditium eius in perpetuum futurum.*

32. *Si adhuc viuit, frater meus est.*] Putabat Achab cũ aliis plurimis ipsum quoque Regem interiisse, neque de illius vita, ac fortuna vllum videbatur cœpisse consilium, quasi omnis eadem de re foret deliberatio sublata. Quare responsum dedit legatis neque præmeditatum antea, neque cum viris communicatum, cum quibus de re tanta priùs actum oportuit. Quare non illum seruum, sed fratrem appellat, non inferioris vtique conditionis virum. Quo verbo illi plusquam sperare poterat, concessit. Benignum hoc responsum acceperunt legati pro auspicato omine; meliora sibi in posterum polliciti, apertè dicunt in viuis esse Regem, quem Achab ad se deduci iussit, sublatúmque in currum loco fratris habuit. Porrò ex vsu Scripturæ, qui amici sunt, aut sociali fœdere coniuncti, fratres se mutuò salutant. Sic Hiram Salomonem appellat fratrem suprà cap. 9. v. 13. & Iudæi à Romanis Machab. lib. 1. cap. 14. v. 41. fratres appellantur.

33. Vers. 34. *Qui dixit ei: Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam, & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria.*] Magnum accepit ab Achab, sibíque indebitum officium Benadab: quare vt illi censeri posset non ingratus, magna promittit, nempe ciuitates omnes, quas ex Israelitica ditione pater sibi vsurpauerat. Quæ porrò illæ ciuitates fuerint Scriptura tacet; ex earum numero videtur fuisse Aphec, quia, vt diximus, ad Israelitarum sortem pertinebat, & tamen nunc à Syris tenebatur. Plateam promittit in Damasco. Quid hoc fuerit, aut quis ex illa concessione Israelitarum honos, & commoditas, obscurum est. Ius hoc videtur regium, atque ideo videtur Benadab regni secum habere voluisse consortem illum, cui acceptum refert non regnum solùm, sed vitæ quoque reliquam vsuram.

*Plateaquid.* Quid enim aliud est in Damasco, id est, in totius Syriæ metropoli platearum ius, & vsum concedere? Sunt autem plateæ fora quædam, in quibus res proponuntur venales, ex quibus magna ad platearum Dominos proueniunt emolumenta. Hoc autem ius quoddam videtur regium, aut regio proximum. Si autem ex rebus venditis vectigalia concessit, verisimile est ibi etiam ex Israelitica gente concessisse iudices, qui iura dicerent, & controuersias negotiorum in eo rerum commercio componerent.

34. *Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.*] Accepit conditionem Achab, cúmque fœdus illud iuramento firmasset legitimè concepto, dimissus est liber Benadab, rebus ex suo magis, quàm ex Israelitarum vsu compositus. Neque videtur quicquam præstitisse postea libertatem nactus, quæ priùs obligata persanctè fide, prolixè promiserat. Neq; enim reddidit Ramoth Galaad, quæ ab Israelitis fuerat erepta, pro qua iterum Achab eidem Benadab bellum intulit, in quo cecidit à Syro quodam sagittario confossus. Qua in re facilè quiuis intelliget neque fidem à Benadab, neque amicitiæ fœdus fuisse seruatum.

Vers. 35. *Tunc vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me.*] Quis fuerit hic Propheta Scriptura silet; sed videtur fuisse Michæas filius Iemla, quia aliquid hic Regi Achab durum, & infaustum edicit, quo nomine statim capite vigesimosecundo Michæam accusat. Hic itaque Michæas, seu quicunque est alius, Dei nomine iubet socio suo, qui tunc illi casu aderat, vt ipsum percutiat, plaga nempe eiusmodi, quæ sanguinem eliciat, vt eo modo deformatus, ac sanguinolentus occurrat Regi, & non solùm verbis, sed etiam specie miserabili, ac fœda illi cædem, deformitatémque denunciet. Est autem vsitatum, vt Prophetæ in seipsis tamquam in symbolo exprimant euentum, quem aliis à Domino prædicunt. Sic Isaias nudus nuditatem Ægyptiis, & ignominiam portendit capite vigesimo. Ieremias ligatus catenis nationibus quibusdam minatur seruitutem capite vigesimoseptimo. Ezechiel Iudæis captiuitatem, & transmigrationem enunciat assumens sibi peregrinantis speciem, capite 12. Quid plura? Etiam in Testamento nouo exempla non desunt. Actor. capite vigesimoprimo Agabus Propheta ligatis manibus, ac pedibus Paulo vincula, & carceres vaticinatus est. Sic ergo modò Propheta sanguine, ac puluere fœdatus cædem Achab Regi, & mortem annunciat ignominiæ plenam. 35. *Signis, & rebus Propheta futura portẽdit.*

Vers. 36. *Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo.*] Noluit socius, etiamsi audiisset id præceptum fuisse à Domino, manus iniicere violentas Prophetæ, cui Propheta ipse non minus intonuit vaticinium horribile, quàm esset postea denunciaturus Achab. Dixit enim contempti Dei præcepti leonem futurum esse vindicem, cuius vnguibus lacerandus esset inobedientiæ reus. Et reuera ita accidit: missus enim à Domino leo, percussit illum, & licèt scriptura non dicat hominem occisum, sed tantùm à leone percussum; ipsa tamen belluæ ferocitas mortem potius indicat, quàm plagam non lethalem. Quomodo hæc, quæ leuis videtur esse culpa, tam graui sit mulctata supplicio, eóque non iniusto, diximus suprà capite 13. vbi egimus de Propheta, quem interfecit leo, cùm tamen illius culpa non videretur grauis. 36. *A leone Propheta percussus.*

Vers. 38. *Abiit ergo Propheta, & occurrit Regi in via, & mutauit aspersione pulueris os, & oculos suos.*] Cùm ab alio magis obsequente vulnus accepisset Propheta, & sanguine obleuisset faciem, & illam insperso vulnere fœdasset, ne cognosceretur à Rege, qui fortasse minùs patienter narrationem audiisset totam, occurrit illi velata facie, & quasi inducta aliena persona. Hebræi dicunt linteo quoque ligasse faciem, quomodo facere solent, qui vulnus acceperunt, vt facie partim velata, partim fœdata sanguine, ac puluere regiis oculis alienam obiiceret speciem. Et cùm historiam aliam esset commentus, in qua seipsum Rex imprudens, & incautus agnosceret, damnaret 37. *Percussus Propheta dura prædicit Achab.*

damnarétque,detraxit alienam perſonam,& oſtédit ſuam. Ac tandem dixit eamdem Regi Achab, & eius populo ſubeundam eſſe pœnam,quam ſubire debuit Abinadab, & Syrorum populus, niſi in illos Achab nimis egiſſet negligenter,& molliter. Eodem artificio vſus eſt Nathan cùm adulterij,atque homicidij accuſauit Dauidem,qui callidè deceptus,aut inſtructus,in aliena perſona condemnauit ſuam.

38. *Quantum Achab peccatum in dimittendo Benadad.* Sed quódnam tantum peccatum hoc fuit Achab,quod tam diro ſupplicio expiari debuit?Hebræi dicunt illud Regi Achab de Benadab datum eſſe præceptum, quod olim Sauli de Amalec. Et quemadmodum iuſtè è regno excidit Saul, quia manus ab Amalec vindices abſtinuit, ſic etiam Achab, quia incolumem Benadab abire permiſit, ſuæ lenitatis,aut potiùs inertiæ pœnas dedit. Sed hanc rationem optimè confutat Abulenſis q.16. tum quia de hoc præcepto nihil habemus ex Scriptura;tum etiam,quia ſi illud à Domino habuiſſet Achab, certus fuiſſet in ipſius manus viuum veniſſe Abinadab, quod tamen ignoraſſe ex eo conſtat, quia ipſe rogauit à ſeruis, an illorum Dominus viueret Abinadab; ac proinde ipſe ſentit puniri magis inertiam, & mollitiem Achab, quàm graue aliquod ſcelus violati præcepti.

39. Mihi non omninò diſplicet Hebræorum ſententia,quam probant Dionyſius, Lyra, & Rupertus lib.5.cap.13.Neque illa ex ſacro textu obſcurè colligitur. Dixit enim vir Dei ad Achab ſuprà verſ.8. *Quia dixerunt Syri, Deus montium eſt Dominus,& non eſt Deus vallium,, dabo omnem multitudinem grandem in manu tua.* Quæ verba graue indicant eſſe Syrorum ſcelus, atque ideo Dominus multitudinem illam poteſtati, ac gladio ſubiecit Achab;vt de tanta blaſphemia Regi, ſubditíſque communi pœnas exigeret. Neque ignorare debuit,aut etiam potuit Achab,quid agere ex diuino præcepto debuerit; cùm ideo dixerit Deus multitudinem illam eſſe ſubiugandam,quia in tam impiam vocem ſacrilegam linguam acuiſſet.

40. Verſ.43. *Reuerſus igitur eſt Rex Iſraël in domum ſuam,audire contemnens.*]Delirum fortaſſe,atque inſanum iudicarat Prophetam, Delirus ipſe, atque inſanus Achab;& quaſi verba forent à ſano ſenſu vacua,audire noluit, id eſt, eo loco habuit, ac ſi A non audiiſſet.Quare ac ſi nihil iam ſupereſſet negotij, & res eſſet cum Syro honeſtè, vtilitérque compoſita,reuerſus eſt domum, neque præter datam ab Abinadab fidem de ſeruando fœdere,cautionem aliam accepit.

*Et furibundus venit in Samariam.*] Qui lætus redire debuit de victoria,& grato in omnes, atque hilari vultu,furoris rediit, & inſaniæ plenus, vt magis illum victum ab imbelli hoſte,quàm de hoſte potentiſſimo victorem putares. Vox vna tantùm Prophetæ,id eſt, Dei, qui per Prophetam alloquebatur, omne turbauit gaudium, quod capi de victoria debuit,& fructum ademit,quem captat animus maximè ſollicitus,& mœſtus. Quod accidit quotidie his,qui violata fide, ac religione ea conſequuntur, quæ hominum opinione maxima B cenſentur. Quorum Deus vim omnem adimit, poſſet aut exhilarare animum, aut gloriam conciliare nouam,aut antiquam augere. 41. *Gaudium magnũ res leuiſſima turbat.*

Ioſephus lib.8. Antiq. cap. 8. ſic exarſiſſe dicit Achab, vt ſtatim iuſſerit in vincula compingi Prophetam,quod tradit hiſtoria ſcholaſtica, Dionyſius,& Hugo. Neque hoc mihi videtur abs re, tum quia idem fecerunt ſub hoc tempus alij Reges,vt Aſſa lib.2. Paralipomenôn cap.16. verſ.10. & Baaſa ſuprà cap.16. verſ. 7. qui propter vaticinium non diſſimile Prophetam occidit. Et ipſe Achab hoc ipſum feciſſe traditur contra Michæã filium Iemla infrà cap. 22. verſ.27. Et facit valde ad hanc Ioſephi ſententiam, quod Achab eodem C capite verſ. 8. dicit vnum apud ſe remanſiſſe Domini Prophetam,eum nimirum,quem ipſe ſciebat eſſe in vinculis, alioqui nullum in ſuo regno ſolutum,& liberum eſſe pateretur regnante Iezabele,quæ & ipſa odio Prophetas inſectabatur hoſtili, & ad illorum cædem coniugem nimis obſequentem,& credulum inflammabat.Ex quo etiam mihi fit maximè probabile, illum, à quo Achab hoc durum accepit vaticinium, fuiſſe Michæam, illum videlicet,qui vnus ſupererat è multis,quémque ideo remanſiſſe nouerat Achab, quia ſciebat illum è vinculis euolare non potuiſſe.Quod putat Ioſephus lib. 8. Antiquit. capite 10. qui dicit in vinculis tunc eſſe Michæam, quando de repetenda Ramoth Galaad ſuſcepta fuit deliberatio non aliam ob cauſam, niſi quia iniucunda nunciabat. 42. *Achab Prophetam in vincula cõiecit.*

---

# IN CAP. XXI. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*HABEBAT Naboth Iezraelita iuxta Regis palatium vineam relictam à parentibus hæreditario iure,quam cùm ab illo peteret Achab,vtpote ad laxandum animum,& domeſticos vſus opportunam,negauit Naboth, quia parum putabat pium à ſua familia vllo modo diſtrahere,quod in illa iampridem inueteraſſet. Accepit Rex hanc vocem,quam impudentem interpretabatur, & liberam, cum ſtomacho. Cùm autem ſui doloris ſigna neque leuia, neque obſcura prodidiſſet, illum vxor Iezabel bono animo eſſe iuſſit,certum de vineæ poſſeſſione proxima; quod negotium in ſeipſam recepit, perfecitque iniquo, crudelique conſilio. Inductis enim ſceleratis quibuſdam hominibus, qui reum blaſphemiæ facerent Nabothi illum populari frequentia, ac manu lapidari fecit. Cùm autem à poſſeſſore vacuam,& regio addictam fiſco vineam adiret Rex iniquus, occurrit illi Elias, grauiter*

*accusans factum execrabile,& talia minatus,qualia priùs pertulit Jeroboam,& proximè Naboth. Qua denunciatione acerbè compunctus Achab, neque de verborum fide, ac pondere dubius,cùm iam antea veraces Eliæ sermones esset expertus, abiecit Regis ambitiosum habitum, & induit asperum,vulgarem,& sordidum,qualis decebat pœnitentis animum. Qua specie offensum Deum sic affecit,vt plurimum de minaci vaticinio remiserit.*

## CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

1. POst verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Iezrahelitæ, qui erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samariæ.

2. Locutus est ergo Achab ad Naboth dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, dabóque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas,argenti pretium,quanto digna est.

3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.

4. Venit ergo Achab in domum suam indignans,& frendens super verbo,quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens:Non dabo tibi hereditatem patrum meorum.Et proiiciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem,& non comedit panem.

5. Ingressa est autem ad eum Iezabel vxor sua,dixítque ei:Quid est hoc,vnde anima tua contristata est; & quare non comedis panem?

6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Iezraelitæ,& dixi ei: Da mihi vineam tuam,accepta pecunia:aut,si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait; Non dabo tibi vineam meam.

7. Dixit ergo ad eum Iezabel vxor eius: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnũ Israël. Surge, & comede panem,& æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ.

8. Scripsit itaque literas ex nomine Achab,& signauit eas annulo eius,& misit ad maiores natu & optimates, qui erant in ciuitate eius,& habitabant cum Naboth.

9. Litterarum autem hæc erat sententia. Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi,

10. Et submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum & regem:& educite eum, & lapidate,sicque moriatur.

11. Fecerunt ergo ciues eius maiores natu & optimates, qui habitabant cum eo in vrbe,sicut præceperat eis Iezabel,& sicut scriptũ erat in litteris quas miserat ad eos:

12. Prædicauerunt ieiunium,& sedere fecerunt Naboth inter primos populi.

13. Et adductis duobus viris filiis diaboli,fecerunt eos sedere contra eum:at illi, scilicet vt viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum & regem: quam ob rem eduxerunt cum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.

14. Miserúntque ad Iezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth,& mortuus est.

15. Factum est autem, cùm audisset Iezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab:Surge,& posside vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere,& dare eam accepta pecunia: nõ enim viuit Naboth,sed mortuus est.

16. Quod cùm audisset Achab,mortuũ videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Iezrahelitæ, vt possideret eam.

17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten,dicens:

18. Surge, & descende in occursum Achab regis Israël, qui est in Samaria:ecce ad vineam Naboth descendit, vt possideat eam:

19. Et loqueris ad eum dicens:Hæc dicit Dominus:Occidisti, insuper & possedisti:Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc,in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.

20. Et ait Achab ad Eliam: Num inuenisti me inimicum tibi?Qui dixit:Inueni,eo quòd venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini.

21. Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem,& clausum & vltimum in Israël.

22. Et dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat,& sicut domum Baasa filij Ahia: quia egisti, vt me ad iracundiam prouocares,& peccare fecisti Israël.

23. Sed & de Iezabel locutus est Dominus,dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel.

24. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eũ volucres cæli.

25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est vt faceret malum in conspectu Domini:concitauit enim eum Iezabel vxor sua.

26. Et

26. Et abominabilis factus est, in tantum vt sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israël.

27. Itaque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauítque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.

28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens:

29. Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.

---

# IN CAP. XXI. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *Post verba autem hæc tempore illo vinea erat Naboth Iezraelitæ.*]

1. IEODEM tempore, quo iam erat Achab bello perfunctus, & hoste subacto, ac supplice securus, & otiosus, adiecit animum ad ornandam domum, & ad comparandas vndecunque delicias, tum ad belli subsidia; tum etiam ad pacis ornamenta, vt habes cap. 22. v. 39. Cùm ergo prope domum regiam in Iezraele vineam quamdam haberet Naboth Iezraelita, illam sibi voluit homo delicioſus adiungere, vt è vinea hortum faceret nòn tam ad domesticos vsus, quàm ad inertis, & otiosi animi voluptates. Vinea enim maxima anni parte aridi ligni instar habet, & licèt vitam habeat intra terram, & corticem latentem; speciem tamen præ se fert mortuæ, & nullam animo voluptatem affert. Hanc itaque vineam siue ex vitibus consitam, siue ex arboribus, quæ non semper virorem, venustatémque conseruant (nam vinea, vt diximus in nostris commentariis super Cantica, latius apud Hebræos, quàm apud Latinos patet.) Hanc, inquam, vineam in hortum olerum conuertere studebat Achab; quod licèt aliquid afferat vtilitatis cultori suo, plus tamen parit domino voluptatis. Vbi Vulgatus *hortum olerum*, Hebraicè est לגן ירק *legan iarak* ירק autem licèt herba sit, ad esum opportuna; aliquid tamen significat odoriferum, ac viride, quod sic arridet palato, vt etiam pascat oculos. Vatablus hac voce significari putat virentes, atque odoriferas herbas.

2. Vers. 3. *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.*] Quia Rex idololatra auitam religionem abiurauerat, quid diuinis cautum esset legibus nihil habebat pensi. Longè aliter Naboth homo patriæ religionis amator, & tenax nihil admittere voluit cótra legẽ, etiãsi ideo propositum sibi sciret capitis periculum. Atque ideo interposita iurisiurandi religione omnem sibi alienandi fundi facultatem præcidit. Est autem apud Hebræos hæc iurandi forma non inusitata, vt etiam libro primo Reg. cap. 24. vers. 7. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem.* Cuius est sensus. Iratum mihi precor Deum, si paternam à mea familia hæreditatem distraxero, eámque ad alienos abire permisero, seu, quod idem est, Propitius sit mihi Deus, si non tradidero tibi hæreditatem acceptam à parentibus, & contrà infensus, si tibi sub quacunque conditione concessero. Aut certè, si hîc nulla intercedit iurisiurandi necessitas, sensus erit: Opto, precórque Deum; ne tam mihi sit infensus, vt tantum à me scelus patrari permittat. Aut hanc à me impietatem Deus auertat, vt de vinea ad alienum Dominum transferenda cogitem. Ratio verò cur Naboth tantopere alienare paternam hæreditatem perhorrescat, ex diuinæ legis amore, atque obseruantia nascitur. Cautum erat lege, ne venderentur hæreditates, sed semper remanerent apud Dominos primos. Quod si propter paupertatem id aliquando fieri necessarium videretur, id tamen sic erat à lege permissum, vt Iubilæi tempore ad veteres, primósque possessores reuerterentur. Leuit. capite vigesimoquinto. Cùm autem tunc nulla Naboth necessitate premeretur, nullo modo paternam hæreditatem poterat ad alienum possessorem venditione transferre. Leuit. capite vigesimoquinto versiculo vigesimotertio. *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis. Vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, &c. & non inuenerit manus eius, vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat, vsque ad annum Iubilæi.* At quomodo Naboth, aut eius posteri vendicare sibi possent alienatum fundum, cùm ille iam in regiam potestatem venisset? An Rex à se abire pateretur hæreditatem, quam cum hortis suis in vnum corpus, imò cum domo sua regia tanto studio, & auiditate coniunxerat? Quare cùm legis diuinæ rationem habet Naboth, & ab illa recedere non vult, nihil curat Regis stomachum, quem commotum iri grauiter timere poterat, nihil minas, nihil mortem, quam leuioribus de causis Reges subditis sibi hominibus infligunt. Qui quominus regio siue imperio obsequatur, siue precibus, non obtendit sibi perire prouentum magnum ex vbere, atque spatiosa vinea, non alia cómoda, quæ fortasse neque pauca fuerant, neque vulgaria, sed tantùm quòd à parentibus prædium illud acceperat, neq; fas esse, vt permutatione, ac pretio illud à sua posteritate distraheret, cũ staret cótrà lex antiqua, quæ nullo modo violari debet.

*Iuramenti forma apud Hebræos.*

*Hæreditas in perpetuũ alienari non potest.*

Ponderauit hoc optimè Ambrosius lib. 3. offic. cap. 9. *Quid*, inquit, *sancto Nabuthæ, quæ fuit causa mortis, nisi honestatis contemplatio. Nam cùm ab eo vineam Rex posceret, pecuniam daturum se pollicens, indecorum pretium pro paterna recusauit hæreditate, mahuitque morte declinare huiusmodi turpitudinem. Non mihi, inquit, fiat à Domino, vt dem tibi hæreditatem patrum meorum. Hoc est, tantum mihi opprobrium non fiat: Non permittat Deus tantum extorqueri flagitium.*

*Non vtique de vitibus dicit (neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spatio) sed de iure loquitur patrum. Potuit vtique & aliam vineam de vineis Regis accipere, & in amicis esse, in quo non mediocris huius saeculi vtilitas existimari solet, sed quod turpe erat iudicauit non videri vtile; maluitque periculum cum honestate, quàm vtilitatem cum opprobrio.*

5. *Vir ambitiosus, & auarus vix à dolore vacuus.*

Vers. 4. *Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens.* ] Qui ambitiosus est, & auarus, vix fieri potest vt à dolore sit vacuus, quia etiam vix fieri potest, vt id ad quod toto anhelat spiritu consequatur. Duas habuit Rex superbus, & bonorum apperens, causas, cur frenderet, & totus dolens efferuescceret in iram, & quòd repulsam tulerat ab homine paupere, quod non putabat, etiamsi aliquid contra pietatem, & legem ambiret, & quòd alienum fundum, quem sibi ad animi laxationem putabat opportunum, consecutus non esset; atque ideo rediit domum doloris impatiens, non magis in Naboth, quàm in seipsum infensus. Et quasi æger esset non solùm animo, sed etiam corpore, proiecit se in lectum, & quia hominum congressum horrebat, quod accidit plerumque, cùm quis vehementi premitur angore, conuertit se ad parietem, quasi lucis fugitans, & humani consortij; neque cibum sumpsit, neque admisit vllam aut animi quietem, aut laborantis spiritus leuamentum. Fecit idem, quod Achab, Ezechias, sed spiritu longè meliori, & in causa dissimili. Hominum enim declinauit conspectum, & alloquium, vt cum Deo liberiùs, commodiúsque loqueretur. Isai. cap. 38. v. 2. *Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum.*

*Ambitiosis ex rebus exiguis ingens dolor.*

6. *Diuitum misera conditio.*

Mirus est Ambrosius in explicanda potentiorum, ac diuitum miseranda fortuna, quod idem de ambitiosis dicendum, qui quo plura consecuti sunt, plura appetunt, eaque vehementius. De diuitibus ita Ambrosius lib. de Nabuthe cap. 2. Cuius hîc verba referre non grauabor, quia mirè explicant, quàm sit locupletum neque amanda, neque approbanda conditio. *O diues, inquit, nescis quàm pauper sis, quàm inops tibi ipsi videaris, qui te diuitem dicis? Quanto plus habueris, plus requiris, & quamquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro auaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet; quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, vnde sit grauior ruina lapsuro. Tolerabilius tamen iste, cùm minus haberet, census contemplatione mediocria requirebat: accessioni patrimonij accessit cupiditatis augmentum. Non vult esse degener votis pauper in desideriis. Ita duo intolerabilia simul iungit, vt ambitiosam spem diuitiis augeat, & non deponat mendicitatis affectum. Rex Achab in Israel erat, & pauper Naboth. Ille regni opibus affluebat, iste angusti soli cespitem possidebat. Nihil pauper de diuitis possessionibus concupiuit, Rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper esse videtur, qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum?* Deinde amplificat illam vocem Achab. *Da mihi vineam tuam. Quæ alia,* inquit, *vox egentis est? Quæ alia vox stipem publicè postulantis, nisi, da mihi, Hoc est, da mihi, quia egeo, da mihi, quia aliud viuendi subsidium habere non possum: da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit, vnde largiri debeas, mihi non dedit. Da mihi, quia scriptum est, date eleemosynam.* Hæc Ambrosius.

*Diues verè pauper.*

7. *Ambitiosus miser.*

Idem quod diuites, patiuntur etiam ambitiosi, quorum animos nihil satiat, & quo maiora consequuti sunt honorum auctoramenta, eo altiora desiderant, neque vllus est ambitionis finis, nullus modus. In quam sententiam optimè Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 27. qui cùm de diuitiarum cupiditate dixisset ea fermè, quæ proximè Ambrosius, concluſit. *Maiora cupimus, quo maiora venerunt, multóque concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocata, vt flamma infinito acrior est, quo ex maiori incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur quod non est ad prætura vsque perductus. Nec hæc grata est, si deest consulatus. Nec hic quidem satiat si vnus est, vltra se cupiditas porrigit, & suam felicitatem non intelligit, quia non vnde venerit, respicit, sed quò tendat.* Et iterum idem epist. 74. *Adiice quòd nemo eorum, qui in re publica versantur, quos vincat, sed à quibus aspicit, & illis non tam iucundum est multos post se videre, quàm graue aliquem ante se. Habet hoc vitium ambitio, item & cupiditas, vt à fine semper incipiat.*

*Cupiditatis & ambitionis optima descriptio.*

8. Vbi Vulgatus, *auertit faciem suam ad parietem,* Septuaginta legunt, *velauit faciem suam.* Vtrumque signum est doloris, & pudoris, cuius vim, quia is, qui patitur, ferre non potest, faciem velare solet, quæ maximè à pudore patitur, & vbi se maximè prodit pudor. Quod autem in dolore, aut dedecore obnubatur caput, & veletur facies, docuimus pluribus ad illud Thren. cap. 2. v. 43. *Operuisti in furore, & percussisti nos.* & ad illud Ezechielis cap. 12. v. 12. *Faciem tuam velabis, & non videbis terram.*

9. Vers. 7. *Dixit ergo ad eum Iezabel vxor eius: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel.* ] Postquam Iezabel causam didicit, cur sic mœreret, ac fureret Achab, quasi spiritus muliebres potius aleret, quàm viriles, & regios, ad illum cum fastidio locuta est, & sub amaro risu, significans abesse longè ab ea auctoritate, quam in administrando regno Reges habere solent. Quare hortatur, vt cibum sumat, & meliori sit animo: se enim curaturam, vt ad illius potestatem quamprimùm hæreditas veniat, quam negarat Naboth; & ipse tantopere cuperet ad suos sibi vsus, & delicias adiungere.

10. Vers. 8. *Scripsit itaque literas ex nomine Achab, & signauit eas annulo eius, & misit ad maiores natu.* ] Audax planè consilium, quod à fœmina solùm oriri poterat, quæ vt votorum suorum impotens est, sic etiam insano planè impetu in omnem se porrigit audaciam. Oderat hominem alienum à sua religione; alienum autem esse non difficili coniectura nosse potuit, cùm vsque adeò videret maiorum suorum disciplinæ tenacem, vt decedere vellet à vita, cuius hauddubiè periculum adibat, ne alienata paterna hæreditate, à diuina lege, & patria religione decederet. Statuit, vineam eripiendam esse Naboth, cuius voti vt tandem compos fieret, honorem tandem, & vitam eripuit non minùs scelerato consilio. Quam ad rem senatum, qui ex optimatibus, & senioribus constabat, id est, iudices, qui vindices sunt, atque custodes æquitatis, & legum, aut metu concussit, aut corrupit pretio, vt procacis, & blasphemæ linguæ conuictum morte damnarent. Quam ad rem induci testes iussit, quorum esset lingua delibuta periuriis, & venalis fides. En quot in vno crimine iuncta sunt crimina: empta testimonia, corrupta iudicia, innocenti per summam iniuriam adempta hæreditas, honor, spiritus. Quis hoc auderet, nisi fœmina, quam inflat 11.

pote

*Mulieris ingenium crudele, & audax.*

potestas,& facit audacem,rapit cupiditas, inflammat iracundia,deserit pudor?De hac humanæ naturæ labe, atque ignominia Chrysostomus, cum de Herodiade, id est, de huic quàm simillimo monstro loqueretur in sermone de decollatione Ioannis Baptistæ, multa dicit notatu dignissima; post quæ tandem addit. *O malum intolerabile, vipera irremediabilis, venenum insanabile, mulier mala. Si iniuriam patitur, insanit, si honorem accipit, extollitur, & quod vult importuna, rapit violenter.* De mulieris ira vide quid nos cap. 19. in principio diximus,cum sermo esset de hac ipsa Iezabele.

12. *Ad magni doloris significationem vestes dississa.*

Hæc itaque Iezabel literas dedit regio consignatas annulo, quibus edixit his,qui in Iezraele rei præerant iudiciariæ,ac publicæ, vt quod fieri solet,cùm graue aliquod peccatum admissum, aut Deus existimatur grauiter offensus,indicant ieiunium,ne quid fiat temerè, atque inconsulto Deo. Ieiunium autem, quod antecedit, aut aliqua doloris significatio, qualis est vestimentorum discissio,ostendit aliquid esse contra Dominum admissum, quod publica, & capitali pœna expiari debeat. Ierem.capite 35.versiculo 24.miratur,quod in graui Ioacim peccato contra Deum,cuius verba contempserat,qui aderant, non timuerint, cohorruerintque ad impium factum, neque, quod fieri solet,vestimenta conciderint.Conscidit certè Caiphas sacerdotum Princeps ex illius gentis consuetudine, cùm Christum blasphemiæ reum esse dixit.Sed fortasse, vt putat Abulensis, id tantùm egit Iezabel,vt quicquid in innocentis caput esset statutum, id sanctè, & ritè videretur esse susceptum.

13. *Annuli signatorij auctoritas, & nostrodia.*

Hîc verò reprehendi posset Achab, qui cùm in annulo signatorio regni,Regisque contineatur auctoritas; illam tamen vxori tam leui, atque impiæ, tam in iudicando, atque suis affectibus obsequendo præcipiti, annulo porrecto concesserit. Sanè Reges non deposuisse annulum è manibus argumento est, quòd quæ maximè nobis curæ sunt, & honori, illa cùm annulo signatorio comparamus. Ierem. capite 22. versiculo 24. *Si fuerit Iechonias filius Ioacim Regis Iuda annulus in manu dextera mea,inde euellam eum.* De hoc annulo intelligit Hieronymus. Septuaginta *sigillum* conuertunt, qui Regis repræsentat personam, & quasi alter ipse existimatur. Cùm verò in annulo magna contineantur rerum momenta, seruari à Rege debet diligenter. Non minùs in casu non dissimili peccauit Assuerus, dum suum annulum tradidit Aman, quo regio nomine Iudæorum capita morti destinauit.

14. Vers. 10. *Benedixit Deum, & Regem: & educite eum, & lapidate.* ] Literarum, quas regio signo munierat Iezabel, hæc erat summa brevisque complexio. Primùm vt publicum ederetur ieiunium, quasi res foret de religione disceptanda. Deinde vt seniorum, optimatúmque fieret frequens, legitimúsque consessus, ad quem etiam cum aliis accerseretur Naboth. Quo tempore curandum esse, vt aliquot testes, quos non puderet venale, falsúmque testimonium producere, & ad quodlibet audendum forent impudenter proiecti, essent ab ipso senatu comparati, qui crimen obiicerent Naboth, propter quod ex lege deberet opprimi lapidibus, quale est aliquid impium dixisse contra Deum, & Regem, & quod lex in eiusmodi criminis reos supplicium statuisset, illud in Naboth legitimo iudicio decernerent, & quamprimum exigerent.

A Pro *blasphemare*, aut verbum in Deum,sacrámque, aut supremam potestatem, qualis est regia, contumeliosè iactare, Vulgatus textus posuit *benedicere*. Sicut etiam Iob capite 1. versiculo 50. *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Sed huius loci aliam expositionem magis probauimus in nostris commentariis in Iob. & versiculo 11. *Tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* In benedictione peccatum nullum est: ponit autem pro maledictione per antiphrasim, seu per illam figuram, quæ à Græcis vocatur Euphemismus, qui ab aliquo, cui bene cupimus, vocem illam summouet, quæ aliquid significat durum, & infaustum, & illius loco supponit mitiorem aliam, B & contrariæ interdum significationis; quod fieri interdum solet boni ominis gratia. Qua de re nos aliquot adduximus exempla libro primo Regum capite vigesimo ad illud versiculo 15. *Requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.* Hoc verò maximè obseruant Iudæi in Dei nomine, cui nihil volunt adiungere, quod non in illius maiestatem, & sanctitatem conueniat. Quare remouent maledictionis nomen, & illius loco adhibent contrarium. Ita Hieronymus epist. trigesimaquarta ad Iulianum; & Ambrosius libro de Nabuthe capite 11. *Ne diuitem maledicti nomen offendat, & sermonis ipso ladatur sono, benedictum pro maledicto vocatur.* Quæ sententia communis est omnium ferme expositorum, & omnium mihi C maximè placet. 15.

Benedico *aliquando idem quod* maledico.

*Euphemismus in Scriptura vsitatus.*

*Nominis Dei magna reuerentia.*

Porrò blasphemum siue in Deum, siue in Principem obnoxium esse lapidationi, aut alteri capitis supplicio constat; de lapidatione quidem capite vigesimoquarto versiculo 15. *Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo.* quæ lex vsque ad Christi Domini sæculum seruata fuit, de quo Ioan. decimo, dixerunt Iudæi, *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia.* De Principe verò non est adeò aperta lex, sed est verisimile ex lege, seu ex consuetudine hanc in Principum iniuriam esse capitalem, vt putat Abulensis quæst. quinta, & colligit ex illo Exod. capite vigesimo- D secundo. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Et Exod.capite vigesimoprimo. *Qui maledixerit patri suo, morte moriatur.* At Princeps pater est patriæ, & eo nomine ab antiquis afficitur, & colitur. 16.

*Pro blasphemia supplicium capitale.*

Vers.13. *Et duxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.*] Fecerunt seniores, & optimates, quod à Iezabele imperatum fuerat, rémque ad statum illum deduxere, non tam legitimo,ac iusto,quàm simulato, ac corrupto iudicio, vt iam agi in illum posset capitali pœna. Quare de more educunt extra ciuitatem, vt cautum erat lege Leuit.24.v.14.& Deuteron. cap.17.v.5.educi iubentur quorumdam scelerum rei extra portas. E *Educes virum, ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.* Idem accidit Stephano Actorum capite 7. *Et eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant.* Seruatũ etiam fuit sine dubio in hoc iudicio,quod legitimum censeri voluit Iezabel, quod Deut.c. 17. præscriptum est à lege, vt in lapidatione omnium primi testes lapidem mittant. *Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur.* Et quòd testes manus suas imponerent capiti Naboth.Id enim etiam iubetur Leu.cap.24. v.14. Quod fecerunt duo senes aduersùs Susan- 17.

*Quid in lapidatione fieri solitum iuxta legẽ.*

nam Dan.cap.13.Illud etiam opinor seruatum esse in hac tam indignissima tanti viri cæde, vt nudo omninò corpore lapides exciperet. Quod ingenuis, ac verecundis ipsa lapidatione grauius est, quibus non tam facit dolorem vulnerum acerbitas, quàm à nuditate pudor, & ignominia. Lapidari Iudæos nudos docet Abulensis in cap.20.Leuit. q.21. & Petrus Damianus serm. de S. Stephano.

18. Vers. 16. *Quod cùm audiisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Iezraelitæ, vt possideret eam.*] Ex his apparet hæc sic meditatam esse Iezabelem, vt neque illorum ignarus esset Achab, neque ipso inuito res esset à corruptis, iniquisque iudicibus peracta, quãdo & annulum tradidit vxori, quo signauit epistolas, neque diu commoratus est, donec hæreditatem adiret, quam sciebat ab innocente viro per summam iniquitatem ereptam. Quare frustrà aliqui ab hoc peccato liberant Achab, cùm ipse sui animi satis apertum documentum dederit; imò cùm id Deus per Eliam ostenderit, dum illum tanti sceleris dicit esse participem. *Occidisti*, inquit, *insuper & possedisti*: & vt homicidæ, cædem etiam non dissimilem minatur. Sed cur sibi Rex iniustus alienam vendicat hæreditatem? quam huic iniuriæ adumbratam prætexit honestatis speciem? An nullus erat, qui defuncto Naboth in adeunda possessione succederet, & qui in eadem conseruaret familia? Aut certè lege cautum erat, aut antiqua receptum consuetudine, vt damnatorum bona regius sibi fiscus adscriberet. Tractauit hanc quæstionem Abulensis q.6. neque certum aliquid definit, sed tantùm quæ adducit, prudenter diuinando coniectat, aut potiùs ea producit, quæ iudicarunt alij. Quidam enim dicunt damnatorum bona, eorum maximè, qui diuinam, aut regiam maiestatem læsissent, ad regium fiscum pertinere. Alij Naboth cognatum esse Achab, quem putant non suscepisse filios, aut certè simul cum patre fuisse obtritos lapidibus (sicut legimus Iosue cap.7. cuius filij simul cum patre sublati sunt) nequa maneret ex impio, atque maledico semine posteritas. Quod autem cum Naboth filij etiam eius fuerint extincti, colligitur ex lib.4. cap.9. v.26. *Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius*, &c. verba sunt Iehu, de quibus statim. Tunc autem, quia nemo erat cognatione propior, in vacuam, & quasi caducam possessionem venit Achab. Ad extremum addit Abulensis, vero videri similius omnia bona Naboth propter confictum scelus blasphemiæ adiudicata esse regio fisco: quod item placet Caietano. Ego quid ad hęc addam, nihil habeo. Tantùm dico ab homine tyranno, & barbaro, cur aliquid fecerit, non esse quærendam honestam causam, cùm illi pro lege sit voluntas, & libido.

*Achab conscius & particeps mortis Naboth.*

19. Vers. 19. *Occidisti insuper & possedisti.*] Verba sunt Domini per Eliam (quibus cùm rediret Achab ex aliena vinea, quam sibi iniquè vendicauerat, illum & cædis reum, & rei alienæ possessorem violentum accusat. Magnum scelus est alicui eripuisse vitam, maximè si mortem comitetur acerbitas, & acerbitatẽ dedecus, & pudor. Quòd si ad hæc accedat obstinatum odium, dira cupiditas, & alienæ hæreditatis iniusta vendicatio, multa videtur fieri ad tyrannicum ingenium, & legum proditionem accessio. Occidere aliquem ignominiosè, & crudeliter, ingẽtis immanitatis est: in alienas possessiones irrumpere audaciæ singularis, & intolerabilis auaritiæ. Quare de se turpissima audit, qui occidisse dicitur, & possedisse.

*In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.*] Verisimile est cadauera Naboth, & filiorum (si cum illo filij quoque lapidatione perierunt) mansisse per aliquod tempus insepulta, & illorum effusum sanguinem siue è terra, siue è lacerato corpore canes linxisse; quod est argumentum non leue, vt existimemus nudis corporibus innocentes excepisse lapides, ex quorum vulneribus expressus fuerit sanguis, quem linxerunt canes. Hîc ego duo obseruo; alterum est plura verba dicta fuisse à Deo Eliæ, quàm hîc referuntur, aut certè plura dixisse Eliam ad Achab, quàm accepisset à Domino. Quod sanè nihil incommodat canonicæ fidei; quia quæ hîc narrantur à Domino, fuerant Prophetæ præscripta. Quòd verò præterea aliquid dixerit Prophe- 20.

REGVLA. *A sacris scriptoribus non tota aliorum concionis, aut verba referuntur, sed eorum summa.*

ta non est mirum, quia cum Prophetæ alios alloquuntur, aliquid etiam narrare solent de suo, aut explicationis gratia, aut etiam quia sic exigit illorum, ad quos legationem obeunt, ingenium, aut proteruum, aut compunctum, & humile, quod fecit hoc loco Elias, vt constat, quia statim addit, *eo quòd venundatus sis*, &c. Sed est verisimilius plura esse dicta à Domino Prophetæ, & à Propheta Achab, quàm nunc à sacro historico commemorentur. Neque enim sacra historia integras orationes, aut colloquia repetit: sed tantùm illa, quæ totum pondus, & sententiam continent, omissis interdum aliquibus, quibus detractis, verum nihilominus, & integrum videtur institutum historiæ. Quod in testamento nouo experimur frequenter: Solent enim Euangelistæ non integras repetere conciones; sed aliquid plerumque omittunt, neque omnes eadem. Vnde fit vt quædam ab vno Euangelista dicantur, quæ omittuntur ab alio, quia orationis capita non eodem modo Euangelistæ colligunt. Plura dicta fuisse ad Achab ab Elia, quàm hîc commemorantur, habemus lib.4. Reg. cap.9. v.26. Nam cùm Iehu Ioram filium Achab interfeciisset, iussit illum proiici in agrum Naboth, vt ibi canes lingerent sanguinem filij Achab, vbi priùs canes linxerant sanguinem filiorum Naboth; quẽadmodum ipse audierat per Prophetam denunciatum Achab, hoc nimirum loco, in quo nostra laborat commentatio. *Dixitque Iehu ad Badecer ducẽ: Tolle, proiice eum* (nempe Ioram) *in agrum Naboth Iezraelitæ; memini enim quando ego, & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem huius, quod Dominus onus hoc* (id est, durum vaticinium) *leuauerit super eum dicens: Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & proiice eum in agrum iuxta verbum Domini.*

Obseruo secundò ex his verbis simul cum Naboth occisos fuisse filios eius, pro quibus occisus nunc quoque fuit Ioram filius Achab. Item obseruo, altero die post mortem Naboth, egressum fuisse Achab de Samaria, & adiisse hæreditatem Naboth, & in ipsa via occurrisse Eliam, & talia denunciasse, qualia nunc legimus. Ait enim, *pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri.* 21. *Filij Naboth cum patre lapidati.*

Vers. 20. *Num inuenisti me inimicum tibi? Qui dixit, inueni, eo quòd venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini.*] Iampridem Achab non viderat Eliam, à quo priùs orationem acceperat magis seueram, & grauem, quàm illius ferre posset siue intolerabilis arrogantia, siue nimis delicata mollities. Quare cùm nunc post longum interuallum redire videt ad ingenium, & non minus audacter, quàm antea nunciare horribilia, rogat quidnam 22. *Venundatus peccato quis.*

in

in ipso deprehenderit sceleris, propter quod immortales videatur alere inimicitias. Ad quem Elias ait non deesse causas, propter quas ipsum odio debeat insectari implacabili, & illam esse instar omnium, quia venundatus est, vt faceret malum. Quid autem hoc sit, explicandum est. Vendit se alteri, aut sua opera aliquis, vt illa, aut seipsum ad certum aliquod opus, aut laborem conferat, nempe colendum agrum, pascenda pecora, aut fingenda simulacra, aut aliquid aliud certum artificium; à quo nullo licet modo discedere, & ad rem aliam operam, & studium transferre. Quare hic optimè potest appellari venundatus ad quodlibet horum operum, quæ ex pacto debet. Sic ergo Achab vsqueadeo se improbitati tradidit, rebusque, quibus cum honestate nihil est affine, vt vendidisse videatur, aut locasse suam operam peccato, vt nihil meditetur, aut faciat, nisi quod à peccato manet, aut ad peccatum spectet, aut denique peccatum oleat. Dicitur porrò venundatus potius quàm locatus, quia ille perpetuo quodam nexu libertatem suam alterius addixit imperio, à quo exolui non potest, neque seipsum sibi, vt maximè cupiat, restituere. Qui verò locatus est, non in perpetuum, sed in finitum aliquod tempus, puta in annuum, aut menstruum, sic suam operam alligauit alteri, vt eo exacto sui sit iuris. Venundatus igitur dicitur Achab, quia à multis iam annis eò videtur intentus, vt nihil faciat, aut meditetur bonum.

23. *Seruus aliquis dicitur earum rerũ, quarũ amore captus est.*

Hic porrò dicendi modus, quo is, qui assuetus est peccato, appellatur venundatus, Scripturæ sacræ familiaris est: sicut etiam, quod idem ferme est peccati vocatur seruus. Sic etiam auarus, aut ambitiosus, aut delicatus, & mollis seruire dicuntur auaritiæ, honori, carnis affectibus, & similibus. Seruus est planè auaritiæ ille, qui nullum non adit periculum, vt rem augeat suam: mari se committit & ventis; atque prædam, si aliter non potuerit, ex flamma sumit. Hic videri potuit ille Dominus, cui se Achab iampridem vendidit, qui cùm iussit, vt alienam hæreditatem vsurparet, obsequutus est statim; neque quiescere potuit, donec ab auaritia quod fuerat imperatum, impleret. Quam dura fuerit seruitus quam homines subeunt à vitiis, quibus semel ceruicem subdiderunt, repetunt non solùm sacri scriptores, sed etiam profani. De sacris diximus plura, & huic loco maximè accommodata in nostris commentariis in Isaiam, ad illud cap. 50. in secunda expositione, *Quis est creditor meus, cui vendidi vos?* quæ tu vide. De profanis vnum adducam, in quo describitur, quàm sit imperium auaritiæ tyrannicum, & illius, qui auaritiæ paret, miserabilis, atque ærumnosa seruitus. De qua ita Persius Satyr. 5.

*Auaritia vis & tyrannis.*

*Mane piger stertis, surge, inquit, auaritia eia*
*Surge: negas, instat; surge, inquit, non queo: surge.*
*Et quid agam? rogitas? en saperdam aduehe ponto,*
*Castoreum, stupas, hebenum, thus, lubrica coa.*

24. *Achab sicut vile mancipium Iezabeli venditus.*

Sed credo Achab hoc loco dici Iezabeli venundatum, cuius imperio non aliter obsequebatur, quàm humilis seruus nimis seuero atque arroganti Domino; illi se vendidit Achab, & dum illius præceptis repugnare non audet, peregrinã induxit religionẽ, aras struxit Baali, & quia impia, & audacissima fœmina nihil meditabatur, & curabat, nisi quod peccatũ pareret, aut peccatũ oleret: ideo venũdatus dicitur Achab vxori, vt quasi vile mancipiũ illi omninò se præberet obsequẽtẽ. & quia illa præcipiebat sẽper, & hortabatur ad malũ, venundatus dicitur à Propheta, vt faceret malũ. Hoc satis colligitur ex hoc c. v. 25. *Igitur nõ fuit alter talis, sicut Achab, qui venũdatus est, vt faceret malũ in cõspectu Domini: concitauit enim eũ Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est.* Huius imperij vxorij vox illa fuit, qua Iezabel marito quasi inerti, & languido dixit cum irrisione, & stomacho v. 7. *Grandis auctoritatis es, & bene regis Israel.* Et habuisse annulum signatorium, quo muniret literas contra Naboth.

25. *In conspectu Dei, aut coram Deo quæ fieri dicuntur.*

Malum in conspectu Domini ideo dicitur factum, aut quia directè contra Dominum, quia Dominum è suo regno Iezabele instigante videtur expulisse, inducto Baale. Vt enim fert quotidiani sermonis frequens vsus; in alicuius conspectu, aut coram oculis id fieri dicitur, quod in alicuius domo fit, aut possessione. Quomodo peccata, quæ fiunt in templo, fieri dicuntur in conspectu Dei. Sic quia in Dei regnũ peregrinã religionem induxit Achab, malũ videtur admisisse in cõspectu Domini. Aut certè in cõspectu Domini illud videtur factum, quod fit inuerecũdè, ac publicè, qualia fuerunt, quæ cõmisit Achab. Scriptura enim sacra de Deo loquitur sæpe humano modo, & ad hominũ sensum. Vt autem in hominum oculis, aut cõspectu illa dicũtur fieri, quæ non in tenebris, ac timidè fiunt, sed apertè, ac publicè; sic quæ eodem fiunt modo, fieri dicuntur in diuino conspectu.

26. Vers. 21. *Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua,* &c.] Hæc ad versum 23. explicata sunt à nobis suprà cap. 16. v. 3. & cap. 14. v. 10. vbi eadem penè leguntur verba.

27. Vers. 24. *Canes comedent Iezabel in agro Iezrael.*] Hîc exploremus oportet, quomodo quæ dicta sunt à Propheta de Iezabele, & Achab, videri possint reipsa completa, cùm Iezabel non fuerit canibus lacerata: Achab autem neque cæsus fuerit in Iezraele, neque ibi canes illius sanguinem linxerint. De Iezabele minus est difficultatis, cùm ceciderit prope agrum, in quo fuerat vinea Naboth, & ibi à canibus discerpta, vt habes lib. 4. Reg. cap. 9. Erat autem vinea prope regiam domum, nam ideo illã sibi, vt domui coniungeret, vendicare voluit Achab. Est autem in Scriptura sacra frequens, vt quæ prope aliquem locum fiunt, in eodem loco facta esse dicantur.

28. *Quæ prope aliquem locum fiunt, eodem in loco facta dici in Scriptura frequens.*

De Achab res videtur magis impedita, nam neque cecidit in Iezrael, neque in ea canes sanguinem illius linxerunt; sed in Samaria, vt habemus statim cap. 22. v. 38. Quidam putant non de ciuitate ipsa intelligendum esse Prophetæ vaticinium, sed de regione illa, in qua ædificata erat Iezrael. Fieri autem potuit, vt tractus ille, vbi paulo antè aut constructa fuerat, aut amplificata Samaria, diceretur ager Iezrael. Quare licèt in Samaria canes lamberint sanguinem Achab, non id accidit extra terminos, & agrum Iezrael. Ita putant Historia scholastica, Abulensis q. 10. Vatablus, & Lyra cap. sequenti. Hebræi affirmant currum Achab lotum fuisse in piscina Samariæ, arma verò in agro Iezrael. Putant enim in Iezrael fuisse regium armamentarium, in quod cùm ab armorum præfectis arma forent delata, à sanguine priùs mundari debuerunt; tunc autem contigit, vt elutum ab armis sanguinem lingerent canes. Huius verò sententiæ illud ab illis fundamentum adducitur, quia vbi à vulgato redditur, *& habenas lauerunt.* Hebraicè est, *& arma lauerunt.* Horum explicationem Caietanus complectitur, quam optimè confutat Abulensis, quia tunc impleta dicitur prophetia, quando detersum sanguinem

guinem in piscina Samariæ linxerunt canes.

29. *Quomodo in Achab impleta, quæ minatus est Elias.* Aliter, fortasse meliùs, dici posset mutatum aliquid de hac Eliæ denunciatione minaci propter Regis pœnitentiam. Tũc enim Deus mitiùs quàm antè in Regem animatus remisit de acerbitate minarum plurimum; & sicut alia in tempus filij illius distulit infrà v.29. sic etiam hoc, quod de lingendo sanguine in agro Iezrael. Notum est autem ex lib.4.Regum cap.9.v.25. sicut in diebus Ioram filij Achab excidit regnũ ab illius familia, sic etiam canes in agro Naboth sanguinem lambisse Ioram. Et ideo hæc cogitatio minùs mihi displicet, quia multa explicat, quæ in hoc vaticinio maximè vidẽtur impedita, vt quod proximè sequitur v.24. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli.* At constat cap. sequenti v. 37. nactum fuisse in Samaria sepulturæ locum.

30. Hæc mihi explicatio omnium maximè placet, quam ideo puto esse verissimam, quia nihil violẽtum habet, atque distortum, & expedit aliqua, quæ aliter aut nullos habent, aut certe difficiles explicatus. Sed addam aliam, quæ alicui fortasse non improbabitur, & quam aliis placuisse video. Ita vt in sanguine Achab sanguis intelligatur filiorum, quod & vsus habet Latinorum, & apud Hebræos *Sanguis pro filiis.* sæpè quæ promittuntur parentibus, aut obiiciuntur in minis, illa non nisi in posteris videmus esse completa. Qualia sunt omnia fermè quæ Iacob Gen.cap.49. & Moysis Deut. cap.33. prædixerunt duodecim filiis Israel. Quod autem sanguis pro filiis sumatur, satis tam ex sacra, quàm ex profana literatura constat: ex sacra quidem obscuriùs, cùm seminis nomine significantur filij: ex profana frequenter, & expresse. Sic sanè Maro lib.6. Æneid. vbi Anchises cum Iulio Cæsare loquitur.

*Proiice tela manu sanguis meus.*

Et in carmine sæculari Horatius Augustum sanguinem appellat Anchisis.

*Clarus Anchisa, Veneriſque sanguis.*

Et apud Silium Iuppiter ad Venerem.

*—Tenet, longúmque tenebit*
*Tarpeias arces sanguis tuus.*

Mille alia occurrunt exempla. Sanguis itaque Achab effusus est in agro Iezrael, quia in illo Ioram filius illius interfectus est. Hæc explicatio ita probatur, vt tamen multo magis illa mihi probetur, quæ proximè antecessit.

31. Vers. 24. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes*, &c.] His verbis nihil aliud significari puto, quàm mansurum regium cadauer insepultum. Quod suprà iterum audiuimus de Ieroboam cap.14.v.11. & cap.16.v.4. de Baasa. At videmus in Samaria honestum Achab sepulcrum habuisse. Quare placet quod paulo antea suspicabar propter pœnitentiam Achab aliquid esse remissum de seueritate iudicij.

32. Vers. 25. *Concitauit enim eum Iezabel vxor sua.*] Hinc constat, aut certè hinc non leuis coniectura sumitur, vt probemus quod paulo antè dicebamus Achab quasi vile mancipium alligatum fuisse perpetuo nexu vxoris voluntatis. Nam cùm proximè diceretur venundatum esse Achab, vt faceret malum, nunc ratio redditur, quia herili illum imperio Iezabel ad malum quasi reluctantem incitabat.

33. *Et abominabilis factus est in tantum, vt sequeretur idola, quæ fecerunt Amorrhæi.*] Cùm primum Iezabel à coniuge aut precibus aut vi extorsit, vt præter aureos vitulos, quos à parentum stupore successor ipse, hærésque stuporis, ac impietatis acceperat; alios etiam Deos, quos è Sidone in Israeliticos fines inuexerat secum adoraret, facile fuit Regem iam corruptum, & nouis infectum religionibus ad vicinarum gentium idola defluere. Quare non Sidonios solùm coluit Deos, hortante aut etiam herili dominatu cogente vxore; sed & Chananæorum, quod hîc, sicut aliis sæpe locis, Amorrhæorum nomine significat. Amorrhæi enim *Amorrhæi pro Chananæis.* suis aliis prouinciis nomen communicarunt, aut quia omnium fortissimi, aut quia hi omnium primi ab Israelitis tentati bello, atque subacti sunt. Solent enim qui primi occurrunt his, qui regionem aliquam explorant, aut ingrediuntur (vt probant regiones, quas vltra Oceanum aperuerunt Hispani) nomen suum toti regioni communicare. Quare dum Amorrhæorum Deos asciuisse dicitur Achab, Chananæorum omnium dicitur idola coluisse.

Vers. 26. *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam.*] Nouerat Achab Eliæ minas habuisse 34. pondus, & exitum talem, qualem prophetico spiritu antè designasset; atque ideo experientia edoctus verè timuit euentum ab Elia prædictum. Quare pœnitentis animi non obscura dedit documenta. In vestimentis, dum regia conscindit, & induit cilicina, dum à cibis abstinet, humi cubat, & caput antea regia maiestate sublime demittit supplex, & Hebræorum fortasse more conspersо cinere deformat. De huiusmodi luctu diximus plura lib.2. Reg.cap.12. & in commentariis nostris in Ionam cap.3. vbi duorum Regum legimus exempla quamsimillima: alterum Dauidis; alterum Regis Niniue, qui Deum sibi offensum afflicto corpore, & abiecta regia maiestate placarunt.

An vera fuerit Achab, vel tantùm ficta, atque 35. *Probabile est pœnitentiam Achab non fuisse veram.* simulata pœnitentia, dubitant interpretes, & antiqui Patres. Quidam ortam esse dicunt ex timore eorum, quæ imminere sibi à Propheta didicerat, atque ideo imperfectam, & indignam venia. Ita Lyra, Dionysius, Caietanus, Hugo. Quæ sententia non displicet Abulensi, licet aliam magis probet. Dicunt autem eiusmodi pœnitentiam, vtpote infirmam, & ex affectu quodam seruili conceptam temporaria aliqua commoditate muneratam, pœnæ nimirum dilatione, aut aliquo modo temperato supplicio. Quod ideo factum est, vt illa Regis humiliata, & abiecta maiestas non abiret sine aliqua compensatione, vt plerique putant. Aut, vt putat Hugo, vt aliis Deus commendaret pœnitentiam, vt qui pœnitentem viderent Regem, viderent quoque aliquem ex pœnitentia cepisse fructum. *Dominus*, inquit, *non dimisit ei pœnam, sed distulit: non propter Achab, sed propter alios, vt ostenderet quantum valeat humilitas pœnitentiæ.* Quod item Gregorius putat homil.19. super Ezechielem ad finem. vbi cùm historiam retulisset, ait, *In quibus Domini verbis pensandum est, quomodo ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum, si sic ei, & reprobi pœnitentia placuit, quia timebat perdere præsens sæculum; aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis, in eis, qui placent, si hæc ad tempus placuit, & in eis, qui displicebant.* Ex 36. *Ipsa etiam imago pœnitentiæ Deo grata.* quibus Gregorij verbis habemus ita gratam Deo esse pœnitentiam, vt eius etiam vanam imaginem gratis aspiciat oculis, quo modo amicorum absentium intuemur effigiem cum voluptate, etiamsi immenso à nobis distet interuallo. Vana prorsus est illa pœnitentia, quæ vestimenta conscindit, tundit pectus, conspergit caput cinere, cibos adimit abundantes, & molles, adhibet insuaues, & parcos,

parcos,& cor nihilominus relinquit intactum, & integrum,neque exuit antiquam intemperantiam, non deponit odia,& ſtudium vindictæ: non reſtituit quæ per vim, aut fraudem ablata ſunt : nihil denique mutat interiùs in animo,cùm tamen omnia,aut pleraque mutet,quæ ad externam corporis ſpeciem,& habitum pertinent. Teſtis eſt hic Achab, in quo pœnitentis apparet ſpirans quidem, & viuum ſimulacrum;ſimulacrum tamen; in quo neque ſpiritus eſſet, neque vita. Quæ enim in ea pœnitentia vita,quæ neque reſtituit vineam,quam iniquè poſſidet, neque ablatum honorem illi, qui ipſo conſcio, & non inuito tamquam blaſphemus accuſatus,& lapidatus eſt; cùm tamè pro ſuo munere tam crudele facinus impedire debuiſſet;cùm non exemerit è vinculis Michæam, quem paulo antè continebat in carcere, neque ſimulacra confregerit, quæ ad vxoris vota, ſeu imperium in Iſraeliticos fines induxerat. Neque aliquod aliud ediderit ſignum pœnitentis animi præter ſpeciem illam externam, quam intuebantur alij, quique non tam ſtudebat obtinere peccati veniam, quàm retinere regnum,& euitare mortem, quorum metum durum Prophetæ vaticinium incuſſerat.

*Vera pœnitentiæ ſigna.*

37. Verumtamen magis mihi videtur veriſimile veram fuiſſe pœnitentiam Achab, verè doluiſſe de culpa,verè ſtuduiſſe placare ſibi Deum, quem offenſum dolebat. Quod ex interpretibus tenet Abulenſis quæſt.14. Vatablus, inclinat hiſtoria ſcholaſtica, in hanc ſententiam magis propendet Hugo. Ex Patribus apertè docet Chryſoſtomus epiſt. ad Theodorum lapſum, & habetur de pœnitentia, diſt.3. vbi cùm dixiſſet, *Talis eſt erga homines pietas Dei,nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſyncerè, & ſimpliciter offeratur, etiamſi quis ad ſummum perueniat malorum.* Quod ſtatim exemplo confirmat Achab. *Euidentius,* inquit,*nobis teſtimonium dabit etiam Rex ille impius,qui cupiditatis quidem ſuæ prædam vxoris nequitia quæſiuit, ſed perturbatus ipſius ſceleris immanitate pœnituit, & cilicio circumdatus facinus ſuum fleuit,atque ita erga ſe Domini miſericordiam prouocauit,vt a cunctis eum abſoluerit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam : Vidiſti quomodo compunctus eſt Achab à facie mea,quia fleuit in conſpectu meo, non inducam mala in diebus eius.* His ſimilia dicit homil.22. ad populum. Hoc idem Hieronymus epiſt. 30. ad Oceanum, vbi ſic de pœnitentia Achab. *O felix pœnitentia, quæ ad ſe Dei traxit oculos: qua furentem Dei ſententiam confeſſo errore mutauit.* Hæc ferè iterat epiſt.46.ad Ruſticum. Ambroſius lib. de Nabuthe cap. 17. mutatum dixit animum Achab per pœnitentiam, ſed relapſum poſtea vxoris blanditiis. *Conſidera,*inquit, *quia Iezabel habuit vxorem, cuius ducebatur arbitrio, quæ euertit cor eius,& nimiis ſacrilegiis execrabilem fecit, & hunc eius pœnitentiæ reuocauit affectum.* Nota poſtrema Ambroſij verba. Tertullianus lib.4.aduersùs Marcionem cap.10. cùm de virtute ageret pœnitentiæ, pœnitentiam Achab cum Dauidis, & Niniuitarum pœnitentia coniunxit.*Lego & Nathan Prophetam agnoſcenti Dauid delictum ſuum in Vriam dixiſſe, & Dominus circumduxit delictum tuum, & non morieris.Proinde & Achab Regem maritum Iezabel reum idololatriæ, & ſanguinis Nabuthe veniam meruiſſe homicidij,& ſanguinis pœnitentiæ nomine.*

*Probabilius eſt veram fuiſſe pœnitentiam Achab.*

Neque argumenta contra hanc cogitationem ſuperiùs allata admodùm premunt: fieri enim potuit, vt tunc verè pœnitentia compungeretur Achab,cui Dominus fuerit veniam largitus.Deinde verò ad ingenium vomitúmque redierit, quia, vt dixit Theodoretus q. 60. homo erat leuiſſimus, quique vel à ſuo, vel ab alieno iudicio facilè mutabili in hanc atque in illam ſententiam verſaretur. Eamdem rationem adduxit ſuprà Ambroſius, cùm dixit euerſum fuiſſe illius affectum à Iezabele cuius ducebatur arbitrio. Neque facilè potuit iugum excutere,quod vxor impoſuerat,aut libertatem redimere,quam antè vendiderat. Quare cùm paratum haberet animum eo tempore, cùm ſordidatus, & demiſſus incederet, ad reſtituendam vineam, honorémque ſublatum innocenti Naboth, ad eximendum è vinculis Prophetam,ad confringenda idola ; ac tandem illa accuratè præſtanda, quæ ab eo exigeret pœnitentiæ ratio; non tamen, vt facere meditabatur,præſtitit,quia ex tranſuerſo ſtatim incurrit Iezabel, cuius opera fuerat erepta vinea,& idolorum introducta religio, quæ quod ipſa conſtruxerat in ipſo exordio, ab aliis diſſolui, & aboleri noluit. 38.

Verſ. 29. *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum.* ] Ex his verbis communiter Patres argumentum ſumunt, vt dicant veram fuiſſe pœnitentiam Achab : neque aliter Deus dixiſſet humiliatum eſſe Regem coram ſe.Quomodo enim coram Deo pœnitens,cuius eſt impœnitens animus, quē vnum intuetur Deus?aut quomodo Dei cauſa humiliatus ille,qui propter Deum non dolet,aut qui Deum non vult vera pœnitentia placare? Paulo aliter legit Hieronymus epiſt. 46. ad Ruſticum. *Quoniam reuerſus eſt Achab faciem meam.*Quæ verba pœnitentiam indicant non ſimulatam. 39.

*Non inducam malum in diebus eius.*]Hic fuit pœnitentiæ fructus,vt graue illud malum, quod proximè annunciarat Propheta, ad filij tempus differretur, & aliquid, vt antè diximus, remitteretur de minaci vaticinio. Quare non neceſſe erit inueſtigare anxiè, quomodo quæ Rex in ſuum caput audiuit ab Elia, ad vnum fuerint exactè completa ; cùm ex illis aliqua detraxerit Deus, aliqua in illius filij tempora diſtulerit. 40.

IN

# IN CAP. XXII. LIB. III. REGVM

## ARGVMENTVM.

*TERTIVS iam annus exactus fuerat, ex quo inter Israelitas, & Syros nihil interceſſerat hoſtile. Quo tempore Ioſaphat Rex Iuda noua quadam cum Rege Israel affinitate coniunctus, officij gratia ad illum inuiſendum Samariam aduenerat. Venit autem in mentem Achab eſſe in Syrorum poteſtate Ramoth Galaad, quæ ad Iſraeliticam ditionem pertinebat. Quare de illa bello repetenda conſilium cœpit, ſibique vt Ioſaphat auxilio foret rogat; ſuam operam Ioſaphat ſtudiúmque promittit. Cúmque Rex Iuda admoneret Regem Iſrael, vt de belli euentu conſuleret Prophetas, illos aſciri iubet, qui colebant Baalem, qui omnes vno ore ſecundos promittunt rerum euentus. Joſaphat hortatu, qui Baalis Prophetarum vaticinio nullam habendam fidem putabat, licèt inuitus Michæam verum Domini Prophetam aduocat, qui aduerſa omnia in eo bello Syriaco Regi Achab euentura prædixit. Quem ideo Rex tamquam antea ſibi, regiiſque rationibus infenſum in vincula coniecit; cùm tamen prius à Pſeudoprophetarum Baalis principe Sedecia impacto colapho grauiſſimam accepiſſet iniuriam, eo quòd Prophetas omnes à mendace ſpiritu deceptos affirmaſſet. Rex porrò Iſrael, aut quia euentum belli, & hoſtilem impetum timebat, qui contra Reges eſſe ſolet acerbior, aut quia honorem illum amico, & Regi deferri voluit, vulgarem gregarij militis habitum aſſumpſit, regium tamquam Imperatori Ioſaphat reliquit. Edixerat porrò Benadab Syrus vt totum belli pondus in Regem Iſraelis incumberet. Quare in Ioſaphat, qui propter regium decorem Rex eſſe credebatur Iſraelis, communis eſt ab omnibus impetus factus; qui cùm ſe alĩ eſſe voce ſignificaret, repreſſit armatas inimicorum manus, & mortem imminentem declinauit. Cùm autem telum in nullum certum ſcopum à ſagittario eſſet deſtinatum, delatum fuit non temere, aut caſu, ſed Deo ſcelerum vindice ita diſponente, ad Achab in illam regij corporis partem, in qua vulnus non poteſt eſſe non lethale, ex quo ad veſperum deceſſit, cuius poſtea ſanguinem canes linxerunt. Quod reliquum eſt capitis ea proponit, quæ pertinent ad Ioſaphat Regem Iuda: quemadmodum ſanctè ſuum adminiſtrârit imperium, illúdque purgârit ab effœminatorum venali pudicitia, claſſem inſtruxerit in mari Rubro, quam tempeſtas diffregit antequam ex tranſmarinis mercibus quicquam portaret. Denique quomodo Ochozias parenti in regnum Iſraeliticum ſucceſſerit, qui nihilo fuit parente aut incorruptior moribus, aut religione melior.*

## CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

1. TRanſierunt igitur tres anni abſque bello inter Syriam, & Iſrael.

2. In anno autem tertio, deſcendit Ioſaphat rex Iuda ad regem Iſrael.

3. (Dixítque rex Iſrael ad ſeruos ſuos: Ignoratis quòd noſtra ſit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?)

4. Et ait ad Ioſaphat: Veniéſne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad?

5. Dixítque Ioſaphat ad regem Iſrael: Sicut ego ſum, ita & tu: populus meus & populus tuus, vnum ſunt: & equites mei, equites tui. Dixítque Ioſaphat ad regem Iſrael: Quære, oro te, hodie ſermonem Domini.

6. Congregauit ergo rex Iſrael prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Qui reſponderunt: Aſcende, & dabit eam Dominus in manu regis.

7. Dixit autem Ioſaphat: Non eſt hìc propheta Domini quiſpiam, vt interrogemus per eum? Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat:

8. Remanſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malũ, Michæas filius Iemla. Cui Ioſaphat ait: Ne loquaris ita rex.

9. Vocauit ergo rex Iſrael eunuchum quendam, & dixit ei: Feſtina adducere Michæam filium Iemla.

10. Rex autem Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda ſedebant vnuſquiſque in ſolio ſuo, veſtiti cultu regio, in aréa iuxta oſtium portæ Samariæ,

mariæ, & vniuerſi prophetæ prophetabant in conſpectu eorum.

11. Fecit quoque ſibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam.

12. Omnéſque prophetæ ſimiliter prophetabant, dicentes: Aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſperè, & tradet Dominus in manus regis.

13. Nuncius verò, qui ierat vt vocaret Michæam, locutus eſt ad eum, dicens: Ecce ſermones prophetarum ore vno regi bona prædicant: ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona.

14. Cui Michæas ait: Viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.

15. Venit itaque ad regem, & ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an ceſſare? Cui ille reſpondit: Aſcende, & vade proſperè, & tradet eam Dominus in manus regis.

16. Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi niſi quod verum eſt, in nomine Domini.

17. Et ille ait: Vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus, quaſi oues nõ habentes paſtorem, & ait Dominus: Non habent iſti dominum: reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam in pace.

18. Dixit ergo rex Iſrael ad Ioſaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum?

19. Ille verò addens, ait: Propterea audi ſermonem Domini: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris:

20. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſraël, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter.

21. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo?

22. Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & præualebis: egredere, & fac ita.

23. Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum, qui hîc ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum.

24. Acceſſit autem Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Michæam in maxillam, & dixit: Méne ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi?

25. Et ait Michæas: Viſurus es in die illa quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum vt abſcondaris.

26. Et ait rex Iſraël: Tollite Michæã, & maneat apud Amon principem ciuitatis, & apud Ioas filium Amelech.

27. Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, donec reuertar in pace.

28. Dixitque Michæas: Si reuerſus fueris in pace, non eſt locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes.

29. Aſcendit itaque rex Iſraël, & Ioſaphat rex Iuda in Ramoth Galaad.

30. Dixit itaque rex Iſraël ad Ioſaphat: Sume arma: & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis. Porrò rex Iſraël mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.

31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicẽs: Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, niſi contra regem Iſrael ſolum.

32. Cùm ergo vidiſſent principes currum Ioſaphat, ſuſpicati ſunt quòd ipſe eſſet rex Iſraël, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamauit Ioſaphat.

33. Intellexerúntque principes curruum quòd nõ eſſet rex Iſraël, & ceſſauerũt abeo.

34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit regem Iſraël inter pulmonem & ſtomachum. At ille dixit aurigæ ſuo: Verte manum tuam, & eiice me de exercitu, quia grauiter vulneratus ſum.

35. Commiſſum eſt ergo prælium in die illa, & rex Iſraël ſtabat in curru ſuo contra Syros, & mortuus eſt veſpere: fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus.

36. Et præco inſonuit in vniuerſo exercitu antequam ſol occumberet, dicens: Vnuſquiſque reuertatur in ciuitatem, & in terram ſuam.

37. Mortuus eſt autem rex, & perlatus eſt in Samariam: ſepelierúntque regem in Samaria.

38. Et lauerunt currum eius in piſcina Samariæ, & linxerunt canes ſanguinẽ eius, & habenas lauerunt, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat.

39. Reliqua autem ſermonum Achab, & vniuerſa quæ fecit, & domus eburnea quam ædificauit, cunctarúmque vrbiũ quas extruxit, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſraël?

40. Dormiuit ergo Achab cum patribus ſuis, & regnauit Ochozias filius eius pro eo.

41. Ioſaphat verò filius Aſa regnare cœperat ſuper Iudam anno quarto Achab Regis Iſraël.

42. Triginta quinque annorũ erat, cùm regnare cœpiſſet, & vigintiquinq; annis regnauit

gnauit in Ierusalem : nomen matris eius Azuba filia Salai.

43. Et ambulauit in omni via Asa patris sui, & non declinauit ex ea : fecitque quod rectum erat in conspectu Domini.

44. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.

45. Pacémque habuit Iosaphat cum rege Israel.

46. Reliqua autem verborum Iosaphat, & opera eius, quæ gessit, & prælia, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

47. Sed & reliquias effœminatorum, quæ remanserant in diebus Asa patris eius, abstulit de terra.

48. Nec erat tunc rex constitutus in Edom.

49. Rex verò Iosaphat fecerat classes n mari, quæ nauigarent in Ophir propter aurum : & ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber.

50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Iosaphat: Vadant serui mei cum seruis tuis in nauibus. Et noluit Iosaphat.

51. Dormiuítque Iosaphat cũ patribus suis,& sepultus est cum eis in Ciuitate Dauid patris sui: regnauítque Ioram filius eius pro eo.

52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria, anno septimodecimo Iosaphat regis Iuda, regnauítque super Israel duobus annis.

53. Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui & matris suæ,& in via Ieroboam,filij Nabat,qui peccare fecit Israel.

54. Seruiuit quoque Baal, & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Israel, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.

---

# IN CAP. XXII. LIB. III. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers.1. *Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam,& Israël.*]

1. EX quo superatus secundò fuit Benadab, nullum per tres annos mouit bellum in Israel,neque fortasse moueret, aut pacti memor cum Israele percussi, aut quia attenuatas imperij vires nondum ad tanti belli molem confirmarat. Donec Achab superiorum bellorũ euentu insolentiùs inflatus recuperare voluit Ramoth Galaad, quam Syri quondam ab Israelitarum Regibus abstulerant. Hæc itaque fuit præsens belli causa, in cuius cogitationem ideo veniisse videtur Rex Israël, quia eo anno officij, ac beneuolentiæ gratia ad illum inuisendum profectus fuerat Iosaphat Rex Iuda, qui cum Achab, & Iezabele infaustis planè auspiciis amicitiam, affinitatémque contraxerat, vt habes lib.2. Paralip.c.18. In cuius aduentu, vt suam in amicum fidem, & aliis suam maiestatem ostenderet, lauto Regem, & populum, qui illum comitatus fuerat, excepit conuiuio, arietibus, bobúsque plurimis in eorum epulum occisis. Vide lib. 2. Paralip. nuper citatum caput, vbi idem, & eodem penè modo tractatur argumentum.

2. Vers. 4. *Et ait ad Iosaphat : Veniésne mecum ad præliandum.*] Affinitatem, vt diximus, contraxerat Iosaphat cum Achab, quia Ioram ipsius filius vxorem duxerat Athaliam filiam Achab : & ita sicut genus connubio, sic etiam res suas quodam modo, rationésque coniunxerat. Quare audacter Achab petit à Iosaphat, vt secum ad repetendam Ramoth Galaad proficiscatur, sibíque, quando certamen futurum erat cum hoste fortissimo, auxilium præbeat. Quod prolixè promisit Iosaphat, quia ex quo duæ illæ familiæ connubiali nexu copulatæ sunt,& reliqua facta communia, cõmunes quoque esse debent equites,& currus, & reliqui bellorum apparatus. Dixit tamẽ optare,vt nihil tentaretur nouum inconsulto Domino : quod licèt facere non solerent Reges Israël,ex quo decem tribus à duabus aliis dissectæ sunt : faciebant tamen,& ante discessionem Reges alij, & post illam,qui duabus aliis præfuerunt.

Vers.6. *Congregauítque Rex Israel Prophetas quadringentos.*] Hi Prophetæ non erant veri,quos spiritus afflaret diuinus,sed falsi,quos instigabat dæmon,& Baalis nefariæ religioni præfecerat.Quod facilè cognouit Iosaphat, tum ex habitu externo, in quo distinguebantur à veris, tum ex ipso sermone,modóque prophetandi,qualem in suis Prophetis nunquam audierat. Quod cùm Rex pius animaduertisset,consulendum censuit Prophetam aliquem Domini, cùm alios omnes nugatores esse sciret, & illorum sermones non solùm à bono spiritu, sed à sana mente vacuos. Caietanus dicit falsos esse Prophetas, qui à vero Deo afflatos se esse dicebant,non Baalis; sed prior sententia communior est,& verior. 3.

Hinc disce quanta fuerit Achab inconstantia,& leuitas, quanta in illum Iezabelis potestas, & imperium. Quis cùm nuper vidisset illum Eliæ vaticinio tãtopere conchussum,discidisse vestes,assumpsisse saccum,& tot exhibuisse pœnitentis animi, támque illustria documenta, non putaret nunquã redituru ad ingenium,& ad illa, quæ tam videbatur ex animo damnasse. Sed,vt vides,Prophetas consulit Baalis,quos excitarat,opinor, Iezabel,& sicut alios,de quib. suprà cap.18.v.19.regius sumptus alebat, & ab his scisciatus est de bellorum exitu responsum, quasi neque errare possent in edendis oraculis, & illorum verbis pondus inesset diuinæ fidei. Omnes hi eodem animo,& eodem instigante spíritu, fallaci videlicet, cùm ad regium palatum attemperarent oraculum, responderunt, euentum successurum ex votis;quare vrgeret profectionem,& omnia speraret euentura feliciter. 4.

Vers.7. *Non est hic Propheta Domini.*] Nihil in his Prophetis sacrum suspicabatur Rex Iuda, & illorum responsum futile putabat, & dolosum. 5.

Quare

Quare hortatur Achab, vt si quem apud se Prophetam haberet Dei, ab illo potiùs disceret, quid opus esset facto. Cui respondit Rex vnum esse apud se Michæam filium Iemla, illum tamen esse suis rationibus parum opportunum, cùm semper vaticinetur aduersa, propter quod neque sibi vnquam placuisse, neque ex vsu fore suo, atque communi cum illo de re tanta deliberare, aut illius expectare sententiam. Cùm tamen vrgeret, Michæas ascitus fuit per eunuchum, id est, atriensem famulum, ex carcere nempe, in quem suprà cap.20. ad finem coniectum esse putabamus. Eunuchi porrò illi dicuntur, qui in aula morantur Principum, illisque astant ad aulicas curas, & ad exercendum familiare mandatum. Erant quidem olim emasculati, qui gynæceis præerant, aut quibus credita erat fœminarum custodia, aut illis quoquo modo seruilem operam nauarent: quia ab illo cuirato hominum genere totus videbatur fœminarum pudor. Vnde factum est, vt nomen illud honestum, quod significat conclauis, thalamique custodes, ad exectos mares magna ex parte contractum sit, cùm tamen in illos propriè conueniat, qui Principibus assidui sunt, & cum illis agunt familiariter. Talis erat iste per quem Rex Michæam accersiuit è vinculis.

*Eunuchus propriè quid.*

6. Vers.10. *Rex autem Israel, & Iosaphat Rex Iuda sedebat vnusquisque in solio suo vestiti cultu regio.*] In cultu regio vestes significantur splendidæ, & lautæ, quæ longè absunt à vulgari cultu. Sed opinor aliquid hîc significari amplius, nempe illud regium insigne, quod qui summum obtinent in Republica locum, à reliqua multitudine distinguuntur. De variis Regum insignibus, & ornamentis vide Alexandrum lib.1. Genial. cap.28. vbi hac de re plurima. Quæ verò Regum Israelis, & Iuda fuerint tantę dignitatis insignia, coniectura sumi potest ex Ezechielis cap.21. v.26. vbi his verbis Propheta Regem Iuda è Regum maiestate deturbat. *Aufer cidarim, tolle coronam.* & Actor.cap. 12. v.21. Regiam maiestatem Herodes ostendisse videtur cùm de illo sic scribitur. *Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali.* Qualis porrò vestis illa fuerit, docet Iosephus lib.19. Antiquit. cap.7. *Processit*, inquit, *Herodes in theatrum amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radiis orientis Solis perculsa, & diuinum quemdam splendorem omittens, venerationem cum horrore excutiebat spectantibus.* Vestem Regum esse purpuream, indicat illud Cant.c.7. *Comæ tuæ sicut purpura Regum.* Et cùm sæpe audiamus in Scriptura vestes *Phrygias, varias, opus plumarium*, &c. verisimile est aliquod horum ornamentum habuisse regium cultum, quem tunc duo illi Reges in populi conspectu ad regiæ maiestatis ostentationem produxerunt.

*Regum Hebræorum qualis cultus.*

7. Vers.11. *Fecit sibi quoque Sedecias filius Chanaana cornua ferrea.*] Visitatum fuit Prophetis non solùm verbis, sed etiam Hieroglyphicis quibusdã signis futuros rerum euentus portendere, vt fecit Ieremias, Isaias, Ezechiel. qua de re suprà plura cap.21. v.35. Imitatus igitur hîc Sedecias, qui princeps videtur esse illorũ Prophetarum, finxit sibi cornua ferrea, quibus significauit duorum Regum in expugnanda Syria eam futuram esse potentiã, vt nihil sit in latissima illa prouincia, quod ad Israelis iuga non cogatur. Porrò cornua significare potẽtiã, iam antè diximus in nostris commentariis in Zachariã ad illud cap.1. *Et ecce quatuor cornua*, quibus etiam quædam regna dicuntur ventilata. Est autem metaphora sumpta ab illis animalibus, quæ

*Cornua pro potentia, & robore.*

A instructa cornib. aliis terrori sunt, qualis est Taurus, Rhinoceros, qui obuios quosque sternunt, & conficiũt. Et dum cornua profert ferrea Sedecias, cum Rhinocerote, & Tauro videtur conferre Reges Israel. Et continuata metaphora ventilanda ab his Regibus dicuntur regna, quia etiam Taurus, & Rhinoceros ventilare dicuntur cornibus pondus, quod cornutis apperũt frontib. Sic Zacharias suprà, *Hæc sunt cornua, quæ vẽtilauerunt Iudã, & Israel.*

Vers.15. *Ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus Regis.*] Hîc in Michæa errorem quidã esse putant, aut fraudem, quia ignorasse existimant, quisnam exitus in ea profectione expectaret Regem, aut cùm sciret, illũ voluisse decipere. Caietanus sentit, cùm Michæas adductus est ad B Regem, nondum accepisse diuinũ responsum, atq; ideo sensisse cum aliis, suo videlicet sensu, & felicem prædixisse rerum euentum. Deinde verò cùm adiuratus est à Rege, illustratũ fuisse à Deo, & verũ pronunciasse, ac propheticum oraculum. Abulensis q.9. non videtur hanc Caietani sententiam improbare. Theodoretus q.65. putat voluisse Michæam suspicionem illam à se depellere, propter quã odiosus erat Regi, quasi omnia optaret Regi aduersa, & ideo illi inauspicata prædiceret. Quare priùs suũ in Regem animum beneuolũ ostendit, & quod alij fecerunt, ex Syriaco bello omnia fore fortunata respõdit. At quãdo adiuratus est, & coactus à Rege, quasi inuitus omnia illa dixit inauspicata, & dura, quę à diuina illustratione didicerat.

8.

C Lyra hoc loco nihil putat affirmasse Prophetã, 9. sed optasse; quare hũc opinatur esse sensum. Vtinã ire posses, & subactis hostibus tui voti compos in patriã redire. Quæ explicatio neque Abulensi displicet, & probant Dionysius, & historia scholastica, atque Dionysius addit hanc responsionem esse ambiguam, quæ in varios sensus trahi potest, & quocunque interpreteris modo, verum habet sensum. Qualia fuerunt plurima Apollinis oracula, quæ obscura quadam amphibolia decipiebãt potius, quàm docebant interrogantes. Qualia fuisse Apollinis tradit Cicero lib.2. de diuinatione, vbi tradit Chrysippũ illius oraculis integrũ volumen impleuisse, partim falsis, partim casu veris, partim flexiloquis, & obscuris, partim ambiguis, vbi D adducit responsum illud redditum Crœso,

*Idolorum ambiguæ responsa.*

*Crœsus Halim penetrans magnã peruertet opũ vim.*

Qui verborum ambiguitate delusus traiecit Halim, & cùm hostium vim sese putaret peruersurum, peruertit suam. Et illud responsum redditum Pyrrho, quod scripsit Ennius,

*Aio te Æacida Romanos vincere posse.*

Hanc tamen sententiã optimè confutat Abulẽ- 10. sis, quia si Prophetæ verba cũ Regis interrogatione coniungas, nihil in responsione apparet ambiguũ. Licèt enim illud, *In manus Regis*, tam posset in Achab, quàm in Benadab conuenire, quia vterque Rex erat: at illud *tradet* ad Syriæ Regem aptari non poterat, quia in illius tunc erat potestate.

Mihi placet quod visum est plerisque, eo loco 11. E Prophetam locutum esse ironicè primùm, deinde propriè; quare si figuram tollas idem est sensus vtriusque loci. Est autem ironia in Scriptura sacra non infrequens. Genes.3. v.22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Et suprà cap.18. v.27. *Clamate voce maiori*, dicebat Elias insultans sacerdotibus Baal. Eccles.11. vers.9. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua.* Thren. cap.4. vers.29. *Gaude, & lætare filia Edom.* Quæ verba contraria omninò suadent, quàm propriè sonant. Sic ergo puto desuasisse potius Prophetam profectionem in Ramoth

*Ironia in Scriptura visitata.*

Galaad, quàm ſenſiſſe cum aliis falſis prophetis, & ad inauſpicatum illud bellum impuliſſe. Ita in hanc expoſitionem magis inclinant Abulenſis, Dionyſius, tenent apertè Serarius, Mariana, Vatablus, neque hîc video aliquid eſſe diſtortum, aut inueniri illa incommoda, à quibus explicationes aliæ expediri non poſſunt.

12. Verſ. 16. *Iterum, atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi, niſi quod verum eſt, in nomine Domini.*] Ex geſtu, modóque loquendi cognoſcere potuit Achab nõ id ſignificare propriè voluiſſe Prophetam, quod verba propriè ſonant; aut certè quia non præpoſuit illud quaſi legitimum, quod diuinis oraculis præfigi ſolet, *Hæc dicit Dominus*, aut ſimilia: id enim eſt loqui in nomine Domini. Quare adiurat Prophetam quàm grauiſſimè poteſt iterum, atque iterum, vt ſibi id apertè, ac verè dicat, quodcunque à Deo acceperit reſponſum. Id enim valet illud *in nomine Domini*. Quod enim diuino nomine conſignatur, id à ſe omnem falſitatis ſuſpicionem excludit. Neque enim qui legationem obit pro Deo, & eius loquitur nomine, quicquam exiſtimatur affingere voluiſſe veritati.

17. Verſ. 17. *Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorem.*] Iam citra figuram vllam loquitur Propheta, & verbis non obſcuris oſtendit, quid ex illa profectione ſperare poſſet Rex Iſrael. Significat enim moriturum Achab, ídque vt apparet, in primo congreſſu, & certaminis exordio, cùm omnis Iſrael dicatur quaſi grex fuſus, & pallabundus ſine paſtore, erraturus in montibus. Hoc verò non vidit primo loco Propheta, ſed poſt deliberationem, de qua ſtatim, quam conſecuta eſt, & Regis cædes, & exercitus diſperſa fuga.

14. *Non habent iſti Dominum: reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam.*] Hæc verba indicant extincto Rege fugandum exercitum, neque eſſe vlteriùs progreſſuram Syrorum in perſequendis hoſtibus contentionem, quare ad Regis interitum ſedato ardenti, atque exultante furore, reliqui pacificè in ſuas domos redierunt. Quod autem nunc prædicit Propheta, clangente poſtea tuba edixit præco v. 36. dicens, *Vnuſquiſque reuertatur in terram ſuam, & in ciuitatem ſuam.*

15. Verſ. 19. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei, à dextris, & à ſiniſtris.*] Accommodat ſe Deus hominum ſenſibus, qui eo modo de diuinis, quomodo de humanis iudicare ſolent. In hominibus conſultatio quædam, ac deliberatio antecedit rerum executionem. In conſultatione autem variæ proponuntur ſententiæ, quarum illa tandem eligitur, quæ omnium maximè cẽſetur opportuna. In Deo conſultatio nulla eſt, quia ille nullius indiget cõſilio. *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Neque ille, qui omnia penitus cognoſcit, habétque præſentia, dubitare poteſt aut de rerum natura, aut de conſiliorum exitu. Quare otioſa tunc eſt deliberatio, quæ dubia explorat, inutilia reſpuit, opportuna cõplectitur. Oſtendit igitur quid Dominus in cauſa Achab decreuiſſet priùs, & quo modo quæ in ipſius caput ſtatuiſſet, impleri aut voluerit, aut certè permiſerit, ídque ſymbolo ad hominum ſenſum, & cogitationem attemperato. Quia ergo voluit capitali iudicio vindicare peccata, quæ Achab poſt ſuperiorem veniam admiſiſſet, ſedere fingitur tamquam Iudex, qui de opportuna ſumendi ſupplicij ratione deliberat. Et quia Deus interdum per bonos, nonnunquam per Spiritus malos decretum in improbos homines ſupplicium exequitur, ideo ſtipatus apparuit à dextris, & à ſiniſtris frequenti ſatellitio: Hinc à dextris boni, illinc à ſiniſtris mali ſpiritus aſtabant. Hactenus decretum. Eorum verò, quæ ſequuntur, executio nimirum pœnæ, quædam à Deo decreta, nonnulla verò tantùm permiſſa ſunt, vt quòd in eo bello Syriaco periret Achab: de quo ſic Deus, aut potiùs Angelus ille, qui diuinam præſe ferebat imaginem, verſ. 19.

Verſ. 20. *Quis decipiet Achab Regem Iſrael, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad?*] Vbi duo videtur voluiſſe Dominus, & quòd deciperetur Achab, & quòd deceptus in eo caderet bello: cædem Achab Deus omninò voluit, deceptionem permiſit; ſicut alia omnia, quæ ſtatim in Regis ſupplicio contigerunt. Et quòd Spiritus mendax Prophetas in errorem induxerit, & quòd illi ad bellum illud Syriacum Regem credulum, & obſequentem impulerint. Facit ad hoc plurimum quod dixit Auguſtinus lib. 2. ad Simplicium q. 6. tom. 4. *Dixit*, inquit, *hoc Michæas Propheta quomodo fuit ſibi demonſtratum. Occulta enim res, & nimis ſecreta, ita demonſtratur Prophetis, ſicut poteſt capere ſenſus humanus, & cùm etiam rerum imaginibus in reuelationibus tamquam verbis inſtruitur.* Quomodo Deus illud velle, atque etiam præcipere dicatur, quod tantùm permittit, docent Scholaſtici in prima parte S. Thomæ. q. 19. vide ibi Gab. Vaſquez diſput. 95. cap. 10. & plures alios, quorum in Scriptura paſſim occurrunt exempla, quæ hîc referre neceſſarium non eſt: nunc explicemus ſingula. 16.

Primùm hæc viſio fuit imaginaria, ſicut pleræque aliæ in Scriptura, quales in ſomnis tam Prophetis, quàm aliis, qui longè aberant à religione, interdum oblatæ ſunt: vt Pharaoni, Nabuchodonoſori, quæ tamen veros rerum euentus portenderunt. Neque deſunt, qui putent has ſpecies rerum obiectas eſſe Prophetæ dormienti; quod fortaſſe verum, ſicut Danieli cap. 2. in nocte reuelatum eſt ſpectrum, quod viderat Nabuchodonoſor, & illius ſolutio, & iterum cap. 7. Verùm aliter communiter interpretes, vide Abulenſem q. 12. Quomodocumque hoc fuerit, hæc conſultatio tantùm fuit in Prophetæ phantaſia, qua ſignificatum eſt Propheræ deceptos alios à dæmone Prophetas, quos antè conſuluerat Achab, permittente Deo, & ipſum Achab in ſpem falſam inductum periturum, & exercitum ex Iſraelitide gente collectum, quaſi priuatum à paſtore gregem diſpergendum. 17.

Verſ. 20. *Quis decipiet Achab Regem Iſrael, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad?*] Hîc nihil indicatur aliud, quàm voluiſſe Deum permittere, vt ab aliquo deceptus Achab, cuius mortem iam antè decreuerat, in bello caderet. Quod tunc pro repetenda Ramoth aduersùs Syros adornabat. 18.

*Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter.*] Cùm varij eſſent decipiendi modi, vnum tandem illorum Dominus permiſit, quo vſus eſt ſpiritus vtique malus, qui dixit futurum ſe eſſe ſpiritum mendacem in ore Prophetarum, ita vt ipſe mentiretur, & alios quoque induceret, vt vaticinio mendaci Regi fortunatum bellorum exitum promitterent, eóque adducerent, vt quæ cogitarat de tentando bello Syrio, pertinaci conſilio perſequeretur. Philaſtius hæreſi 27. ante aduentum Chriſti verba quædam addit, quæ in textu non ſunt, quæ in eo concilio dixit ſpiritus mẽdax. 19.

*Faciam*

*Faciam me quasi Angelum lucis, & verba similia eloquar, & ducam eum in prælium, & ibi eum deseram, & sic morietur, & ait Dominus ad eum: Vade, & sic facies.* Rab. Salomon hunc spiritum animam esse putat Naboth, quæ venisse dicitur in illud concilium, vt sanguinem vlciscereturr effusum ab Achab, quod merum Rabini huius somnium optimè confutat Abulens.q.13.

20. Vers.22. *Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.*] Hîc nullum est imperium Dei, sed permissio quædam, & conniuentia, quæ in Scriptura sacra per modum imperandi explicari solent. Vt illud Christi ad Iudam Ioan.13. v.17. *Quod facis, fac citius.* Vel, vt ego potiùs reor, imperatiuus ille *egredere*, & *fac*, pro futuro ponitur, ita vt Deus significet, ita prorsus futurum, quemadmodum Spiritus ille mendax meditabatur. Quod autem imperatiuûs vicem subeat futuri, idque non infrequenter, multa probant, quorum nos hîc aliqua proferemus exempla. Genes.42. v.16. vbi vulgatus, *Vos autem eritis in vinculis.* Hebraicè est, *vos autem ligamini.* Deuteron.32. vers.49. vbi vulgatus, *Morere in monte, quem conscendens iungeris populis tuis.* Tam *morere*, quàm *iungeris*, sunt in imperatiuo, & illud *iungeris*, docet illud *morere*, explicandum esse per futurum. Neque alius potest esse sensus, cùm Deus non iusserit Moysi, vt seipsum occidat, sed tantùm prædicit illi in eodem monte esse moriendum. Genes.20. v.7. vbi vulgatus, *Orabit pro te, & viues.* & Prouerb.4. v. 4. *Custodi præcepta mea, & viues.* Hebr. est חיה *vachaiah*, id est, *viue.* In eodem ergo sensu accipio illud Prouerb.9. v.6. *Relinquite infantiam, & viuite.* Plura inuenies exempla apud Pagninum lib.3. Institutionum cap.12.

*Regvla. Præteritum pro futuro.*

21. Vers.24. *Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam.*] Hic Prophetarum omnium, quos spiritus mendacij decepit, videtur fuisse princeps, quando & cornua sumpsit ferrea, quod aliorum fecit nemo, & colaphum impegit, quod non auderet spectante principe, nisi magna apud illum, & reliquos esset authoritate. Quàm sit illa ignominia grauis, quæ prouenit à maxilla percussa, ostendimus ad illud Isai. cap.3. *Et faciem pauperum commolitis.* Vbi ostendimus tam apud Hebræos, quàm apud Hispanos maxillam alapa percussam sumi pro maxima ignominia. Tradit Iosephus lib.8. Antiq. cap.10. persuasisse hunc Sedeciam Regi Michæam non diuinum oraculum, sed suum somnium prodidisse. Neque curandum quid ille ex suo cerebro commentus fuerit: cùm Eliæ, qui maximus tunc putabatur Prophetarum, apertè contradicat. Elias enim moriturũ dixit esse Regem in agro Iezrael, non in Ramoth Galaad. Quare si cui illorum habenda fides, maiorem Eliæ haberi oportere, quàm Michææ. Deinde si Domini esset Propheta Michæas, aruisset manus, quæ illius maxillæ colaphum impegit, sicut olim manus Ieroboam, cuius Deus audaciam subita quadam ariditate mulctauit. Cum Iosepho sentiunt Magister historiæ scholasticæ, Abulensis quæst.15. Lyra, & complures alij.

*Percussa facies grauis ignominia.*

22. Vers.25. *Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum.*] De hoc dicendi modo satis multa suprà cap.20. v.30. ad illud, *In cubiculum, quod erat intra cubiculum.*

23. Vers.27. *Pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Hæc, opinor, prouerbiali specie sumuntur pro vita dura, seu pro victu parco, & insuaui, qui longam potius mortem trahat, quàm vitam sustentet, qualia hostibus captiuis suppeditare solent illi, qui eorũ vitam non breui morte, sed lenta fame consumere volunt. Hoc idem dixit Deus Isai. cap.30. v.20. *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* Aqua breuis idem est, quod aqua angustiæ & Hebraicè eædem prorsus voces.

*Aqua breuis pro angustiis.*

Vers.30. *Dixit itaque Rex Israel ad Iosaphat: Sume arma & ingredere prælium, & indue te vestibus tuis.*] Quidam hoc vrbanitati attribuunt Regis Achab, quasi primas in exercitu partes attribuere voluerit iam affini Regi Iosaphat & sociali fœdere coniuncto; vt præsit castris, & suo arbitratu rem totam bellicam moderetur. Alij suæ incolumitati hoc modo consuluisse arbitrantur Achab; quia sciebat solere in Reges, ac Imperatores totũ belli pondus incumbere, quia etiam regiũ caput aliter, atque aliter affectum, rem totam aut perdit, aut tuetur. Quare prudẽter suspicabatur Rex cautus, & timidus omnium tela fore in suum caput intenta. Neque improbabile est compertum fuisse Achab, quid suis edixisset Benadab, nempe vt omnium eô ferretur impetus, vt Rex Israel aut caperetur, aut periret omninò. Vt autem aliquo artificio intentum in se inimicorum impetum declinaret, regium splendorem reliquit Iosaphat, vulgarem, & cum gregario milite communem sibi habitum assumpsit. Quo artificio & olim plurimi, & nostra ætate non pauci inimicorum odia, atque conatus eluserunt. Neque puduit aut ignobilem induisse vestem, aut vile obiisse ministerium, dummodo aut declinarent mortem, aut seruitutem effugerent. 24.

*Principes cum vulgari habitu prælium aggressi.*

Vers.31. *Non pugnabitis contra maiorem, neque contra minorem quempiam, nisi contra Regem Israel solum.*] Quo Rex Syriæ consilio hoc suis mandatũ dederit, incertum, cùm ea de re Scriptura sileat: est tamen verisimile aut id voluisse, quod nuper dicebamus, quia aut ipse viderat, aut aliorum narratione didicerat in regio capite magna bellorum momenta consistere. Aut certè, quod mihi magis videtur esse probabile, quia eluere voluit labem proximo bello suo nomini inustã, cùm captus est, & Regi Israël potestati traditus, à quo libertatem consecutus est, & vitam, quam belli iure iam amiserat. Hanc autem ignominiam tũc existimabatur depulsurus idoneè, si Regem ipsum, in cuius ipse potestate fuerat, in suam aliquando potestatẽ redigeret; cuique vitam, & libertatem concederet, & eo modo & detergeret dedecus, & compensaret beneficium. Quòd si constaret inter vtrumque Regem, & perpetuæ amicitiæ fœdus esse compositum, satis videbatur grauis esse causa, cur in vnum Regem belli pondus intenderet, & ab illo violati fœderis pœnas exigeret. 25.

Vers.32. *Et exclamauit Iosaphat, intellexerúntque Principes curruum quòd non esset Rex Israel.*] Eô conuenerunt Principes exercitus, vbi regius splendor apparebat, quasi eo loco foret Achab; cùm autem totam aciem in se conuersam videret Iosaphat, & nihil esse propius, quàm vt sibi eriperetur anima, seipsum exclamando prodidit, cúmque illum infensæ acies viderent non esse Achab, continuerunt ab eo manus, & studium, animúmque bellandi aliò transtulerunt. 26.

Sed hîc rogabis, cur hic clamauit, aut quæ vox ista fuerit Regis Iosaphat? Varij varia cogitant. Quidam clamasse putant, vt auxilio sibi esset Rex Israel, & cum Achab nomen iterum, ac sæpius in- 27.

clamaret, cognouerunt Syri ipsum non esse Regem Israel, quem quærebant. Alij orasse dicunt, & diuinum nomen, atque auxilium imploraſſe, & ex ipso orandi genere cognouisse Syros ipsum non esse Regem Israel, qui cùm sacra complexus esset Gentilica, gentilico modo fudisset preces, non eo, qui Iudæis esset familiaris, & legitimus. Mihi magis videtur ad vsum hominum, rerúmque naturam accommodatum, vsurpasse idemtidem Syros, cùm impetum facerent in ipsum, quem putabant Regem Israël, nomen Achab, quem vnum ex omnibus maximè petebant, cùm seipsos ad illius cædem viciſſim hortarentur. His, aut similibus verbis, *Huc adeste, hic est Achab, pereat Achab, cauete ne hinc vobis elabatur Achab, Achab petite, abstinete ab aliis.* Tunc verò verisimile est exclamasse Iosaphat, & dixisse se non esse Regẽ Israël. Et facit ad hanc cõiecturã, quod vbi Vulgatus legit, *Et suspicati sunt, quòd ipse esset Rex Israel.* In Hebraico est, *Dixerũt, Rex Israël est iste.* Quomodo legitur lib. 2. Paralip. cap. 18. v. 31. Illud autẽ *dixerunt*, publicũ indicat, confusúmq; populi clamorẽ, quo milites ad opprimendũ Regẽ mutuis se clamoribus inuitãt. Quomodo dicunt Hispani cũ deprehendunt hostem, aut prædam, quam sequuntur, *Ael, ael, no se nos vaya.* Has autem voces non poterat non audire Iosaphat, cùm propè esset, & voces quæ Regem expetebant, ad mortem essent contentæ vehementer. Quare ille & negare potuit se Regem esse Israël, & vultum ostendere, quò quæ verbis significarat, reipsa confirmaret. Sed est omninò dicendum clamasse Iosaphat ad Deum, cùm vrgent hostes, & Deum illi fuisse auxiliatum vel hostilem temperando furorem, vel cohibendo manum à plaga, vel faciendo, vt duces ad imperium Benadab, in quo diuina apparet prouidentia, de vnius Achab exitio cogitarent, & nihil in Iosaphat meditarentur hostile. Hoc secundum est mihi certum ex illo 2. Paralip. cap. 18. v. 31. *Cùm vidissent Principes equitatus Iosaphat, dixerũt, Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes. At ille* (Iosaphat) *clamauit ad Dominum, & auxiliatus est ei: atque auertit eos ab illo.*

28. Vers. 34. *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel inter pulmonem, & stomachum.* ] Nihil profuit Regi Israël deposuisse regium insigne, & vestimentum adhibuisse vulgare, vt declinaret vulnus, quod timebat, & quod ex Michææ vaticinio suspicari poterat futurum esse lethale; nam telum quoddam incertum, & quasi à ludibundo sagittario proiectum, Deus qui errare ab scopo non potest, ad pectus Achab sine errore direxit, ad eam partem, in qua vulnus altiùs adactum non potest non esse mortiferum. Vbi legimus, *inter pulmonem, & stomachum*, lib. 2. Paralip. cap. 18. est, *inter ceruicem, & scapulas.* Hebraic. vtroque loco est ובין השריון ובין הדבקים *vbenha debakim, vbenha siriam.* Quod alij interpretes communiter vertunt, *inter iuncturas, & loricam.* Chaldæus, *inter iuncturas loricæ.* Quæ verba variè à variis explicantur. Quidam putant vulneratum esse Regem in inguine, vbi nimirum femur cum ventre coniungitur, quæ optimè potest appellari iunctura, & vbi loricæ, seu thoracis munimentum finitur. Quod mihi ideo non placet, quia hæc longè distant à scapulis, & ceruicibus, vbi in lib. Paralip. legimus percussum esse Regem. Quare potiùs arbitror ad illam corporis partem allapsum esse spiculum, vbi pectus cum ceruice coniungitur, & vbi à superiori parte finitur loricæ tegumentum; tunc enim verum est inter scapulas, & ceruicem, &, quod idem ferme est, inter pulmonem, & stomachum adactum esse vulnus. Hæc explicatio omnes interpretum translationes non ineptè conciliat. Licèt, vbi duæ sunt vulgatæ translationes, vbi loricæ nomen non audimus, non sit admodum de loricæ nomine, aut situ curandum. Quòd si lorica idem sit, quod pectus, quia pectus munit; sicut etiam thorax eadem ratione pectus nominatur, quia thorace tegitur, nihil ex his translationibus nouis translationi vulgatæ paratur incommodi.

29. Vers. 35. *Et Rex Israel stabat in curru suo contra Syros.* ] Licèt vulneratus esset ad mortem Achab, neque aliquid in eo statu nauare posset vtile rei bellicæ, imò neque bellantes spectare; tamen aliquid videtur meditatus prudenter, quia licèt ex acie egressus esset vulneratus, deduci tamen noluit in Samariam, sed stetit in omnium conspectu contra Syros tanquam Imperator, qui è separato loco speculatur omnia; & pro rerum opportunitate dispensat. Quod fecerunt alij tum nostro, tum antiquo sæculo, qui Imperatorum mortem celauerunt, ne alij deponerent animos: imò & ipsos, quasi viui forent, & valentes, in acie statuerunt, vt suorum confirmarent animos, & aduersariorum frangerent. Et sanè ita est, & cum suo damno experti sunt magni exercitus cadente duce omnia labascere, non solùm, quia consilium abest omne, sed quia animi cadunt, aut langueſcunt. *Imperator cadens omnium militũ animos debilitat.*

30. *Vnusquisque reuertatur in ciuitatem, & terram suam.* ] Occidit sub vesperum Achab: tunc autem à tubicine edictum est, vt ex acie omnes in suas domos reuerterentur. A quo fuerit indictus ille receptus non constat; est tamen verisimile ortum esse mandatum à Iosaphat, cuius tunc in castris erat summa auctoritas, aut ab eo, qui secundas post Regem partes obtinebat. Neque Syri videntur persecuti dispersos, quia satis habuerunt sibi sublatum esse Regem Israël, cuius præcipuè caput expetebant.

31. Vers. 38. *Lauerunt currum eius in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius.* ] Cecidisse dicitur sanguis Achab in sinum currus, vers. 35. quem cùm in piscina postero die lauissent, quibus id datum esset negotij, accesserunt canes, & linxerunt, sicut prædictum fuerat ab Elia. Quomodo autem prophetia impleta iudicari debeat, cùm non in agro Iezrael, sed prope Samariam lamberint canes sanguinem Achab, diximus suprà cap. 21. ad illud, *Canes comedent Iezabel in agro Iezrael.*

32. *Reliqua autem sermonum Achab, & vniuersa, quæ fecit, & domus eburnea, quam ædificauit, cunctarúmque vrbium, quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Israel.* ] In principio lib. 1. Regum prolegom. 1. diximus quis fuerit liber verborum dierum Regum Iuda, vel Regum Israel. Neque hîc aliquid habemus, quod insuper addamus. Sunt autem verba dierum Ephemerides, seu diariæ rationes, in quas singulorum dierum referuntur gesta. Vnde Historia Regum, & quæ in Paralipomenis digesta sunt, sumpserunt sacrorum monumentorum historici. Et tamen ibi relicta fuere non pauca, quæ citant libri Regum aliquando, & libri Paralipomenon multo frequentiùs. Ex quo constat libros *Sermones, aut verba dierũ quid.*

libros verborum dictum, quorum sæpe Scriptura meminit, à libris Paralipomenon esse diuersos. Non habemus in libris Paralipomenon vbi, aut qualis eburnea domus fuerit ab Achab ædificata: ædificatam autem fuisse negari non potest, sicut neque hoc in annales regios esse relatum. Quomodo ædificari possit domus ex ebore, diximus suprà cap. 10. ad illud, *Fecit quoque Rex Salomon thronum de ebore grandem.* Et plura super Amos cap. 3. ad illud, *Peribunt domus eburneæ.*

33. Vers. 45. *Pacémque habuit Iosaphat cum Rege Israël.*] Duxit Ioram filius Iosaphat filiam Achab, vt paulo antè diximus; illa autem affinitas nexus animorum fuit. Quare sicut cum Achab parente studium, animúmque coniunxit; sic etiam cum illius filio, qui etiam appellabatur Ioram, fœdus amicitiámque contraxit.

34. Vers. 47. *Sed & reliquias effœminatorum, quæ remanserant in diebus Asa patris eius, abstulit de terra.*] Suprà cap. 15. vers. 12. Asa dicitur immunditias illas sustulisse, quæ è Gentili commercio in Dei populum paulatim irrepserant. Qui fuerint isti effœminati, diximus suprà cap. 14. v. 24. Quorum ea fuit sub ea tempora proluuies, vt licèt Asa illorum lustra subuertere, & execrabile nomen extinguere voluerit, non tamen ita perficere potuit, quod optabat, vt non remanserint ex illo nefario grege non exiguæ reliquiæ. Quas delere omnino, & ab illa labe, atque ignominia vendicare conatus est Iosaphat; quod vt tentauit piè, sic etiam feliciter consequutus est.

35. Vers. 48. *Nec erat tunc Rex constitutus in Edom.*] Dauid Rex, vt habes lib. 2. Paralip. cap. 8. v. 14. *Posuit in Idumæa custodes, statuítque præsidium, & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid.* Quare ab eo tempore vsque ad regnum Ioram filij Iosaphat Idumæis ex Iudæorum genere præfecti præponebantur. Sub Ioram autem, vt habes lib. 4. Regum cap. 8. vers. 20. *In diebus eius* (Ioram) *recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi Regem.* Hoc autem de Edom ideo videtur commemoratum hoc loco, vt ostendatur, quo in statu foret sub Iosaphat res Iudaica, quæ statim rebellante Idumæo suæ dignitatis, atque vsus magnum suscepit detrimentum.

36. Vers. 49. *Rex verò Iosaphat fecerat classes in mari, quæ nauigarent in Ophir.*] Sequutus, vt apparet, Iosaphat Salomonis exemplum instruxit classem, quam mitteret in Ophir, vt ea inde comportaret omnia, quibus antea Salomon ornauerat Hierosolymam. Quam ad rem societatem cum illo inire voluit Ochozias Rex Israël, qui Achab paulo antè in regno successerat; neque tamen ab eo, quod optabat, obtinuit; sed omnis illius conatus excidit inanis. Cùm enim in Asiongaber, in portu videlicet maris Rubri, grauis esset coorta tempestas, fractæ sunt naues, & omninò dissoluta classis. Quid sit Ophir, quid Asiongaber, diximus suprà cap. 9. vers. 26. Neque aliquid amplius, quod huc conferri possit, inuenio.

37. Vers. 51. *Dormiuítque Iosaphat cum patribus suis.*] Quæ reliqua sunt ad finem vsque capitis, explicatione non indigent: neque aliud continent, quam mortem, & sepulturam Iosaphat, & quàm se gesserit impiè Rex Ochozias, qui pro Achab parente in regnum Israël suffectus est; cuius fuit vt regij nominis, sic etiam impietatis legitimus hæres. Quidam sepultum esse putant Iosaphat in quadam valle, quæ ab eius tumulo dicta existimatur vallis Iosaphat; de qua Ioel. c. 3. Quod hic locus facilè confutat, qui sepultum dicit Iosaphat in ciuitate Dauid cum patribus suis. Cur hæc vallis dicta sit Iosaphat, diximus in citatum locum Ioelis: neque hîc occurrit aliquid, quod adiicere magnum videatur habere operæpretium. Plura traduntur de Iosaphat lib. 2. Paralip. à cap. 17. ad cap. 21. quæ nos, vbi eô ventum fuerit, explicabimus.

*Iosaphat mors.*

*Vallis Iosaphat qua.*

---

## *Externa, quæ in tempus huius Tertij libri inciderunt.*

TOtus hic liber, qui extrema continet Dauidis gesta, & quinque Regum ad mortem vsque Iosaphat, annos continet 126. quos ita colligo. Salomon regnauit annos 40. lib. 4. Reg. c. 11. Roboam annos 17. 3. Reg. cap. 14. Abias 3. 3. Reg. cap. 15. Assa 41. 3. Reg. 15. Iosaphat 25. 3. Reg. 22. qui anni summam complent, quam suprà produximus. Sumpsit liber iste exordium ab exordio regni Salomonis, seu potiùs ab extrema ætate Dauidis. Quo anno mundi incertum, cùm ratio temporum vsque adeò sit incerta, vt in eorum calculo nemo ferè cum altero consentiat. Quidam iniisse regnum Salomonem arbitrantur anno ab orbe condito 3023. ita Torniellus. Quidam 3150. ita Genebrardus in Chronicis. Eusebius item in Chronico 4160. Galarza lib. 7. Institut. Euangel. cap. 7. 2930. vbi quartam mundi partem, quæ cœpit à Dauidis regno, exordium duxisse dicit ab anno mundi 2890. quòd si his 40. annos addas, quibus regno præfuit Dauid, in annum 2930. in curriisse imperij Salomonis exordium. Ex his sententiis tu illam elige, quam malueris; neque enim ego in tanta, & temporum confusione, & auctorum varietate aut affirmare quicquam, aut improbare audeo; maximè cùm ad eam rem statuendam nullum appareat graue in Scriptura sacra fundamentum.

In Salomonis ætatem incurrerunt ex profanis apud Athenienses Agastus Rex secundus, & Archippus tertius. Apud Assyrios Eupales trigesimus, & Lasthenes trigesimus primus Rex. Apud Lacedæmones Argis Rex secundus, & Archestratus tertius, & Labotes quartus. Apud Corinthios Ixion, & Agilaus. Apud Romanos Alba Syluius sextus Latinorum Rex. Hæc ex Eusebio in Chronico. Eusebius idem lib. 10. Præparat. Euangel. cap. 3. sub hæc tempora floruisse tradit viros quosdam aut musica, aut poëtica facultate clarissimos, quales fuerunt Homerus, Linus, Thamyras, Amphion, Orpheus, & alij, qui suis aut factis, aut commentis poëtarum fabulas impleuerunt, quod etiam in Chronicis probat Genebrardus: quod mihi difficile est, si ante hoc tempus statuamus excidium Troianum contigisse. Sed vt hæc tempora fabulosa fuerunt, ita etiam non est mirum, si hæc omnia, cùm plurimum habeant fabularum admixtum, variis sint à variis scripta temporibus.

Sub Roboam diuisum est imperium Israëliticum

cum cuius decem sibi partes assumpsit Ieroboam filius Nabath, qui fuit primus Rex Israël. Quo tempore regnarunt apud Assyrios Laosthenes, apud Lacedæmones Doristhus, apud Ægyptios Smendis, & Sesac, qui & Suchim dicitur ab Eusebio, hunc Herodotus Scheſtim appellat, vt docet Iosephus lib. 8. cap. 4. Apud Athenienses Therſippus, apud Corinthios Tryminas, apud Latinos Syluius Athis. Hæc ex Eusebio in Chronico. Iidem Reges floruerunt sub Abia, qui tribus tantùm annis regnauit.

Sub Asa regnarunt in Israël Reges septem, Ieroboam, Nadab, Basa, Ela, Zambri, Ambri, Achab. In Assyria Priuades, & Orphratæus, in Lacedæmonia Agesilaus. In Ægypto Pseusenseus. Athenis Phorbas, Corinthi Bacis, seu Barcis. Apud Latinos Capis Syluius, & alter Syluius A Capis filius. Ita ferme Eusebius in Chronicis.

Sub Iosaphat regnarunt in Israël Achab, & Ochozias illius filius. In Assyria Orphratanes. In Lacedæmonia Archelaus, Athenis Mecades, Corinthi Agelas. Apud Latinos Capetus Syluius, & Tiberinus Syluinus, qui fluuio Tibri nomẽ dedit, cùm priùs vocaretur Albula; & Agrippa Syluius. In Ægypto Nepher Cheres, Amenophis, Osochor, Spinaces. Ita ferè Eusebius in Chronicis. Alia ab aliis adduntur plurima, quæ minus certa sunt, & illa accuratiùs explorare longi esset negotij, & non valde ad interpretis institutum; quare prudens ab illis abstineo, hæc strictim attigisse contentus. Explicit liber tertius Regum. Absolutus est in Iesu. Montana domo die 16. Septembris. Anno 1621.

IN

# IN LIBRVM IIII. REGVM COMMENTARII.

## IN CAP. I. LIB. IV. REGVM

### *ARGVMENTVM.*

*MORTVO parenti Achab in regnum Iſraël ſucceſſit filius Ochozias, neque diu poſtquam regnum adiit (duobus enim tantùm regnauit annis) ex caſu quodam de loco ſublimi grauiter afflictus legatos miſit, qui de morbo Deum Acharonitarum conſulerent. Quibus occurrit Elias admonitus ab Angelo, denuntiátque Regi breuem interitum, quia cùm Deum haberet in Iſraël, ab alienis diis ſciſcitaretur oracula. Audit Rex Eliæ reſponſum, & illum miſſo cum ſua cohorte quinquagenario ad ſe adduci iubet; ſed miſſo cælitùs igne manus illa militum abſumpta eſt. Quod etiam accidit ſecundò; accidiſſet tertiò, niſi qui tertiò miſſus eſt quinquagenarius, ſupplex oraſſet Prophetam, ne tam in ſuum caput eſſet ſeuerus, ſicut in aliorum militum caput antè fuiſſet. Quod fecit Elias, admonitus tamen priùs ab Angelo, ne quid timeret ab Ochozia, & cum quinquagenario tertio tandem deſcendit, denuntiátque Regi, id quod per legatos antè prædixerat. Neque Propheticis minis pondus defuit, non enim deſcendit è lecto niſi mortuus. Et cùm filium ſuſcepiſſet nullum, quem tanti Imperij relinqueret hæredem, illius loco Ioram frater in regno ſuffectus eſt.*

### CAPVT PRIMVM.

A

1. PRæuaricatus eſt autem Moab in Iſraël poſtquam mortuus eſt Achab.

2. Cecidítque Ochoſias per cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit: miſitque nuncios, dicens ad eos: Ite, conſulite Beelzebub deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac.

3. Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & aſcende in occurſum nunciorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſraël, vt eatis ad conſulendum Beelzebub deum Accaron?

4. Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris. Et abiit Elias.

5. Reuerſíque ſunt nuncij ad Ochoſiam. Qui dixit eis: Quare reuerſi eſtis?

6. At illi reſponderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & reuertimini ad regem, qui miſit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Iſraël, mittis vt conſulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.

7. Qui dixit eis: Cuius figuræ & habitus eſt vir ille, qui occurrit vobis, & locutus eſt verba hæc?

8. At illi dixerunt: Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites eſt.

B

9. Miſitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant ſub eo. Qui aſcendit ad eum: ſedentíque in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit vt deſcendas.

10. Reſpondénſque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cælo,

&

& deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.

11. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende.

12. Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, & deuorauit illum, & quinquaginta eius.

13. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cùm veniſſet, curuauit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum qui mecum sunt.

14. Ecce descendit ignis de cælo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro vt miserearis animæ meæ.

15. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem.

16. Et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

17. Mortuus est ergo iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & regnauit Ioram frater eius pro eo, anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iudæ: non enim habebat filium.

18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël.

---

# IN CAP. I. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

Vers. 1. *Præuaricatus est autem Moab in Israël, postquam mortuus est Achab.*]

*Libri Regum quo ordine digesti.*

1. HEBRÆI aliter, ac nos, hos Regum libros diuiserunt, duos hosce posteriores congerunt in vnum, & *librum Regum* appellarunt. Latini in duos distraxerunt, in eos videlicet, quos nos tertium, & quartum appellamus. Reliqui, vt constat, tunc suum habent finem, quando magna fieri videtur rerum inclinatio. Primus cùm Saule defuncto, réque Israëlitica vehementer afflicta, ad Dauidem translatum est regnum, quod sub eo Rege magnum accepit incrementum. Secundus cùm ab illo transiit ad Salomonem filium, qui constructo templo, magno rem patriam nobilitauit ornamento. Tertius cùm labi cœpit Israëlis potentia, & à Regibus externis malè iactari. Cùm enim Achab malè fuisset à Syrorum exercitu vexatus, Reges, qui aliquando à Dauide domiti Israëlitico iugo ceruices submiserant, excusserunt illud, & impositum sibi imperium detrectauerunt: ac tandem eô deducta est gens antè florentissima, vt quæ externis populis imperabat, & ab illis stata tributa exigebat, ipsa externorum subiret imperium, & illis mutata rerum vicissitudine vectigalia penderet. Quod decem tribus priùs Assyriis, deinde duæ soluerunt Babyloniis. Incipit
2. ergo liber quartus à defectione Moabitarum, qui cùm antea Israëlis Regibus ex pacto seruirent, nunc cùm illorum viderent fractam esse potentiam, à data fide, & fœdere religiosè concepto defecerunt. Quod autem fuerit Moabitis à Dauide impositum tributum, dicemus cap. 3. vbi hac de re commodior erit disputatio. Nunc satis sit notasse Moabitas, Idumæos, & plures alias gentes fuisse à Dauide subiugatos, vt liquet lib. 2. cap. 8. Cúmque postea diuiso regno regiones vectigales forent diuisæ, Israëlis Regibus Moabitæ, & Regibus Iuda Idumæi indicta à Dauide vectigalia pendebant. Et sicut nunc Moabitæ ne Israëlitis, sic etiam cap. 8. Idumæi ne Iudæis vectigalia soluerent, rebellarunt.

Vers. 2. *Cecidítque Ochozias per cancellos cœnaculi sui.*] Incipit iam, vt prædictum fuerat à Propheta, impij Achab exagitari posteritas. Neque enim hoc loco sine causa ponitur, quæ intempestiua videri poterat, Moabiticæ defectionis commemoratio. Accidit autem vt Ochozias, qui vix dum regnũ inierat à parente relictum, ex cœnaculo, id est, ex sublimi domus parte laberetur, & eo casu corpus grauiter affligeret. Cœnaculum pars est domus sublimior, nẽpe proxima tecto, quæ est summum totius domus tabulatum, vt habet frequens Latinorum vsus. Aut certè locus est supremus, & apertus, qui solarium dicitur, aut doma, in quo homines deambulare solent, & liberiùs cœlum intueri: quod in Euangelio sæpe tectum appellatur. Neque enim, vt obseruat Hieronymus epist. 135. ad Suniam, & Fretellam, in Palæstina eo modo construuntur domus, quo apud Hispanos, & Italos, & in Europa frequentiùs. *In Palæstina*, inquit, *& Ægypto, & vbi scripti sunt diuini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria, vel mœniana vocant, id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur, & in Actibus Apostolorum cap. 10. quando Petrus ascendit in doma, in tectum ædificij ascendisse credendus est.* Et hoc

*Cœnaculũ quid.*

3.

postre

postremum confirmat vox Hebraica עלית *aliah*, & Græca ὑπερῷον. Neque cancellorum nomen huic expositioni quicquam incommodat: nam in extrema tectorum parte, quæ ruinæ patet eorum, qui minùs in tecto cautè deambulant, circumduci iubentur Deuteron. cap. 22. vers.8. muri, qui sunt quasi loricæ, qui incautos vendicant à lapsu. Hi autem muri, seu loricæ ad dignitatem regiæ, atque elegantis, & cancellatæ domus esse solent, & in varias formas perforatæ. Sic autem eo Deuteron. loco. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.* Hanc explicationem non videtur probare Dionysius, & Abulensis quæst. 3. & Hugo, qui cancellos esse dicunt apodiamenta. Alij cancellatas putant cubiculi fenestras, & ex illis lapsum Ochoziam. Ita Pagninus, qui ita reddidit. *Cecidit ex cancellis in cœnaculum.* Quam translationem probat Vatablus, dum dicit deambulasse Ochoziam in tecto, vel solario, & per cancellatam fenestram, per quam ex tecto lumen in subiectum admittebatur cœnaculum, decidisse. Qui cancelli ideo dicuntur esse cœnaculi, quia illius causa in supremo tecto facti fuerunt.

*Loricæ in tecto.*

5. *Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, vtrùm viuere queam.* ] Solere diabolum per muta simulacra reddere responsum, non solùm profanæ, sed etiam sacræ historiæ produnt. Quare Gentiles suos consulebant Deos non infrequenter, à quibus accipiebant oracula; ita tamen obscura, vt oraculorum alia rursus oracula essent necessaria, quæ effusas menti tenebras excuterent; & sic ambigua, vt in varias explicationes trahi possent. Vt optimè Cicero de diuinatione lib.2. & nos suprà lib. 3. cap. vltimo. Hinc sibi Apollo maximus Gentilium vates λοξίας appellatus propter ambigua, obliqua, & tortuosa responsa. Existimatur autem Ochozias inductus à Iezabele matre Beelzebub, quem familiarem Deum habuit Accaron, consuluisse potius, quàm verum Deum, quem, cum sanæ mentis esset, consuluit Israël.

*Qualia Gentilium oracula.*

*Beelzebub quis.*

6. Erat autem Beelzebub sic Gentilium nobilitatus insania, vt princeps crederetur Dæmoniorum, vt audimus Matth. 12. Luc. cap. 11. *In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* Beelzebub porrò idem sonat, quod *Deus musca, vel Deus muscarum.* Vnde hoc habuerit nomen, incertum est. Quidam putant hoc nomen illi datum esse, quia muscas auertit, quæ infestæ sunt, & sordidæ bestiolæ, sicut Apollo, quemadmodum tradit Pausanias in Atticis, Parnopius appellatur, quia parnopas, id est, culices, seu, vt alij volunt, locustas auertit ex Atticis finibus; & idem Smintheus, quia mures occidit: Cretenses enim mures, Smynthas vocant. Fuit quidem apud Gentiles Deus quidam, cuius illud erat negotium aut solum, aut maximum, vt muscas arceret, qui Myiagrus dicitur, de quo Pausanias in Arcadicis. Eumdem, opinor, Plinius lib. 29. cap. 6. Myiodem vocat, & lib. 8. cap. 29. Achorem: fortasse quia in Accarone colitur, & quia communiter Deus nominatur Accaronis. Fortasse iste Deus Accaronitis idem est, qui aliis Gentilium populis Iupiter: Hic enim etiam abigere existimatur muscas, & ideo ἀπομυῖος vocatur, id est, muscarum auersor, vt auctor est Pausanias. Vide Lilium Gyraldum syntagmate 2. in Ioue. Quare cùm Iupiter primus dicatur deorum omnium, nihil mirum si muscarum Deus Beelzebub dicatur princeps Dæmoniorum.

*Beelzebub cur dictus princeps Dæmoniorum.*

7. Hanc esse puto nominis rationem expeditam, & promptam. Quod etiam tenet Salmeron tom. 6. in Matth. tract. 25. & Vatablus. Alij Beelzebub appellari putant, quia in ipsius sacrificiis magna conuolabant muscarum agmina; in Accarone præcipuè, quæ regio est littoralis, & maritima, vbi maior esse solet muscarum copia. Alij *Deum muscam* exponunt, quia in muscæ similitudinem expressus est. Neque hoc cuiquam mirum videri debet, cùm alia non minùs vilia, atque indecora Gentibus esse soleant pro numine. Talpis, & vespertilionibus à Gentilibus diuinum fuisse honorem impensum, habes apud Isaiam c.2. vbi nos diximus alias immundas, obscœnásque bestiolas apud gentes habuisse deorum nomen, & pondus. Quod videtur sensisse Nazianzenus oratione 4. in Iulianum, vbi cùm diceret nullum iam diuinum honorem habendum esse gentium diis, de Accaronitis dixit in hunc locum intentus, vt notauit eius Scholiastes Elias. *Non iam* (ait Nazianzenus) *fatuum imperare iubebunt, hoc est, idolorum agmen motus, & sensus expers, nec muscam quærent deum Accaron, aut si quid ea magis est ridiculum.* Idem Theodoretus quæst. 3. in qua tamen pro Accaronitis Moabitas adhibuit, *Defienda est*, inquit, *Moabitarum amentia; non solùm enim in Deos referebant maxima animalia, sed etiam minima, & vilissima, & odiosa. Quid enim est musca odiosius? Sed tamen, & eius simulacrum Deum dixerũt, & Deo, qui verè est Deus, relicto, muscæ simulacrum de vita sciscitabantur, & quam viuentem flabellis expellunt, eius figuram Deum appellarunt.* Sed placet magis Beelzebub auersorem esse muscarum, quia aliquod putatur Deo dignum esse beneficium, si homines auctore Deo à muscarum molestia liberentur. Et quamuis nonnunquam aliqui tamquam dij colantur, placentúrque muneribus, ne noceant, quales sunt Fauni, & qui dicuntur subire, atque inflare corpora, & illi denique, quos non tam obseruantia, & amor, quàm odium, & metus in deorum sensum retulere. De quibus Satyricus:

*Primus in vrbe Deos fecit timor.*

Tamen sæpius à beneficiorum opinione homines apud Gentiles deorum nomen consecuti sunt.

8. *Obscœna idolorum, & ridicula species.*

Vers. 3. *Nunquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub.* ] Tulit Deus grauiter despici se, & in suo populo, & tot iam nominibus suo alienos quæri Deos, & ab eo rogari responsa, qui nihil nisi nugas effutiret, & sub oraculorum nomine mera mendacia, cuique sordidum muscarum nomen certam notam, & appellationem indidisset. Quare per Angelum præcepit Eliæ, vt nunciis occurrat Regis Israël, qui Dei, & Prophetæ nomine illi denuncient pro tam væsano, atque inuerecundo consilio, non descensurum à lecto, in quo tunc ægrotus decumbebat, nisi mortuus ad tumulum, futurus alioqui, vt verba Domini significant, incolumis, nisi vero Deo contempto, gentilico more externa consuleret non tam oracula, quàm ab omni veritate vacua commenta. Quod putat Abulensis quæst. 11.

9.

Vers. 4. *Et abiit Elias.* ] Nempe vnde venerat, ad montem videlicet Carmeli, vbi, vt putat Abulensis quæst. 6. frequèns illi erat commoratio, & vnde sicut priùs imbrem ad irrigandam iam dudum terram sitientem; sic etiam modò de cœlo impetrauit à Domino ignem, quo missi à Rege milites conflagrarent.

10.

Vers. 8. *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus.* ] Hic erat habitus Eliæ, pilosus ideo dici potest, quia vestitus erat hirsutis pellibus, quales eo tempore viros solitarios gestasse verisimile est, qui

11. *Cur Elias dictus pilosus.*

qui vrbanas delicias, atque munditias, neque quærunt ipsi, nec accipiunt oblatas; sed quemadmodum obuios comedunt cibos, & sycomoros, mel, & si quid aliud vltrò fundit terra; sic etiam illis vruntur vestibus, quas facile ipsi sibi parare possunt, & rudi quadam arte, facilique negotio consuere. Qualem habuit amictum Ioannes, qui Matth. 3. cap. 4. indutus dicitur *vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos*
12. *suos.* Et ideo fortasse Elias appellatur à Christo, & iterum venisse in virtute Eliæ; tum quia neque Herodis maiestate deterritus est, quominus illum increparet audacter, sicut Elias priùs Achab, & nunc illius filium Ochoziam; tum etiam, quia eodem, quo ille, vtebatur indumento. Quæ sententia mihi potior est, & omnino vera, quam tenet Abulensis quæst. 15. Lyra, Dionysius, & Cassianus de instit. lib. 1. cap. 2. Ioannes Episcopus Hierosolymitanus cap. 37. Theodoretus quæst. 8. pallium Eliæ pellem vocat ouinam. Neque aliud videtur à Paulo proponi Hebr. cap. 11. cùm de antiquis viris sanctis dixit, *Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis.* Quod cum Chrysostomo sentiunt ferme omnes tam antiqui, quàm recentiores interpretes. Porrò melota non solùm est animalium pellis, seu exuuium naturali villo hispidum, sed etiam indumentum ex camelorum, seu ex caprarum pilis rudi opere contextum, quale Ioannes Baptista induit, qui non ex pellibus, sed ex pilis camelorum tegumentum habuisse traditur. Fieri autem potuit, vt ex caprina pelle, eáque villosa vestem habuerit intimam. Deinde pallium, quod postea tradidit Elisæo è pilis camelorum, aut caprarum textile: à quibus vocatus est pilosus non tam à suis, quàm ab alienis pilis. Quod indumenti genus idoneum est, & familiare illis, qui duram agunt, & agrestem vitam, qui sub dio viuunt, qui humi cubant cœlorum temporúmque iniurias excipere parati. Ita Philo lib. de victimis in principio. *Ex caprarũ*, inquit, *pilis, ac tergoribus contextis, consutísque fiunt penulæ viatoriæ, velaminaque militibus, & aliis, quos necessitas aliqua cogit extra vrbes sub diuo degere.*

*Cur Ioannes vocatus Elias.*

*Melota quid.*

13. Hæc mihi explicatio potior, quia communior, magísque Scripturæ, atque sylvestrium hominum, quíque vitam agunt in solitudine instituto consentaneam. Quod præter Pauli interpretes, ad citatum Pauli locum tenet Gregorius Nyssenus, cuius verba statim subiiciam in oratione de laudibus Basilij fratris. Nihilo tamen minus non displicet, quod visus est aliis, pilosum etiam fuisse, & hispidum Eliam à naturali, prolixóque pilo, quod visum est Hieronymo tom. 4. ad illud Ezech. cap. 35. *Et factus est sermo*, vbi cùm *Seir*, quod *pilosum* sonat, & est nomen Esau, in malam partem accepisset, statim subiicit: *Quòd si prudens lector opposuerit, quo modo in isto loco Seir, id est, hispidus, & pilosus intelligatur in malam partem, cùm Elias quoque vir pilosus dictus sit, breuiter respondebo. De Esau scriptum esse quòd rufus fuerit, & quasi pelle hispidus: de Elia verò quòd vir tantùm pilosus: in Esau, qui sanguinarius, & cruentus pelli hispidæ comparatur, mortalium operum, & ipsius mortis indicium est: in Elia virilitatis argumentum. Quamobrem, & habitatio eius in solitudine, & conuersationis asperitas non solum virum, sed & virum fortissimum demonstrabat.* Idem putat Caietanus; neque ex rerum natura leue sumitur argumentum, nam ita ferè contingit, vt qui nudi incedunt, illi villoso sint, & hirsuto corpore, vt obseruauit Abulensis q. 14. Et nos ex antiquis historiis didicimus, in quibus viri solitarij, qui vt belluarum more nudo corpore vitam agunt sylvestrem, sic etiam illarum more pilosi sunt, & hirsuto corpore; neque aliam ob causam excreuisse dicitur in Nabuchodonosore pilorum sylua, nisi quia in regione percalida diu vixit nudus.

*Esau, & Elias pilosi, dissimiles tamen.*

*Solitarij pilosi.*

Verumtamen si à naturali pilo villosum statuamus Eliam, non puto esse ab illa corporis constitutione, quæ homines reddit hirsutos, & intectos villis belluarum more: hi etenim stupido plerumque sunt, & barbaro ingenio, qualis Polyphemus esse fingitur, quem de se Ouidius loquentem facit lib. 13. Met. 14. *Pilosi frequenter stupidi.*

——— *Coma plurima toruos*
*Prominet in vultus, humerosque, vt lucus obumbrat.*
*Nec mea quod duris horrent densissima setis*
*Corpora turpe puta.*

Aut qualis Cacus, de quo Virgilius lib. 8. Æneid. *villosaque setis pectora.* Neque sine causa, vt opinor, Esau homo stolido ingenio, agresti, & barbaro, quíque agrestia magis meditabatur, quàm vrbana, villosus esse dicitur, & hirsutus. Exístimo igitur Eliam potiùs pilosum appellari, quia cùm vitam profiteretur non vrbanam, & delicatam, & cultam, sed solitariam, & asperam, qualem Eremitæ, & qui cœlestia meditantur, instituunt, sinebat excrescere cæsariem, & barbam, quas cùm prolixas haberet, & horridas, pilosus optimè ab Ochoziæ nunciis vocari potuit, qui videre honestè nihil poterant, præter capillos, & barbam. Quod putant omnes ferme, qui à naturali pilo, pilosum appellari putant. Hugo Emanuel Sa, & antiqua translatio Hispanica, quæ ita reddit, *Home auiente cabellos.* Quod etiam dixit Gregorius Nyssenus de laudibus Basilij, vbi cùm illum priùs dixisset caprinis indutum fuisse pellibus, statim illi prolixum capillitium attribuit. Cuius verba hîc referre libuit, quæ optimè nobis Eliæ proponunt, & verè pœnitentis effigiem. *Cùm Achab*, inquit, *traxisset populum ad idololatriam, exhibet Deus Eliam ad curandum populum, virum qui curationem, & cultum corporis despiceret: facie squallente, qua multitudine suorum crinium obumbraretur: qui peculiari modo viuendi vteretur, aspectu venerando, vultu tristi, ac risus experti, obtutu oculorum recto, & eôdem, quò intendissent vergenti: pelle caprina tantum de corpore tegentem, quantum abscondi decorum erat, reliqua corporis ad aera perdurantem, & nihil curantem vel æstus, vel frigoris iniquitatem.*

15. *Vnde Elias pilosus.*

*Et zona pellicea accinctus.* ] Sicut vestem habuit interiorem è caprina pelle, siue ex alterius animalis spolio, non erasis villis, vt nuper putabamus verisimile, sic etiam zonam, seu cingulum habuit non ex depilata pelle, in qua nonnihil esset elegantiæ, sed adhuc villosa; atque ideo non coriacea dicitur, sed pellicea, quia in corio aliquid videmus arte politum, atque perfectum, in pelle nihil, nisi quod à natura habuit, antequam illam deposuisset animal. 16.

Vers. 9. *Misitque quinquagenarium principem & quinquaginta, qui erant sub eo.* Quemadmodum in militari ordine quidam sunt, qui præsunt decem, & isti decuriones vocantur, alij qui centum, aut mille, qui centuriones, aut chiliarchi dicuntur; sic etiam sunt, qui quinquaginta præficiuntur militibus, quos quinquagenarios, aut Pentacontarchos appellamus. Ex quo ordine vnum cum subiecta sibi cohorte misit Ochozias, vt Eliam, à quo tam durum vaticinium acceperat, seu accerserent volentem, seu raperent inuitum. Quo animo afferri ad se Prophetam iusserit Ochozias, non est adeò certum. Quidam non vt hostem 17.

ſtem aduocari putant, vt pœnas daret liberioris linguæ,& audacis vaticinij, ſed vt patronum haberet,per quem impetraret à Domino,vt vel aboleret prorſus propheticas minas, vel ſaltem aliquid de vaticinij acerbitate remitteret. Atque ideo miſſam eſſe cohortem illam,non vt reluctantem cum ignominia traherent,ſed potiùs vt ſtipatum nobili comitatu cum dignitate deducerent. Hanc ſententiam magis probat Abulenſis q.17. Sed alia ſententia magis eſt communis,quam tuetur Lyra,Dionyſius,Magiſter hiſtorię ſcholaſticę. Hugo, & apertè Ioſephus lib.9. Ant.c.1. vbi hoc dicit,cohortem illam habuiſſe mandatum ab Ochozia, vt ſi ille lubens venire nollet, traheretur inuitus, & hoc quinquagenarium aperuiſſe Prophetæ.Et quidem non videtur Iezabel,quæ,vt par eſt, non recedebat ab ægrotante filio, ſic animata in Eliam,quem tanto ſtudio ad mortem antè quęſierat,vt illum honeſtè à regio ſatellitio comitatum deduci pateretur. Neque ſi eo animo ad Eliã profecti forent milites, videbantur digni, quos cœleſte conſumeret incendium. Quare dicendum puto inſtigatum à Iezabele filium iuſſiſſe pertrahi ligatum Eliam,vt pœnas Iezabeli,ac Regi tum de nouo procacíque vaticinio daret;tum de Prophetarum Baalis tam copioſa cæde, quam memori in animo aſſiduè verſabat Iezabel.

18. *Homo Dei Rex præcepit,vt deſcendas.* ]Sedebat in montis vertice Propheta, quò ſine magno labore aſcendere cum ſuis quinquagenarius ille non poterat.Quare quò ab illa liberetur moleſtia iubet,vt deſcendat;additis tamen minis,vt putat Ioſephus, niſi regiis mandatis vltrò obſequatur. Neque parum ad hunc ſenſum facit illud *præcipit*, quod nõ obſequium indicat, & obſeruantiam, qualem habere debet, qui ab alio patrocinium, aut conſiliũ rogat,ſed imperium,quod ſi detrectet alius,minas ſecum, & indignationem importat. Cùm autem eumdem quinquagenarius,cum quinquaginta ſuis animum attuliſſet, quem Dominum ſuum in Eliã habuiſſe cognouerant, nempe offenſionis plenum, & deſpumantem iras, deſcendere iubet imperiosè Prophetam, additis minis ſi contrà faxit, & cum irriſione vocans hominem Dei, quaſi dicat nihil abeſſe ab illo magis, quàm diuini honoris obſeruantiam,& ſtudium,& eſſe potiùs nugatorem,veteratorem, & religioſæ diſciplinæ labem, cùm ab illo tot Prophetarum religioſum cœtum extinctum viderent.

19. Verſ.10. *Si homo Dei ſum,deſcendat ignis de cœlo.*] Intellexit Elias,& Regis animũ,& militum ſtudiũ illi conſentaneum, & omnes graui aliquo dignos eſſe ſupplicio, qui vt ſe patronos profiterentur Baal,quorum Elias occiderat Prophetas, & Beelzebub,cuius proximè damnarat oracula,& Regiæ & matris Iezabelis, qui ſe à Prophetæ libertate perſtrictos dolebant, in illum inflammato ferebãtur odio.Cognouit item(vt Lyra,Dionyſius, Hugo,Emanuel Sa,& Caietanus docent)illud, *Homo Dei*, non tam à quinquagenario dictum eſſe ſeriò, quàm ironicè:neque enim alio ſenſu tam honeſta illa ſalutatio enunciari poſſe videbatur ab idololatra, & qui animo eſſet in Eliam infenſo. Cùm autem reuelatum eſſet à Deo Prophetæ,vt multis docet Abulenſis q. 19.quinquagenarium cum ſuis dignum eſſe morte,atque eo tempore inflicto cœlitus ſupplicio periturum, ac tandem inſpiratum, vt ignem de cœlo ad illorum omnium interitum euocaret,fecit hoc non tam ſuo inſtinctus ſpiritu, quàm diuino,quod ſatis Dominus probauit, cùm ſtatim cohors illa cœleſti conflagrauit incendio. Quod ſanè Deus non feciſſet tam prompto, hor-

*Elias irriſus à quinquagenario.*

ribilíque ſucceſſu, niſi ad illius aures grata acceſſiſſet Eliæ deprecatio.

Voluit autem Deus hoc loco oſtendere, quàm amaret impensè, & quo in numero,& pretio haberet Eliam, cùm ad illius preces immittere voluit,& ſedare malum. Nam cùm vexare ſtatuiſſet Iſraeliticum regnum, repreſſâ pluuia triennali fame,id fecit non ignorante populo ad preces, & propè dixerim, ad imperium Eliæ ſuprà cap.17. *Viuit Dominus*, &c.*ſi erit annis his ros,& pluuia,niſi iuxta verba oris mei.* Et cùm exacto triennio pluuiam tandem largiri decreuiſſet, id voluit ſcire omnes Elię precibus eſſe conceſſum cap.18.*Factũ eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio,dicens:Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ.* Sic etiam nunc cùm hoſce milites idololatras,quíque idem ſentirent, & vellent, quod impius Ochozias,& Iezabel ſceleſta, ſtatuiſſet Deus igne comburere cœleſti;expectauit tamen, imò,& inſpirauit Eliæ preces,vt magis illum timerent,& obſeruarent idololatræ, cùm viderent Eliæ ſiue minas,ſiue preces tam eſſe potentes. 20. *Eliæ quanta à Deo poteſtas data.*

At dicet aliquis ſpiritum Eliæ improbatum à Chriſto,cùm Lucæ cap.15.v.54.reprehendit duos Apoſtolos,quando dixerunt offenſi Samaritanorũ inurbana inclementia, *Domine vis dicimus,vt ignis deſcendat de cœlo,& conſumat illos*( ad ſimilitudinem nempe, & exemplum Eliæ ) *& conuerſus increpauit illos,dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* Sed, vt bene notat Abul.q.19. non erat idem ſpiritus Apoſtolorum,qui Eliæ:Apoſtoli enim vindictam aſpirabant, & cædem, quam nolebat Chriſtus, *qui non venit animas perdere,ſed ſaluare.* At Elias id petebat, optabátque, quod reuelante ſpiritu Deo placere cognouerat;imò, vt ea oraret in mãdatis habebat, nihil de vindicta cogitabat, aut meditabatur aliquid indignum eo, quo intus afflabatur ſpiritu. Eo prorſus modo, quo Apoſtolus Petrus mortem eſt imprecatus Ananiæ.In verbis autem quinquagenarij aliqua etiam apparebat diuini nominis irriſio;quaſi diceret,*homo Dei*,illius,inquam, Dei,in quo nihil eſt diuinum,ſed tantùm inanis quædam vmbra,& ſonus vacuus diuini nominis.Quæ blaſphemia,cuius ſenſus non latebat Eliam, igné exigebat,aut etiam fulmen vibratum è cœlo. De quo Eccl.c.49.v.3.*Verbo Domini*(id eſt,iuſſus à Domino ſeu interpoſita diuini nominis maieſtate, & virtute ) *continuit cœlum,& deiecit de cœlo ignem ter.*Et ideo fortaſſe ad illam impiam vocem attentus dicit Propheta:*Si homoDei ſum,deſcendat ignis de cœlo.* ac ſi diceret, Vos me illius Dei ſeruũ eſſe dicitis, quem nihil poſſe exiſtimatis,ſed nunc illum experiemini terribilem,nam ille Deus,cui ſeruio, igné de cœlo mittet,qui deuorabit vos,& ſerò tandem ac fruſtrà cognoſcetis eum,& veſtram damnabitis inſaniam,& ſtulta conſilia. 21. *Diuerſo ſpiritu Elias, atque Apoſtoli ignem de cœlo petunt.*

Verſ. 11. *Rursúſque miſit ad eum Principem quinquagenarium alterũ.* ] Miſſus eſt quinquagenarius alter cum eiſdẽ mandatis,cuius audax, & ſuperba legatio,non aliũ habuit exitum,quàm prior. Fuit autem in ſecundo iſto quinquagenario maior, quã in priori libertas,& audacia,cùm tamen in aliorũ capite modeſtiã,& obſeruantiam diſcere debuiſſet. Nã cùm alter tantùm Regis nomine deſcendere iuſſiſſet Prophetã; hic tamen feſtinationẽ imperauit,ita vt omnem moram abiiceret, neque quicquam haberet potius quàm Regis imperium. Quærit Abulenſis q.20. cur cùm Ochozias noſſet ab igne cœleſti tactam,conſumptámque fuiſſe cohortem ad preces Eliæ, voluerit tamen ſecundò, & tertiò alias cohortes mittere;& cũ iiſdem mandatis quibus videbatur exitiũ proponi? Mihi illa 22.

placet ratio (si tamen ratio vlla esse potest in homine, quem exagitat furor, & motus alius quicunque immoderatus, & præceps) fecerunt id auari sæpe, sæpe ambitiosi, & quos inflammat libidinis æstus, aut vindictę studium, qui sua, séque ipsos temere præcipitant, & in interitum cæci voluntariũ feruntur. Inflãmatus scelere, ac furore ambitiosus homo, & regia inflatus maiestate ad vindictam totus anhelabat, suffundebat frigidam Iezabel illius tanti incendij prima fax, quæ fecit vt per summa etiam discrimina de medio tolleretur Elias: tam erat amens, atque obstinatus furor.

*Ambitio, & furor cæcus & præceps.*

23. Vers. 13. *Noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum.*] Tertius quinquagenarius esse existimatur Abdias, de quo suprà, qui Prophetas centum gladio Iezabelis cum graui sui capitis periculo subduxit, eisque diu in spelunca inclusis de alimento prouidit. Sed hac de re nihil certum; imò meo iudicio, hoc aut nullo modo est, aut certè parum probabile. Quis enim credat taciturũ Abdiam, vt Eliæ in se clementiam inflecteret, illa tot merita, & supplices tantùm preces obtenderet. Fuit tamen ille prudens, quicũque fuit, qui maluit supplex orare veniam, quàm cum imperio, quod fecerunt alij, admixtis etiam minis, iubere, vt è Carmeli vertice descenderet. Quare consecutus est quod optarat, cùm dirum euaderet incendium, & ad Regem Prophetam non inuitum deduceret.

24. Vers. 15. *Locutus est autem Angelus Domini ad Eliã dicens: Descende.*] Timebat Elias Regem, quia norat, quàm dirè in ipsum foret animatus, & quò spectaret tertia iam missa militum cohors. Sed Deus iã Ochozię animum aut metu concusserat, aut ita tẽperarat, vt nihil iam ab illo esset metuendũ. Quare admonet Deus per Angelum Prophetam, nihil vt timeat, sed securus descendat; quod ille sine vllo metu, ac cunctatione præstitit. Qui cùm ad regem esset ingressus, ea constantia, qua antea patrem, illũ perfidiæ, ac sceleris coarguit, quòd relicto Deo vero, qui propiùs aderat, ad peregrinos Deos, seu Deorum inania simulacra legationem misisset. quã ob rem illi celeratam mortem denunciat, quæ statim propheticas minas consecuta est. Qui cùm nulla suscepta prole decessisset, Ioram frater illius loco regnum obtinuit.

25. Vers. 17. *Anno secundo Ioram filij Iosaphat Regis Iuda.*] Hoc loco aliquid occurrit difficile. Nam Ioram frater Ochoziæ Rex Israel regnum obtinuisse dicitur anno secundo alterius Ioram Regis Iuda filij Iosaphat; qui tamen regnum iniisse traditur anno 18. Iosaphat statim cap. 3. v. 1. *Ioram verò filius Achab regnauit super Israel in Samaria anno 18. Iosaphat Regis Iuda.* Cùm autem Iosaphat annos regnarit viginti quinque lib. 3. cap. 22. v. 42. constat regnasse Ioram filium Achab octo annis antequam regnum iniret alter Ioram filius Iosaphat. Adde quòd cap. 3. v. 7. Iosaphat dicitur Ioram Regi Israel auxilium præbuisse. Multa occurrunt in his libris Regum in computatione, & concursu temporum impedita maximè, quæ vt semel explicemus, operę erit non leue pretium, si regulam statuamus, quæ nos ad hos modos extricandos deducat, quæ certa est, & ab interpretibus, & Patribus non semel vsurpata, quam copiosè, & eruditè tractauit Ricardus de sancto Victore, multisque confirmauit exemplis in tractatu quodam, cuius hic est titulus: *De concordia temporum Regum conregnantium super Iuda, & super Israel, ad B. Bernardum Abbatem Clareuallensem.* Quem tu tractatum omnino lege, quo nihil inuenies eruditius, neq; ad huiusmodi quæstiones exsoluendas opportunius. *Si diligenter,* inquit, *attendimus, inueniemus pro certo frequens esse illis temporibus, quod in nostris sæpe actitari videmus. Videmus sæpe quòd Reges filios suos, cùm adhuc viuunt, coronant, vt subditorum contradictionem, & rebellionem præueniant. Hoc apud Reges Israel frequens erat, timentes, ne per aliquam rebellionem regnum eorum ad domum Dauid rediret. Et hoc quidem in Scriptura, quamuis vbique apertè non dicatur; inuenitur tamen in ea, vnde suis locis facilè conuincatur. Et notandum quòd tempora conregnantium quandoque attribuuntur soli patri, quandoque filio soli, quandoque tam filio, quàm patri: Sunt enim qui quamuis filios suos coronauerint, nullo modo dum viuunt, regiam potestatem exercere velint. Meritò ergo eiusmodi tempus regnandi attribuitur soli patri. Sunt qui post filiorum coronationem modò propter corporis, modò propter mentis infirmitatem, otio vacant, luxui deseruiunt, & negotia regni per omnia filiis committunt. Nónne hæc tẽpora regnandi rectius adscribuntur filio, quàm patri? Sed quando regni negotia cõmuniter tractabant, & contra rebelles modò simul, modò separatim regnũ defensabant (sicut Romani Imperatores suis temporibus feciſſe leguntur) nónne hæc regnandi tempora vtrisque meritò adscribuntur?* Hæc Ricardus, & idé penè Magister historię scholasticę post libros Regum speciali quodam capite ea de re. Quæ omnia statim vterque plurimis, accommodatisque cõfirmat exemplis. nos pauca adducemus, plura occurrent, in hoc lib. 4. & in Paralipomenis, quæ suis locis exponentur. Primum, Salomon lib. 3. Regum cap. primo, vnctus est in Regem viuente patre, regnauítque cum eo simul, & tamen illud, quamtumcunque fuit temporis, adscriptum fuit non Salomoni, sed Dauidi. Lib. 4. Regum ca. 4. v. 8. Ioachim dicitur fuisse annorum 18. cùm regnare cœpisset, & idem annorum octo dicitur cùm regnare cœpit, lib. 2. Par. c. 36. v. 9. quia anno parentis secundo coronatus est, & cum eo simul decem regnauit annos, sed eo regno, vitáque defuncto cùm annorũ esset decem & octo, solus in regno vixit, & verè, ac propriè vocari Rex potuit. Tu plura inuenies exempla, quæ si ad hanc regulam, quod necesse est, referre volueris, expedita inuenies, quæ priùs admodum videbantur implexa.

*Regum tẽpora varię computata, & eorum concordia.*

*Filij sæpe simul cum parentibus regnant.*

IN

# IN CAP. II. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*STATVERAT Deus eleuare de terra per turbinem Eliam, quod Dei consilium, neque Heliſæum latuit, neque Prophetas alios, qui in ſuis habitabant collegiis prope Bethel, & Iericho, cúmque Elias magnopere ab Heliſæo contenderet, vt à ſe tantisper aliorſum abiret, quaſi ſibi aliquid negotij foret, ad quod alterius ope non indigeret, tamen impetrare ab Heliſæo non potuit: qui optimè norat parentis artificium. Cum ventum eſſet ad Iordanem, & aquæ ab Eliæ pallio percuſſæ liberum, ſiccúmque traiectum reliquiſſent, dicit Heliſæo bonus pater in ipſo digreſſu, vt optet quod maluerit ſibi concedi. Duplicem ille parentis ſpiritum dari poſtulat. Annuit Elias, illúdque ſui voti pignus eſſe vult, ſi ſublatum è terra diſcedentem videat. Vtrumque accidit. Nam & Heliſæus Eliam vidit in igneo curru, quem ignei videbantur equi trahere, attolli ſurſum, & ſpiritum ab eo duplicem accepit. Et eodem modo quo Elias proximè in reditu ad ſuos Iordanis aquas pallio diuiſit. Ex quo facilè cognouerunt Prophetarum filij Eliæ ſpiritum communicatum Heliſæo. Cùm autem ſublatum ſcirent Eliam, quò tamen illum rapuiſſet ſpiritus ignorarent, dimittunt aliò, atque aliò quinquaginta viros, qui illum indagarent. Sed omnino fruſtrà. Deinde iam ſpiritu cumulatus nouo ſuorum ſaluti commoditatique conſuluit. Erat fons prope Ierichuntem iugibus abundans, atque copioſis aquis, ſed guſtatu amarus, & corporibus noxius vehementer. Illum tamen immiſſo ſale ita ſanauit, vt non ampliùs eſſent peſtilentes aquæ, ſed ad potum, & ad omnem alium vſum, dulces & idoneæ. Cùm inde proficiſceretur in Bethel, occurrit puerorum petulans turba, qui virum Dei procaci, liberóque conuitio caluum appellarunt. Sed occiſi ſtatim ab vrſis intemperantis, & maledicæ linguæ pœnas dependerunt.*

## CAPVT SECVNDVM.

1. FActum eſt autem, cùm leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias, & Eliſæus de Galgalis.

2. Dixítque Elias ad Eliſæum: Sede hîc, quia Dominus miſit me vſque in Bethel. Cui ait Eliſęus: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Cúmque deſcendiſſet Bethel,

3. Egreſſi ſunt filij prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliſæum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te? Qui reſpondit: Et ego noui: ſilete.

4. Dixit autem Elias ad Eliſęum: Sede hîc quia Dominus miſit me in Iericho. Et ille ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te: Cúmque veniſſent Iericho,

5. Acceſſerunt filij prophetarum, qui erant in Iericho, ad Eliſæum, & dixerunt ei: Numquid noſti quia Dominus hodie tollet dominum tuum à te? Et ait: Et ego noui: ſilete.

6. Dixit autẽ ei Elias. Sede hîc, quia Dominus miſit me vſque ad Iordanem. Qui ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter.

7. Et quinquaginta viri de filiis prophetarum ſecuti ſunt eos, qui & ſteterunt è contra longè: illi autem ambo ſtabant ſuper Iordanem.

8. Tulítque Elias palliũ ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum.

9. Cúmque tranſiſſent, Elias dixit ad Eliſæum: Poſtula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te. Dixítque Eliſæus: Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.

10. Qui reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiſti: ſi autem non videris non erit.

11. Cúmque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cælum.

12. Eliſæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Et non vidit eum ampliùs: apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes.

13. Et leuauit palliũ Eliæ, quod ceciderat ei: reuerſúſque ſtetit ſuper ripam Iordanis.

14. Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ: & dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? percuſſítque aquas,

aquas,& diuisæ sunt huc atque illuc,& transiit Elisæus.

15. Videntes autem filij prophetarum,qui erant in Iericho è contra,dixerunt:Requieuit spiritus Eliæ super Elisæum. Et venientes in occursum eius,adorauerunt eum proni in terram.

16. Dixerúntque illi:Ecce,cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire,& quærere dominum tuum,ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit eũ in vnum montium, aut in vnam vallium. Qui ait:Nolite mittere.

17. Coëgerúntque eum, donec acquiesceret,& diceret:Mittite. Et miserunt quinquaginta viros, qui cùm quæsissent tribus diebus,non inuenerunt.

18. Et reuersi sunt ad eum:At ille habitabat in Iericho,& dixit eis:Nunquid non dixi vobis:Nolite mittere?

19. Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Elisæum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est,sicut tu ipse domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt,& terra sterilis.

20. At ille ait : Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cùm attulissent,

21. Egressus ad fontem aquarum,misit in illum sal,& ait:Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltrà in eis mors, neque sterilitas.

22. Sanatæ sunt ergo aquæ vsque in diem hanc, iuxta verbum Elisæi, quod locutus est.

23. Ascendit autem inde in Bethel: cúmque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes, Ascende calue,ascende calue.

24. Qui cùm respexisset,vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini, egressíque sunt duo vrsi de saltu,& lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.

25. Abiit autem inde in mõtem Carmeli,& inde reuersus est in Samariam.

---

# IN CAP. II. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *Factum est autem,cùm leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum.*]

1. IN hoc capite persequitur historicus sacer quidquid supererat gestorum Eliæ. Cùm Elias nosset abeundum sibi esse ex hominum conuictu, & hoc ascensu quodam admirabili, ac nouo, voluit illum non solùm Prophetis aliis, quos ille tamquam filios ad omnem pietatem instituerat, sed etiam Elisæo,quo magis vtebatur familiariter, esse celatum. Iussit ergo illũ sedere,& aliquandiu subsistere,causatus sibi à Deo in Bethel aliquid datum esse negotij, quod oporteret expediri quamprimùm. At Elisæus, qui iam antè nouerat quid de parentis ascensu Deus statuisset,sicut etiam alij Prophetæ, Deo reuelante, didicerant, negat sibi quoquam ab illo recedendum, idque præcisè iuramento confirmat. Cúmque venissent in Bethel, vbi quoddam erat Prophetarum collegium, occurrerunt illis Prophetæ, dixerúntque Elisæo instare iam Eliæ discessum, neque deinde cum illo quicquam futurum esse commercij,vt videret quid facto opus esset,quando ad illũ tot collegiorum aduentura esset administratio. Respondet illis nihil ea de re sibi esse celatũ:quare tacere iubet,& illius rei euentum expectare. Hoc idem dixerunt etiã alij discipuli, qui ad Ierichuntẽ collegium habitabãt quibus idem reddit responsum. Cúmque ibi subsistere iam tertiò Elias iussisset Elisęo,tamen impetrare ab Elisęo nõ potuit, neque ab aliis ex Ierichuntino collegio quinquaginta, quominus ipsum ad Iordanẽ vsque prosequerentur, qui tamen longiusculè stetterunt à Iordane, & duos sui ordinis magistros longiùs
2. abire passi sunt.

*Seruorum in dominos qualis obseruantia.*

Vbi vulgatus legit,*Quia Dominus hodie tollet Dominum tuũ à te.*Heb.est. *Desuper caput tuũ.* Qui dicendi modus significat, quo loco nobis esse debeant parentes,& magistri,nẽpe supra caput,quod summã significat obseruantiam. Id quod etiam de Dominis dicitur,qui supra seruos potestatem habent,neque in illis pars est vlla,quæ non sit potestati Dominorum subdita,modò honestæ,ac iustæ. Seruilem certè conditionem significabat, qui dixit Psal.65.v.12. *Posuisti homines super capita nostra.* Sed vulgatus respexit ad Hebræorum vsum, qui per caput hominem circumscribunt. Quare idem est *caput meum*, atque *ego*, *caput Petri*,atque *Petrus*. Exemplorum satis nos adduximus in nostris commentariis super Isaiam,ad illud c.35. *Lætitia sempiterna super caput eorum.* Gen.49. de pistore Pharaonis dixit Ioseph, *Tres dies adhuc sunt,post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce*, id est, auferet te; neque enim abscissum est caput illius, sed ille actus est in crucem. Sic ego accipio illud Prou.15.v.22.quod sumpsit Paulus ad Rom.12. v. 20. *Si esurierit inimicus tuus,ciba illum; si sitit,potum da illi:hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Nihil enim puto significare aliud, quàm super inimicos congerendos esse carbones. Optimè igitur vulgatus dicit, *Tollet à te*,etiamsi in Hebraico textu sit,*caput tuum.*

*Caput pro eo, cuius est caput.*

Vers.7. *Illi autẽ ambo stabant super Iordanẽ.*] *Super* idem sæpe valet quod *iuxta*.Exod.c.16. *Quando sedebamus super ollas carnium.* Psal.136. *Super flumina Babylonis,ibi sedimus.*

3. Super *idem quod* iuxta.

Vers.8. *Tulitque Elias pallium suum, & inuoluit illud,& percussit aquas, quæ diuisæ sunt in duas partes.*] Palliũ illud Septuaginta *Melotem* appellant, quia ex caprina,seu ouina pelle cõsutum erat. Theodoretus ex ouina pelle confectum dicit. Hispana trãslatio *esclauinã* transtulit,quæ ex corio fit cõmuniter,& perferendis cælorum temporúmque injuriis

4. *Pallium Eliæ quod.*

censę

censetur idonea. Sic sanè de penula scortea, quam Hispanus esclauinam vocat, Martialis lib. 14. disticho 110.

*Ingrediare viam cœlo licet vsque sereno,*
*Ad subitas nunquam scortea desit aquas.*

5. A qua, vt suprà putabamus, dici potuit vir pilosus Elias. Sed neque illud est improbabile, pallium illud fuisse ex pilis caprarum, camelorúmve contextum, quale fuit Ioannis Baptistæ, cuius fuit cum Elia similitudo maxima. Eo igitur pallio non explicato, atque expanso, sed complicato, & aptè ad ictum fluminis inuoluto, percussit Iordanem, diuisítque aquas, ita vt transmissionem aluei aridam reliquerit; non secus ac antiquissimis Iosue temporibus arca testamenti sacerdotum ceruicibus B imposita idem siccauit flumen eodem propè loco, nempe non longè à Iericho, & Galgalis. *Sanctorum à Deo quantus honor.* Chrysostomus homil. 4. ad populum admiratur, quòd Deus non sanctis solùm, & eorum verbis, sed etiam indumentis vim miraculorum quodammodo largitus sit. *Eliæ*, inquit, *melote Iordanem diuisit, Elisæum duplicem Eliam fecit*, &c. *O quanta sanctorum virtus! Non tantùm ipsorum verba, & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni vndique sunt venerabilia: vt vmbra Petri, calceamenta trium puerorum, Elisæi lignum, Pauli vestimenta, Moysis virga.*

6. Vers. 9. *Postula quod vis, & faciam tibi, antequam tollar à te.*] Hæc verba plena sunt officij, & paternæ beneuolentiæ, ac curæ, quibus Elias, quem habeat in Elisæum animum, ostendit, & quàm velit illi, si quem posset vsum, & commoditatem præstare. Quod nos officium vrbanum, atque amicum tunc exhibemus, quando ab illorum complexu longè diuellimur, quos habemus charos, & quibus secunda optamus, atque precamur omnia. Neque puto in digressu illo Eliam altiora cogitasse, cùm Elisæum de sua voluntate, ac voto sciscitatus est. Quod ex eo fit satis verisimile, quia cùm duplicem optauit spiritum, admiratus est, & quodam modo illius studium votúmque reprehendit, cùm dixit, *Rem difficilem postulasti.* Atqui dices, cùm pauper esset Elias, neque quicquam haberet præter pallium, & tunicam cum zona; & hæc aut consuta ex pellibus, aut è pilis contexta, quid posset promittere charissimo discipulo, nisi D spirituale aliquid, quod à Deo, antequam discederet, impetraret orando? Nisi dicamus vestium permutationem; quod faciunt amici, dum ad longam moram separantur, vt habeat secum certum aliquod, familiaréque monumentum, quo amicorum præsentē, viuámque memoriā perpetuò conseruent. Respondeo potuisse Eliam orare à Deo cœleste aliquod donum, antequā discederet, lōgè tamen inferius, aut quàm ipse concepisset animo, aut quàm petiturum Elisæum suspicaretur. Neque leue existimatur amicorum donum, etiamsi leue sit, & vile, vel eo tantùm nomine, quod aliquid est amicorum, quod memoriam excitat, & amorem inflammat, maximè si illorum sit, quorum est illustre nomen, & qui apud Deum existimantur valere plurimum. Quare non parui faceret Elisæus permutare pallium cum Elia, & illi relinquere fa- E miliare sui nominis symbolum, & ab illo accipere perpetuum paterni amoris, & studij monumentū. Sanè Eliæ pallium, quod accepit, nullo à se pretio distrahi pateretur Elisæus, sicut neque Antonius Pauli tunicam, quam in sportulæ modum ex palmarum foliis sibi cōtexuerat, cum regia purpura, cum auro textili, & alio quouis Principum instructu permutaret.

*Gasp. Sanctij Com. in lib. Reg.*

A *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus.*] Hic multi multa de Elisæi petitione, ac voto meditantur. 7. Duplex *pro* magno. Quidam in duplici spiritu magnum intelligunt, & excellentem spiritum, quo pollebat Elias, non duplicatum, aut duplo maiorem. Ita Emanuel Sa. Et quidem congruum erat, vt qui curam susceptur-
6 rus esset, ac munus, quo iā defungebatur Elias, spiritum illius magnum, quasi hæres acciperet, quo datas sibi partes strenuè, atque fideliter obiret. Neque inusitatum est apud Latinos *duplex* pro *forti & magno*, seu copioso sumi, vt pluribus super Isaiam ostendimus ad illud c. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia*, id est, ingentia mala. In hunc sensum ego interpretabar illud Zachariæ 9. *Duplicia reddam tibi.* Et illud Ierem. 17. *Duplici contritione contere eos.* Quod etiam profanis vsitatum est. Virgil. de equo Georg. 3.

*At duplex agitur per lumbos spina.* Id est, lata.

Et 1. Georg. de forma aratri.

*Binæ aures duplici aptantur dentalia dorso.*

Duplex appellat dorsum, id est, latum, & crassum.

Alij duplicem spiritum duplo maiorem inter- 8.
pretantur, quasi non satis Elisæus habuerit æqualem esse magistro, sed haberi vellet duplo maior. Hanc sententiam non improbat Abulensis q. 15. vbi dicit hanc à plerisque probari, & esse communem, licèt ille in eam sententiam magis inclinet quæ in spiritu duplici spiritum agnoscit miraculorum, & prophetiæ. Tenet sanè Caietanus, Theodoretus q. 7. & cum eo Procopius, qui dicunt ideo respondisse Eliā *obdurasti, vt peteres.* Sic enim legūt septuaginta, vbi vulgatus, *Rem difficilem postulasti. Hoc dixit*, inquit, *non inuidens gratiā discipulo, sed curam gerens aliorum hominū. Nam quoniam tribus annis, & sex mensibus impiè se gerentes fame castigauit homines; necesse autem erat, vt qui duplicis erat hæres gratiæ, res efficeret duplo maiores, ex his autem erat eà pœna, quæ erat irroganda per famem, ei parcens dixit, obduruisti vt peteres. Hoc etiam discimus ex historia: nam septem annis illatum fuit supplicium per famem.* Addere etiam potuisset Theodoretus duplo plures igne desuper immisso consumptos iri ab Elisæo, quàm essent ab Elia consumpti, & eadem proportione plures conficiendos ferro, quàm periissent sacerdotes, & Prophetæ Baal. Hoc autem erat verè obduruisse, quandoquidem animum postulabat, qui difficile posset ad pietatem inflecti. Petrus Damianus serm. 2. in natiuitate Ioannis Baptistæ, duplicem dicit accepisse spiritum Elisæum, non in meritorum cumulo, sed in miraculorum exhibitione, quia viginti quatuor edidit miracula. Elias autem duodecim. Idē penè docet hīc Lyra, sensit Rab. Salomon. Idē Rupertus in lib. Reg. c. 18. Tenet apertè Ambrosius serm. 89. *Elias*, inquit, *cùm simplicē sanctitatis ipse haberet spiritum, Elisæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum plus Elias gratiæ dimisit in terra, quàm ipse portauit in cœlos.*

Alij id putant ab Elisæo postulari, vt duplicem 9.
spiritum impetret Elias à Deo, non comparatione Eliæ, sed Prophetarū aliorum, quorum erat pater, & magister Elias; vt sicut de hæreditate paterna supra fratres suos duplicatam portionem accipit primogenitus, sic ipse quasi primo inter alios natus loco, quique aliis pro patre futurus erat, duplicatam acciperet portionem spiritus. Et quidem si iam pater erat destinatus tam amplæ familiæ, nihil sibi postulabat indebitum Elisæus. Notum est enim, & à Patribus sæpe repetitum, quo egeat spiritu, aut, quod idem est, spirituali subsidio, qui aliorum in se curam suscepit. Suo itaque iure maiorem exigit spiritus abundantiam,

qui grauius ſuſcipit onus; alioqui periculum eſt, ne maiori ſuis viribus oneri indecorè ſuccumbat. Hanc ſententiam tenet Caietanus, cui Hebraicus textus aliquantulum fauet, qui ſic habet. *Menſuram duorum de ſpiritu tuo*, quaſi dicat, menſuram in me duplicem, quàm aliis diſcipulis imperti.

10. Sed eſt communis ſententia, &, vt reor, omninò vera, in ſpiritu duplici ſpiritum intelligi prophetiæ, & miraculorum. Ita omnes penè interpretes, quos non nomino, ne longus ſim, cum quibus etiam tenet Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ, S. Thomas 4. contra gentes cap. 11. Eucherius, Angelomus. Sed cùm iam Eliſæus ſpiritum accepiſſet prophetiæ, cùm vnctus eſt ab Elia lib. 3. c. 19. aut tunc fortaſſe, cùm illi Elias pallium iniecit, neque ipſe ignoraſſet ſe eſſe Prophetam, cùm hoc ipſo articulo afflatu diuino didiciſſet tollendum Eliam: vnũ videtur petiiſſe ſpiritum, nẽpe miraculorum, quod neque acceperat antea, neque illius in ſe illatenus argumentum haberet. Cùm igitur ſimplicem ſpiritum haberet, prophetiæ videlicet, duplicem habere vult, nempe etiam miraculorum, quem tunc fortaſſe accepit, quando illi relictum eſt ab Elia pallium, quemadmodum antea lib. 3. Reg. per idem pallium ſpiritum acceperat prophetiæ. Sic ego cogitabam.

11. Verſ. 10. *Rem difficilem poſtulaſti.*] Non eſt aut negotium leue, aut vulgare beneficium, propheticum habere ſpiritum, illum præcipuè, quẽ Deus inſpirauit Eliæ; & inſuper miraculorum raram, & admirabilem gratiam, quam ad illud vſque ſæculum habuere pauciſſimi. Quam neque conſequũtur homines naturali aliqua potentia, vel induſtria, neque eſt donum humanæ debitum naturæ, ſed gratis, vt ipſum gratiæ nomen indicat, à Domino collatum. Quare iure Propheta rem appellat difficilem, neque tamen ideo iubet deſperare diſcipulum, & tunc demum ſcire conceſſum ſibi duplex, quod optauerat, donum, ſi ipſum à ſuo complexu abeuntem videret. Id quod abſque dubio Propheta à Domino didicerat, cùm tamen illi nondum eſſet reuelatum conceſſum iri Eliſæo, quod ipſe cupiebat, quod putat Abul. q. 16.

12. Vbi vulgatus, *rem difficilem poſtulaſti*, Hebr. eſt הקשית לשׁאל *hicſitha liſol*, quod ſonat, obduruiſti ad petendum, neque longè aliter reddunt L X X. cuius explicatio ſuprà à nobis adducta. Sed fortaſſe hoc dicendi modo voluit Elias nimiam Eliſæi in petendo confidentiam, ſeu audaciam modeſtè incuſare; quaſi ad ambitioſam petitionem magis obduruerit, quàm videretur poſtulare modeſtia. Quod magiſtro licuit in diſcipulum, quem ſuo iure corrigere potuit; imò & fortaſſe debuit. Notum eſt illum oris appellari duri, qui nimis eſt in petendo procax, quaſi inuerecundam habeat frontem, quam neque confundat tacita aliorum reprehenſio, neque ab eo, quo rapit appetitus, contrahat pudor.

*Oris duri quis.*

13. Verſ. 11. *Cúmque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.*] Traiecto Iordane incedebant ſimul duo Prophetæ, aut de diſceſſu, qui putabatur proximus, aut de collegiorum inſtitutione, & forma in quibus erãt religioſi diſcipulorum cœtus, agentes, cùm ſubitò inter vtrumque apparuit medius currus igneus, quem ignei etiam trahebant equi, in quem conſcendens Elias ad cœlum ſublatus hiantem reliquit, & clamantem diſcipulum, qui non ſe ſolum, ſed Iſraelem totum à moderatore, & in aduerſis rebus certo præſidio derelictum putabat. Qui diſciſſis iuxta illius temporis mores præ dolore veſtibus, exceſſiſſe dicebat Iſraelis currum, & aurigam, qui portaret feſſum, & languentem populum in aduerſis, & eumdem moderaretur in dubiis.

Verſ. 12. *Currus Iſrael, & auriga eius.*] Hebræorum arbitror eſſe prouerbium, quo ſummum in aduerſis ſignificari ſolet præſidium, quale eſt illud Latinorum, *columen patriæ, domus, anchora.* & quod de ſuo Mœcenate dixit Horatius lib. 2. Ode 17. *Grande decus, columénque rerum.* Quod Hebræorum prouerbium multis verbis Maro aſſecutus non eſt lib. 12. Æn. apud quẽ ſic Latini vxor ad Turnum:

—*Spes tu nunc vna ſenectæ,*
*Tu requies miſeræ, decus, imperiúmque Latini*
*Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.*

14. PROVER. *Currus, & auriga.*

15. Vnde orta fuerit prouerbialis hæc forma, quæ ſummum auxilium, & columen ſignificat, obſcurum non eſt. Currus enim multos habet vſus, eóſque rebus humanis maximè neceſſarios, qui languidos portat, & laſſos, qui frumenta conuehit, & humanæ naturæ neceſſaria ſubſidia. Cuius in acie multiplex vſus, & illius interdum munimentum, & vallus. Hîc porrò de plauſtro agi non arbitror, ſeu de ruſtico curru; ſed de militari, & probat vox Hebraica, פרש *paras*, quæ non tam aurigam, & rhedarium ſignificat, quàm equitem, qui ideo currum aſcendit, vt ex eo pugnet; imò in plurali numero eſt פרשׁין *perafau*, id eſt, equites eius, quaſi vnus Elias eſſet Iſraeli pro omni apparatu militari, qui ſignificatur in curru falcato nimirũ, & idoneè ad inimicorum interitum inſtructo. Sicut Moyſes olim eidem populo cùm pugnaret contra Amalec Exod. 17. cuius manus ad preces eleuatæ multo erant fortiores manibus Iſraelitarum militum armatis, quæ arcu, gladióque certabant. Id quod expreſſit hîc Chaldæus, dum ita reddit, *Qui melior eras Iſraeli oratione tua curribus, & equitibus.* Quod item dicit Vatablus. Theodoretus q. 8. *Reges aliarum gentium equis vtentes, & curribus ſtabant in acie. Ea de cauſa magnum Eliam appellauit, & currum, & equitem Iſrael, vt qui ſolus ſufficeret ad fundendos, & profligandos hoſtes, & rurſus ad dandam alienigenis victoriam.* Caietanus idem quod Theodoretus opinatur, & addit alluſum videri, ad id quod tunc intuebatur Heliſæus, videbat enim igneum currum, & in eo inſidentem Eliam, & recordatus quàm ille potens fuerit, tum oratione, tum prophetiæ atque miraculorum dono, talem illum appellat, quale tunc illius ſymbolum intuebatur. Erat quidem totus igneus Elias, &, vt legimus Eccl. c. 48. *Quaſi ignis & verbum ipſius quaſi facula ardens*, qui aduersus iniquos igne deſuper emiſſo pugnauit, vſque adeò ſpiritu atque ſermone ardens, vt flammas euomere, non verba fundere putares. Quare nullo alio ſymbolo cõmodiùs exprimi poſſe videbatur, quàm igneo curru, qui ab igneis etiam equis traheretur, quales eſſe debent, quibus diuini verbi negotium creditum eſt. De quibus Greg. hom. 22. in Ezech. *Quid eſt (fratres chariſſimi) quod Elias currus, & auriga Iſrael dicitur, niſi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi & per patiẽtiam ſuſtinet, & ſacri eloquij verbum docet, & currus dicitur, & auriga: Currus, quia tolerando portat, auriga, quia exhortando agitat: currus, quia mala ſuſtinet, auriga, quia populũ bonis admonitionibus exercet.* Adde quòd hic currus, in quo vir apoſtolicus adũbratur, igneus eſſe debet, qualis etiã à Poetis dicitur Solis currus, qui quocunque à ſpiritu verſetur, omnia & ſplendore illuſtrat, & exurat flãma. Quemadmodũ ex hac hiſtoria Eliæ occaſionẽ ſumpſerint Poetæ Genriles, vt ſolẽ currui impoſuerint igneo, diximus l. 3. c. 17.

16. *Doctor aut prælatus quis.*

In

17. In hac hiſtoria multa ſunt obſcura, & à variis variè diſceptata, quæ à nobis hîc accuratiùs diſputentur oportet, quia & locus à nobis ſuo iure poſtulat, & multum continet eruditionis arcanæ. Quare ea de re plures inſtituemus quæſtiones, in quibus tamen erimus breuiores, quia alij hæc diſceptauêre fuſiùs, qui nos ex parte ab hoc onere leuare poterunt. Quales ſunt ex noſtra Societate Franciſcus Suares in 3.p.S.Thom.tom.2.quæſt.59. diſp.55. ſectione 1. Ribera in cap.11. Apocalypſ. Pereira lib.3.in Gen.quæſt.5. Abulenſis quæſt.24. latè Maluenda lib.9.de Antichriſto, & interpretes varij in Apocal. & in cap.4. Malachiæ. Qui plerumque coniungunt Eliam cum Henoch, quia cùm de vtroque eadem ſit ratio, eædem etiam de vtroque diſceptantur quæſtiones. Nos hæc de Elia tantùm diſputabimus, qui volet hæc ad Henoch, quoad hiſtoriæ ratio patietur, accommodet.

18. Primò dubitatur, an equi & currus, quibus ſublatus fuit Elias, verè fuerint ignei, quia ignei in Scriptura, dicuntur equi, & currus; ideo ad ignis naturam conſentaneè loquuntur Patres. Quaſi hic currus inflammet & vrat, ſicut de Solis curru, & equis loquuti ſunt Poëtæ qui in Phaëtontis fabula & cœlum, & terram inflammata putant. Ita Chryſoſtomus tom.1. in homil. de aſcenſione Eliæ. Neque nouum eſt, vt talia dicantur aliqua, qualia hominum oculis apparent. Et ne ab hac metaphorâ longiùs abeamus, ardere ea in Scriptura dicuntur, quæ ſplendorem emittunt, qualem vibrat ignis, ſic in Scriptura Nahum cap. 1. verſ.3. inaurati & ſplendidi Chaldæorum clypei ignei dicuntur, item & habenæ currus, & quæ millies vocatur columna ignis, illa ſplendida communiter exiſtimatur, vt etiam hîc putauit Abulenſis quæſt.17. & clariùs ſuper Exod. cap.13. quæſt.14. & colligitur non difficile ex illo Numer. capite 9. verſ.15. *Igitur die, qua erectum eſt tabernaculum, operuit illud nubes. A veſpere autem ſuper tentorium erat quaſi ſpecies ignis, vſque manè, ſic fiebat iugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis.* Neque hic modus profanis eſt infrequens, qui igneum appellant, aut flammeum, ſeu ardens id quod eſt ſplendidum; ſic Maro lib.8. Æneid.

*Currus Eliæ igneus non fuit.*

*Quod ſplendidum eſt, igneum dicitur.*

*Terribilem criſtis galeam flammáſque vomentem.*

Et lib.10.

*Stans celſa in puppi, clypeum tum deinde ſiniſtra*
*Extulit ardentem.*

Et iterum ibidem.

*Ardet apex capiti, criſtiſque à vertice flamma*
*Funditur: & vaſtos vmbo vomit aureus ignes.*

Et ad noſtrum inſtitutum accommodatiùs, nubes, qualis hîc exiſtimatur eſſe igneus currus, ardere dicitur cùm fulget.

*----Qualis cùm cærula nubes*
*Solis inardeſcit radiis, longéque refulget.*

19. Ad hunc modum, qui currus nunc dicitur igneus, & ignei equi, nubes fuit ſplendidiſſima, in currus equorúmque ſimilitudinem efformata, quæ accepit Eliam, illúmque medium amplexa eſt: ita vt in curru ſedere ac vehi videretur. Ita Caiet. hîc, & Abulenſis ſuprà, quæſt.24. & ita mihi videtur eſſe dicendum; tum quia hic modus magis videtur facilis, & aliud euitat miraculum, quo & Elias in corpore adhuc paſſibili, & mortali non comburitur, neque pallium ad Heliſæum mittitur vſtulatum: tum quia turbo non tam rapit ignem, quàm nubem. Neque dicendi modus ab hac expoſitione alienus eſt, qui quod ſplendidum eſt, & rutilum, licèt non ab igne, igneum vocatur, vt diximus. Et quidem currus ignei, & equi ignei, non erant illi, qui infrà cap. 6. viſi ſunt ſtare contra inimicorum caſtra in circuitu Samariæ, vt docuit hîc Abulenſis, & Caiet. in cap. ſextum infrà. Apparuerunt igitur in nube ſplendida equorum effigies, & currus, deinde tota illa ſpecies euanuit, & tantùm manſit turbo, qui Eliam procul in media nube ab Heliſæi oculis abripuit, vt putat Abulenſis, neque mihi diſplicet.

20. Secundò dubitatur, quónam ab Heliſæi oculis abreptus fuerit Elias, & vbi nunc agat. Quæ de Elia nunc quærimus, eadem alij de Enoch, cuius eadem eſt ratio, diſceptant. Et ſanè multi ſunt, qui has diſputationes otioſas eſſe, atque inutiles putant, cùm res ſit obſcura magis, quàm vt illam humana aſſequi poſſit intelligentia. Chryſoſtomus homil.21. in Geneſ. & hom.22. ad Hebræos, *Multi (inquit) quærunt quò tranſlatus ſit Henoch, & quare tranſlatus ſit, & quare non fuerit mortuus, nec ipſe nec Elias, & ſi adhuc viuunt, quomodo viuunt, & quali habitu, ſed ſuperuacaneum eſt iſta quærere. Quòd verò tranſlatus ſit iſte, & aſſumptus ille, Scripturæ dixerunt, vbi autem ſit, & quomodo, non addiderunt, nihil autem amplius, quàm neceſſaria ſunt, dicunt.* Cyprianus de Henoch lib. de montibus Sina & Sion. *Tranſlatus eſt* (inquit), *vbi, Deus ſcit.* Ex Scriptura tantùm habemus, Eliam aſcendiſſe per turbinem ad cœlum, de Henoch Eccl.44. tranſlatum eſſe in Paradiſum. Quo ſenſu hîc cœlum accipiêdum ſit, obſcurum, quidam in ſignificatione capiunt magis propria: & in *cœlo* Beatorum intelligunt ſedes. Sic Hieronymus Epiſt.61. ad Pammachium. *Henoch tranſlatus eſt in carne, & Elias carneus tranſlatus eſt in cœlum, necdum mortui, & Paradiſi iam coloni, habent quoque membra cum quibus rapti ſunt, atque tranſlati.* Et hoc ipſum de Henoch, affirmat Ambroſius lib. de Paradiſo, cap.3. Plerique de cœlo aëreo capiunt, ſicut alibi millies in Scriptura capiamus neceſſe eſt, & eorum nonnulli Eliam & Henoch in aëre nunc habitare credunt; ſed errant omnino plus quàm infantiliter. Alij communiter, & verè aſſumptos putant è terra, & per aërem in certum aliquem tranſlatos locum, vbi nunc degunt, ſicut Habacuc ab Angelo tranſlatus eſt per aërem, in Babylonem, in quem tamen terreſtrem locum, non conueniunt.

*Elias, & Henoch quò tranſlati.*

21. Illud plerique ſentiunt, eodem in loco Eliam agere cum Henoch, atque adeò in Paradiſo ſtatuunt, quia Henoch Eccl. 44. in Paradiſum traditur eſſe tranſlatus. Et cùm Paradiſus communi vocabulo locum ſignificet amœnitatis eximiæ, qualis eſt hortus arboribus conſitus, aut plantis odoratis, & per antonomaſiam, locum vbi poſitus fuit à Deo, & à diabolo tentatus Adam, alij de priori modo accipiunt, & nihil definiri certum exiſtimant; ſed in illuſtrem aliquem, & delicioſum locum, qui tamen mortalium nemini notus ſit, ab humano conſortio fuiſſe traductum. Ita Gregorius homil.29. in Euang. *In cœlum, inquit, aërium Elias ſublatus eſt, vt in ſecretam quandam terræ regionem duceretur.* Idem etiam exiſtimauit Rupertus lib.3. de Trinitate cap.33. *Nuſquam, inquit, Scriptura dat intelligi, quod eos* (Eliam & Henoch) *tulerit Deus in ipſum Paradiſum, vbi comederent de ligno vitæ, & viuerent in æternum; ſed ita ſublati ſunt, vt in ſecreta quadam regione terræ ducerentur, vbi in magna carnis & ſpiritus quiete viuerent, quouſque ad finem mundi redeant, & mortis debitum ſoluant.* Et facit ad hanc ſententiam, quòd licèt in Paradiſum, vnde eiectus fuit Adam, locatus fuerit Henoch, tamen non ideò

*Paradisus à diluuio deformatus.*

efficitur, Eliam in eum fuisse translatum, aut in eo Eliæ tempore degere Henoch, cùm diluuium totam illius loci amœnitatem abstulerit, & inter Paradisum, & alia vniuersi loca (nisi fortè ob communes alias causas, quibus vna regio ab alia discernitur) aut nullum, aut exiguum discrimen appareat. Quòd enim generalis illa terrarum inundatio splendorem terræ & amœnitatem abstulerit, & tradunt è recentioribus multi, in quibus est Pereira lib. 3. in Genes. quæst. 5. Genebrardus in Chronico, Iansenius in Concordia cap. 143. Oleaster in 2. cap. Genes. 2. Et docet ipsa rerum natura, quomodo enim cùm terra tãdiu esset aquis operta, conseruare potuit speciem antiquam, aut quomodo non esset ab aliquo tam rara illa amœnitas deprehensa? maximè cum fluuij qui suas in Paradiso scatebras habent, ad illum locum deducere potuerint.

22. Sanè res est difficilis, neque eiusmodi (Augustino teste lib. 2. de peccato originali cap. 23.) vt nobis credendi necessitatem afferat, vt notauit Franciscus Suares suprà, & Pereira nuper citatus. Sic autem Augustinus. *Quæstiones sunt in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, aut sententia definitiua suspenditur, aut aliter quàm est, humana, & infirma suspicione coniicitur, veluti cùm quæritur vbi nunc sunt Elias, & Henoch, an in Paradiso, an alibi: quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus viuere.*

23. *Elias eodem loco cũ Henoch.*

Si extat nunc Paradisus, quod aliqui verum esse putant, neque fortasse falsò, ibi nunc agere Henoch & Eliam neque ego dubitarem, neque vllus nisi in opinando foret audacior, quia ea est communis opinatio, simul esse Eliam, & Henoch, & simul suauissimos dies ducere, & mutuos inter se conferre sermones, qua de re postea; sed in Paradisum translatum esse Henoch, id est, in locum ex quo protoplastus expulsus est homo, qui ὀνομαστικῶς Paradisus vocatur, satis constat ex Eccl. c. 44. Sed licèt illustris illa species & amœna generali totius mundi vastatione perierit, tamen verisimile est post illam vniuersi deformationem, & cladem nullam esse regionem fortunatam aut ornatam magis illâ, in qua ante diluuium fuerat Paradisus. In qua verisimile est vixisse Henoch, etiam postquam splendorem pristinum amisit. Qui locus appellari potest Paradisus, ab antiqua specie & nomine, quod habuit, sicut alia multa, quibus licèt nominis ratio propria defuerit, nomen tamen antiquum in magna rerum mutatione conseruãt. Quo sensu explicari possunt è Patribus non pauci, qui in Paradiso dicunt esse duos hosce principes, vbi aliquando in deliciis vixit homo primus. Sic Irenæus lib. 5. contra hæreses cap. 5. quod confirmat testimonio presbyterorum Asiæ, qui dicunt se id ab Apostolis accepisse. Isidorus libr. de vita, & obitu sanctorum cap. 3. Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium. Iustin. quæst. 85. ad orthodox. S. Thom. 3. p. quæst. 49. art. 5. ad 2. & prima parte, quæst. 102. art. 2. ad 3. quod ex interpretibus tenent Abulensis hic q. 23.

24. *Elias, & Henoch quid nunc agant in Paradiso.*

Tertiò dubitatur quid nunc in Paradiso agant Elias, & Henoch. Quæstio hæc nihil fermè habet præter coniecturas. An Dei nunc aspectu fruantur, dicemus statim, Dei tamen frui consortio docet Hieronymus Epist. 61. Quòd verò Angelorum familiaribus fruantur alloquiis, quasi iam quodãmodo illis conciues, & contubernales, vtpote ab hominum comitatu separati, & in aliqua, humana conditione sublimiora expeditiùs intenti, docet Metaphrastes sermone de Elia, quẽ apud Surium inuenies ad diem 20. Iulij. *Elias*, inquit, *ne in hodiernum quidem diem mortis fecit periculum, sed assumptus manet expers senij, qui vt arbitror, vnà versatur cum Angelis, quorum incorruptionem, & materiæ vacuitatem per puram vitam est imitatus.* Satis ergo habent viri illi sanctissimi dum Angelicis fruuntur alloquiis, mirisque rerum illustrationibus fruuntur, quo se oblectent, & quo diuturnam illam moram, non solùm patienter, sed etiam perquam suauiter ducant. Quòd si illi humana curant adhuc, déque humanarum rerum statu edocentur ab Angelis, qui non semper optimus est, sempérque varius, neque deesse poterit materies, de qua familiaris instituatur sermo, neq; quid doleat, aut curet, Dei, & Gentis suæ maximus zelator Elias, qui licèt abstractus à suis, non tamen de illorum salute curam abiecit. Si enim Ieremias in loco & statu non magis ad orandum idoneo, in sinu videlicet Abrahæ, orabat tamen pro laborante populo, cur non idem de Elia, qui adhuc erat in viuis, licèt à viuis procul existimandum? De Ieremia sanè habemus 2. Machab. 15. v. 14. *Hic est fratrũ amator, & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias Propheta.* Nec est verisimile ignorare duos hosce principes, quid rerum fiat in mundo, in quo adhuc ipsi morabantur, maximè enim de populo, & pro illius salute fuisse sollicitos, cùm nossent optimè quam ob causam ad illum locũ essent delati, nempe vt sese maximæ hominum pesti, Antichristo videlicet opponerent, & illius dissoluerent consilia, & quæ mortali hominum generi intulisset damna, restituerent. Quasi ipsi quodammodo redemptores essent futuri, & corporali morte ab æterna vindicaturi eos, quos Antichristi seduxissent illecebræ, aut vis, & metus à recto transuertissent. Quasi ergo ad se quodammodo communis salus pertineret, de illa frequentes, ac longos existimari possunt contulisse sermones. Sanè Elias nõ videtur ab hominum conuictu separatus, abiecisse curam cognati sibi populi, quando non longè à translatione sua literas dedit ad Ioram, antiquos spiritus, id est, minaces & zelotypos anhelantes, vt habes lib. 2. Paralipomenõn cap. 21. vers. 12. *Allatæ sunt autem ei* (Ioram) *litteræ ab Elia Propheta*, &c. & licèt multi de tempore quo scriptæ sunt hæ atque datæ literæ dubitarint, tamen non est improbabile in Paradiso scripsisse literas, eásque Angelorum ministerio ad regias manus esse translatas. Ita putat Maluenda lib. 9. cap. 2. & quidam ex Hebræorum magistris, dicitur apertè in Seder Olam cap. 17. vbi Elias septennio postquam esset translatus, misisse traditur è cœlo literas ad Ioram. Sed de tempore nihil hic definio, tantùm dico id mihi videri non improbabile.

25. *Sancti defuncti pro nobis orant.*

26. *Elias & Henoch an diuino fruãtur aspectu.*

Quartò dubitatur an Elias & Henoch nunc diuino fruantur aspectu. Qua de re variæ sunt sententiæ, & varij Patrum dicendi modi, qui rem dubiam relinquunt, & implexam. Ex antiquis Procopius Gazæus in Genes. duobus hisce Principibus glorioſa attribuit corpora, & beatam animam, cui ex recentioribus subscribit Augustinus Eugubinus in cap. 2. Genes. *Si hi*, inquit, (nempe Elias & Henoch) *cum corpore assumpti sunt, arbitror ibi positos, vbi Iesus cum corpore versatur, in cœlo vtique.* Idem ferme Catharinus opusc. de consummata gloria Christi. Sed est communis aliorum sententia illos nondum eam beatorum felicitatem esse consecutos; ita aut expressè asserunt, aut indicant non obscurè antiqui Patres, ex quibus Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 58. non

æternitatis

æternitatis compotes, sed æternitatis candidatos appellat, id est, qui in eo sint statu, vt ab æternitatis possessione non excidant, cui iam videntur aut proximi aut affines. Augustinus de peccator. meritis, & remiss. cap. 3. cuius verba statim adducemus, & lib. 9. Genes. ad lit. cap. 6. *Neque enim arbitrandum est Eliam vel sic esse iam, sicut erunt sancti, quando peracto operis die denarium accepturi sunt.* Nazianzenus oratione 34. sic dubitat, vt tamen eò magis videatur propendere, vt putet nondum esse compotem felicitatis æternæ: sic autem ille longè post mediũ. *Henoch autem quamuis translatus fuerit, nondum tamẽ constat, an Dei naturam cõprehenderit, aut comprehensurus sit.* Neque abest aut coniectura optima, aut optimum ex Scriptura sacra fundamentum. Quæ Franc. Suares adducit tom. 2. in 3. p. S. Th. disp. 55. sect. 1. Primùm, quia Scriptura negare videtur quemquam viuentem in hac mortali vita visurum esse Deum. Exod. 23. v. 20. *Non enim videbit me homo, & viuet.* 1. ad Timoth. vltimo, *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Scio scholasticos Doctores disputare an Moyses & Paulus diuinam viderint essentiam, & eorum multis partem affirmãtem, aut veram, aut certè non improbabilem videri, sed si ita concedamus, res tamẽ in Elia erit longè diuersa, quia illis ad modicum tempus datum est, vt visione diuina fruerentur, idque non sine aliquo, eóque graui fundamento asseritur. At Eliæ, & Henoch, ad diuturnum tempus dicitur esse cõcessum; neque tamen fundamẽtum habemus quod cogitationem istam vtcumque sustentet. Quòd si hi duo viri Antichristi ætate, dum causam tuentur piam, & quæ Antichristi machinis collapsa fuerũt, studiosè restaurant, occidendi sunt, vt communiter dicunt Patres, & interpretes ad illud Apocalyps. 11. v. 7. *Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendet de abysso, faciet aduersùs eos bellum; & vincet eos, & occidet illos.* Quis credat si beatitudine fruerentur, talia esse passuros, quæ tam absunt à beatitudine longè, quæ aliquid sonat tum perpetuum, tũ acerbitatis omnis, atque doloris expers.

27. *Status est Eliæ & Henoch longè diuersus, atque illorum qui mortali conditione sunt.*

Est quidem illis omnino concedendum aliquid, quod non assequitur mortalis hominum, & terrena conditio, cùm alia sit illis viuendi ratio, status alius longè dissimilis. De quibus August. lib. 9. Genes. ad literam cap. 6. *Neque enim*, inquit, *arbitrandum est, Eliam vel sic esse iam, sicut erunt sancti, quando peracto operis die denarium accepturi sunt; vel sic quemadmodum sunt homines qui ex hac vita nondum migrarunt. Iam itaque aliquid melius habet, quamuis non habeat, quod ex hac vita rectè gesta in fine habiturus sit.* Ex eo, quod præter communem hominum conditionem, & statum habent, oritur ne corpus sit aut obnoxium morbis, aut senectute languidum, aut minùs vegetum, ac robustum, quàm cùm ex hominum cœtu communique viuẽdi forma fuere trãslati. Ita Augustinus hoc ipso loco. *Si Elias & Henoch in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum vt soluant, creduntur rediturі ad hanc vitam, & quod tandiu dilatum est morituri; nunc tamen in alia vita sunt, vbi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in puritate mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt*, &c. Idem dixit lib. 1. de peccatorum meritis cap. 3.

28. *Quod Eliæ & Henoch alimentum in Paradiso.*

De illorum alimento dubitant Patres, &, quod necesse est, incertis tantùm ducuntur coniecturis. Angelorum ministerio, aut alio quodam miraculoso modo allatos esse cibos, quibus tandiu vitam viréque sustentant, non est improbabile, sicut antè Elias cùm vitã ageret ærumnosam, & magis indigentem, singulari quadam & admirabili prouidentia sustentatus est, primùm à coruis, deinde farinæ atque olei in domo viduæ succrescẽte copia. Augustinus lib. 1. de peccator. meritis c. 3. nõ putat incredibile ex arborum fructibus, quæ tunc erant in Paradiso, habuisse cibos, quibus deficientẽ naturam repararent, & de ligno vitæ contra vetustatem singulare remedium. Hoc verò postremum de ligno vitæ non improbat S. Th. 2. disp. 29. q. 1. art. 5. ad 4. dum ait aliquos ita credidisse; verùm id difficile creditu est, cùm non constet extare adhuc Paradisum, nedum lignum quod naturæ familiare decrementum reficeret. Quæ sententia multùm apud me probabilitatis habet.

29. *Nullo vidẽtur vsi cibo.*

Sed est mihi multo verisimilius in eo statu nullo vti humano cibo duos hosce viros, sed impastos tandiu vitam vegetam & robustam miraculosè conseruare. Ita Augustinus lib. 1. de peccator. meritis c. 3. *Neque his (inquit) cibis egent, qui sui consumptione reficiunt. sed ex quo translati sunt, ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ & ex collyrida panis sine cibo vixit.* Et tenet Franciscus Suares tom. 2. in 3. p. S. Th. disp. 55. sect. 1. & idem arbitror, Hieronymus sentit, licèt obscuriùs Epist. 6. ad Pammachiũ. *Henoch*, inquit, *translatus est in carnem; Elias carneus raptus est in cœlum, nec dum mortui, & Paradisi iam coloni habent quoque membra cum quibus rapti sunt, atque translati, vescuntur cœlesti pane, & saturãtur omni verbo Dei.* Et paulo inferiùs: *Henoch, & Elias tãto tempore in eadem permanent ætate, quæ rapti sunt; habẽt dentes, ventrem, genitalia, & tamen nec cibis, nec vxoribus indigent.* Hoc Hieronymi testimonium ideo minùs videtur habere firmitatis; quia sentire videtur eo loco Hieronymus, duos hosce viros esse in cœlo, fruíque diuino consortio, quod illis cibi vsum præstat, & omne deficientis naturæ subsidiũ. Idem penè Epiphanius hæresi 64. Vtcumque sit de sententia Hieronymi, & Epiphanij: sanè ratio docet, ita & potuisse fieri, & quodammodo debuisse. Nã si cũ in eo statu foret Elias, qui multo magis aberat à beato, quadraginta diebus sic ieiunus fuit, vt gustauerit nihil, quod etiam priùs ad montẽ Sinai Moysi contigerat, Exod. 34. Quid mirum si hoc idem contigerit Eliæ, qui ab hominum societate distractus illam agebat vitam, qualis decebat eum, qui iam erat, vt dicebat Tertullianus, æternitatis candidatus, & beatorum vitæ aliquo modo affinis.

30. *An in Paradiso vestiti, & quomodo.*

De vestimẽtis, aliisque necessariis subsidiis, blãdimentisque naturæ omnia sunt incerta, qualia sunt tõdere comas, resecare vngues, & similia. Qua de re latè Abulensis q. 24. Sanè nisi illi nudi agant in Paradiso, sicut Adam, quem suæ nuditatis in illo meliori statu non pudebat; existimare quis posset non insipienter, eas nũc seruatas esse vestes integras prorsus, quas illi in Paradisum ab hominũ consortio distracti, secum abstulerunt, neque excreuisse vngues, & capillos, aut aliquid aliud, quod illis potuerit esse molestiæ. Nam si Hebræo populo in longa traiectione per desertum neque vestimenta consumpta sunt, neque calceamenta detrita, cur negemus hoc illis esse concessum, quos Dominus sic ab hominibus absumpsit, vt ab illis vsum nullum habere potuerint, & ad ardua rerum molimina reseruauit. Quare de rebus omnibus illis commodatum oportuit. Quòd si (vt Hieronymus Epist. 61. longè post medium putat) Israëlitæ in deserto per annos quadraginta neque vnguiũ, neque capillorum incrementa senserunt, quid vetat hoc idem duobus his viris in Paradiso concedere, maximè si nullis vti aut indigere cibis concedamus, quæ nihil existimantur esse aliud, quàm

redundan

redundantia nutrimentorum excrementa.

31. *An in statu sint merendi.*

Quintò dubitatur,an Elias,& Henoch in statu sint merendi, réque vera in Paradiso mereantur. Res est dubia, neque aliquid habet quod sequamur,præter cõiecturas. Quidam illos toto illo tẽpore meruisse,& ad finem vsque mundi merituros putant. Ita putant Abulensis hîc q.24. & in c.25. Matth.q.566.Viegas in c.11. Apoc. com.5. sect.4. Henriquez lib.vltimo de fine hominis c.23.Tenas in c.11.ad Hebræos disp.4. sect.3.Maluenda l.9.de Antichristo c.5.Alij quidam omnino negant,quia licèt nondum assecuti fuerint terminũ vitæ,sic tamen sunt sedati seu sopiti turbidiores animi motus,vt nulla sit reliqua vincendi,seu pugnandi materies, quo singulari priuilegio seu dispensatione quodammodo extracti videntur è via, & quasi in illius termino cõstituti.Ita putat Gabriel Vasquez 1.2.disp.216.c.1.probabile putat Pereira l.7.in Genes.disp.de Henoch q.5.Francisc.Suares tom.2.in 3.p.disp.55.sect.1. Luisius Turrianus in 22. S.Th. q.2.a.9.disp.31.dub.2.vbi negat condignum meritum,congruum admittit.Rationes illæ adducuntur præcipuæ,quia illi extra agonem sunt,neq; ab internis animi motibus,quos sedatos habẽt,& rectæ rationi obtemperantes;neque ab externis stimulis ac iniuriis, aliquid habent aduersum quod patiantur. Deinde,quia si toto illo tempore,quod longissimum fuit, (nam Henoch saltem mortalis vita ipsam prope sæculorũ ætatẽ adæquabit, quia cum ipso ferè mundo cœpit, & cum ipso desinet) continens sit,illius meritum,aliorum Sanctorũ,& Beatæ Virginis superabit merita, quod concedet nemo.Scio hãc rationem multis non adeò videri grauem,vt infirmari non possit. Nam licèt plures fuerint numero in Henoch & Elia charitatis actus,at in Beata Virgine vsque adeò fuerunt intẽsione feruentes, vt vnus multa aliorũ millia lõgis excederet interuallis. Sicut auri libra natura sua & pretio plurimas vilioris metalli libras excellit. Deinde,quia sicut in Elia & Henoch seruatæ non sunt plurimæ naturæ leges,sic etiam neque in meritorum termino & modo.Hãc Suares adducit rationem,quam putat aut propriam aut præcipuam. *Ratio*, inquit, *propria petita est ex diuina ordinatione, ex qua pendet,vt tempus meriti vel demeriti sit hominibus definitum pro statu vitæ mortalis. Quanquam verò hi duo mortui non sint,tamen translatio diuinitus facta quoad hunc effectum,tanquam mors illi reputata est.*

32. At dices,si ita statuamus, duriùs actum videri cum his tãtis viris, & multo inclementiùs quàm cum quolibet è viris iustis,qui aut iã Deo fruũtur in cœlo,aut in terra,tãquam viatores & æternitatis cãdidati, rectam viam ad cœlum ingressi sunt. Illi enim licèt mereri desierint,fruũtur tamẽ beatifica visione,bono videlicet incõparabili; hi verò licèt hac visione aliquãdo careãt,illius tamen desideriũ ea ratione consolatur, quia interea maiori meritorum cumulo, maius sibi quotidie beatitudinis incrementum acquirũt. At hi ita hoc tanto bono carẽt,vt nullo interea lucro ditiores fiant,erepta sibi merendi facultate.Fateor,grauis est hæc ratio, neque parũ cogitationem nostrã premit in oppositum: neque tamẽ deest quid ad obiectionẽ opportunè respondeam.Primùm non detineri hos sãctos Deique amicos homines in Paradiso tãquã in carcere,aut in hospitio parũ instructo,sed in domo planè regia,& beatorũ domicilio,si vlla vsquã in terris,affini ac proxima. Ibi enim nulla pugna, nulla sollicitudo,ac pauor, cùm eò nõ aspirẽt hostiles insidiæ,neque externa aliqua vis,quæ pacem turbet,aut otium interrumpat, cùm non ampliùs timere possint fluctus illos,ex quibus iam in tranquillum portum emersérũt;cùm sedati sint animi turbidiores motus, quibuscum viri sancti bellum gerunt implacabile & durum. Magna sunt hæc & quæ felicitatis æternæ aliquam præ se speciẽ ferunt,& partem non exiguam. Adde quòd cùm in atriis excubent domus Domini,id est,cœlo proximi viuant,magna quotidie hauriunt oblectamẽta de cœlo.Est illis cum Angelis familiare commercium,quos habẽt sic frequentes,& assiduos, sicut habuit quondam Iacob, cùm in terra positus ascendentes per scalã Angelos & descendentes videbat,à quibus illum accipiebãt cibum, qui cœlestes secum asportaret delicias, quo multo reficiebãtur iucundiùs, quàm eo quo splendidas instruit mensas, & magnis sibi parat impendiis lautorum hominũ delicata gula.In hunc sensum accipi possit illud Hieronymi Epistola 61.sæpius citata,*Vescuntur*, inquit,*cœlesti pane, & saturantur omni verbo Dei,habentes eundem Dominum,quem & cibum.* Epiphanius hæresi 64.non longè à fine dicit Eliæ spiritalem esse carnem,quia spiritali pascitur, neque corporalẽ appetit cibum, perinde atque si abstractus foret ab omni concretione mortali. *Elias*,inquit,*est adhuc in carne,carne autem spirituali, & non opus habente, vt per eorũos nutriatur velut cùm in hoc mundo fuit,& vt de torrente Corath bibat,& pellem ouilem induat;sed vt nutriatur alio quodam spirituali alimento,cuius suppeditator est,qui occulta cognoscit, & inuisibilia creauit Deus;ambrosiam quandam ac incorruptibilem cibum habens.*Aug.li.9. Genes.ad literam c.6.ait,*Elias licèt nondum habeat quod sancti, qui iam peracto cursu suorũ operum in cœlis fructum perceperunt,habet tamen melius,quàm homines,qui nondum ex hac vita emigrarunt.*Bernardus serm.6.de Ascensione,abundare cœlestibus bonis affirmat, & carere omnibus tam animi,quàm corporis incommodis, cùm neque senectute conficiantur aut marceant, aut morbo langueſcant,aut vllo tentẽtur dolore, aut cum turbidis motibus,quorum est graue periculosúmque certamen,conflictãtur.*Felices*,inquit, *viri,per quos diuina ascẽsio legitur præsignata; Henoch raptus,translatus Elias. Felices planè qui soli iam Deo viuunt,soli vacant intelligendo,diligendo,fruendo.*Idem penè Tertul.de resurrect. carnis c.58.qui illis immunitatẽ tribuit ab omni vitio,& ab omni dãno, & ab omni iniuria,& contumelia carnis.Hæc magna sunt bona, quæque à beatorũ statu non valdè recedunt,sed audi quàm longè absint à pugna, aut ab his, quæ in natura mortali existimãtur incommoda: statim enim addit. *Neque enim corpora quæ corrumpuntur,illas aggrauãt animas, aut terrena inhabitatio sensus eorum tanquam multa cogitantes, deprimit,qui cum Deo ambulasse noscuntur. Factum (id est, sublatum) est impedimentum omne de medio,occasio vniuersa sublata, materies nulla relicta est,quæ eorũ affectũ aggrauet,vel deprimat intellectum.Nam & priorem;id est, Henoch ob hoc raptum Scriptura commemorat, ne fortè vincat malitia sapientiam,& intellectus eius, vel anima vltra decipi valeat,aut mutari.*

*Elias,& Henoch vitam nunc agunt beatæ similem.*

Adde quod,vt benè Suares suprà, credibile est hos duos viros in gratia fuisse confirmatos, quia non videtur æqua iustaque conditio, vt cõmereri non possint,ad augendum bonorum cumulũ,peccare possint, vt à gratia excidant, & quam antè meruerant,beatitudinem amittant. Neque est improbabile hoc ipsum illos non latere. Quare cùm nihil triste pati,aut timere possint, & cœlestibus quotidie consolationibus afficiantur,non videtur cum illis tam actum iniquè, atque inclementer, sicut alij putant,qui contrà sentiunt. 33. *Elias & Henoch in gratia confirmati.*

Dubitatur

34. *An Elias venturus ad finē mundi.*

Dubitatur sextò, an Elias venturus sit ad finem mundi, vt quæ Antichristi labefactauerit improbitas, restauret. Hoc idem de Henoch quærūt, disputántque Theologi; nos de vno tantùm agemus Elia, quod nostri instituti est, licèt quæ de hac extrema sæculorum ætate de Elia dicuntur, in Henoch, laboris & instituti socium, illa quoque conueniant. De Elia est illud Malachiæ cap. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, & Septuaginta in codicibus à Sixto correctis legunt, *Mittam vobis Eliam Thesbitem.* Quem in locum nos latè in illius loci commentariis, quæ huc conferre libet, quia non minus hîc, quàm illic opportuna. Multa hîc Patres de Elia, & de illius aduentu, vt in diem iudicij ea in Iudæorum genere restituat, quæ Antichristi violentia & fraude collapsa sunt. De quibus præter Malachiæ interpretes, & illorum locorum Euangelij, quæ Ioānem Baptistam Eliam esse dicunt, vide Franciscum Suarem, tomo 2. in 3. parte S. Th. q. 59. disp. 55. & Maluendam de Antichristo l. 9. c. 6. Et primò statuendum est contrà quàm nōnulli existimarunt, Eliam, de quo hoc loco Malachias, non esse Ioannē. neque contrà grauiter vrget locus ille Matth. c. 17. & Marci c. 9. *Interrogauerunt eum, Christum, discipuli dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire. At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.* Nam ex vsu Scripturę talis aliquis dicitur, qualis ille dicitur, cuius exprimit mores, & ingenium. Quomodo Ezech. cap. 16. Chananæa vocatur Ierusalem, quia Chananæorū mores imitatur; & Ioannes Epist. c. 2. *Nunc Antichristi multi facti sunt.* Id est, qui Antichristi meditantur studia, & Ecclesiam Christi persequuntur. Hoc modo Ioannes vocatur Elias, quia illius imitatus est zelum, & pro Ecclesia Christi, & Christi nomine laborauit: neque minus constanter proposito capitis periculo reprehendit Herodē, quàm Elias Achab. Et sanè hoc ipso loco docet Christus dum venturum dicit Eliam, cùm tamen iamdudū venisset Ioānes. Priori autem loco locutus est propriè de Elia: posteriori de Elia mysticè, & de Baptista figurato & vero: de illo dixit venturum esse, de hoc iam venisse. Et clariùs Matth. cap. 11. v. 14. vbi sic de Ioanne, *si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*, vbi duos sine dubio proponit Elias, alterum proprium, qui venturus est ante secundum Christi aduētum, alterum figuratum, qui ante primum. Et quidem venturum esse Ioannem in spiritu & virtute Eliæ, & quasi futurum alterum Eliam, dixit Angelus ad Zachariam parentem, Lucæ cap. 1. v. 1. *& ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.*

*Ioannes propriè nō fuit Elias.*

35. REGVLA. *Talis aliquis dicitur qualis est ille, cuius exprimit mores.*

36. Quare dubitandum non est de Elia propriè, & verè agere Malachiam, quod docet apertè Septuaginta translatio in codicibus à Sixto correctis, qui ita vertunt, *& mittam vobis Eliam Thesbitem.* Sed est alius locus maximè illustris, qui nullo modo dubitare nos sinit, Eccl. c. 48. v. 10. vbi sine dubio in hunc Malachiæ locum intentus, dixit iisdem penè verbis omnia ferme, quæ nunc Malachias. *Qui receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorū, qui inscriptus est in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob*; vt nemo dubitare possit ab Ecclesiastico nunc Eliam designari, sic neque à Malachia, cuius ibi videntur verba numerari. Quòd verò Elias Christi posteriorem aduentum præcessurus sit, qui collapsa restituat, communis est Patrum interpretúmque sententia, quos non refero, ne longum texam authorum catalogum, tu vide quotquot in hunc Malachiæ locum, & in Matth. cap. 17. & in Apocal. cap. 11. commentarios ediderunt, qui plurimi sunt, & communiter docent, cum Elia simul Henoch esse venturum. Loca præcipua, quibus firmatur ista sententia, sunt, quæ à nobis nuper adducta sunt: nempe hoc Malachiæ testimonium, & quod ad illos respectantes exhibuerunt, Ecclesiasticus cap. 48. & Christus, Matth. cap. 17. cúmque ea de re latè ab authoribus disputatum sit, iure videor ab hoc negotio supersedere posse.

*Elias secundum Christi aduentum antecedit.*

37. *Elias, & Henoch in fine mundi occidendi.*

Quòd autem in illo extremo, cruentóque conflictu occidendus sit simul cum Henoch, tenent communiter interpretes, tū alibi, tum maximè ad illud Apocalyps. 11. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis, amicti saccis.* Hi duo, vt cōmunis est sensus, Henoch sunt & Elias, *hi habent potestatem claudendi cœlum ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas cōuertendi eas in sanguinem, & percutere terrā omni plaga quotiescunque voluerint.* Hæc Deus sanctorum virorum admiranda prodigia præstigiosis & falsis Antichristi miraculis opponet. *Et cùm finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abyssо, faciet aduersùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & corpora eorū iacebūt in plateis ciuitatis magnæ.* Hęc erit mors, imò veriùs dies natalis Eliæ, quæ magno quodam incremento superiora merita cumulauit. Neque enim si, dū in Paradiso vixit, expers fuit agonis & meriti, sic extra illam quando ad certamē prodiit, caruit etiam merendi facultate. Quis enim credat strenuum illud studium, quo in collapsi populi instaurationem incubuit, & vitam in Domini causa tam prompto atque hilari animo profusam, caruisse merito, neque vllam postea obstinuisse mercedem? Placet igitur quod Franciscus Suares suprà docuit, interruptam fuisse in Elia, non ablatam merendi facultatem. Ait verò fuisse in statu merendi, & in gratia crescere potuisse ad illud vsque tempus, in quo translatus est, & ad eundem statum merendi rediturum, quando iterum ad secundum Christi aduentum præcursor, & detrimenti per Antichristum allati reparator aduenīet. Hæc nos pro materiæ difficultate pauca de Elia, pro nostro instituto plus fortasse satis attulimus; plura alij. Neque ita in ea parte, quæ de meritorum agit facultate, nostra probamus, vt aliorum, qui contrà sentiunt, sententiam improbemus, quæ neque caret bonorum auctorum testimoniis, neque grauium desiderat momenta rationum.

38.

*Et non vidit eum amplius, apprehenditque vestimenta sua, & scidit ea in duas partes.* ] Ex quo ex Helisæi oculis se subduxit Elias in igneo curru, nō iterum apparuit, neque, credo, cuipiam hominum visus est, aut videbitur vnquam, donec tandem vltimum sæculorum tempus aduenīat. Neque præuisus, & fortasse non semel antè ploratus magistri discessus efficere potuit, ne graue esset & quasi inopinatum illius desiderium. Quare fecit Helisæus, quod solent illi, quos grauis aliquis & inexpectatus dolor inuasit. Solent enim vestes discindere, vt sæpe diximus, maximè lib. 2. cap. 1. vbi hoc ipsum fecisse dicitur Dauid in Saulis exequiis. Hanc reor esse causam vestis in eo articulo ab Helisæo disruptæ, non quia videret sibi ab Elia ipso digressu de pallio prouisum. Vt quid enim homo inops pallium perderet, quod fratribus egenis integrum vsui esse poterat. Rupit

39.

itaque

itaque pallium, vel vt pium pro parente ſublato dolorem oſtenderet; vel vt ſuo ſibi dolori, ab illo familiari tegumento nudus, ſatisfaceret.

40. Verſ. 13. *Et leuauit pallium Eliæ quod ecciderat ei.*] Spiritum accepit prophetalem Heliſæus ab Eliæ pallio lib. 3. cap. 19. quo videtur primùm initiatus, & quaſi inauguratus ad prophetale munus, cum eodem pallio nunc duplicatum accipit ſpiritum, & quaſi alter creditur à ſeipſo. Neque iam videtur Heliſæus, qui antè, ſed Elias, in quem videtur repentè transformatus, vtpote nouis iam idoneus intelligentiis, & miraculorum patrator egregius. Neque fortuitò cecidit Eliæ palliũ, quaſi illud in diſceſſu aſcenſúque ignei currus, minus ſeruaſſet Propheta diligenter, ſed magno Dei conſilio, vt pignus haberet Heliſæus dati ſibi ſpiritus, & quoties palliũ videret Eliæ, parentis ſui ſubiret memoria, & ſeipſum ad illius exprimendam imaginem incitaret. Quod optimum religioſis hominibus documentũ eſt; qui vbi primùm religioſum inſtitutũ amplexi ſunt, ſuos debent mores prorſus exuere, & illos in ſeipſis ad viuũ exprimere, quos informãt illi, quorũ geſtant habitum, & quos habent in nouo viuendi genere duces, & magiſtros.

*Religioſi ſuos exerceve, & parentum mores induere debent.*

41. Verſ. 14. *Percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ, & dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc?*] Percuſſerat ſuprà Elias Iordanis aquas pallio ſuo, atq; ita diuiſerat vt ſiccum reliquerit alueum ad tranſmiſſionẽ expeditã & facilem; hoc idem tentauit Heliſæus vt experimẽto diſceret ſpiritum Eliæ duplicem ſibi fuiſſe conceſſum. Quare eodem quo nuper Elias pallio percuſſit Iordanis aquas, quæ tamen diuiſæ nõ ſunt, vel quia curiosè, quid ſibi fuiſſet à Domino conceſsũ explorare voluit, vel quia inſolentiùs ſibi ipſi de duplicato ſpiritu blandiebatur. Quare ſubindignãs, quòd res nõ ſibi ſucceſſiſſet ex voto, & de Deo potius quàm de Elia, conqueſtus, quòd parẽtis fidem nõ liberaſſet, à quo pater inſtinctus duplicem promiſiſſet ſpiritum; ait, *vbi eſt Deus Eliæ etiã nunc?* id eſt, cur Deus, qui Eliæ adfuit, diuiſítque Iordanem attactu pallij, qui fidelis fuit Eliæ, ad hunc vſque diem, nunc etiam non eſt, neque talia mihi præſtat, qualia præſtitit huc vſque parẽti?

42. *Percuſſitq; aquas, & diuiſæ ſunt.*] Admonitus iã eo rerum euentu Heliſæus ſuarum non eſſe virium aquas diuidere, & demiſſiùs de ſe quàm antè cogitans, percuſſit iterum aquas, quæ diuiſæ ſunt; & ſicut antea cum Elia, ſic etiam poſtea ſolus ſicco veſtigio ad vlteriorem vſque ripam euaſit.

43. Verſ. 15. *Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Heliſæum.*] Cũ filij Prophetarum qui habitabant in Iericho, quíque ſecuti Eliam, & Heliſæum non procul à Iordane ſubſtiterant, viderunt Eliæ pallio veſtitũ Heliſæum, & in eo parentis imaginem, facilè ſibi perſuaſerunt, parentis ſpiritũ in filio conſediſſe, & illũ pro Elia parentẽ atque magiſtrũ fuiſſe ſuffectum. Quam cogitationem confirmauit magis Iordanis miraculoſa traiectio, & eodem modo ſiccatum ab Heliſæo fluminis alueũ, quo paulo antè fuerat ab Elia. Quare omnes prompti atque hilares ad terrã ſe venerabũdi proſternũt. Cúmque parentis optimi deſiderio languerent, déque illo etiã Heliſæum ſollicitum arbitrarentur, afferunt illi viros quinquaginta expeditos, & fortes, qui omnib. veſtigiis indagarẽt Eliam, & ſicubi Gentium lateret, illum ad conſueta ſibi domicilia deducerent. cúmque ſæpiùs ab Heliſæo repulſi, vrgerent tamen, acquieuit illorum precibus Heliſæus, neque labor ille tãtus aliquid attulit præter laſſitudinẽ & moleſtiã. Quomodo enim illũ inuenirẽt, quẽ Deus vſque ad finẽ mũdi ita latere voluit, vt nemo videret, aut locum noſſet, vbi ſuũ ſibi ſeceſſum, aut latebras haberet.

Verſ. 19. *Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis; ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis.*] Erat prope Iericho, vt vidimus, Prophetarum collegium, ex quo paulo antè exceſſerat Elias, cuius ſedes tũ ad alios vſus erat opportuna, tum maximè ad diuinarum rerum contẽplationẽ, quod Prophetis erat proprium, & familiare negotium. Sed illud ad alias commoditates accedebat incõmodi, quod ſalſæ erãt atque inſalubres aquæ, quæ terræ alioquin vbertatis eximiæ, & felicis glebæ, maciem & ſterilitatẽ inuexerãt. Quod incommodum ſi aliqua ratione depelli contingeret, nihil inueniri poſſe putabatur, Prophetarũ, & cœnobitarum inſtituto magis idoneum. Quare orãt Prophetarum filij parẽtem Heliſæum, cui adeò miraculorum facultatẽ conceſſam eſſe nouerant ex ſiccato nuper flumine, quod aperto, atq; arente alueo proximè tranſmiſerat, vt ſanatis aquis, à quibus illius agri proueniebat tam dira calamitas, communi ſaluti, & filiorum commoditati conſuleret. 44.

Verſ. 20. *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal.*] Duo hîc miracula, illáque vehementer admiranda conſpicimus, alterũ ſale immiſſo ſalſugineſum agrum, & ſalſam aquam temporis momento ſanari, & illum reddi vberem, & gratum, hãc dulcem & ſalubrẽ: alterũ modico ſale occultas aquarum ſcatebras, quæ in ipſis terræ viſceribus erant abſtruſæ, quæ poſt multos dies, imò & poſt ætates multas, nunc etiam profluunt, eam accepiſſe virtutem, vt ab agris ſqualorẽ, & maciẽ, & à corporibus faſtidioſam amariciem, & ægritudinem expellant. Nõ dicitur ab aqua ſalſa prouenire, & agri ſterilitas & corporũ morbus, ſed aquæ dicuntur peſſimę & ſolum ſterile; quare ex alio aquarum vitio prouenire potuit illa agrorũ corporúmque deformitas, vt quia ſulphureæ ſunt, aut aliqua alia ratione fœtẽtes, & graues, aut quia ex locis, quæ permeãt, aliquid ſecum traxere peſtilens & noxium, quod agros aut vrit, aut corrumpit. Quales plurimæ ab hiſtoriæ naturalis auctoribus traduntur, quæ inſalubres reddunt regiones, quas interfluunt, & irrigant, aut ineptas ſementi, aut beſtiolas alunt infeſtas, nõ ſolũ frugibus, ſed etiã hominibus. Quòd ſi ita ſtatuas, quod Valleſio in ſua ſacra Philoſophia videtur non difficile, quia contra mortifera vim, qualẽ aquæ iſtæ peſſimæ videntur habuiſſe, dum iniecto ſale exceſſiſſe dicitur mors, & ſterilitas, (mors enim nõ tã à ſalſugine, quàm ab alia vitioſa qualitate prouenit) non exiguũ vſum videtur attuliſſe ſalis admixtio, quod vt alia putrida, atque corrupta, & olẽtia grauiter, ſanat & corrigit: Sic etiã, ſi quod eiuſmodi vitiũ aquis adhærere contingat, illud ſalis aſperſio aut omnino tollit, aut reddit minùs noxium, & graue. Et addit iis, qui rerũ naturas diligenter explorant, nullum remediũ videri præſtãtius, vt expurgentur putei grauiter olentes, aut prauo aliquo ſapore infecti, quàm ſi in illo ſal ad certam aliquam menſuram iniiciatur. Quod ſi ita eſt, accommodatum fuit remedium à ſale petitũ: & in eo tantùm ſpectari potuit miraculũ, quòd ſale modico aquæ iuges, & ex imis terræ viſcerib. quò penetrare non potuit medicina, ſcaturientes, vim illam grauem & peſtilentem depulerint. 45.

*Sanat Heliſæus aquas.*

*Salũ quid effectus.*

An verò aquæ illæ à ſalſugine, vel ab aliqua alia proprietate fuerint infectæ, incertum eſt: ex loco autem, vnde fons ille noxius erumpebat, ſumi poteſt aliqua coniectura, vt putemus ex corruptione & qualitate fœtenti, & putri, prouenire ſterilitatem & morbum, non ex ſalſuginis vitio. Erat enim fons ille proximus mari mortuo, cuius aqua craſſior 46.

crassior est,& magis amara quàm vt potari queat: quæ & grauem habet anhelitum, neque in vicinis locis quicquam sinit esse frugiferum. Est autem verisimile ex mari illo mortuo per occultos meatus aquas in illius fontis caput deriuari, quæ & corporibus tabem,& agris maciem,& sterilitatem induceret. Sed hoc mihi ideo est difficile,quia cũ Iericho in superiori loco esset ex mari mortuo, quod in valle est,vt constat ex Gen.c.14.(vbi sæpe vallis appellatur siluestris)non potuit aqua acclui cursu ad locum illum superiorẽ ascendere. Verius puto aquas illas Ierichuntinas fuisse salsas, quod ex ipsius loci natura mihi persuadeo, in qua salis est plurimũ,atque adeò salsuginosus est ager. Antequam vallẽ illã, vbi quinque fuere ciuitates, cæleste consumeret incendium, tantum ibi salis fuit,aut fossile,aut ex aqua concretum salsa,vt vallis appellaretur salis,Gen.14. v.3. & mare salsissimum, & sæpe audiuimus vallem salinarum, quæ non procul abest à mari mortuo.Neque leuis cõiectura sumitur ex statua salis, in quam Gen. 14.
47. conuersa fuisse traditur vxor Loth.Erat enim,opi-
*Sal alicubi fossile.* nor,ibi sal fossile,ex quo sicut alicubi in Hispania quasi è saxo duro simulacra fingũtur. Vt ergo ibi, si quis fuit fons, illum salsissimum fuisse oportet, sic etiam si in Iericho mons aliquis fuit ex salso lapide, salsas fuisse aquas necesse est. Adde quòd hoc vitium frequentissimum esse solet in aquis,ex quo illæ fiunt nulla ratione poculentæ, quales sunt marinæ,& terram omnino reddunt infœcundam. Quare iã inde ab antiquissimis temporibus ad nostrum vsque sæculum terra illa in alicuius sceleris vltionem conspergitur sale,quã esse sterilẽ optamus. Quòd autẽ,iubente Deo,sal fuerit ab Helisæo in fontem missum, probat effectus ipse, id est, aquarum sanitas,& verba,quibus in lustralis aquæ benedictione vtitur Ecclesia. Ait enim, *Exorciso te creatura salis per Deum, qui te per Helisæum in aquam mitti iussit,vt sanaretur sterilitas aquæ.*

48. Sed quæret hîc aliquis, cur si Ierichuntinæ ciuitatis aquæ pessimæ fuerint, quæ hominibus tabem & agris sterilitatẽ inducerent,cur tandiu habitata fuit & regia sedes, & iterum tanto studio restaurata,quod sanè debuisse fieri non videbatur, si tã esset humanis rationibus, & naturæ commodis inimica. Egit hac de re Abul. q. 33. & 34. vbi ea de re latissimè; ego sic puto occurri facilè posse huic difficultati;Primùm,si dicamus Ierichuntis incolas, quod plures alij faciunt in terra promissionis,aquis vti ad potum non fontanis,& iugibus,sed pluuialibus in cisterna conclusis,neque regionem omnem esse sterilem, sed illam tantùm, quam fons ille salsus,aut corruptus irrigaret.Quare cùm pinguis esset gleba, & ager non solùm ad fruges;sed etiam ad delicias idoneus,& satis esset ciuibus ab aqua collectitia prouisum,nil mirum si tam esset antea libenter habitata, & postea tanta auiditate è rediuiuo lapide constructa. Secundò non hîc agi de omnibus aquis quibus ager abundabat Ierichuntinus, neque de omni agro, sed de fonte, qui erat in certo quodam loco,in eo fortasse, vbi Prophetarum filij suum sibi collegium excitarant,cuius erant aquæ pestilentes, & salsæ; & de agro quem ipsi colebant,quẽ aqua ex illo fonte diffusa reddebat infœcundum. Quod si,qui hîc dicuntur viri ciuitatis, discipuli fuerunt Helisæi, res videtur minùs difficilis. Quærere enim videntur Prophetarum filij à parente suo Helisæo,quem Eliæ duplici spiritu cumulatum videbant,medicinam,qua sanetur aqua,quam habent suo vicinam domicilio,aut fructum capiant ex agro,quem sine

A vllo operæpretio,assiduo colunt,& molesto labore. Et hoc videri posset verisimilius, de sua enim Prophetarum filij, non de communi causa laborasse videntur.

Libet hîc adiicere,quod de hoc fonte Iosephus 49.
refert lib.5.de bello c.4.in quo multa addit de suo *Quid de fonte Iericho fabulosè Iosephus.*
potiùs cerebro,quod facit aliquando,quàm de sacro textu. *Hunc fontem,*inquit,*aliquando ferunt,non solùm terræ atque lignorũ fructus,sed etiam fœminarum partus obundare solitum, cunctaque pariter morbo, ac peste corrumpere: postea verò mansuetuisse,contráque feracissimum,& saluberrimum esse factũ ab Helisæo quondam Propheta. Receptus enim hospitio à Ierichuntis habitatoribus,quòd humaniores expertus erat,ipsos & omnem illam regionẽ perpetua gratia remuneratus est,progressúsque ad fontem, lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit,iuxtà deinde ad cœlum dexterã extendens,fontique immergens blãda libamina ipsum quidem fontem precabatur,vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret: Deum verò vt fœcundioribus auris fluminatẽperaret orabat, támque vbertatem fructuum,quàm successionem prolis daret indigenis, nec eis genitrix filiorum aqua deficeret, quoad iusti manerent. Ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus,fontem immutauit,& qui antea causa erat hisorbitatis,ac famis,idem victus, & fœcunditatis auctor est effectus.* Hæc Iosephus, vbi vides quàm multa Scripturæ affingat,&,vt opinor,etiam veritati.

Quærit hîc Abul.q.33.cur Helisæus vsus fuerit 50.
sale,& vase nouo,quod nulli antea ministerio seruierat,vt aquas illas pestilentes corrigeret; & respondet id eo consilio factum à Propheta,ne quis suspicaretur maleficio aliquo aut arte dæmoniaca factum esse miraculum.Nam si certũ aliquod vas, & sibi notum,& familiare ad illam fontis medicinam adhibuisset,crederet nonnemo vas illud magicis veneficiis imbutum,& in illo vim totam esse medicam, non in virtute, quam ipse accepisset à Domino,aut in ipso Domino, cuius ipse tunc nomine locutus est.Atque ideo vas iubet sibi nouum afferri, quod ipsi vellent, ne qua esset aut veteratorij artificij, aut artis damnatæ suspicio. Deinde iubet vt iidem sal mittant in nouum illud vas:ne aliquid ipse attulisse existimetur è suo, in quo lateret aliquid magicum, cui aquarum sanitas esset attributa. Ex hoc Helisæi sale, vt meditatur Abulens. q.37. & Gulielmus Durand. de ratione diui- 51.
norum offic.lib.4 c.4.sumpsit Ecclesia sal,quod in aquæ lustralis benedictione benedicit & miscet,in quo salis meminit quod ad sanandas aquas Helisæus adhibuit. Abulensis putat non effudisse Prophetã salem è vase,sed vas cũ sale in caput fontis proiectum fuisse; quod sumpsit ex Iosephio,cuius nos proximè verba retulimus,sed pronior est textus in eam explicationem, quæ salẽ tantùm aquis putat infusum. *Egressus,*inquit,*ad fontem aquarum, misit in illum* (fontem) *sal.* Et ex eo tempore sanatæ sunt aquæ,in quibus postea numquã apparuit, vis illa prior noxia, quæ terrã reddebat infœcundam,imò,vt dicebat Iosephus,fœminarũ vuluam, & morbis humana corpora debilitabat assiduis. Quod de fœminarũ sterilitate dixit Iosephus,dixit quoque Ambr.ser.2.de Helisæo.*Videte,*inquit,*Helisæi quanta sint merita,cuius prima in ciuitate hospitalitas,filiorum est magna fœcunditas. Dum enim sterilitatem auertit aquarum,successionem largitur hæredum.* *Sal cur miscetur in aquæ benedictione.*

In hoc vase nouo, & ab omni contagione pu- 52.
ro, in quo sal continetur, quod aquam sanat,quæ campos vrit, & facit steriles, & corpora ægritudine penè familiari tentat, atque contaminat, spectare videor, Apostolici viri accommodatum

*Viri Apostolici symbolum.*

symbolum, & viuum exemplar, cuius est munus sanare aquas, non tam agris atque corporibus, sed animabus graues; mores, dico, prauos, atque corruptos, qui non aliter serpunt, & libero labuntur influxu, quàm aquæ in decliui loco, quas nullus agger cohibet, nulla moles oppositа retardat. Hoc vas esse debet aut nouum, quod nulla contaminauit impuritas, aut si quando scelerum imbutum sordibus, ita post hæc mundatum diligenter, vt nullus sit reliquus superioris labis aut sapor, aut odor, qui clamare quotidie debet, nisi malit suum laborem esse, à fructu atque mercede vacuum, Dauidicum illud Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Post quæ verba illud addere legitimè ac sine pudore poterit, *Domine labia mea aperies:* Quod idem est atque Apostolicum obire ministerium.

53. Vers. 23. *Ascendit autem inde in Bethel.* ] Sicut Elias cùm discessurus esset, discipulorum suorum conuentus lustrauit, Iericho videlicet, & Bethel, vt vidimus nuper; sic etiam eadem lustrare collegia voluit Helisæus, tum vt suo conspectu solaretur dolorem, quem filij de parentis Eliæ profectione conceperant, tum etiam, vt doceret, licèt Elias eò esset ablatus vnde non esset iterum reuersurus, non tamen defuturum qui in eius locum & curam succederet. Cùm igitur venisset primùm Iericho, quæ propior erat Iordani fluuio, quem Eliæ proximè pallio diuiserat, statim profectus est in Bethel, vt suam de illius conuentus institutione sollicitudinem ostenderet, & in suscepta viuendi ratione confirmaret.

54. *Cúmque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue.* ] Erat Bethel aurei vituli præcipuum, &, si quod aliud, admodum illustre sacrarium. Quare ciuitas illa, vt impiis sacrificiis, sic etiam plurimis abundabat idololatris, qui veram religionem aut contemnebant, quasi aliquid foret vanum, & nugatorium, aut certè de illa, aliis iam sacris occupati, ac dediti non curabant. Hinc fiebat vt liberè insultarent his, qui alienam profitebantur religionem, eósque conuitiis inuerecundè conciderent, & illos maximè, quos impensiùs videbant pietati seruire. Quorum è numero Helisæus erat, & qui eandem cum Helisæo viuendi formam, & amplexi studiosè fuerant, & externo profitebantur cultu.

55. *Parentum mores filij plerumque exprimunt.*

Cùm ergo id ferat natura rerum, vt filij parentum exprimant mores, & ea sapiant, faciántque plerumque, quæ parentibus vident esse familiaria, quæque frequenter in oculos incurrunt, fiebat, vt filij paternos mores imitati, talia in viros sanctos maledicta conferrent, qualia videbant intorqueri à parentum infensa atque procaci lingua; imò vt communis est interpretum, Patrúmque sententia, emissa fuit à patribus puerilis illa turba, vt Prophetæ quem suis studiis norrant esse contrarium, insultarent audaciùs, aut certè illorum petulantiæ fauebant. Quod docuerunt August. serm. 204. de tempore. *Rem parentibus instigantibus fecisse pueri contumelioſi credendi sunt. Neque enim illi clamarent si suis parentibus displiceret.* Idem penè Iustinus q. 80. ad Orthodox. qui in pueris occisis castigatos dicit esse parentes, vt discerent non afficiendos esse Prophetas contumeliis, & in Prophetis Deum. Illud autem puerile conuitium, *Ascende calue.* sic explicat eo loco Iustinus. *Proscindendæ*, inquit, *per detractionem Eliæ assumptionis gratia proferebant, perinde ac si dicerent, abripiat te quoque spiritus, & in iuga montium inuia & inaccessa abiiciat, quemadmodum illum abiecit, vt itidem à te liberemur, sicut ab illo liberati sumus.* Procopius subita illa puerorum clade clementer ait actum esse cum filiis, quòd crescentem temporis progressu malitiam inhibuit, vt cum eorum etiam parentibus, quos docuit, quomodo denique informare debeãt filiorum mores, qui quod rudioribus annis imbiberunt, non facilè deponunt. Deinde ipsos quoque à peccando deterruit adultos, dum teneram ætatem tam seuerè castigat. Et tandem addit illud opus esse clementiæ, dum illi de medio sublati sunt, quos Deus si vitæ contigisset vsura diuturnior, deteriores fore præuidebat.

56. *Caluitium in maledictis obijcitur.*

Cur verò à pueris caluus appelletur Helisæus, aut quid in ea compellatione hæserit ignominiæ; videndũ est. Caluus fortasse fuit Helisæus, licèt de ipsius ætate non constet, quam verisimile est fuisse senilem, quando illius curæ atque prudentiæ tot hominum administratio commissa est; quæ senile, id est, maturum iudicium requirit. Caluo præterea quemquam esse capite ex vitio creditur prouenire naturę, atque adeò probro datur, maximè à pueris, & petulanti turba, quæ nullam honesti rationem habet, aut decori; sed quicquid aliis inest vitiosum ac deforme, id statim exprobrat. Quàm verò turpe sit caluitium, docuerunt sæpe scriptores profani, quorum vnus Ouidius cecinit,

*Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,*
*Et sine fronde frutex, & sine crine caput.*

Quod indicarat multo antè Aristoteles lib. 5. de generatione animal. idem esse in homine calescere, quod plumas ex auibus, aut frondes ex arbore defluere, sine quibus quid illa deformitatis habeant, quis non videt? Sanè hoc antiqui signum conditionis seruilis esse voluerunt. Notum est illud Aristophanis in Auibus, vbi accusatur quidã, quòd cùm seruus esset, suæ conditionis immemor, comam nutriret, δοῦλ' ὢν κόμην ἔχεις. Quantus honor esset in capillato capite docuit paucis Ambrosius lib. 6. Hexaëmeron. c. 9. *Ipse autem vertex capitis quàm suauis & gratus? Quàm speciosa cæsaries, quàm reuerenda in senibus, quàm veneranda in sacerdotibus, quàm terribilis in bellatoribus, quàm decora in adolescentibus, quàm compta in mulieribus, quàm dulcis in pueris?* Deinde addit quod proximè Aristoteles, *Ex arboribus licet quæ humani sit gratia capitis æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulcritudo, tolle arbori comam, tota arbor ingrata est.*

57. *Fatuus caluus dicitur.*

Hinc opinor ortum est, vt calui nomen sit iam omnibus commune, ac familiare conuitium; ita vt hominem stupidum ac bardum, etiamsi nulla insit à caluitio deformitas, caluum appellemus; sicut vocamus *stipitem, caudicem, aut asinum*, vel quid simile. Sanè sic videtur Lucianus appellasse quendam, dum illum stuporis, & tarditatis incusat: vocat enim φαλακρὸν. Legisse me memini, locus non succurrit; vocatur fatuus & nugator *Caluus* à Persio. Satyra 1. Loquitur enim non cum homine, ex cuius capite defluxerunt capilli, sed cum stolido, & vano, quicumque ille esset; quem explicationis gratia pinguem appellat.

——— *Nugaris cùm tibi calue,*
*Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extat.*

58. *Caluorum, & senum in comœdiis vilissima persona.*

Moriones præterea in fabulis, & mimos caluos vocari, indicat lex duodecim tabularum, *Si caluitur.* Quod, vt docet Nonus Marcellus, idem est, quod frustratur, aut decipitur, *Tractum*, inquit Marcellus, *à caluis mimicis, qui sunt omnibus frustratui.* In comœdiis olim vilissima persona senis, qui plerumque caluus. Cui illudebant alij, quasi moriones essent, & deliri; qualis erat apud Terentium Demea in Adelphis. Sanè apud

apud eundem in Hecyra dixit senex Laches ad Sostratam anum, *Fabulæ sumus senex, atque anus.* Explicuit hoc optimè Cicero lib. de amicitia, in fine, vbi hæc recitat carmina ex poëta nescio quo.

*Hodie me ante omnes comicos stultos senes*
*Versaris, atque luseris lautissimè.*

Et addit de suo, *Hæc enim in fabulis stultissima persona est improuidorum, & credulorum senum.* Et in lib. de senectute ex Cæcilio, senes iterum stultos comicos appellat, id est, qui in fabulis stulti fingun-tur. Neque aliud crediderim voluisse pueros, dum caluum compellant Helisæum, quàm quod postea illi, qui statim cap. 9. vocauerunt *insanum* Helisæi discipulum, vulgus enim hominum viros, qui sese exemerunt à turba, & aliud amplexantur viuendi genus, stultos, & insanos appellat.

59. Ex his mihi verisimile est non proprio, sed communi, vulgarique conuitio vocari caluum Helisæum à pueris, qui hoc nomen in maledictis à parentibus vel à maiori turba sæpius audierant. Nihilominus puto verè fuisse caluum Helisæum, siue ab ætate, siue ab instituto: fortasse enim qui illud vitæ genus profitebantur, radebant caput, etsi minus à natura, caluis tamen erant capite raso, quàm simillimi. Neque aliam ob causam sacerdotes Isidis familiari epitheto vocantur calui, nisi quia caput ad cutim ex instituto radunt: de quibus Iuuenalis Satyra 6.

*Qui grege lanigero circundatus, & grege caluo.*

Et Martialis lib. 12. epigr. 29.

*Lanigeri fugiunt calui, sistrataque turba.*

Vers. 24. *Et maledixit eis in nomine Domini.*] Ex his constat diuino afflatu impulsum Helisæum, non studio vindictæ maledixisse pueris, & talia imprecatum, qualia ipsi ab vrsis passi fuerunt. Neque enim si vt suæ sibi offensioni satisfaceret, malum optasset, illius votis Deus annuisset. Quia ergo Deus illius probauit studium, & zelum, petulantes puerorũ voces repetino mulctauit interitu. 60.

*Lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.*] Magnam fuisse oportet puerorum turbã, quando tanta illorum multitudo interiit, aliquot tamen illorum ex ea clade fuisse superstites, indicat ipse loquendi modus. Perierunt, opinor, illi, in quibus maior hæserat culpa, aut quos ad illudendum Prophetæ parentes incitarunt, vt & ipsi pueri suæ petulantiæ, & adhortationis impiæ parentes in filiorum cæde pœnas exoluerent. 61.

# IN CAP. III. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*REDDEBANT Moabitarum Reges ex suis gregibus, quos alebant in sua regione copiosissimos, ex pacto annis singulis centum agnorum millia, & totidem arietum Regibus Israël. Mesa porrò, qui tunc Moabiticum Regnum obtinebat, Ioramo, qui paulo antè regnum inierat Israël, tributum illud annuum præcisè negauit. Quod vltro noluit dependere Mesa, id armis extorquere ab inuito tentauit Rex Israël. Quare bellum adornat contra Moabitas, bellique socium aduocat Iosaphat Regem Iuda, qui cum domo Achab iam antè societatem, affinitatémque contraxerat: quibus se tertium socium adiunxit Idumæus. Mouerunt castra per desertum Idumææ, per terram videlicet siticulosam, & arentem: cúmque siti exercitus laboraret anguste, eáque cura grauiter regios vrgeret animos, consultus Helisæus, & oratus à Regibus impetrat à Domino aquas sine pluuia, ac vento, à quibus depulsa sitis, refecta corpora, & insuper confirmati animi spe victoriæ, quam Dei nomine Propheta promisit. Quæ vsque adeò fregit Moabitas, vt relictis aliis vrbibus, quarum erant vastati agri, & obturati fontes, ad illam confugerint, in qua regia erat sedes, & præcipuum regni munimentum. Quam cùm vallarent hostes, & premerent anguste, viderétque Moabita omnem ad salutem aditum occludi, consilium iniit planè miserabile. Filium enim primogenitum, quem ius, & natura ad regnum vocabant, spectantibus hostibus iugulauit. Quæ res sic commouit sedauitque offensos inimicorum animos, vt quàm primùm obsidione soluta conuersis studiis in patriam remigrarint.*

## CAPVT TERTIVM.

1. IOram verò filius Achab regnauit super Israël in Samaria anno decimo octauo Iosaphat regis Iudæ. Regnauítque duodecim annis.

2. Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus & mater: tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater eius.

3. Verumtamen in peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, adhæsit, nec recessit ab eis.

4. Porrò Mesa rex Moab, nutriebat pecora multa, & soluebat regi Israël centum millia agnorum, & centum millia arietum, cum velleribus suis.

5. Cúmque mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fœdus quod habebat cum rege Israël.

6. Egressus est igitur rex Ioram in die illa de Samaria, & recensuit vniuersum Israël.

7. Misítque ad Iosaphat regem Iuda, dicens: Rex Moab recessit à me: veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus; & equi mei, equi tui.

8. Dixítque: Per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertũ Idumææ.

9. Perrexerunt igitur rex Israël, & rex

Iuda,& rex Edom, & circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, & iumentis quæ sequebantur eos.

10. Dixitque rex Israël: Heu heu heu, congregauit nos Dominus tres reges, vt traderet in manus Moab.

11. Et ait Iosaphat: Est ne hîc propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum? Et respondit vnus de seruis regis Israël: Est hîc Eliseus filius Saphar, qui fundebat aquam super manus Eliæ.

12. Et ait Iosaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Israël, & Iosaphat rex Iuda, & rex Edom.

13. Dixit autem Eliseus ad regem Israël: Quid mihi & tibi est? vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Israël: Quare congregauit Dominus tres reges hos, vt traderet eos in manus Moab?

14. Dixitque ad eum Eliseus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.

15. Nunc autem adducite mihi psaltem. Cúmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait:

16. Hæc dicit Dominus: Facite alueum torrentis huius fossas & fossas.

17. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & iumenta vestra.

18. Parúmque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras.

19. Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuersum lignum fructiferum succidetis, cunctósque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.

20. Factum est igitur mane quando sacrificium offerri solet, & ecce aquæ veniebãt per viã Edom, & repleta est terra aquis.

21. Vniuersi autem Moabitæ, audientes quòd ascendissent reges vt pugnarent aduersum eos, conuocauerunt omnes qui accincti erant balteo desuper, & steterunt in terminis.

22. Primóque mane surgentes, & orto iam sole ex aduerso aquarum, viderunt Moabitæ è contrà aquas rubras quasi sanguinem, dixerúntque:

23. Sanguis gladij est: pugnauerunt reges contra se, & cæsi sunt mutuò: nunc perge ad prædam Moab.

24. Perrexerúntque in castra Israël, porrò consurgens Israël, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, & percusserunt Moab.

25. Et ciuitates destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleuerunt, & vniuersos fontes aquarum obturauerunt: & omnia ligna fructifera succiderunt, ita vt muri tantùm fictiles remanerent: & circumdata est ciuitas à fundibulariis, & magna ex parte percussa.

26. Quod cùm vidisset rex Moab, præualuisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, vt irrumperent ad regem Edom: & non potuerunt.

27. Arripiénsque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israël, statimque recesserunt ab eo, & reuersi sunt in terram suam.

# IN CAP. III. LIB. IV. REGVM
## COMMENTARII.

Vers. 1. *Ioram verò filius Achab regnauit super Israël in Samaria anno decimo octauo Iosaphat regis Iuda, regnauitque duodecim annos.* ]

1. HIc Ioram non successit Achab parenti suo proximè, sed Ochoziæ fratri, qui duobus regnauit annis, vt diximus, & sine liberis decessit. Hîc nonnulla occurrunt in temporum ratione non admodum expedita. Quæ tamen iuxta regulas suprà traditas ad c. 1. num. 17. conciliari possunt; vbi diximus annos interdum imperfectos omitti, interdum censeri pro integris: & cùm aliquando filij simul cum parentibus regnauerint, nonnumquam filiis annumerari annos, in quibus filiis cum parentibus fuit commune regnum, interdum illos tantùm, quos extincto patre solus sine consorte filius tenuit regni gubernacula. Quare si cum patre quisquam duobus regnauit annis; & solus decem, regnasse dici poterit aut decem, aut duodecim: & regnasse cœpisse alterius Regis anno aut decimo octauo, aut vigesimo; sic multa componi posse diximus, quæ minus inter se consentire videbantur; cùm vno in loco ponatur alius annorum numerus, v. g. in libris Regum, alius in alio, puta in lib. Paralip. in quibus idem sæpe tractatur argumentum. Hoc ad varios vsus præmissum esse volo, ne cogar iterare sæpius, & eandem responsionem, ad multas quæstiones, sibíque quàm simillimas adhibere. Si quid occurrerit, cui hæc communis veráq; doctrina non satisfaciat, quod accidet aliquando, aliam tentabimus viam explicandi nodi.

REGVLA. *Quomodo concordari possint tempora, quæ dissentire videntur.*

Vers. 2. *Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus, & mater: tulit enim statuas Baal.* ] 2. Duo fœdarunt tempore Achab Israëlitidem gentem impietatis genera, vitulorum impia sacraria, quæ primùm induxit Ieroboam, & conseruauit Achab: & quæ accepta à parente, patriáque Gentili induxit Iezabel. Quæ cùm esset Sidonia, Sidoniorum

niorum diis in Israëlitico tractu excitauit altaria, & Baalis effinxit simulacra, sacrauit sacerdotes, instituit sacrificia. Posteriora hæc sustulit Ioram, priora retinuit, & sicut fecere superiores Reges Israël, diuinos vitulis honores impendit. Atque ideo dicitur neque tam peccasse impudenter & grauiter sicut parentes, qui nouam induxerant impietatem: neque omnino ab idololatria fuisse liberum, cùm conflatis à Ieroboamo vitulis adhæserit.

3. Vers. 4. *Porrò Mesa Rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat Regi Israël centum millia agnorum.*] Subegit Dauid sibi regiones plurimas, easque sibi reddidit vectigales, vt habes lib. 2. c. 8. Qualis fuit Syria, Idumæa, Moab. De Moab habes ibi v. 2. de Idumæa v. 14. Quod ad hoc vsque tempus pensitauit Moab, ad tempus, inquam, Achab, nam & illo mortuo, & Ochozia regnante, rebellauit Mesa. Neque tamen contra illum quicquam molitus est Ochozias, aut quia non satis habuit temporis, cùm regnum non duraret vltra biennium, aut certè, vt erat animo imbecillo, & languido, tentare non est ausus. Cùm verò hæ regiones Dauidi, & Salomoni filio, qui in Israële toto dominabantur, vectigalia penderent, postquam regnum illud dissectum est, aliæ prouinciæ Regibus Israël, aliæ Regibus Iuda, pro locorum opportunitate, & vicinia tributa soluebãt. Moabitica regio Israëlis, Idumæa Regibus Iuda, vt mox videbimus. Huic porrò Mesæ cùm regionem incoleret vberem, & pascendis gregibus idoneam, de gregibus statis temporibus certus quidam numerus impositus est; quem ille fideliter reddidit, non detonso vellere ex pacto. Vbi vulgatus *nutriebat*, Hebraicè est נקד *noked*, id est, punctans, seu consignans, quia qui greges pascunt, aut nutriunt, certa quadam nota, seu charactere consignant pecora, quo ab alienis gregibus distinguantur. Est autem vsitatum valdè, vt certa quædam actio totam artem, aut munus significet. Quomodo salsamentarius hac nota significatus est; *qui cubito se emungit*, Tribunus, *qui in militum capita frangit vites*. Sic quia pastores aut pecorum Domini notis quibusdam pecora compungunt, aut signant, נקדים dicuntur, id est, punctantes. Certè hoc esse proprium pastorum munus, dixit Virgil. lib. 1. Georgicor.

*Pecora certa nota consignari solita.*

*Aut pecori signum, aut numeros impressit aceruis.*

Festus, *Signare significat modò scribere, modò annulo signa imprimere, modò pecora signis notare*. Isidorus lib. 20. cap. *Character est ferrum caloratum, quo notæ pecudibus inuruntur*.

5. Vers. 6. *Egressus est igitur Rex Ioram in die illa de Samaria, & recensuit vniuersum Israël.*] Cùm statuisset Ioram omnino subigendum esse populum rebellem, & ad officium & fidem reuocandum, delectus habuit ex ditione sua, quàm maximos potuit, & affinem iam sibi Regem Iuda Iosaphat, rogauit sibi vt veniret subsidio contra rebellem seruum, & hostem quodammodo communem. Quod ille libenter ac prolixè pollicitus est. Neque satis habuit è subdito populo milites cogere, qui vnà secum militarem operam Ioramo nauarent, sed etiam eodem compulit Idumæum, subiectum tũc sibi, & vectigalẽ populum. Quod ex eo mihi persuadeo, quia rogatus Iosaphat per quam viam ducendus esset exercitus in terram Moabitidem? respondit per Idumæam, id est, per regionem sibi iam antè subiectam. Vnde secum Regem abstulit Idumæum, vt è toto capite constat.

6. Vers. 9. *Perrexerunt igitur Rex Israël, & Rex Edom, & circuiuerunt per viam septem dierum.*] Ex Gasp. Sanctij Com. in lib. Reg.

A Idumæa ad regionem vsque Moabitidem septemdiale iter est, non quidem singulari, & expedito, sed militari incessu, seu prætorio, qui magis est impeditus & tardus; totus autem tractus inaquosus erat, & sitiens. Quare necesse erat, nisi Deus laborantem respexisset exercitum, vt perirent omnes siti, aut graui aliquo premerentur incommodo. Quod cùm impendere sibi existimaret Rex Israël, cuius præcipuè agebatur causa, exclamare cœpit, & dolere, quasi actum iã esset de tribus Regibus, quos Deus Moabitarum ferro obiecisse videbatur.

Vers. 11. *Et ait Iosaphat: Est ne hic Propheta Domini.*] Inops consilij Iosaphat cum rem eò addictã videret, vnde non putabat habiturũ effugium, B aut exitũ talem, qualem sibi pollicebantur prius, à Domino duxit petendum esse consilium, quando opportunum nihil expectari poterat ab hominibus. Rogat igitur an ibi esset Prophetarũ aliquis, qui à Deo sciscitetur rerum euentum, aut quid sit opus factu. Accidit autem percommodè non sine diuino consilio, vt Reges hosce sequeretur Helisæus, qui, vt ex fine capitis præcedentis liquet, in Samariam venerat, vnde mouit conscriptus exercitus à Ioramo. 7.

*Est hic Helisæus filius Saphar, qui fundebat aquas super manus Eliæ.*] Hìc Rab. Salomon suo more nugatur, & putat ab Helisæo, Eliæ aquã manibus tunc infusam, quando in monte Carmelo super sacrificium ex boue, & circum altare aquam fudit C copiosam, ita vt aqua fossas hinc inde circunductas impleret. Sed errat hìc Rabbinus iste admodum infantiliter; tũ quia capite illo 18. apertè dicitur ab illis, qui contrà stabant pro Baal, impletas fuisse hydrias, & aquam effusam. *Implete*, inquit Elias, *quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum*. Deinde, quia eo tempore nondum sibi Elias socium asciuerat Helisæum, quem c. 19. vnxit Prophetã, & sibi sociauit. Fudisse autẽ super Eliæ manus aquã Helisæũ, nihil est aliud, quàm Eliæ fuisse famulum, & illi talia præstitisse ministeria, qualia serui assolent Dominis suis. Est autem vsitatũ tam in sacra, quàm in profana literatura, vt actio aliqua pro toto ministerio aut arte sumatur. Quomodo soluere corrigiã calceamẽti, idem est quod obire seruile ministeriũ, &, quod dicebamus proximè, notas pecoribus imprimere, quo distinguantur ab aliis, idé valet quod pastoritium opus exercere. Neque puto tam fuisse delicatũ, aut lautum Eliam, vt illam operam sibi ab Helisæo præstari voluerit, quam ipse multo libentiùs impenderet Helisæo, sed quia hoc est plerunque seruile negotium, ideo prouerbiali specie suspicor vsurpari solitum pro munere & conditione seruili. 8.

*Aquã fundere lauandis manibus opus seruile.*

Vers. 12. *Descenditque ad eum Rex Israël, & Iosaphat Rex Iuda, & Rex Edom.*] Verùm angustiæ & ineluctabilis infortunij incussa formido, faciunt, ne quis magnificè de se loquatur, ac sentiat; imò ne se quis aliis superiorem existimet. Quare viri etiam principes, vt subsidium sibi parent in aduersa fortuna, supplices se abiiciunt ad inferiorum pedes. Id hoc loco tribus contigit Regibus, cùm ante illorum oculos, aut mors obuersaretur, aut ignobilis fuga, aut quod ab insolẽte victore accidere solet infortunium. Quare non accersunt Helisæum quem esse secum in castris audierant, sed ad illum descendunt, orántque, vt pro ipsorum causa, quam in summum putabant adductam esse discrimen, precaretur Deum, & ab illo de rerum exitu, aut de pugnandi ratione consuleret. Quòd vero eò spiritus demitterent regios, faciebat & angustus ille rerum articulus, 9.

& quòd non ignorabant, quàm esset Helisæi oratio, & indignatio dura, cùm audiissent (quis enim rem ignorasset tantam?) & sanatum esse fontem Ierichuntinum, & quadraginta duos pueros laceratos ab vrsis, qui vulgari conuitio tanto viro petulanter illuserant.

10. Vers. 13. *Dixit autem Helisæus ad Regem Israël: Quid mihi & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ.* ] Satis graue documentū dederat Helisæus accepti ab Elia duplicis spiritus, Prophetici nimirum, & mirabilium operum operatorij, tum etiam seueri in eos, quorum essent liberi, & profligati mores; nunc autem & illum zelū ostendit, quem Elias habuit aduersùs Reges impios, quorum neque horruit potentiam, neque ita aspectum veritus est, vt obiecerit prorsus impauidè tum ipsorum, tum parentum errata. Ait igitur ad Regem Israël, filium nempe Iezabelis & Achab, nihil cum illo sibi aut fuisse, aut futurum esse commune. Quare si Deum consultum esse velit, id faciat per Prophetas, quos in honore parentes habuerunt, & inanium Deorum præposuerunt sacris. Quo verbo tacitè videtur innuere, quàm illorum esset futilis & inanis religio, & quemadmodum magnus illorum numerus fuerit extinctus ab Elia. Neque tamen negat se imperata, seu rogata facturum: non tamen vt obsequatur Regis Israëlis seu precibus, seu imperio, quem adeò vilem habuit, vt neque dignaretur aspectu, sed vt placeret Iosaphat Regi Iuda, quem pium esse nouerat, neque indignum, cuius imperio & voto satisfaceret.

11. Vers. 15. *Nunc autem adducite mihi psaltem. Cúmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.* ] Cùm res Israëlitica premente siti foret angustior, accinxit se statim ad opus Helisæus, nihil cunctandum ratus, & quo à Domino responsum acciperet, & quod esset opus facto doceret, acciri iubet psaltem, cuius se numeroso cantico ad accipiendum à Domino responsum præpararet.

*Musica vis magna ad incitandos vel temperandos affectus.*

Mira est harmonicæ pulsationis & ad numeros musicos temperatæ vocis, vis & potestas ad affectus omnes vel incitandos, vel remittendos. De quibus externi plurima, vide Plutarchum, in lib. qui de Musica inscribitur. Aristotelem lib. 8. Politicorum, & alios plurimos, quos videre est promptum. Illud notissimum, notata ab antiquis quædam sonorum genera, quæ variis seruiunt animorum affectibus, Lydium, Dorium, Lesbium, Phrygium, qui mirificam in animos potestatem habent. Quidam acres, & bellicos ingenerant impetus, alij mitiores, & ad pietatem accommodatos magis: alij immoderatiùs exultantes animos contrahunt, componúntque ad religionem, & modestiam: alij contractos soluunt & exhilarant. Est

12. ergo ad pietatem aliquod musicæ genus opportunum, quale est illud quod ad sacrum officium adhibet Ecclesia, quod, vt experientia ipsa norunt viri pij, animos quodammodo abstrahit à terrenis, & rapit ad cœlestia. Sanè August. in confession. mirè se affici dicebat cùm Canticum audiret Ecclesiasticum: sic autem ille lib. 9. confession. cap. 6. *Quantum fleui in hymnis & canticis tuis suauesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Vide Basilium homil. de legendis Gentilium libris. Neque alios numeros aut cantus audiuit Helisæus, quàm qui modò à religioso cœtu in Ecclesia cantantur. Vt enim docet Theod. q. 11. psaltes

*Musica plurimum ad pietatem valet.*

ille, qui suo cantu excitauit spiritum, & ad excipiendum diuinum afflatum aptè disposuit, Leuita fuit, qui Psalmos cecinit Dauidicos. *Dauid, inquit, Leuitas vti iussit citharis, & tibiis, & cymbalis, & aliis instrumentis. Vtebantur autem ipsi spirituali Dauidis modulatione. Ex his vnum iussit accersiri Propheta, illo autem psallente, quod erat agendum significauit gratia spiritus.* Vt autem Psalmus malum è Saule spiritum pellebat, aut sedabat (nam suos tunc Psalmos cecinisse Dauidem verisimile est;) sic etiam Psalmus bonum spiritum aduocare potuit. Qua de re vide Greg. hom. 1. in Ezech. vbi per psalmodiā dicit omnipotenti Deo ad hominum corda iter aperiri. Sanè S. Franciscus ad Lyricinis cantum ad cœlestium rerum contemplationem excitabatur.

*Facta est super eum manus Domini.* ] Cùm caneret psaltes ad musicos numeros, soporati sunt Helisæi sensus, & animus magis à corporeis impedimentis solutus, sicut in somno contingit, seipsum ad cœlestium rerum contemplationem afflatúmque diuinum excitauit. Tunc autem noua rerum cognitione illustratus à Deo, & id quod quærebat assecutus, dixit: 13.

Vers. 16. *Hac dicit Dominus, facite alueum torrentis huius fossas, & fossas.* ] Visitatum est vt nomen illa retineant, quæ habuerunt quondam, etiamsi ratio aut notatio nominis omnino desierit. Quomodo *congiarium*, aut *salarium* vocamus seruorum annuam mercedem, licèt non iam seruilem operam congius vini, aut salis mensura compenset. Sic Troiam appellamus campos, vbi Troia fuit. Et vt alueus dicitur hoc loco, sinus qui fluuiales aquas cohibet, aut etiam pluuiales, licèt nihil in se contineat aquarum, sic alibi millies. Quod obseruatum est, tit. de rerum diuisione, Instit. §. *sin autem*, vbi sæpe locus ille appellatur alueus, quem aqua deseruit. Ob eandem rationem torrens dicitur hic locus, qui aliquando abundauit aquis, licèt modò, vt appareat, aridus esset. Iubet ergo Propheta, vt in sinu illo aridi torrentis fossæ fiant, aut scrobes plurimi (id enim valet fossæ geminatum nomen) qui aquam excipiant, quas admirabili modo Dominus vberes sitienti multitudini largietur. 14.

REGVLA. *Res nomen retinent, quod habuerunt antea, etiamsi ratio nominis desit.*

Vers. 17. *Non videbitis ventum, neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis.* ] Hinc fit verisimile alueum illum non habuisse aquas fontanas, & iuges, sed ad breue aliquod tempus è pluuia collectas; alioquin historicus sacer non meminisset pluuiæ, quæ torrentem implet, neque venti, imbriferi videlicet, qui pluuiam inducit. Erit igitur prodigium à diuina manu, si alueus, qui non, nisi à pluuia, aquas colligit, sine pluuia tamen, imò sine vento, qui nubes cogit, & indicat pluuiam, aquis abundet. 15.

Vers. 19. *Et percutietis omnem ciuitatem munitam.* ] Non solùm à Domino promittit Helisæus abundantes aquas, quibus tantus ille exercitus reficeret & declinaret malum, quod timebat, sed etiam, quod non sperabat, subiiceret iterum Moabitidem gentem, quæ Israëliticum iugum ex suis ceruicibus excutere moliebatur; & illius regionem ita deleret, vt nullum vbertatis, aut pulcritudinis antiquæ vestigium relinqueret. Neque enim ciuitatem illam quantumcumque munitam, & splendidam, reliquam futuram esse dicit à communi cæde, cædendas esse frugiferas arbores, & ne qua supereesset species vbertatis, & amœnitatis, regionis illius obstruēdos esse fontes, quibus irrigata, speciosa reddebatur & fertilis. Quod ita omnino contigisse constat ex v. 24. & 25. 16.

Vers. 20.

17. Vers.20. *Factum est igitur manè quando sacrificium offerri solet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom.*] Hæc verba dicta fuisse videntur pridie sub vesperum, aut etiam fortasse adulta nocte, neque distulit promissum. Nam sequenti die quo tempore sub lucem sacrificium offerri solet vespertinum, ab ea parte quæ spectat Idumæam, apparuerunt aquæ, quæ torrentis alueum, & fossas impleuerunt, cùm tamen illarum causæ nusquam apparerent. Neque enim vt fuerat ab Helisæo prædictum, imber apparuit vllus, aut ventus pluuius, aut aliquid aliud, à quo vis illa aquarum inopinata prouenire posset. Quærit Abulens. q.14. vndénam illa aqua in torrentem influxerit: ego cùm videam hîc interceſſiſſe miraculum, de reliquo non laboro. Fieri enim potuit vt nouas Deus venas aperuerit, aut sicut in deserto olim aquam excusserit è silice, cuiuis licebit excogitare quod maluerit, cùm ex Scriptura nihil habeamus aliud, quàm aquam veniſſe per viam Edom, per viam, inquam, illam, quam priùs experti fuerant arentem.

18. Vers.21. *Vniuersi autem Moabitæ, audientes, quòd ascendissent Reges vt pugnarent,* &c.] Iam antè Moabitæ certis coniecturis nouerant, ex quo impositum sibi tributum noluerunt exoluere, comparari bellum à Rege Israel, cuius imperium declinare statuerant. Quare ipsi contrà armauerant, quos idoneos esse bello compererant, illos nimirum, quibus ius erat, aut consuetudo baltei, quique belli pondus sustinere poterant. Et steterunt in terminis, in eo nimirum loco, qui Moabiticos fines ab Idumæorum ditione secernit.

19. Vers.22. *Primóque manè surgentes, & orto iam sole ex aduerso aquarum viderunt Moabitæ econtra aquas rubeas.*] Progressi fuerant Moabitæ ad duorum populorum confinia, vt inde hostes arcerent ab vlteriori progressu, cúmque orto iam sole, vicino iam hoste obuiam prodirent, viderunt aquas instar sanguinis rubras, cúmque neque id expectarent, neque coloris illius sanguinei causam nossent; suspicati sunt Reges illos, inter quos propter religionem, studiáque diuersa minùs conuenire existimabant, ortas inimicitias, & mutuis se confeciſſe vulneribus. In quam cogitationem eo venerunt procliuiùs, quod id aliis temporibus contigisse didicerant. Neque enim hoc ignorare poterant, cùm esset res admiratione digna, neque accidisset procul ab ipsorum finibus. Norãt enim quod antea dudum Madianitis sub Gedeone Iudic. cap.7. & Philistæis lib.1. Regum cap.14. hoc idem accidisse; atque ideo, quasi verum esset quod optabant, se non iam ad bellum, sed ad prædam hortabantur, dicebántque, *Perge ad prædam Moab.* Sed accidit contrà quàm optabant, sibíque persuaserant. Nam cùm potu contrariæ acies se refeciſſent, confirmasséntque, graui plaga percusserunt Moab, & in ignobilem fugam compulerunt. Fecerunt tandem quod illis per Helisæum Dominus promiserat, subuersis optimis quibusque, munitissimísque ciuitatibus. Oppletis lapidibus agris, eóque redactis, vt ex illis sperari non posset fructus, succisis arboribus, & fontibus obturatis; qua agrorum specie spectari nil poterat miserabilius.

20. Circa hæc aliqua nobis obseruanda sunt. Primùm, quomodo Moabitæ aquæ, quæ per torrentem influxerant, ita rubuerint, vt viderentur sanguinis habere similitudinem, imò & esse sanguis; quem gentes in Moabitarum exitium coniuratæ ex cognatis fœderatísve corporibus expressissent. Vnde vis illa aquarum tanta, quæ tantum exercitum reficere aut saturare potuit, prouenerit, iam à nobis nuper dictum est, nempe certò cognosci non posse, sed tantùm ibi interceſſiſſe miraculum. Cur verò aquæ visæ fuerint aut sanguineæ, aut infectæ sanguine? quærit Abulens. q.19. Duæ possunt assignari causæ coloris illius, altera quia alueus ille, quem subitus implerat aquarum influxus, terram habebat, seu glaream rubram. Notum est enim aquam, quæ colorem habet sua natura nullum, à circumfusa materia colorari: vnde cùm Arabici sinus aqua non magis sit, quàm alia quæuis colorata, rubra tamen apparet. Quia rubra est terra, quæ vastam illam aquarum molem ambit atque concludit; & mare illud propterea rubrum, seu erythræum nominatur. Et in Hispania Bethica torrens quidam est, quem *albas aquas*, & flauus quem *viridem* appellamus, quia huius aquas virides ripæ, illius arenarum seu saxorum candor albas apparere facit; sic credo, aluei illius aut fundum aut latera fuisse rubra, & ex eis aquã cruentum illum contraxisse colorem. Sed sanè verisimile non est ignorasse Moabitas rubram esse terram illam, quam toties vidisse nt atque calcasse nt, & aquam illam aliàs apparuisse rubram, quare neque sanguinem esse, aut sanguine infectam aquam arbitrarentur; neque se mutuò ad hostium potius exuuias, quàm ad bellorum discrimen hortarentur. Placet magis quod Abulensi non displicet, quod sumpsit ex Iosepho lib.9. cap.1. aquam illam rubram tunc apparuisse Moabitis, quia matutino tempore egressi sunt, quando rubere solent, & accendi nubes à radiis solaribus, quarum imaginem omnis materia aut tersa, aut perspicua recipit, vt experientia constat. Quod Chaldæus indicat, dum ita vertit, *surrexerant manè, & sol descenderat super aquas.* Quare cùm sub auroram rutilaret cœlum, & solis radiis inardescerent nubes, colorem igneum, & rutilum acceperunt aquæ, & à Moabitis, qui rationem illam propter ingenij stuporem, aut parum attentam obseruationem non considerabant, sanguineæ videbantur. Rutilare autem cœlum matutino tempore etiam sine nubibus, habes lib.2. Reg.cap 13.v.4. *Sicut lux auroræ oriente sole manè absque nubib. rutilat.* Et Christus ipse Matth.16.v.3. *Facto vespere, dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Et manè: Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.* A colore igitur cœli rutilo, & flauo colorem rutilum, aut conceperunt, aut expresserunt aquæ in alueo conclusæ.

*Fluuij à circumfusa terra colorem, & nomen sumũt.*

Vers.25. Secundò, *Destruxerunt, agros, mittentes singuli lapides, repleuerunt.* De illis tantùm agris puto sermonem esse, per quos exercitus ille victor, & copiosus transibat: sed est adhuc difficile expendere, quomodo illi etiam agri iniectis lapidibus ab offenso, seu ludibundo milite redderentur inutiles. Videtur enim opus fuisse longi, molestíque negotij: sed res tunc minus videbatur difficilis, si regionis naturam consideremus. Est enim Moabiticus ager, Ammoniticus, & Idumæus; sicut etiam ille ferme omnis, qui terram promissionis continet, ac definit, lapidosus, vtpote qui in regione magna, ex parte confragosa & aspera: lapides autem illi difficilem reddunt agrorum vinearúmque culturam, atque ideo expurgari solent à lapidibus, ne steriles sint, & parum ad culturam faciles, & idonei: qui ab agricolis agri dicuntur exossati, sicut à Perſio Satyr. vltima.

*Exossatus ager iuxta est.*

*Vineæ à lapidibus purgari solitæ.*

22. Quod officium ſeduli & intelligentis agricolæ, A præſtitit Dominus vineæ ſuæ, quam dicitur Iſai. cap.5. à ſaxis emaculaſſe, *& Lapides elegit ex ea.* Hi porrò lapides aut extrahebantur extra vineas, & agros, ex quibus ad agrorum cuſtodiam maceriæ extrahebantur, ſiue in ipſis agris colligebantur in aceruos; quales nos in Caracitano ſolo, quod Compluto vicinum eſt, paſſim videmus, vbi frequentes ſpectamus aceruos ex illis congeſtos lapidibus, quos ab agro purgato agricola ſedulus exemit. In hunc ergo ſenſum explicui illud Oſeæ cap.2. v.11. *Altaria eorum quaſi acerui ſuper ſulcos agri.* Cùm ergo frequentes eſſent lapidum acerui, ſiue in agrorum medio, ſiue in illorum ambitu, non difficile fuit à tanta multitudine diſſipari collectos illos lapides, & in eundem locum, vnde B fuerant extracti, diſpergi. Quare niſi moleſta quædam opera iterum poneretur in purgandis agris, futuri rurſus videbantur ſteriles.

23. *Et vniuerſos fontes aquarum obturauerunt.* ] Miſeranda planè ſpecies erat agrorum, cùm lapides inimici frugibus, & arboribus, agros operirent, ſed erat miſerabilior multo, cùm nulli iam ſupereſſent fontes, qui amœnos agros, hilaréſque reddiderant, neque relinqueretur miſeris quo ſitim depellerent, & reuocarent deficientem animam.

*Fontes ab hoſtibus obturari ſoliti.*

24. *Et omnia ligna fructifera ſuccciderunt.* ] En alia plaga quæ Moabiticos deformauit agros, & poſſeſſores dolore affecit, & detrimento graui. Arbores enim fructiferæ, quæ ornamento erant C agris, & ciuibus ſubſidio, ſucciſæ ſunt. Quo ciues ſolatio, quod futurum videbatur extremum, orbari nihil iam habere in ſua regione videbant, quod amarent, aut in quo ſuum ſibi natale ſolum placeret. Quærit Abulenſ.q.17. Quomodo ligna inimicorum ſuccidere Iſraelitæ potuerint, cùm id expreſsè ne fieret, Deut. cap.10. cautum fuerit. *Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circundederis eam, non ſuccides arbores, de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem.* &c. *ſi qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in cæteros apta vſus, ſuccide & inſtrue machinas*, &c. Et reſpondet, aut id fieri potuiſſe, aut etiam debuiſſe fieri, quia Deus, qui legis auctor eſt, ab illius obſeruatione popu- D lum exemit, quod per Heliſæum illi ſignificauit, vt vides. Aut certè, illud præceptum vim habere voluit tantùm in terra Chanaam, quam habitari placuit à filiis Iſrael. Cùm autem arbores pomiferæ ad terræ illius fœcunditatem, & indigenarum vſum pertinerent, noluit illas excindi, ſed ſi qua materia eſſet ad bellicas machinas, ſeu tormenta neceſſaria, ex agreſtibus voluit arboribus ſumi.

25. *Ita vt muri tantùm fictiles remanerent.* ] Euertit, vt vidimus, exercitus Iſrael, ciuitates omnes quæ erant in terra Moab, & quantum potuit populatus eſt agros, atque ita vaſtauit diſperſis lapidibus, ſucciſis arboribus, & fontibus obturatis, vt valde reliquerit ineptos habitationi, niſi longo, E atque moleſto labore ad priorem ſtatum reuocarentur. Ex tot ciuitatibus ſuperfuerunt tantùm muri fictiles, ad quos ſe Rex Moab recepit ex fuga; quos obſedit, percuſsítque aduerſarius exercitus; & Regem illic concluſum eo deſperationis adegit, vt conſilium cœperit planè miſerrimum, quo ſuæ ſuorúmque ſaluti conſuleret, de quo mox.

26. Qui ſint muri fictiles, obſcurum eſt. Quidam ideo muros fictiles relictos eſſe putant, quia direpti fuerunt lapides, vt ſaxa ex illis excuſſa, agros, vinetáque conſternerent. Ita Rab. Salomon citatus à Lyra, cuius ſententiæ ex noſtris ſubſcripſere non pauci. Mihi illa magis probatur cogitatio, quæ muros fictiles nomẽ putat eſſe ciuitatis: quod tenent omnes penè recentiores interpretes, qui ita vertunt, *Kir hareſeth.* Eſſe autem certam aliquam ciuitatem, illa, quæ proximè conſequentur, oſtendunt; illam autem eſſe fortiſſimam, regiámque ciuitatem, ex eo conſtat quia in illam quaſi in locum maximè munitum Rex ſe recepit; ibi filium reliquit, quem iugulauit poſtea, in illam ad extremum torum belli pondus incubuit, dicitur autem *Kir hareſeth.* Præcipuam autem eſſe ciuitatem illam, tum regia ſede, tum præclaro munimento lateritiæ fabricæ, habemus ex Iſaia cap.16. v.7. *His qui lætantur ſuper muros cocti lateris, loquimini plagas ſuas.* Quaſi dicat, Neque illos ex Moabitide gẽte futuros eſſe tutos à plaga, qui præſidio ſibi ciuitatem illam elegerunt, quæ dicitur *muri cocti lateris*, ſeu *muri fictiles*, aut *muri teſtacei*, ſeu *laterity.* Plura hac de re nos in noſtris commentariis ſuper Iſaiam ad locum proximè citatum. Vide etiam Pagnin. in radice חרש *cheres.* Cur verò ciuitas illud nomen habuerit, ea videtur eſſe cauſa non leuis, quia in tota terra promiſſionis, locíſque vicinis, cùm lapidibus abundent, vix auditur lateritium opus, cùm à ſaxo optimè ad aſpectum & firmitatem conſtruantur muri, ſecus atque apud Babylonios, & Ægyptios, vbi lapis rarus, & ideo à cocto latere magnæ excitantur moles. Et quemadmodum quia porta quædam Hieroſolymis, quod perrarum eſt, è laterculo ædificata fuit (ſi fortè ea cauſa eſt, quam nos in noſtris commentariis in cap.19. Ieremiæ non probabamus) porta appellatur fictilis, Ierem. citato cap.v. 2. ſic etiam à materia rara, ciuitas illa muri fictiles vocata fuit.

*Muri fictiles qui.*

Illud hîc ad extremum obſeruandum, in textu 27. Hebræo ad verbũ pauca aliter legi, & aliquo modo codices illos priori explicationi fauere. Sic enim illi עד השאיר אבניה בקיר חרשת *ad hiſir habaneheh bakir charaſeth*, id eſt, donec relinquerentur lapides in Kircharaſeth. quaſi dicas eò redactam eſſe ciuitatem illam regiam, vt tantùm in illa lapides, nempe murorum, reliqui forent. Porrò in lapidibus lateres, intelligo coctos, ex quibus conſtructa fuerunt ciuitatis mœnia. Notum eſt enim Hebraicam vocem אבן *eben*, latiorem habere ſignificationem, & ſignificare pondus, quacunque id ex materia fiat, vnde pondus ſtanneum, quale eſt perpendiculum אבן vocatur. Zachar. cap.4. *Et videbunt lapidem ſtanneum in manu Zorobabel.* Quare dum vulgatus muros fictiles relictos eſſe dixit, nihil omiſit ex Hebraico textu, ſi lapides hîc lateres ſunt, perinde enim eſt ac ſi diceret, relictos fuiſſe lateritios muros, aut relictos lateres, ex quibus fuere mœnia compacta.

Verſ.26. *Tulit ſecum ſeptingentos viros educentes* 28. *gladium, vt irruerent ad Regem Edom.* ] Cùm ciuitas grauem à fundibulariis & cætera multitudine plagam accepiſſet, neque diutius viderentur ſuſtineri poſſe impetus hoſtiles, ſtatuit ſubeundam eſſe aleam, & ferro aperiendam eſſe ad ſalutem viam. Aſſumpſit igitur ex tota multitudine viros ſeptingentos, quibus maior ineſſet vis, & audacia, vt in eam partem irrumperet, vbi conſtitiſſe viderat Regem Edom, ſiue quia ſtationem illam infirmam eſſe viderat, & facilè, minus certè difficilè, ſuperabilem, ſiue quia duriùs in illum erat infenſus; quod cùm ſibi vicinus eſſet, & fauere potius Moabitarum partibus,

quàm

quàm illas oppugnare debuisset, non tamen segniùs obsidionem vrgeret, quàm quiuis alius ex Israëlitico genere. Sed profecit nihil, neque enim quod destinarat animo, consecutus est, quare rediit in vrbem, & quando armis videt nihil tentari posse vtiliter, magis existimauit futurum ex vsu, si placaret infensos animos. Spectaculo planè tragico, quale ad eiusmodi finem numquam superiora sæcula viderunt.

29. Vers. 27. *Arripiénsque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.*] De hoc consilio crudeli, & barbaro Regis Moab, multa meditantur tam nostri, quàm Hebræorum magistri, de quibus nos pluribus in nostris commentariis ad illud Amos cap. 2. vers. 1. *Super tribus sceleribus Moab, & super quartum non conuertam eum: eò quòd incenderit ossa Regis Idumææ vsque ad cineres.* Primùm hic explodenda est illa Hebræorum sententia, cuius auctor videtur esse Rab. Dauid ad cap. 2. Amos, vbi dicit regium illum puerum immolatum in muris, esse filium Regis Idumææ, non Regis Moab: *accepit*, inquit, *filium eius* (nimirùm Regis Edom, quem in bello ceperat, vel apud se obsidem habebat, *primogenitum, qui regnaturus erat pro eo: & obtulit eum holocaustum super murum. Et fuit indignatio magna super Israel, qua indignatio fuit Regis Edom, contra Israel ab illo die in posterum, eo quòd combussisset Rex Moab filium Regis Edom in bello in quo socius erat Israel.* Si hæc verba conferas cum verbis Amos, inuenies multa ab hoc Rabbino infantiliter peccari. Vt quid enim pueri recèns mortui à carnibus nudaret ossa, illáque immolaret sacrificali ritu? An tantum erat otij Regi, cuius in extremo periculo vita versabatur, vt ossa spoliaret carnibus, quod breui tempore fieri non poterat, maximè cùm instaret hostis, & præsens intentaret exitium? An carnes ineptæ sacrificiis, & tantùm ossa altaribus destinata? Deinde, quia si Regis Idumææ filius esset ea ratione iugulatus, potiùs Reges vrgerent obsidionem, & ad mortem vsque Moabitam persequerentur, vt amici, ac fœderati Regis dolorem solarentur de filij immolatione conceptum, quàm arma confestim deponerent, & de reditu in patriam cogitarent.

30. *Rex Edom cur filium suum immolauit.* Minùs abs re Rab. Salomon, ait enim, vt refert Lyra hîc, quem non improbat, interrogasse Regem Moab à sapientibus, quam ob rem tam esset Deo gratus populus Israel, & cùm responsum fuisset, illud esse ascribendum Abrahæ meritis, propterea quòd ille filium vnigenitum Isaac Deo sacrificasset, statuisse eodem sacrificij genere diuinam sibi gratiam & patrocinium conciliare: Atque ideo immolasse filium primogenitum, & ea ratione impendentem suis faucibus gladium effugisse. Quam explicationem multis refutat Abulens. q. 23. & Burgens. hîc.

Alij probabilius dicunt, immolatum esse filium, non Deo vero, quem colebat Israel, sed Moabitarum idolo Moloch, cui à parentibus filios immolari solitos ex Scriptura docemur. Leuit. cap. 20. versiculo 2. *Si quis dederit de semine suo Moloch, morte moriatur.* Quod fecerunt sæpe Gentiles, vt auctor est Euseb. lib. 4. de præpar. cap. 7. vbi hac de re plurima. Humana verò victima eo dæmoni gratior putabatur, quæ charior erat sacrificanti. *Gentilium*, inquit, *animos adeò pestis inuaserat, vt quasi dæmoniaci, & à pernicioſis profectò spiritibus agitati liberorum sanguine, cœlestes placarent virtutes. Ita Pater vnicum filium, dilectam mater filiam Dæmoni tanquam ouem sacrificabant.* Idem consilium iniisse traditur Senacherib, cùm amisso exercitu prope Hierosolymam ignominiosè cum paucis remigrauit in patriam. Vt enim ait Rab. Salomon, & cum eo Lyra ad cap. 19. lib. 4. Reg. vt refert Abulens. ibi. quæst. 31. magnam in se Assyriorum conflauit inuidiam. Nam cùm attritas viderent Assyriorum vires, & amicorum, cognatorúmque cædem familiariter dolerent, statuerunt Regem, vt suum aliquo modo dolorem solarentur, occidere. Quod ille malum vt maturè declinaret, cùm humanum non posset, diuinum sibi voluit subsidium asciscere. Quare duos filios in honorem Dei sui Nesroth sacrificare voluit, quo illius sibi gratiam demereret. Quod suspicati filij parentis anteuerterunt consilium, atque illum occiderunt incautum, cùm adoraret in templo. hoc idem fecisse existimatur Rex Moab, dum auxiliatorem sibi aduocat Deum immolato filio.

31. *Dæmoni ea victima charior, quæ sacrificanti magis chara.*

Alij id egisse putant Regem Moab, vt miserabili spectaculo placaret sibi illorum animos, quos violato fœdere, & vectigali perfidiosè negato infensos reddiderat; atque ideo non in occulto sacrificalem dederat operam charissimæ victimæ, supra murum videlicet, vbi à toto exercitu spectari posset. Neque illum sua fefellit cogitatio, nam vbi Regem eò redactum esse vident, vt de filio suo tam seuerè decerneret, sibiipsis subirati, quòd patrem miserum coëgissent in sua penè viscera ferrum adigere, & ex tragico sacrificio cruentas referre manus, statuerunt condendum esse gladium in vaginam, & saluo Rege ab vlteriore cæde, in patriam redeũdum esse. Hãc explicationem magis probat Abul. q. 23. Ego vtram harum præferam, non satis constitutum habeo; vtraque magnam habet probabilitatis speciem. Et siue hoc, siue illud spectauerit Rex ille Moab immolato filio, id certum est eo spectaculo deterritos fuisse aduersarios, & victrices manus à cæde, & ferro continuisse.

32.

IN

# IN CAPVT IV. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*MVLIER quædam vidua, & vsqueadeo ære alieno grauata, vt aliter æs illud dissoluere non posset, nisi distractis à se filiis, quos iam creditor ad seruitutem, & mancipium arripere parabat. Quid in præsentia pateretur, quid timeret in posterum, afflicta mulier aperuit Helisæo, cuius ille inopiæ exundanti diuinitus oleo subuenit, quo & molesto satisfecit creditori, & suam inopiam in posterum leuauit. Deinde Sunamitidis domum, vbi liberali fuerat exceptus hospitio, duobus ornauit exhilarauitque miraculis: suis primùm precibus sterili fœminæ, eáque de causa vehementer afflictæ filium impetrauit, quem postea mortuum rediuiuum reddidit parenti, cùm priùs ad puerilem mensuram magni molem corporis ita coarctauerit, vt cum illius membris membra componeret. Tertium deinde editum est ab Helisæo miraculum: nam cùm filij Prophetarum, è concisis herbis in ollámque congestis, vt illorum ferebat parcum atque frugale vitæ genus, pulmentum sibi parauissent, illorum quidam ignarus omnino quid faceret, quasi aliquid esset opportunum ad epulas, collegit colocynthides, amaras videlicet herbas, quæ corruperunt parcum illud pulmentum, & cibum, alioqui non ingratum, sic infecerunt, vt mortem se pro cibo deprehendisse clamarent, attoniti conuiuæ: sed infusa permodica farina amariciem abstulit ex olla, & cibos reddidit esui non ineptos. Illud ad extremum accidit mirabile, quòd cùm pauci panes à viris quibusdam piis essent oblati, illis tamen satiauit populum: neque paucæ fuerunt saturato populo reliquiæ.*

## CAPVT QVARTVM.

1. MVlier autem quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Elisæum, dicens: Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia seruus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.

2. Cui dixit Elisæus: Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo vngar.

3. Cui ait: Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca.

4. Et ingredere, & claude ostium tuum, cùm intrinsecus fueris tu, & filij tui: & mitte inde in omnia vasa hæc: & cùm plena fuerint, tolles.

5. Iuit itaque mulier, & clausit ostium super se, & super filios suos: illi offerebant vasa, & illa infundebat.

6. Cúmque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetítque oleum.

7. Venit autem illa, & indicauit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij tui viuite de reliquo.

8. Facta est autem quædam dies, & transibat Elisæus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum vt comederet panem: cúmque frequenter inde transiret, diuertebat ad eam vt comederet panem.

9. Quæ dixit ad virum suum: Animaduerto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.

10. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulũ, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad nos, maneat ibi.

11. Facta est ergo dies quædam, & veniens diuertit in cœnaculum, & requieuit ibi.

12. Dixítque ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidem istam. Qui cùm vocasset eam, & illa stetisset coram eo,

13. Dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce, sedulè in omnibus ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi? numquid habes negotium, & vis vt loquar regi, siue principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei habito.

14. Et ait: Quid ergo vult vt faciam ei? Dixítque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, & vir eius senex est.

15. Præcepit itaque vt vocaret eam: quæ cùm vocata fuisset, & stetisset ante ostium,

16. Dixit ad eam: In tempore isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium. At illa respondit: Noli quæso domine mi, vir Dei, noli mentiri

tiri ancillæ tuæ.

17. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Eliseus.

18. Creuit autẽ puer. Et cùm esset quædam dies, & egressus isset ad patrem suum, ad messores,

19. Ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem suam.

20. Quæ cùm tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua vsque ad meridiem, & mortuus est.

21. Ascendit autem, & collocauit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium, & egressa,

22. Vocauit virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris, & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar.

23. Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit: Vadam.

24. Strauitque asinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eũdo: & hoc age quod præcipio tibi.

25. Profecta est igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: cúmque vidisset eam vir Dei è cõtrà, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa.

26. Vade ergo in occursum eius, & dic ei. Recténe agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respondit: Rectè.

27. Cúmque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & accessit Giezi vt amoueret eã. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.

28. Quæ dixit illi: Numquid petiui filiũ à domino meo? numquid non dixi tibi: ne illudas me?

29. Et ille ait ad Giezi: Accinge lũbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri.

30. Porrò mater pueri ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & secutus est eam.

31. Giezi autẽ præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus: reuersúsque est in occursum eius, & nunciauit ei dicens: Non surrexit puer.

32. Ingressus est ergo Eliseus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius:

33. Ingressúsque clausit ostium super se, & super puerum: & orauit ad Dominum.

34. Et ascendit, & incubuit super puerum: posuítque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri.

35. At ille reuersus, deambulauit in domo, semel huc atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitauit puer septies, aperuítque oculos.

36. At ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum.

37. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram: tulítque filium suũ, & egressa est.

38. Et Eliseus reuersus est in Galgala. Erat autem fames in terra, & filij prophetarum habitabant coram eo: dixítque vni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis prophetarum.

39. Et egressus est vnus in agrum vt colligeret herbas agrestes: inuenítque quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset.

40. Infuderunt ergo sociis, vt comederent: cúmque gustassent de coctione, clamauerunt, dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere.

41. At ille, Afferte, inquit, farinam. Cúmque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, vt comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.

42. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo, vt comedat.

43. Respondítque ei minister eius: Quãtum est hoc, vt apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit.

44. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini.

# IN CAP. IV. LIB. IIII. REGVM COMMENTARII.

Vers.1. *Mulier autem quædam de vxoribus Prophetarum clamabat ad Heliſæum: dicens : Seruus tuus vir meus mortuus eſt.* ]

1. QVISNAM fuerit vir iſte, de illorum, A vt arbitror, Prophetarum numero, quos in ſuis collegiis aluit & informauit Heliſæus, incertũ eſt: neque ex Scriptura aliquid habemus, quod nos ad illius cogitationem deducat. Multi cum Ioſepho lib.9. cap.2. putant huius viduæ coniugem fuiſſe Abdiam, de quo lib.3. cap. 18. In his ſunt Theodoretus, Hiſtoria Schol. Lyra, Abul.q.2. & ita communiter Hebræi. Hic pauiſſe dicitur non paucos è Prophetarum cœtu, quo tẽpore graui populus laborabat fame, & Iezabel Prophetas incredibili ſtudio expetebat ad mortẽ. Quare neceſſe fuit vt Abdias maximos fecerit ſumptus in alendis, maxima diſcrimina in occultandis, ſeruandiſque Prophetis adierit. Qua fortaſſe de cauſa tantum æris contraxit, quanto poſtB ea ſoluendo non fuit. Propter quod nunc vidua à creditoribus vrgetur, vt æs ſoluat alienum, & filij ſubire coguntur grauia honoris & ſalutis diſpendia, & creditoribus nauare ſeruilem operam: ſed de hoc, vt dixi, nihil habemus certum.

2. *Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi.* ] Vſitatum eſſe apud Hebræos, vt filij pro parentum debitis venderentur, aut à creditoribus ſumerentur vt ſerui, quibus aut perpetuam operam, aut tempore, pro debiti menſura, definito nauarent, probat ſatis hic locus. Neque enim creditores viduæ filios ſibi vindicarent in ſeruos, niſi hoc foret à lege permiſſum. Quod itẽ docet illa parabola, quæ eſt apud Matthæum cap. 18. in qua pro parentis debito filij iubentur veC nundari, imò & vxor. *Cùm autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius & filios.* Quòd verò parentes, vt æs diſſoluerent alienum, liberos à ſe pretio diſtrahere potuerint, docuit apertè illud Iſai.cap.50. *Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos?* vbi Deus filios Iſraël, quaſi filios alloquitur, vt conſtat. Fuit autem lex apud Romanos antiquiſſima, vt tradit Dionyſius Halicarnaſ. lib.2. antiquit.Rom. quæ ius permittebat parentibus adeò liberum in filios, vt illos oblato pretio pro ſuo arbitratu alienare poſſent impunè. Quam etiam legem olim apud Athenienſes viguiſſe, tradit Plutarchus in vita Solonis, à quo legem illam ſublatam eſſe prodit. Qua de re videl.2. de patribus, qui filios diſtraxerunt, lib. D 4.Cod. tit.43. Quod ſuo etiam ætate fieri, authoritate publica frequenter, dolet grauiter & queritur Ambroſ.lib de Iob.cap.8. *Vidi*, inquit, *ego miſerabile ſpectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non eſſent participes ſucceſſionis, & hoc tam immane flagitium non erubeſcere creditorem. Inſtat, vrget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia pro alimento ſeruitutem recognoſcant, pro ſumptu licitationem ſubeant. Agitetur haſta de pretiis ſingulorum.* Lege totum caput.

*Filij vendi ſoliti pro parentum debitis.*

3. Vers.2. *Quid vis vt faciam tibi?* ] Multis modis ſubuenire poterat Heliſæus viduæ inopiæ; vel rogãdo creditorem, ne vſque adeò durè viduam vrgeret, & laxaret definitum ſpatium debiti ſoluendi, aut certè intercedendo apud Regem, cuius benuolentiam antè demeruerat; vt viduæ cauſæ regia authoritate, aut largitate ſubueniret, aut aliis modis, quibus leuari ſolet miſerorum inopia, & potentiorum frangi aut mitigari durities. Sic ſanè idem Propheta ſuam operã promiſit Sunamitidi infrà v.13. *Quid vis vt faciam tibi? numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, ſiue principi militiæ?* Quòd ſi creditor fuit Ioram Rex Iſraël, vt putant Hebræi (exiſtimant enim Ioram filium Achab viuente adhuc patre, dediſſe Abdiæ fœnori pecunias, quibus prophetis alimenta coëmerat) non difficile ab ipſo, quoque Ioram obtineret, quod optabat vidua, cùm impetrata cœlitus aqua paulo antè ſitientem refeciſſet exercitum, & pænè reuocaſſet ad vitam. Sed hæc Hebræorum opinio multa peccat, quam q.4. optimè confutat Abulenſis.

4. *Non habeo ancillatua quicquam in domo mea, niſi parũ olei, quo vngar.* ] Quærit hîc, opinor, Heliſæus quid domi habeat obærata vidua, vt eo multiplicato vrgenti illius neceſſitati ſubueniat. Quæ nihil dixit ſibi eſſe reliqui, præter parum olei, quo ſeipſam vngeret. Vſitatum fuit in terra promiſſionis, viciniſque locis, vt homines valetudinis, ac etiam deliciarũ cauſa caput vngerent, atque alias etiã corporis partes. Vnde ſæpe audimus in Scriptura, *vngi oleo*: ſicut fecit Dauid lib.2.cap.12 quod Chriſtus faciendum eſſe dixit, his qui videri nollent hypocritæ, Matt.6. imò expoſtulauit cũ Phariſæo, quòd oleo ipſius caput, vt officiũ hoſpitale poſcebat, non vnxiſſet, Lucæ cap.7. vbi vulgatus *oleum*, Hebraicus codex habet שמן *ſemen*, quod vnguentum ſignificat, non ſolùm quod ex oliuis, licèt hoc ſæpius, ſed etiã quod ex alia materia quauis exprimitur. Hîc tamen olearum ſuccũ eſſe puto, quia hic copioſus eſt in terra Chanaanitide, & plures habet magiſq; neceſſarios vſus, quàm alius quiuis qui arte aut compoſitione conficitur.

*Olei vſus in terra promiſſionis.*

5. Sed nimis videtur elegans, & lauta hæc fœmina, quæ cùm eſſet vidua, decerétque illam multo magis ſqualloꝛ, & luctus, quàm vrbana, & arte quæſita mundities; tum præterea ſic onerata debitis, vt ideo de filiorum libertate laboret, habeat tamen domi, quo ſpeciẽ aſciſcat, & elegantior appareat: quod neque pudicam decet, & abeſſe videtur longè à prudentia. Sed eſt quòd viduã hanc ab hac reprehenſione vindicemus. Vnctio enim non tam videri poteſt ad ſpeciẽ, quàm ad valetudinem adhibita, vt Abul.indicat q.6. aut certè eo dicendi modo ſignificare voluit, quàm parũ habuerit olei, quod vna tantùm vnctio conſumeret. Quaſi dicat habere ſe oleũ, non tamen quod ſufficeret ad alios vſus, ſed ad vnctionem vnam, quæ permodicam olei quantitatẽ requirit. Aut certè ſibi ex omnibus facultatibus relictum eſſe pro ſepultura, quam iamiam ſpectabat propè, parum olei, quo in fune- *Olei vſus in funere.* re de more inunguntur cadauera. Quod autẽ antiquorum tam Hebræorum, quàm Gentilium cadauera vngerẽtur, res eſt certa. De Hebræis diximus in noſtris commentariis ſuper Ieremiam, ad illud cap.53. *Secundùm combuſtiones patrum ſuorum.* Et ne

longiùs

longiùs abeamus, hoc piũ officiũ ſecundùm conſuetudinẽ Iudæorum impẽſum fuiſſe Chriſto tradit Ioan.c.19.De profanis res eſt magis nota.Vnctum oleo Patrocli cadauer,dixit Homer.lib.18.

*Membra lauant,oleóque omnis perfunditur artus.*

De Tanaquile cecinit Ennius.

*Tarquinij corpus bona fœmina lauit,& vnxit.*

Et poſt illum Virgilius de Miſſeno lib.6.Æneid.

*Pars calidos latices,& ahena vndantia flammis*
*Expediunt,corpúſque lauant frigentis,& vngunt.*

Horat.libro 2.Satyra 5.

*----Anus improba Thebis*
*Ex teſtamento ſic eſt elata,cadauer*
*Vnctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.*

Hoc porrò vnctionis officium impenſum tantùm videtur ingenuis.Quod docet Cicero lib.2. de legibus,vbi refert cautũ eſſe lege, ne ſeruile corpus vngerent in funere. Hæc pluribus dixi,vt viduam & inopem ab immoderatæ elegantiæ & philocaliæ ſuſpicione vendicem.

6. Verſ.3. *Pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca.*]Non dubitabat Propheta de olei vbertate penè iugi,quãdo vaſorum numerum, aut illorum capacitatem non præfinit, ſed tãtum omninò pollicetur olei, quantum capere poſſint vicinorum vaſa , quotquot illa & quantacumque fuerint. Fecit vidua quod imperatum à Propheta fuerat,& ex tantulo oleo quotquot attulerat vaſa vicinorum impleuit,neque conſtitit olei ſcaturigo iugis,donec vaſa deficerent,quæ compleret. Tantum denique olei hauſtũ eſt,ex eo quod in lecythi fundo ſubſederat, vt non ſolùm creditori ſatisfacere,ſed domum ſuam abundanter alere potuerit.

7. Pro re morali hîc nobis aliqua obſeruare licet. Primum eſt, exhauſtam eſſe venam manantis & exundantis olei,quando vaſa, quæ diffuſum exciperent,defecerunt,ſi plura fuiſſent vaſa,aut illa ab alio liquore vacua,aut magis capacia , proculdubio plus olei diffluereet. Hîc imaginem quandam intueor illius,qui terrenarum rerum curam, pondus,& ſtudium abiecit, qui vacuum habet animũ, vt cœleſtis olei,id eſt,diuinæ ſuauitatis abundantiam excipiat. Si cui verò minus ſæpè atque copiosè liquor iſte ſuauiſſimus influit, non id ab oleo,atque illius largitore prouenit,nam & olei vis eſt immenſa , & ſicut mare plenitudo eius,neque illius olei diſpenſator,& Dominus parcus eſt, aut auarus,ſed quia vas non eſt , aut certè non vacuũ, quod oleum excipiat,illapsúmque conſeruet. Ita Bernardus ſerm.6.de Aſcenſione. *Vnde ſpiritualis gratiæ inopia tanta quibuſdam , cùm aliis copia tanta exuberet? Profectò nec auarus,nec inops eſt gratiæ diſtributor,ſed vbi vaſa vacua deſunt, ſtare oleum neceſſe eſt. Vndique ſe ingerit amor mundi,cui conſolationibus,imò deſolationibus ſuis obſeruat aditus, per feneſtras irruit, mentem occupat,ſed non eius qui dixit: Renuit conſolari anima mea,memor fui Dei,& delectatus ſum. Præoccupatum nempe ſæcularibus deſideriis animum delectatio ſuncta declinat: nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis,ſpiritualia corporalibus,ſumma imis,vt pariter ſapias,quia ſurſum ſunt,& quæ ſuper terram.* Lege reliqua quæ in hanc ſententiam grauiſſima ſunt.

*Qui à terrenis abſtinet, capax eſt cœleſtiũ.*

8. Gregorius ſuper Ezechiel.hom.3. in hac vidua Eccleſiã intelligit,quæ per doctores oleũ infundit in mentes hominum vacuas,& cùm exiguæ videatur ſtilla,propter eximiam tamen virtutem,atque fœcũdam,ſic in vaſis feliciter augetur, vt ad ſummum expleat. *Quia dum ab vnius ore doctoris,paruũ quid de amore diuinitatis multorũ vacuæ mentes audiũt exuberante gratia vnigenito diuino amoris , vſque ad ſummum replentur. Etiã multorũ nunc corda,quæ priùs fuerant vacua vaſcula,vnguento ſpiritus plena ſunt,quæ*

*Doctoris Apoſtolici munus.*

A *expaucitate olei ſolummodo infuſa videbantur.* Ex quo ſuſpicari poſſunt non immeritò viri qui ſe munus tractare putant Apoſtolicũ, neque tamen auditorum animis infuſum vident oleum ſpiritus, quod emolliat,quod durũ videtur in Euangelio,& cruce,neque faciat olere diuinũ aliquid, atque cœleſte: oleũ illud quod in auditorum ſuorum animos inſtillant,non eſſe porrectũ ab Eccleſia,ſed aliunde ſumptum,& eſſe illud fortaſſe,quod oleũ dicitur peccatoris,à quo ſuum caput impinguari horrebat Dauid,adeò non amabat.Pſal.140.*Oleum autem peccatorum non impinguet caput meum.* Tale oleũ infundit qui lenire vult potius compunctum ſcrupulis peccatoris animum,quàm excitare , & exulcerare quieſcentem,qui à ſale abſtinet,quo durantur animi,qui otio ac voluptate defluunt,& fluen-
B tia tabo vlcera ſiccantur , & fomentis lenioribus illinunt , & non tam reſecant , vrúntque ſanioſa vulnera,quæ periculosè ſerpunt , quàm blandiori lenimento multiplicant.

*Qualis virì Apoſtolici doctrina.*

Tertium hîc morale documentum intueor. Defuerant in domo viduæ ornamenta omnia , & vitæ ſubſidia,& ſolùm fuerat reliquum modicum olei,in quo ſpes erat libertatis & vitæ. Fuerat domus illa(ſi illius dominum Abdiam putemus) miſericordiæ quædam officina, quæ propheras aluerat,quo tempore viris etiam lautis,& copioſis alimenta defuerunt : erat ibi aliquid olei,id eſt , aliquod miſericordiæ veſtigium; quod in oleo ſignificatur , quod accommodatum eſt miſericordiæ ſymbolum. Illud oleum licèt quãtitate modicum, virtute tamen copioſum fuit , quod olei tantum
C peperit , quantum ex vbere vindemia ſperari non poterat.Sic etiam illa miſericordia, quæ adhuc in ſymbolo manebat in domo viduæ,miſericordiam aduocauit diuinam, qua & creditori ſatisfecit , & victum familiæ parauit in poſterum.Planè verum eſt illud & multiplici iam experimento firmatum, Eccl.3.v.34.*Eleemoſyna reſiſtit peccatis,& Deus proſpector eſt eius, qui reddit gratiam , meminit eius in poſterum,& in tempore caſus ſui inueniet firmamentum.*

9. *Magnum à miſericordia præſidium.*

Verſ.8. *Facta eſt autem quædam dies,& tranſibat Heliſæus per Sunam.*]Hæc omnia obſcura non ſunt ad verſum vſque 32.neque aliud in tractu iſto,qui paulo longior eſt,continetur,quàm à Sunamitide fœmina paratum eſſe atque inſtructum cubiculũ Heliſæo, vbi cõmodum haberet , & familiare diuerticulum. Vt autẽ homo gratus aliquã pro tam
D prompto obſequio , & liberali hoſpitio gratiã rependeret,ad certum quoddã tẽpus filium promittit,qui ſpes eſſet propagãdæ familiæ,& opprobriũ ſterilitatis auerteret , cuius ardenti coniuges piæ deſiderio languebãt.Cùm verò poſt aliquos annos morbum puer ex graui temporis æſtu cõtraheret, illum Heliſæus ad matris preces reuocauit ad vitam.Hæc eſt hiſtoriæ totius ſumma complexio: in qua nonnulla nobis paulo accuratiùs explicanda.

10.

11.

*Trãſibat Heliſæus per Sunã.*] Suna,vt diximus l.3. c.1.erat in tribu Iſachar,vnde adducta adoleſcẽtula illa Sunamitis,quæ ſuo cõplexu ſenilia Dauidis membra calefaceret.Porrò Rab. Salomõ,hãc fœminã,quæ nobilis erat,vt apparet,& locuples,quia
E mulier magna vocatur , ſororem eſſe putat illius Abiſag Sunamitidis,de qua proximè.Sed nõ videt Rabbinus ille in cõfingẽdis fabulis audaciſſimus, neq; ſatis eſſe patriæ cõmunitatẽ,vt probat genus eſſe cõmune.Neq; videri probabile,vt cùm ab extrema Dauidis ſenectute,ad hoc Heliſæi tẽpus tãtum interiectum ſit ſpatij,quãtũ duæ illius ſæculi ætates implere nõ poſſent,vt hæc Sunamitis illius Sunamitidis ſoror exiſtimetur. Illud verò cõmẽtitiũ eſt,ne dicã fabulosũ,quod idem addidit , ideo

*Hebræorum fabula de Heliſæo.*

Heliſæum Sunamitidi iudicatum eſſe ſanctum, quòd in menſa, quam illi toties ſtrauerat, & eduliis inſtruxerat, neque muſca vlla, neque aliquid ſordidum vnquam inſedisſet. Quaſi rationes aliæ, illæque grauiſſimæ defuiſſent, quæ illius proderent ſanctitatem, nempe, parcitas, modeſtia, viuendi non vulgaris forma, ſermo, qui nihil oleret niſi religioſum, & ſanctum, & denique miraculorum excellentia, & numerus, quæ fama glorioſa prædicatione vulgauerat.

12. Verſ. 13. *In medio populi mei ego habito.*] Nihil aliud his verbis à Sunamitide ſignificatum arbitror, quàm nullius ſe indigere patrocinio, ſiue cum Rege, ſiue cum populi principibus aliquid negotij ſeu diſceptationis intercedit, cùm non peregrinetur in aliena terra, ſed inter ſuos habitet, B quorum opera ſi quid incideret moleſtum, vti poſſet. Maximè cùm non ſit fœmina de media turba, ſed, vt proximè vidimus, *mulier magna*, nempe locuples, & nobilis, cuique deeſſe non poſſet à cognatis, quibus à genere, & opibus eſſet non vulgaris auctoritas, patrocinium.

13. Verſ. 16. *Noli quæſo Domine mi, noli mentiri ancillæ tuæ.*] *Mentiri* latiùs patet apud Hebræos, quàm vt habet Latinorum vſus. Eſt enim interdum *mentiri* idem quod adulari, aut in ſpem vocare aliquem earum rerum, quas quis habet in votis, vt illum à mœrore, aut ſollicitudine liberet: Quomodo ſi quiſpiam alij felicem optet, & prædicet euentum, quod non tam eſt prædicare, quàm optare. Hoc igitur ſuſpicari potuit illa fœmina, quæ animum nouerat Prophetæ, & ſciebat omnia cupere, quæcunque ſibi forent in votis. Quaſi dicat, noli, ô vir Dei, dum mei animi dolorem conſolari ſtudes, in falſam me ſpem, voluptatémque coniicere.

*Mentiendi verbũ latè patet apud Hebræos.*

14. Verſ. 21. *Aſcendit autem, & collocauit eum ſuper lectulum hominis Dei, & clauſit oſtium, & egreſſa eſt.*] Eodem die, quo puer à ſole æſtuare cœpit, in matris complexu, & gremio animam egit; quem mater ad cœnaculum, in quo ſæpe Prophetam hoſpitata fuerat, aſcendit, & puerum exanimem in Prophetæ lectulo compoſuit. Et ſtatim oſtio cœnaculi obſerato, ne quiſquam puerum mortuum ſciret, quem à mortuis excitatum iri ſperabat, aut ne ab aliquo dum ipſa abeſſet domo, ſepeliretur, corripuit ſeſe, neque virum, vt opinor, tam lugubris caſus conſcium eſſe voluit, vt vult Abulenſ. q. 46. ſed tantùm ab illo petiit ſibi vt liceret cum famulo ad virum Dei conueniendum excurrere. D

15. Verſ. 23. *Quam ob cauſam vadis ad eum? hodie non ſunt Calendæ*, &c.] Hinc conſtat vſitatum eſſe inter Hebræos, vt diebus ſacris, atque ſolemnibus orationis ac religionis gratia, loca quædam adirent religioni & pietati deſtinata, qualia erant oratoria, aut templa, aut ſanctorum cœnobia, qualia videntur fuiſſe illa, quæ inſtituerunt Elias, & Heliſæus, quorum præcipuum videtur fuiſſe in Monte Carmelo, vbi magnus habitabat Prophetarum numerus, qui diuinis laudibus aſſiduè vacabant. Quod hic locus docet non obſcurè. Neque E enim miraretur maritus, quòd vxor vellet adire Carmelum, cùm neque ſabbatum eſſet, aut Kalendæ, niſi diebus illis viri pij religioſa loca ſoliti eſſent obire. Quod etiã docuit apertè Paulus Actor. c. 16. v. 13. *Die autem Sabbato cùm egreſſi ſumus foris portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe: & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.* Vbi vulgatus *oratio*, Græcè eſt προσευχὴ, quod nomen non ſolùm orationem, ſed etiam orationis locum ſignificat. Latinè proſeucha. Expectabat igitur

*Diebus feſtis ſacraria atque oratoria religionis gratia frequentata.*

A Paulus Iudæorum conuentum ad illam proſeuchã, ſeu oratorium, quia dies erat ſabbati, quando homines religionis gratia in loca eiuſmodi de more conueniunt. Vide, quæ nos in noſtris commentariis ad hunc locum Actorum. Fortaſſe eo conſilio religioſorum loca adibant viri alij de populo in Calendis & Sabbatis, vt ab illis legis interpretationem acciperent, nam illis diebus legem explicari, habemus ex cap. 13. cap. 15. cap. 17. Actorum; vbi ea de re in noſtris commentariis non pauca.

Ex his facilè intelligitur Sunam oppidum eſſe 16.
Carmelo coniunctum, quia domus Heliſæi, religione ſalua, adiri poterat in Sabbato, in quo longum ſpatium confici deambulando non poterat, de quo egimus multis ad illud c. 1. Actor. *Sabbati habens iter.* Neque ſi longè Carmelus à Suna diſtaret, abiiſſet mulier illa relicto filio, rediiſsétque cum Heliſæo antequam maritus, aliique domeſtici de paruuli obitu quicquam noſſent. Erat, opinor, Suna ad radices Carmeli, ad illam regionem, quæ ſpectat ad Iordanem, per quam frequenter tranſibat Heliſæus, cùm Galgala, & Ierichuntem inuiſeret, & alia collegia, quæ in ſuam ſibi curam & adminiſtrationem ſuſceperat; atque ideo cùm illic Heliſæus frequenter tranſiret, Sunamitis illi de hoſpitio commodare voluit.

*Suna vbi.*

Verſ. 27. *Cúmque veniſſet ad virum Dei in montem,* 17.
*apprehendit pedes eius: & acceſſit Giezi vt amoueret illam.*] Obſeruauit Abulenſ. q. 19. quàm eſſet Heliſæus caſtitatis ſtudioſus, & amator, qui ſuprà Sunamitidem hanc allocutus non eſt, niſi per Giezi, quaſi internuntium, & interpretem, vt cõſtat. Neque enim putabat, aut ſatis eſſe tutam caſtitatem, quæ non ſibi caueret à fœminarum colloquio, ſeu aſpectu, aut illorum decere inſtitutum & nomen, qui religioſam illam viuendi formam eſſent complexi. Norat optimè ex longa familiaríque conſuetudine Giezi, quàm eſſet ipſius Dominus caſtitatis amans, quàm fœminarum colloquia, atque aſpectum horreret, atque ideo acceſſit ſtatim vt amoueret illam, quando ſe ad Heliſæi pedes ſupplicem aduoluit. Qua de re optimè Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum. *Hoſpitiolũ tuum raro, aut numquam mulierum pedes terant; quia non poteſt toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Fœmina conſcientiam ſecum pariter habitantis exurit. Fœminæ nomen tuum neſciant. Fœminam, quam bene videris conuerſantem, mente dilige, non corporali frequentia.*

*Abſtinendũ à fœminarũ congreſſu.*

*Dimitte illam, anima enim illius in amaritudine eſt;* 18.
*& Dominus celauit à me.*] Cauendum eſſe à fœminarum congreſſu, docuit Heliſæus nuper. Sed idem nunc docet illum interdum eſſe fœminarum ſtatum, vt illas repellere inhumani ſit animi, & eius, à quo abſit pietas, & clementia. Sanè parùm eſt tutum, & honeſtum, ad colloquium admittere fœminas, cũ in illis eſt aliquid, quod alliciat animos, aut oculos oblectet, qualis ætas, forma, cultus paulò ornatior, à quibus tẽtari ſolet atque expugnari caſtitas: at vbi ætas defloruit, vetuſtate, aut morbo, cultus ſquallidus, madens vultus lacrymis, non illitus fuco, & ſtatus ita durus & grauis vt medicinam exquirat, inhumanitatis eſt ſupplicem & mœrentem repellere. Atque ideo cùm amarã videret Sunamitidis animã Heliſeus, Giezi admonet, quod cum aliis, fortaſſe iubente Domino, priùs fecerat ſæpe, ne fœminam arceat aduolutam pedibus. Eſt apud Caſſianum collat. 7. ca. 16. exemplum cœnobitæ cuiuſdã, quem Dominus graui percuſſit morbo, quia in ea cura fugiendi fœminarum conſortij,

*Fœmina in aliquo ſtatu non repellenda.*

consortij plus satis cautus,& abstinens fuit.

19. *Et Dominus celauit à me.*] Ex hoc loco & similibus aliis, statuunt Theologi Prophetam ignorare plurimum,neque dari illis propheticum spiritum per modum habitus, ita vt semper comitetur & illustret Prophetam,sicut ars artificem, & scientia numquam deserit scientem;sed infundi à Deo pro huius vel illius euentus, aut somnij cogitatione, & statim abesse, donec iterum Prophetæ mens communicato spiritu ad nouam cogitationem illustretur.Ita Gregor.hom.11.in Ezech.*Aliquando*, inquit, *spiritus prophetiæ deest Prophetis, nec semper eorum animis præstò adest, vt videlicet cùm ipsum non habent,agnoscant se dono Dei habere quod habẽt.*Quod probat ex eo quod Helisæo accidit hoc ipso lib.1. cap. 3. vbi consultus à Regibus Israël & Iuda de belli euentu,asciri iussit psaltem, quo canente afflatus est spiritu,& quid futurum esset deinde sine errore prædixit. Et hoc exemplo quod habemus præ manibus. Vide plura in nostris commentariis ad cap.1.Danielis prope finem.

20. *Accingere lumbos,prouerbialis forma,pro celeritate.*

Vers.29.*Accinge lumbos tuos.*] Phrasis est familiaris Hebræis,& penè prouerbialis,quæ strenuam operam diligentémque significat.Ex eo autem orta est,quia Hebræi tunicis vtuntur ad talos vsque defluẽtibus,quæ impedimento necessariò sunt his, qui festinatum aliquod opus moliuntur. Quare cùm aliquid maturandum est,accingunt se arctiùs serui, & lacinias ad cingulum reducunt, & colligunt, ne properantes morentur, & impediant. Hinc sæpe audimus *præcingere se, præcingere lumbos*, & similia,cùm studium, & celeritatem in agendo explicare volumus.Hispani dicunt, *poner haldas en cinta.*Quare cùm hic dicendi modus aliquid oleat prouerbiale,dixisset,credo,Helisæus seruo,etiamsi breuem haberet & expeditam vestem, cùm celeritatem commendauit vt lumbos accingeret; quia id ab illis fieri communiter solet,qui præstare volunt non negligenter imperata.

21. *Nem non salutare aliquem in via.*

*Si occurrerit tibi homo,non salutes eum.*] Prouerbialis hæc species est,qua significamus in negotio dato non esse cunctandum, aut oblata aliqua occupatione interponendum aliquid moræ. Quid leuius illi,qui iter agit, quàm obuios salutare, & salutantibus in eodem officij genere respondere, cùm interposita salutatio neque molestum reddat iter, neque celeritatem retardet. Hac eadem prouerbiali phrasi vsus est Christus Lucæ 10. cùm Apostolis tradidit prædicãdi negotium, cui vt fidelem operam & sedulam nauarent,à reliquis abstinere iussit, *Neminem*, inquit, *per viam salutaueritis*: quasi diceret, id vnum curate sedulò, reliqua vobis aut nullo sint loco,aut saltem ita vili, vt nihil huic curæ aut præuertant, aut adimant. Ita putat Ambros.lib.1.in Lucam:*Non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur, pauliſper sequestrẽtur humana.*Sanè Aug.serm.42.de Sanctis parabolicum esse dicit loquendi modum ea locutione, qua solent dicta exaggerari consuetudine sermocinandi, id est,prouerbiali forma. Sic Latini dicunt,*hoc age*: id est,in hoc vno incumbe: aut *fixis oculis aliquid intueri*, ita vt neque oculos neque cogitationem aliorsum deflectas. Quod Cicero sic expressit pro Flacco. *Totam causam, quàm maximè intentis, vt aiunt, oculis acerrimè contemplamini.* Hispani eiusmodi celeritatem ita explicant, *Ni seas oydo ni visto.* Hæc mihi explicatio maximè probatur: aliæ ab aliis adducuntur, quæ duriores sunt & minùs ad textum. Theodoretus quæst. 18. *Sciebat*, inquit, nempe Helisæus de Giezi, *eum esse honoris cupidum, & causam dicturum* (profectionis) *inanem autem gloriam, fore impedimentum ne faciat miraculum.* Abulens. quæst. quadrageſimasexta alias adducit causas, quas tu vide.

Vers. 33. *Ingressúsque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum.*] Miserat ante se famulum Helisæus cum baculo, qui defuncto puero impositus illum reuocaret ad vitam, quod tamen consecutus non est. Quid in causa fuerit,non constat. Rabb. Salomon citatus à Lyra, peccato id attribuit Giezi, qui cùm iussus est ab Helisæo neminem in illa via salutare, ipse tamen ambitiosè obuiis quibusque dicebat se ad excitandum puerum ab Helisæo missum. Propterea ablatam fuisse Helisæi baculo virtutem, neque quicquam præstare potuisse eorum, quæ Helisæus antè mente conceperat. Alij id fidei ascribunt Giezi, & Sunamitidis fœminæ,quæ infirma fuit, neque crediderunt, aut sperarunt, ex attactu baculi reuocandam animam, quæ iam excesserat; quæ optimè confutat Abulens.quæst.50. Ac tandem putat ideo nihil perfeciſſe baculum, quia Deus non tantum voluit magnificare Helisæum, quantum ille aut sperabat, aut volebat. Decipi porrò aliquando Prophetas,cùm non semper afflati diuino spiritu loquantur, sed interdum suo, qui falli potest, sicut aliorum, quos numquam propheticus illustrauit spiritus, certum est, vt pluribus ostendimus suprà libro secundo capite septimo in principio, ad illa verba Nathan ad Dauidem, *Omne quod est in corde tuo, vade fac*, id est,templum ædifica, cùm tamen postea illum ab ædificando templo prohibuerit. Vide quæ nos ibi. Quare cùm sperauit Helisæus vt baculi attactu puer reuocaretur ad vitam,spes illa neque iniecta est à Deo,neque à Spiritu concepta prophetico, sed ab humana cogitatione, quæ interdum sibi plura promittit, quàm concedit Deus. Hoc autem maximè expediit Helisæo, vt de se minus cogitaret magnificè: neque altiùs saperet, quàm oportet, sed saperet ad sobrietatem. Atque ideo postea magis quàm antea, timidè, & cautè rem aggreditur. Ascendit enim cœnaculum sibi anteà notum, clausit ostium, orationem præmisit, quod antè non fecerat: & multo pressiùs suo corpore tetigit corpus exanime, quàm nuper Giezi ipsius baculo tetigerat. Extendit enim se supra illud, & ita seipsum attemperatè applicuit,vt manus suas, cum pueri manibus, os cum ore,cum oculis oculos coniungeret, idque non semel:& insuper discurrit sæpe vt calorem conciperet, quo infantile corpus calefaceret, & puerum ipsum quodammodo parturiret. Neque tam facilis fuit illa cadaueris animatio, quàm ipse crediderat:nam oscitauit septies, id est,reuixit lentè,& post illa minùs certa signa animati cadaueris, tandem aperuit oculos, quod reuocatæ vitæ maius quoddam argumentum fuit.

22. 23. *Propheta nõ semper loquuntur diuino spiritu afflati.* *Superbia Dei liberalitatem impedit.*

Est sanè opus valde difficile excitare mortuos, neque hoc opus est seruile, id est, quod seruis committi debeat, & arido ligno, qualis erat Elisæi baculus: sed illorum, quos Deus spiritu suo ornare, atque illustrare voluit: qui tamen opus illud, non molli, vt aiunt, brachio, aut studio quodam inerti, & languido suscepturi sunt, sed constanti ac feruido, orent oportet priùs, calorem discurrendo concipiant, foueant sicut gallina oua, vt tandem ex emortua

24. *Animarum cura magnũ & molestũ opus.*

materia,& frigida,viuentes excludat pullos, & animatos fœtus.Hîc vides illustre symbolum Apostolici viri, sapientis & vigilâtis Episcopi, qui sibi ipsi assumit tam graue, & periculosum onus, neque pastorali baculo committit.Qui non debent pastoris, aut Apostolici, seu Euangelici doctoris titulo intumescere,& humilia despicere, sed ad illa,quæ stultum hominum vulgus putat esse indecora,ac vilia,seipsos abiicere, & suam amplitudinem ita contrahere, vt ad infantis mensuram, si illius exigat necessitas,aut vsus cohibeat.

15. Vers.34. *Incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius.*]Idem penè fecit Elias, lib.3. cap.17. v.21.vbi nos satis, opinor, diligenter egimus de hac ceremonia atque mysterio.Quare hîc abstinere posse videor à multis, quæ locus iste nobilis exigere videbatur ab interprete, cùm omnia quæ illic tradita sunt,in locum istum non minus quàm in illum aptè conueniant.

16. Vers.38. *Erat autem fames in terra.*] Iam proponitur aliud Heliszi miraculum,quo amarum condimentum pro discipulorum edulio præparatum esculentum reddidit,cùm tamen priùs sic esset insulsum, vt instar videretur obtinere mortis. Ingruerat grauis fames, quæ latè regionem illam oppresserat, in qua tunc habitabat Heliszus, & Prophetarum cœtus ipsius curæ, ac disciplinæ creditus. Iussit autem cuidam ex illis, qui magis erant familiares & assidui, vt cibum pararet Prophetarum filiis,talem,opinor,qualem ipsi adhibere solerent,ad mensam frugalem nempe, id est, ex terræ frugibus,& herbis conditum. Hoc enim videtur eo tempore illorum Prophetarum commune pulmentum:id indicat ille,qui egressus dicitur in agrum,*vt colligeret herbas agrestes.*

17. *Vitis lata significatio.* Vers.39.*Inuenitque quasi vitem agrestem, & collegit ex ea colocynthidas agri.*] Nomen *vitis* plura significat, quàm quod proximè atque communiter sonat.Vitem enim albam,& vitem appellamus nigram, quæ à vite vinifera lôgè differt.Sic ego existimabam illam,quæ hîc vocatur *vitis agrestis*,non esse propriè vitem, sed herbam diuersi generis, quæ vitis syluestris similitudinem referret. Quod ideo mihi persuadebam, quia in Hebraico textu, non est *quasi vitem*, sed *inuenit vitem*, sicut etiam habent Septuaginta, & Chaldæus, qui ita legunt, *Inuenit vitem syluestrem, & collegit ex ea colocynthidas.*Colocynthides autem nullo modo colliguntur è vite, sed è planta quæ viniferæ viti quamsimillima est,quod videtur voluisse significare vulgatus,dum conuertit,*quasi vitem.* Quasi dicat,inuenit herbam, quam vitem appellant syluestrem, quæ à vite, quæ in syluis nascitur,& nulla vinitoris arte colitur, parùm differt;quam nos communiter labruscam appellamus.Quare vulgatus nullo modo ab Hebraico,Græco, atque Chaldaico textu dissentit.

18. *Colocynthis quid.* Sed quænam sit illa planta, obscurum est, vulgatus *colocynthidas* vertit, cuius fructus rotundus est, & id significat vox Hebraica פקעות *pecuoth*, Chaldæus ouorum dicit habere figuram, alij cucurbitas agrestes esse putant,quæ satiuis minores sunt.Hispanica translatio, *cohombros de el campo*, vertit, quos communiter Hispani vocant *cohombrillos amargos.* Alij illam herbam esse arbitrantur, quæ fructus fert, qui proximè ad cucurbitæ similitudinem accedunt:qui sanè amarissimi sunt, & vulgo Hispanorum *tueras* appellantur.Et hoc mihi placet maximè.

19. Vers.40.*Mors in olla vir Dei.*]Quod nimis est amarũ,& triste,quia mortis est instar, mortis significamus nomine, sicut mori etiam dicimur cùm triste aliquid patimur, & humanæ vitæ commodis inimicum.Sic Seneca:

*----Mortis habet vices*
*Lentis cùm trahitur vita gemitibus.*

Et Martialis libro 6.epigrammate 69.

*Et quantum tetricæ tulere febres,*
*Aut languor grauis,aut mali dolores,*
*A vita meliore separentur.*
*Non est viuere,sed valere vita.*

Vt ergo mori dicimur, cùm duris vitæ iactamur incõmodis; sic etiam durum illud incommodum mortẽ appellamus.Sic enim Prophetarũ filij cùm ex edulio malè cõdito amaricié sensserunt admodum ingratam palato, mortem se inuenisse clamant.Aut certè, quia ex sapore nondum ad illud tempus sibi cognito suspicati sunt,aliquid in ollã infusum esse mortiferum,& ideo tanti mali remedium sibi quærunt à Propheta.

Vers.41.*Afferte,inquit,farinam.*] Abstulit à pul- 30.
mento quam colocynthides induxerant amaricié, infusa farina:sicut antea Ierichuntinas aquas dulces reddidit,infuso sale. Quærunt aliqui an à natura habuerit farina vim, vt si quid haberent colocynthides amarum,& pestilens, illud sanauerit, edulíúmque reddiderit non modò ad valetudinẽ salubre,& commodum, sed etiam palato non ingratum.Medici quidam vim quandã inesse putant farinæ contra vim illam acrem,& amaram, quam habent colocynthides. Ita Leuinus Lemnius c.7. vbi proprietatem istã inesse dicit à natura farinæ, præsertim hordeaceæ.Idem etiam admittit Vallesius in sacra Philosophia ca.37.fatetur tamen hoc opus fuisse supra naturalem farinæ facultatẽ. Vt enim fateamur valere aliquid ad sanandũ herbæ illius noxiæ tam amaros ac pestilentes morsus, at tam breui tantam fieri mutationem, non est naturale opus. Vt enim farina suã vim vtiliter expromeret,& contrariam emendaret, & frãgeret,plusculum moræ interiectum oportuit. Lege Abulẽsẽ q.60. qui optimè probat in ea mutatione nihil operatam esse naturam,sed planè interceſſisse miraculum. Quod mihi semper placuit. & certè, vt vides,hoc inter Heliszi miracula numeratur.

Vers.42.*Vir autem quidam venit de Baalsalisa,de-* 31.
*ferens viro Dei panes primitiarum.*]En aliud miraculum factũ,opinor,sub hoc ipsum tẽpus,quia si qua est agresti cucurbitæ opportuna maturitas, tunc iudicari potuit matura, quando matura est falci messis triticea. Eo igitur tẽpore cùm grauis esset fames in Israël,hanc mentem dedit Deus viro cuidam pio,qui habitabat in Baalsalisa,vt Heliszi, & eorum,quorum ille curam susceperat,quos alebat vt filios, & vt magister ad pietatem informabat, necessitati subueniret.Quibus dedit exprimis frugibus,quas eo ipso tempore messuerat,panes,nẽpe hordeaceos,& frumentum nouum, quod primùm ex triticea messe perceperat, in pera, grana puto, neque magna,vt apparet,mensura,quia in pera nõ multum portari frumentum potest, vbi vulgatus, *pera*,Hebræ.est בעקליו *be siclono*.quod multi reddunt *in tunica sua*, & eorum non pauci interpretantur,*in folliculis suis*, quasi dicant,attulit spicas frumenti,grana videlicet in spicis, nondũ excussa atque purgata.Et quidem vox Hebr. כרמל *carmel*, pro qua interpres noster reddidit, *frumentum nouum*, spicas significat plenas atque virentes, vt constat Leuit. capite 2. vers. 14. vbi eandem vocem noster interpres, spicam reddidit virentem. Neq; ab hoc sensu videtur abiisse vulgatus, quia

pera fol

perafolliculum etiam ſignificare poteſt, vbi clauduntur grana. Et licèt ſuperiorem explicationem non improbem, hanc tamen improbare non audeo, quia in eam pronior eſt textus Hebraicus, & in hanc omnes penè tranſlationes aliæ propendẽt, neque vulgata reſpuit. Spicas autem illas virentes & plenas torrere potuerunt Prophetarum filij, & ex illis ſibi facere polentam, quæ in deliciis erat olim Hebræis, de quibus nos plura li. 1. Reg. cap. 17. ad v. 17. Quomodo verò hordacei panes in vſu fuerint apud Hebræos, neque illi viles haberentur, aut inſulſi, diximus alibi.

Verſ. 43. *Da populo vt comedat; hæc enim dicit Dominus: Comedent & ſupererit.* ] Pro tanta multitudine perpauci videbantur viginti panes hordacei, & frumenti modicum excuſſi ex folliculis, aut adhuc in ſpicis incluſi. Atque ideo qui iuſſus eſt hæc diſpenſare multitudini, dixit: Quantum eſt hoc vt apponam centum viris. Sed de tenuis illius penu augmento non dubitabat Heliſæus, qui à Domino acceperat, non modò ſatis, ſed etiam ſuperfuturum eſſe quod illam multitudinem ad ſatietatem vſque cibaret. Quod ita planè accidit, nam cùm omnes refecti forent abundanter, non tamen exiguæ fuerunt, quæ ex illo conuiuio ſuperfuere reliquiæ. Eſt autem veriſimile benedixiſſe panibus Heliſæum: ſicut Chriſtus fecit Ioan. 6. & poſt benedictionem, illud accepiſſe panes incrementum. Diſputant alij quomodo iſtud miraculum acciderit, quam ego quæſtionem prudens omitto, quia neque multum refert illam expediri, neque aliquid certum affirmari poteſt.

# IN CAP. V. LIB. IV. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*NAAMAN auctoritate, atque potentia princeps, tum Regi Syriæ propter egregia merita familiaris, & charus lepra laborabat, cúmque ab ancilla quadam Iſraëlitide didiciſſet eſſe in Iſraële Prophetã, à quo ex tam fœdo, atque moleſto morbo liberari poſſet, cum regiis literis profectus eſt Samariam, vbi tunc erat Rex Iſraël. Qui cùm Regis Regis Syriæ literas legiſſet, quæ id maiorem in modum commendabant, vt Naaman mundatum à lepra domum remitteret, ſuſpicatus eſt id agere ſimulata commendatione Syrum, vt occaſionem inueniret honeſtam inferendi belli, quaſi tuliſſet turpem ab illa petitione repulſam, neque enim ſperabat poſſe fieri vt Naaman vota, & Regis poſtulata præſtaret. Hîc igitur adit Heliſæus, & Regem deſperantem & mœſtum ſecura expectatione confirmat, & recreat. Quare venientem Naaman ad Iordanem mittit, iubétque vt in eo ſepties abluat ſe, de optata ſanitate ſecurus. Fert primùm ægrè Naaman illud curationis genus, cùm ex oratione Prophetæ mollique attactu ſalutem ſperaret è cœlo. Cúmque indignans recederet, ſuorum tamen exhortatione cogitur dictis parere propheticis, & ſepties in flumine baptizari. Cùm autem tam rediret à lepra mundus vt nulla tanti morbi ſupereſſent veſtigia, cognouit planè, neque id præ ſe tulit obſcurè Deum Iſraël verum eſſe Deum, neque vlli præter ipſum honores ſe velle diuinos impendere. Offert Prophetæ munera planè regia, quæ tamen ille non admittit. Edoctus tamen, quid poſſet ſalua Religione facere, cùm ingredientem Syriæ Regem in idolorum templa comitetur, profectionem parat. A quo Heliſæi famulus Giezi in ipſo curſu domini ſui nomine, quod falsò ſuæ cupiditati prætẽdit, munera extorquet, quæ magiſter vltro oblata contemſerat, quod tamen Heliſæum non latuit, qui infideli ſeruo crimen exprobrat auaritiæ, & minatur lepram, quam lotio ex Naaman corpore ſeptena deterſerat, quas minas Giezi ſubita fœdatus lepra eodem temporis veſtigio veras eſſe cognouit.*

## CAPVT QVINTVM.

1. NAaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud Dominũ ſuum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ: erat autem vir fortis & diues, ſed leproſus.

2. Porrò de Syria egreſſi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de Terra Iſraël puellam paruulam, quæ erat in obſequio vxoris Naaman,

3. Quæ ait ad dominam ſuam: Vtinam fuiſſet dominus meus ad prophetam, qui eſt in Samaria: profectò curaſſet eum à lepra, quam habet.

4. Ingreſſus eſt itaque Naaman ad dominum ſuum, & nunciauit ei, dicens: Sic & ſic locuta eſt puella de Terra Iſraël.

5. Dixítque ei rex Syriæ: Vade: & mittam litteras ad regem Iſraël. Qui cùm profectus eſſet, & tuliſſet ſecum decem talenta argẽti, & ſex millia aureos, & decem mutatoria veſtimentorum,

6. Detulit litteras ad regem Iſraël, in hęc verba: Cùm acceperis epiſtolam hanc, ſcito quòd miſerim ad te Naaman ſeruum meũ, vt cures eum à lepra ſua.

7. Cúmque legiſſet rex Iſraël litteras, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Numquid Deus

ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? animaduertite, & videte quòd occasiones quærat aduersum me:

8. Quod cùm audisset Elisæus vir Dei, scidisse videlicet regem Israël vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse prophetam in Israël.

9. Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elisei:

10. Misitque ad eum Elisæus nuncium, dicens: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.

11. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.

12. Numquid non meliores sunt Abana & Pharphar, fluuij Damasci, omnibus aquis Israël, vt lauer in eis, & munder? Cùm ergo vertisset se, & abiret indignans,

13. Accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, & si rem grãdem dixisset tibi propheta, certè facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis?

14. Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonẽ viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.

15. Reuersúsque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Verè scio quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantùm in Israel: Obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo.

16. At ille respondit: Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cúmque vim faceret, penitus non acquieuit.

17. Dixítque Naaman: Vt vis: sed, obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet vltrà seruus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino.

18. Hoc autem solum est, de quo deprecaris Dominum pro seruo tuo, quando ingrédietur dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.

19. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo terræ tempore.

20. Dixítque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, vt non acciperet ab eo quæ attulit: viuit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.

21. Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cùm vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum eius, & ait: Recténe sunt omnia?

22. Et ille ait; Rectè: Dominus meus misit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.

23. Dixítque Naaman: Melius est vt accipias duo talenta. Et coëgit eum, ligauítque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui portauerunt coram eo.

24. Cúmque venisset iam vesperi, tulit de manu eorum, & reposuit in domo, dimisítque viros, & abierunt.

25. Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Elisæus: Vnde venis Giezi? Qui respondit: Non iuit seruus tuus quoquam.

26. At ille ait. Nónne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas.

27. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

# IN CAP. V. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *Naaman princeps militiæ Regis Syriæ erat vir magnus.*

1. ALIVD miraculum narratur ab Helisæo editum, quo apud externos illius nomen factum est illustre: quod ita perspicuè à sacro historico proponitur, vt non admodum necessarius videatur labor interpretis. Hic Rex, cui Naaman operam nauauit in acie strenuam, & vtilem, erat Benadad, qui bellum aliquoties gessit cum Achab Rege Israël, & tandem, vt habes infrà cap. 8. ab Hazaele strangulatus interiit. Hic autem erat potens, & magno in pretio habitus à Rege, quia inter alia merita in Regem illustria, illud erat non vltimum, quòd Regem Achab sua manu occidisset in eo bello, de quo lib. 3. cap. 22. vt putat Rab. Salomon, qua fide, ipse viderit. Sed gratiam illam

illã apud Principẽ,& apud Syros gloriã singularẽ obscurabant, & fœdabant vlcera, quæ tanti viri corpus, & cruciabant acerbè, & miserandum in modum deformabant. Casu didicit ab ancilla, quam captiuam egerat è terra Israelitide,fieri posse vt Prophetæ opera, cuius tunc erat celebre nomen in Israel, à lepra mundaretur. Quare literas obtinuit à Rege suo,quæ Regi Israel, qui tũc erat Iorã,leprosi serui commendabãt causam:petebátque vt eum à fœda illa infirmitate mundatum,in patriam remitteret. Quæ literæ magnam Israelis Regi sollicitudinem,& metum incusserunt.Putabat enim occasionem captare Syrum, & colorem, vt honestè bellum videretur inferre Regi, à quo id quod per literas orarat,non obtinuisset. Sed liberauit illum Helisæus ab ea perturbatione, & metu, cùm diceret in Israele esse Prophetam, à quo Syrus ille leprosus sanitatem obtinere posset, cuius gratia illuc vsque peruenerat. Cúmque rectà ad Helisæi domum accessisset, à quo didicerat sperari posse sanitatem,iussus est per nuncium antequam ad Prophetæ conspectum peruenisset,vt si vellet à fœdo illo, atque molesto vlcere mundari, septies in Iordane flumine corpus ablueret, neque de promissa ac sperata munditie dubitaret. Hæc aperta sunt,paucula tamen exponenda.

2. Vers. 2. *Egressi fuerant latrunculi.*]Latrones non solùm dicuntur,qui aliena furantur,sed etiam qui arma tractant,& illi præcipuè,qui ad militarem operam mercede conducuntur, qui etiam diminutiua forma latrunculi vocantur. Quales vocantur Ammonitæ,Moabitę,Syrij,Babylonij,& qui variis incursionibus aggressi sunt Gentem Israelitidem, & illius terminos hostiliter populati. De quibus infrà cap.24. *Immisit ei*(nempe Ioachim) *Dominus latrunculos Chaldæorum,& latrunculos Syriæ,& latrũculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immisit eos in Iudam,vt disperderent eum.* Neque alienum est à Latinorum vsu, vt milites etiam latrones appellentur. Ita Festus & Seruius ad illud Virg.lib.12.

*Latrones vocati milites.*

*——Fixúmque latronis*
*Impauidus frangit telum,& fremit ore cruento.*

De quibus etiam Plautus in Milite glorioso actu 1.scena 1.ad finem.

*Nam Rex Seleucus me opere orauit maxumo,*
*Vt sibi latrones cogerem,& conscriberem.*

3. Vers.5.*Qui cùm profectus esset,& tulisset secum decem talenta argenti,& sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum.*]Hæc omnia secum attulit leprosus ille princeps,vt impensum sibi à Propheta salutis beneficium compensaret. Vsque adeò cupiebat ab illo fœdo atque odioso morbo libertatem. *Mutatoria vestimentorum.* Est qui putet mutatoria vestimentorum, seu, quod idem est *mutatorias vestes*,Pontificis esse,quia illæ communes, sed statim à sacerdote peracto sacrificio deponebantur. Quod ex eo coniectat,quia Zachar.cap.3.v.4. indutus fuisse traditur Iesus sacerdos mutatoriis. Ita in eo loco Montanus. Sed sanè neque Naaman secum pontificias attulerat vestes, neque Deus cùm à filiabus Sion ablaturum se minatur mutatoria Isai.cap.3.de cultu agit, instructúque Pontificis. Sunt itaque mutatoriæ vestes, mundæ & lautæ, quibus homines in splendida vtuntur fortuna festisque diebus,& mutant cùm profestis diebus ab otio, atque elegantia se rursus ad laborem expediunt.

*Vestes mutatoriæ quæ.*

4. Vers.11. *Putabam quòd egrederetur ad me,& stans inuocaret nomen Domini Dei sui,& tangeret manu sua locum leprę.*] Non vnius Namã hoc est vitium, sed omnium ferme potentium,qui ac si suæ voluntati subiecta vis, & ordo naturæ, siue spirituali, siue corporali morbo laborent,præscribunt tam spirituali, quàm corporali medico, quem tenere debeant curationis modũ: neque patienter ferunt, si aliter atque ipsi cupiunt, medicinam adhibeant. Et nonnunquam magno suo malo illorum molliori voluntati, seu puellari libidini obsequuntur medici, qui cùm à seueriori medicina abstinent, corpus alij, animam alij, languentis perdunt, quæ seruassent omnino,si arti suæ potius, quàm ignauorum,& mollium voluntati paruissent. Laborabat Naaman homo potens lepra, & ea fortasse, quæ grauiter cruciat,neque vllam medicinam habet,quæ sit salutaris, nisi quæ dolorem faciat vehementem; & cùm tantus esset morbus, modum ipse secum excogitarat medicinæ, facilem nempe, quique nihil ipsi molestiæ esset allaturus. Sic enim secum ipse meditabatur, totum illud negotium agendum esse precibus:& vbi res esset durior, tangendam vlcerosam corporis partem prophetica manu;neque aliud expectandum esse præterea. At vbi audiuit,abluendum esse in Iordane septies, impatiens medicinæ de reditu cogitat in patriam; neque obsecutus esset Prophetæ monitis, nisi serui, quibus maiori erat curæ Domini salus, ab ea cogitatione reuocassent.

*Medico tam corporali quàm spirituali parẽdum.*

Vers. 12. *Numquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluuij Damasci.*] Hi duo fluuij adeò Damascenæ ciuitatis proprij sunt, vt alter interfluat ciuitatem mediã: alter abluat muros, & circumiectos irriget ciuitatis campos. Sic in suo itinerario Beniamin. *Abana*,inquit,*Damascum influit,cuius aquæ per trabes in omnes magnatum domos, atque etiam in forum & plateas deducuntur.Pharphar vrbem ipsam præterfluit,& hortos paradisósque omnes irrigat.*

5. *Abana & Pharphar Damasci fluuij.*

Vers. 13. *Pater,& si rem grandem dixisset tibi Propheta.*]Patres illi dicuntur,qui nobis,aut reipublicæ præsunt,vnde qui res curant publicas, vt senatores,patres dicuntur conscripti; sic etiam Reges, & quibus honor debetur, & obseruantia, apud Virg.lib.12. Turnus Latinum Regem patrem appellat,& apud poetas Iupiter,qui diis aliis præest, pater sæpe Deorum appellatur, & qui familiæ præest,pater vocatur familias;sic etiam serui Naaman Dominum suum patrem salutant, sicut etiã Helisæus Eliam magistrum, & Dominum suum paulo antè patrem compellauit, dum dixit cap.3. *Pater mi,currus Israel,& auriga eius.*

6. *Qui domini sunt, aut rẽ administrãs publicam, patres appellati.*

Vers.14. *Et restituta est caro eius sicut caro pueri,*] Non solùm depulsus est morbus ille dirus, & fœdus,sed omnis à corpore deformitas, imò & morbi vestigia, & antiquorum vlcerum argumenta, quod optima similitudine facer exprimit historicus: in corpore enim pueruli non est squammosa cutis,nulli apparent vibices, nullæ maculæ, nulla fœditas,quia nullum,vt plerumque fit, anteceſſit vlcus, aut maligna qualitas, quæ notatam relinquat,& maculatam carnem. Hîc ego pœnitentiæ optimum aliquod symbolum intueor, & diuini lauacri ex Christi sanguine illustre miraculum. Fieri fortasse posset,vt Abana, & Pharphar fluuij Damasci aliquod lepræ genus detergerent ab affecto corpore, id enim fieri posse docet Vallesius in sua sacra philosophia c.38. *Descendere*,inquit,*in fluuiales aquas crebrò, matureque, præcipuè ad rapidos aquarum vortices,plurimum facit ad eluendam omnem cutis immunditiam, atque sanandum omne genus scabiei.* At inueteratum grauioris lepræ genus depellere,& omnes à corpore maculas eluere, & ad infantilis corporis mundiciem adducere, Iordanis

7. *Sacramenti pœnitentiæ, vis, & natura.*

est opus, qui suo nomine, & hac mirabili lepræ curatione pœnitentiæ sacramentum adumbrat.

*Iordanis pœnitentiæ symbolum.*

8. Est enim Iordanis, si illius notationem expendas, idem quod iudicij flumen, seu descẽsio, quæ optima est pœnitentiæ descriptio. Quid enim aliud est pœnitentia quàm iudicium quoddam conscientiæ, & illius seuerum examen, ad quod descendit, qui peccatorum vult onus deponere, & illorum penitus maculas detergere. Illud porrò iudicij flumen sordes omnes diluit, & demergit, ita vt quod priùs nauseã mouebat, atque fastidium, nusquam appareat. Dixit hoc perquam optimè Chrysostomus hom. 80. ad populum, vbi cùm ageret de pœnitentia, docet qualiter Deus peccata pœnitentium delet. *Si sola*, inquit, *foret pœnitentia, iure timeres, sed postquam cum pœnitentia miscetur Dei misericordia, confide, quoniam tuam vincet nequitiam*, &c. *Ita delet peccata, vt nec eorum remaneat vestigiũ. In corporibus quidem hoc non licet; quin etiamsi millies medicus elaboret, & imponat vulneri remedia, vulnus quidem tollit, cicatrix verò permanet, vulneris circumferens argumentum, aspectus deformitatem. Et licèt in infinitum medicus contendat, non tamen cicatricem delere potest: ipsa namque naturæ repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitásque medicamentorum. Deus autem cùm delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque permittit remanere vestigium; sed cum sanitate pulchritudinem quoque restituit, cum liberatione à pœna, dat & iustitiam, & præuaricatum non præuaricato similem reddit: Si namque infinita quis habens vulnera pœnitentiam egerit, & aliquid fecerit boni, sic ea Deus delet, vt neque cicatricem, neque vestigium, neque peccatorum ostendat indicium.*

9. Vers. 17. *Concede mihi seruo tuo vt tollam onus duorum burdonum, non enim faciet seruus tuus holocaustũ, aut victimam diis alienis.*] Sicut qui curati fuerunt à Christo, & à corporali morbo liberati spiritualem quoque salutem acceperunt, sic etiam leprosus iste sic est ab illo inueterato morbo liberatus, vt sanato corpore acceperit & animæ salutem. Quare statuit nõ iam sibi amplius cum patria religione, diisque Syriorum futurum esse commune. Nouas aras dicebat excitandas sibi, & longè alias immolandas esse victimas. Atque adeò cùm impium putaret ac sordidum Syriæ puluerem, quem toties calcauisset idololatriæ, & in quo immania idolorum monstra iampridem fuerant dominata, orauit ab Helisæo sibi vt liceret ex terra Israelitide, quã sacram putabat, & electam à Deo quondam audierat, tantum secum in Syriam exportare, quantum duorum burdonum iustum esset pondus, vt sibi videretur esse non in execrando Syrorum solo, aut in eo sacrificare, sed in religioso, & sacro electi à Deo populi.

10. Vers. 18. *Si adorauero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus.*] Non putabat Naaman fieri posse vt non comitaretur Regem vt antè solitus, cùm templum iniret Remmõ, & illum de more pronus, & supplex adoraret. Cũ enim ipsius humeris inniteretur Rex, si ille in terram caderet, aut in genua procumberet, non poterat ipse non inclinari, & speciem saltem edere adorantis, & supplicis. In hoc aliquid esse culpæ prudenter, ac verè suspicabatur Naaman. Quare id sibi concedi postulat à Propheta, & si quid in eo peccatum fuerit, ignosci. Porrò solere Reges aliorum humeris inniti non Syros solùm, sed etiam Hebræos, probat ille, qui lib. 4. c. 7. hoc ministeriũ præstitit Regi Ioram. Quod item puto aliis vicinis Regibus esse commune: sanè fuit fœminis præcipuis vsitatum, quæ sibi honori esse ducunt, & pulchritudinis partem esse molles & teneras, vt docuit Esther cap. 15. & in nuptialibus sacris nouæ nuptæ famularum brachiis innitebantur. Sic docet Catullus in nuptiis Iuliæ, & Manlij.

*Mitte brachiolum teres, prætexate puellulæ.*

Vers. 19. *Qui dixit ei: Vade in pace.*] Hæc verba eius sunt, qui postulata concedit. Quare facultatem vt cum Rege simul adoret Remmon videtur concedere, quod omnino non potest, si contra stat diuinum præceptum, aut docet in illa adoratione nullum esse peccatum, quod sanè nemo pius diceret. Quare hîc nobis, vt Prophetam ab errore, & scelere vendicemus, duo explicanda sunt, primum an externa illa ante idolum inclinatio peccatum sit idololatriæ, & cur illa quæ longè abest ab animo, & nihil magis execratur & horret, quàm impensum mutis Deorum simulacris obsequium, dicatur adoratio. Nam Naaman dum de inclinatione interrogat, de adoratione videtur intelligendus. Sic enim ait, *si adorauero in templo Remmon.* 11.

Quod ad priorem partem spectat, certum est, *cadere, incuruari prosterni*, significare, quod propriè sonat, quod multas ob causas posse fieri ignorat nemo. Procumbit aliquis, vt Regi aut patri aut digniori personæ reuerentiam exhibeat; procumbit etiam, vt adoret, & alicui honores impendat diuinos: in hoc latria quædam est, id est, nobilior quædam adoratio, quæ vni debetur Deo, quam nullo modo concedit aut probat Helisæus. Alia est incuruatio, seu inclinatio, quæ homines veneratur, & superiores agnoscit, quæ tamen adoratio non est, quia longè est, quæ tale hominibus exhibet obsequium, vt aliquid ibi diuinum agnoscat; quod superioribus, in templis etiam præstari potest, si aliis in locis illud ciuilis, & politicus cultus exigeret. Ita communiter doctores. Ex his patet quid in Naaman probet, atque permittat Helisæus. Solebat Rex Syriæ cùm incederet, aut se quacunque de causa prosterneret, inniti aut manibus aut humeris Naaman, quare necesse erat, vt sese Naaman ad Regis motum, atque habitum accommodaret. Ex quo fiebat, vt cum stante staret, cum incedente incederet, & procidente ipse quoque procideret. Quod opus ex natura sua adoratio non est, sed obsequium Domino debitum à seruo, atque ideo nulla lege prohibitum. Quod si seruus omitteret, non inurbanus solùm, sed etiam infidelis haberetur. Quod etiam nunc apud Christianos viri pij in templis exhibent Principibus, quos de geniculis alloquuntur, neque tamen proditæ, aut violatæ pietatis, aut fidei à quoquam accusantur. 12.

*Quæ inclinatio ante homines solùm honesta.*

Cur verò obsequium istud adoratio dicatur, & is dicatur adorare, qui cum procumbente Rege procumbit, cùm tamen procul absit vt simulacrum adoret, imò cùm illud nugas esse credat, & hominum inutile figmentum, explicandum est. Et obseruandum rebus accommodari nomen ex effectis, quæ ex aliqua causa plerumque nascuntur, licèt causa sit omnino diuersa, & interdum maximè contraria. Quomodo Deus, in quem nulla cadit pœnitentia, pœnitentia adductus esse dicitur Genes. 6. v. 6. quòd hominem creasset in terra, & lib. 1. Reg. cap. 15. v. 11. quòd Saulem Regem constituisset, quin mundo aquarum exundatione obruto, & abiecto Saule signa dedit pœnitentis animi; illud enim fecit quod homines, quos facti pœnitet, qui illud destruũt cum offensione, atque ira, quod antè construxerant. Odisse iubemur patrem & matrem, imò & animam nostram, cùm tamen illa omnia amare debeamus; quia dum Dominus 13.

REGVLA. *Rebus accõmodatur nomen ex effectis, quæ ex aliqua causa plerumque nascuntur.*

minus vocat, illorum ratio habenda non est, neque curandum, quid illi exigant aut velint; illa verò quæ relinquimus, aut quorum vitam, aut preces non curamus, ex odio, communi hominum sensu facere existimamur. Ex quo fit vt dum hæc relinquimus, licèt amemus plurimum, odisse tamen dicamur, aut fastidisse, quia id plerumque odij censetur esse, non amoris opus.

14. Cùm ergo incuruatio, aut inclinatio corporis adorationi plerũque seruiat, fit vt inclinatio, aut prostratio, quocũque illa fine, aut ratione adhibita adoratio vocetur. Sanè sæpe inclinatio eiusmodi, atque prostratio cum adoratione cõiungitur. Danielis cap. 3. v. 5. *Cadentes adorate statuam auream*, & in Ecclesia quotidie audimus illud Psal. 44. *Venite adoremus, & procidamus.* Matth. cap. 4. diabolus vtrumque coniunxit. *Omnia*, inquit, *tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Et adorationis nomen sæpius audimus, vbi nullus diuinus, aut religiosus honor impenditur. Adorasse dicitur Miphiboseth Dauidem, item Thecuana mulier, & Bethsabee: at nemo illorum putabat Dauidem Deum, aut diuinis prosequebatur, aut dignabatur honoribus. Adorasse dicitur Abraham Gen. 23. v. 7. populum terræ: at quis viro tanto tantum impingat scelus, vt debitum Deo honorem hominibus deferat. Et quidem verbum שחה *sachah*, pro quo adorare reddit hoc loco Hieronymus, propriè significat incuruare se, aut humiliare, quo modo ipse millies Hieronymus exposuit. Quomodo facit seruus ante Dominum, aut supplex coram eo, cuius supplex sollicitat clementiam, aut opem implorat. Quare nihil hîc contra religionem petit Naaman, aut concedit Helisæus, cùm ciuilis sit iste, & Regi debitus, non diuinus cultus.

15. *Remmon quis Deus.* Quis sit iste Deus Remmon, cuius templum, & sacra obibat Rex Syrorum Abinadad, obscurum est, neque admodum refert hæc accuratiùs explorare. Neque, si quę sunt cõiecturæ, eiusmodi sunt, vt certum aliquid, imò verisimile ostendant. Remmon si etymologiam consulas, aliquid significat excelsum; quare coniectare aliquis non insciтè posset illum esse, qui sublimem inter reliquos Gẽtilium Deos obtinet locum; qualis est Iupiter, aut aliquis alius ex eorum numero qui magni vocantur dij. Aut certe qui templum habet in sublimi loco, aut præcipua aliqua religione obseruatur à Syris. Quid si illa sit dea, quæ Syria dicitur, quia præcipuo loco apud Syros fuit, quæ esse creditur Venus, de qua sub alio nomine à nobis dictum est lib. 1. Reg. cap. 5. Verisimile est Venerem esse, sicut de Dagon eo loco dicebamus. Venerem autem sub vtroque sexu ab antiquis expressam diximus eo loco. Et facit ad hanc cogitationem, quòd Rẽmon malum significat punicum, Venerem autem à Damascenis coli, & hortis præesse, ipsa docet aut indicat Venus apud Ouidium lib. 10. Metamor. Si modò correctus codex, nam non eodem apud omnes modo, carmina leguntur. Sic autem ibi Venus.

*Est ager indigenæ, Damasanum nomine dicunt,*
*Telluris Syriæ pars optima: quam mihi prisci*
*Sacrauere senes, templisque accedere dotem*
*Hanc iussere meis, medio nitet arbor in aruo*
*Fulua comas.*

Satis longa est, imò plus satis de re tam incerta, & futili disputatio, quam libenter omisissem, nisi viderem, hæc leuia nonnunquam ab interprete requiri. Et interdum aut concedendum est aliquid, aut ignoscendum curiosorum auribus, qui leuia hæc captant, non tam nobilium ingeniorum pabula, quàm pretiosi temporis detrimenta.

Vers. 19. *Abiit ergo ab eo electo terræ tempore.*] Hic locus obscurus est, & multiplex interpretum trãslatio. Plerique spatium putant esse viæ, quod iam confecerat Naaman, ex quo ab Helisæo recessit, & vbi illum conuenit Giezi. Sic omnes ferme recentiores. Pagninus, *& abiit ab eo quasi milliare terræ.* Tigurina, *iugerum agri.* Caietanus, *prandio terræ*, id est, tanto spatio aberat ab Helisæo, quantum prandio durante conficitur, vt ille interpretatur cum Rab. Dauid. Isidorus, *quasi per stadium terræ.* Septuaginta ipsam Hebraicam vocem reliquerũt, ἐν χαβραθᾷ τῆς γῆς, quod Latinè vertitur, *in spatio terræ.* Vox Hebraica est כברת *kibrath*, quã interpretes variis modis exponunt, Hieronymus à verbo ברה deducit, atque ideo tempus reddidit *electum*, & explicationis gratia addidit, *tempus*, quæ explicatio omninò nobis probanda, atque tenenda est. Sed neque in huius electi temporis explicatione concors est sententia. Mihi duæ explicationes videntur esse minùs difficiles. Altera est si locorum distantia non per stadia, seu milliaria, sed per temporum discrimina metiamur. Quod in vsu fuisse olim, & nunc etiam alicubi locorum, satis est exploratum. Sic enim dicimus vnam ciuitatem ab alia distare itinere vnius diei, seu tridui, aut vnius horæ, &c. aut etiam, quod magis ad rem facit, distare vno die, vna hora, &c. id est, tanto spatio, quantum decurri potest vno die, vel hora. Tempus igitur electum illud esse videtur, quod commodissima temporum, aut locorum mensurat spatia, aut interualla distinguit. Illud verò videtur accommodatum magis, quod viarum interualla notissima notat, atque secernit, illud verò est quarta, seu tertia pars horæ, seu quadrans, aut triens. Vt enim signa quædam, v. g. lapides, aut columnę milliaria distingunt, sic etiam tempus in quo ambulando milliare conficitur, quale est horæ quadrãs, aut triens, appellari potest tempus electum. Ad quam cogitationem facit quod, vt communis est doctorum sententia, tantum decurri potest sabbatino progressu, quantum quadrans, aut triẽs vnius horæ meritur, milliare videlicet vnum. Quare tẽpus illud appellari meritò poterit electum, quia spatium quodammodo sacrum certè à lege vel consuetudine constitutum definit, quod etiam in viis sicut apud Romanos, Hebræi lapide, aut alio quodam signo notarunt, vt diximus in nostris commentariis in Act. Apost. c. 1. 16. 17. *Locorum distantia temporũ interualis notãtur.*

Altera explicatio est in tempore electo, neque temporum significari, neque locorum interualla, sed tantùm opportunitatem. Quasi dicas, tempus illud in quo profectus est Naaman è Syria, & quo in Syriam rediit ex Samaria, fuisse valde opportunum, quod notatum oportuit, quandoquidem iussus est Naaman homo delicatus & splendidus in flumine lauari, quod tempus si importunum esset, ac frigidum, nimis videretur durum imperium, & medicina grauis. Neque verè dicere potuissent serui, nihil difficile atque insuaue ab Helisæo præceptum, si alieno tempore iussisset septies in flumine demergi. Sed illud magis hanc expositionem persuadet, quod vulgatus Gen. cap. 35. v. 16. hanc eandem vocem ברת per vernum tempus, id est placidum & temperatum explicuit. Et reuera vernum fuit illud tempus, nam paulo antea Laban ierat ad tondendas oues, vt constat Genes. cap. 31. vers. 19. 18.

Vers. 20. *Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit Dominus meus*, &c.] Quæ reliqua sunt ad finem capitis, satis sunt aperta, neque aliud continent, quàm 19.

quàm infidelem ſeruum earum rerum, quas attulerat Syrus, captum deſiderio petiiſſe Heliſæi nomine ea munera, quæ Dominus oblata liberaliter paulo antè repulerat. Cúmque lubens Syrus obtuliſſet plura, quàm petiiſſet Giezi, idque latere Dominum ſuum exiſtimaſſet, negauit ſe abiiſſe quoquam, cui Heliſæus prædixit à ſe perſpecta fuiſſe omnia, neque argentum, quod accepiſſet, vt ſuæ familiæ abundè prouideret, ita futurum liberum ab illius lepræ contagione, quam à ſuo corpore princeps ille Syrus deterſerat, vt non ipſi, ac deinceps illius poſteris cum lepra, quàm è mutatoriis veſtibus, argentóque contraxerat, æternam ignominiam, & fœditatem inureret. Nunc obſeruanda pauca.

20. *Salutandi vulgares forma.*

Verſ. 21. *Recténe ſunt omnia.*] Hoc ſe modo ſalutant, qui bene ſunt inter ſe & familiariter affecti. Sic c. præcedenti Giezi Heliſæi nomine dixit Sunamitidi: *Recténe agitur circa te & circa virum tuum?* Neque hoc tempore quicquam eſt frequentius, quàm in primo congreſſu poſt datam, acceptámque ſalutem, amicos à ſeipſis viciſſim ſciſcitari de valetudine, & de rerum ſtatu. Quod faciunt hoc ferme modo, *ſatin ſalue*, ſeu *ſatin ſaluus.* & hoc frequentiſſimè, neque minus frequenter ea vtuntur ſalutationis forma, qua vſus eſt Naaman. Nempe, recténe omnia. Exempla adducit plurima Briſſonius lib. 8. de formulis. & hoc eſſe vulgare, & penè legitimum, docuit Donatus ad illud Terentij in Phormione act. 11. ſcen. 1. *Satin omnia ex ſententia?* vbi hæc verba idem valere dicit quod illud vulgare, ſeu quod vulgò dicitur, *omnia rectè.*

21. *Graue peccatum Giezi.*

Verſ. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.*] Magno ſtetit Giezi alieno nomine pro re quodammodo ſacra, id eſt, pro reſtituta ſanitate diuinitùs, accepiſſe munera, eáque ampliſſima, quæ retinere ſibi nullo modo poterat, quæ ſapienter & ſanctè repudiauit Heliſæus. Vbi duo alia peccata inſuper addidit, tum mẽdacium in re non leui, tum prophetico nomini inuſta labes, quam omni ſtudio, atque labore exurere vellent, imò & debent, qui ſacram aliquam operam, neque naturæ debitam impendunt. Glorioſum fuit Heliſæo, ſicut etiam viris Apoſtolicis, qui cauſam agunt Euangelij, puras ſeruaſſe manus à muneribus, imò hoc maximè teſtatus eſt verum ſe eſſe Prophetam, qui non lucrum quærit ex vaticiniis, aut ex ſpiritu virtutéque, quam à Domino ſupra naturæ facultatem accepit. Alij enim, qui ſe Prophetas venditant, ſiue illi ſint ex Iſraelitide gente, ſiue è Gentili populo, venalem habent prophetalem operam, & addictum mercedi vaticinium, quaſi quodlibet aliud quæſtuarium artificium. Quare cùm Heliſæi nomine aliquod quaſi lucrum exigit à Syro Giezi, oſtendit aut Prophetam eſſe Gentilem, aut ex Iſraelitico populo pſeudoprophetam, atque ideo tantum honoris detraxit Heliſæo accipiendo receptæ ſanitatis pretium, quantum illud repudiando, conciliarat Heliſæus. Eo penè nomine ſæpe ac grauiter accuſantur pſeudoprophetæ, & ſacrilegi coarguuntur mendacij, quòd mercedem accipiunt venalis linguæ, & artem inſtituũt ex eo, quem ipſi afflatum appellant diuinum, quæſtuariam. Sic ſanè de illis Ezechiel cap. 22. v. 15. *Coniuratio Prophetarum in medio eius ſicut leo rugiens, rapiénſque prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium acceperunt.* Michæas c. 3. v. 31. *Principes eius in muneribus iudicabant & ſacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Quocirca credo curaſſe Prophetam, quamprimùm vt Syrus intelligeret, infidelis & auari ſerui illam fuiſſe calliditatem, non ipſius mandatum, ne qui de Iſraelitica regione bene ſentire cœperat, propter auaritiam ſerui, minus deinceps religioſè ſentiret.

22. *Viri qui Dei loquũtur nomine, puras à muneribus manus habent.*

Quemadmodum qui veſtem ab illo furantur, aut emunt, quem peſtis infecit, cum veſtibus peſtem quoque ſecum domum referunt, quæ illos aut extinguit, aut fœdè periculoséque contaminat: ſic acceptum à leproſo Syro argentum, & veſtes, quaſi totam illam peſtilentem luem imbibiſſent, illam in infidele mendacis ſerui corpus importarunt. Neque alius eſt vſus earum rerum, quas homo, aut fraude, aut vi, aut malis denique rationibus acquiſiuit. In quem cecinit illud perquam verè & grauiter Habacuc c. 2. *Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ.* Vide quæ nos ad illum locum. Sunt dona quædam quæ videntur magno futura vſui his, quibus mittuntur, quæ cùm ſint in ſpeciem officij plena, & ad commoditates maximas opportuna, ſunt reuera venenata quædam tela, quæ ab hoſtili vibrata manu viſcera confodiunt, quæ vulgari prouerbio ἄδωρα δῶρα nominantur: qualis, vt eſt in fabulis, fuit veſtis ad nouã nuptam à Medea miſſa, qua genialis domus tota conflagrauit, aut tunica centauri delibuta ſanguine, quæ à Deianira dono data Herculi illum horribili conſumpſit incendio. Erant, credo, veſtes illę ſplendidæ, & quæ regias decerent nuptias; ſed quia veneno aut maleficiis infectæ, perniciem attulerunt, & mortem. Tale ego video fuiſſe munus à Naaman extortum callido conſilio, & aſtu planè veteratorio, quod licèt ſplendidum, à peccato tamen infectum auaritiæ, & poſſeſſorem primum, & eius progeniem poſtea æterna maculauit infamia.

*Dona quædam perniciosa.*

24. *Sempiternum, & æternum, diſtiones.*

Quærit Abul. q. 43. an tota poſteritas Giezi lepram à parente in ſempiternum contraxerit, & tandem eò inclinat, vt iudicet labem illam in Giezi poſteritate, non fuiſſe perpetuam, tum quia parentum peccata non dicitur luitura progenies, niſi ad quartam generationẽ, Exod. 34. v. 7. & Num. 14. v. 18. deinde, quia *æternum, ſempiternum*, & ſimilia, ſecundum ſacrarum literarum idioma nõ ſemper ſignificant id, quod principium nullum habuit, & ea ratione montes appellantur æterni: aut quod nullum finem eſt habiturum; ſed quod diuturnum futurum eſt. Sic Geneſ. 17. v. 18. dixit Deus ad Abraham, *Dabo tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaam in poſſeſſionem æternã.* Et tamen iampridem Abrahæ filij ab ea poſſeſſione exciderunt. Ezechiel cap. 26. de Tyro, *Non inuenieris vltrà in ſempiternum*; & tamen illud ſempiternum ſeptuaginta annorum ſpatium tantum ſignificat, vt explicuit Iſai. c. 23. *In obliuione eris, ô Tyre, ſeptuaginta annis.* Et quidem reædificatam eſſe Tyrum ſatis conſtat, cùm poſtquam exciſa fuit à Nabuchodonoſore, iterum ab Alexandro ſubuerſa eſt. Sic ergo veriſimile eſt, ſuſtinuiſſe diu Giezi filios parentis ignominiam, ad quartam fortaſſe generationem, non in perpetuũ; imò illos fortaſſe pertuliſſe tantùm, ad quos illa peruenere, aut eorum fructus, quæ Giezi pater pernicioſo mendacio extorſit à Syro; ſicut de auro Tholoſano, & Seiano equo ſiue verè, ſiue fabulosè narrat antiquitas.

25. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix. Hoc nõ tam precatus eſt Propheta, vt accideret infideli ſeruo, quàm euenturum prædixit. Sciebat enim quid decreuiſſet Deus in illius caput. Statim autẽ reſperſus fuit lepra, illáque non vulgari, ſed omnium, vt apparet, maxima, ad aſpectum deformi, ad dolorem acerba, ita vt ſic incanduerit repentè, ac

ſi niue

si niue fuisset consperſus. Quod genus lepræ fuerit(nam varia esse genera tradunt medici) non cõstat,fuisse tamen illud,quo laborabat Syrus, penè certum est, quia illud indicant propheticæ minæ. Illud autem fuisse odiosum omnibus,& ipsi Giezi maximè ad dolorem graue,& denique curatu difficillimum,ex eo mihi persuadeo, quia vir vsque adeo potens,quique nullum omisisset, vt credibile est,curationis genus,liberari tamen ab eo vlla humana industria, aut medicina non potuit. Quàm porrò grauis fuerit morbus, ex eo facilè quiuis persuadere sibi poterit,quòd restituta sanitas fecit vt patriam reliquerit religionem,& antiqua sacra: quòd multa polliceretur Helisæo hilari animo, & postea seruo tam liberali manu porrexerit. Laborauit itaque Giezi morbo graui & fœdo, in quo fortasse curando, licèt irrito labore ac sumptu, multa consumpsit eorum, quæ acceperat à Syro, & iuxta ea quæ habes Leuitic. c.13. v.45. habuit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum & sordidum se clamauit, & extra ciuitatem, & hominum cœtum solus habitauit. Hic fuit pecuniæ sacrilegæ & peccati legitimus fructus, vt neque suis vteretur opibus honestè & commodè, & omnibus esset odiosus,vilis, execrabilis. Neque vnquam arbitror ad Helisæum rediisse,quod putat Abul.q.10. Neque enim ille admisisset leprosum, contra id quod cautum esset lege. Neque amplius quicquam audimus de Giezi, nisi statim cap.8. vbi tamen non erat cum Helisæo,& cap. sequenti minister Helisæi non videtur fuisse Giezi, sed alius ætate minor, quique non videbatur satis nosse quam à Deo Propheta virtutem accepisset.

*Malè parta, malè pereunt.*

A

---

# IN CAP. VI. LIB. IV. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*HABITABANT angustè Prophetarum filij, & vt laxato spatio commodiorem haberent habitationem, vt ligna cædant Helisæo comite ad Iordanis littora descendunt. Accidit autem, vt cuidam ex eo numero securis ferrum in flumen excideret, quod tamen ad Prophetæ votum enatauit sursum. Sub illud tempus bellum intercedebat inter duos Reges Israelis, & Syriæ, quo tempore magno suo Regi, & populo vsui fuit Helisæus, quem Syrus capere studebat, & ab Israelis castris abducere, ne quod ipse moliebatur occultè, hostibus proderet, & consilium quod non videbat futurum inutile, toties eluderet. Misit ergo exercitus robur vt locum obsideret, in quo tunc Helisæum commorari cognouerat. Quod cùm Helisæi famulus videret, exhorruit: sed pauentem confirmat Helisæus ostenso exercitu longè firmiori, quem Deus Syrorum castris opposuerat. Percussit Deus Syrorum exercitum ad Helisæi preces cæcitate, qui ignari quò tenderent Helisæo duce, in medium Samariæ forum progressi sunt, quos quasi in retia conclusos cùm vellet Samariæ Rex, quod facilè poterat, opprimere, prohibitus est ab Helisæo, immò potiùs cibo officiosè refectos in patriam remisit. Aliquandiu pòst Rex Syriæ Benadad vsqueadeo Samariam obsedit pertinaciter, vt ad extremam, & obscœnam famem adegerit, immò vt matres filiorum carnes pro leuanda fame in sua rursus viscera condiderint. Quod malum cùm ab Helisæo peruenisse putaret Rex Israel, de illius cæde consilium suscepit, & eam ad rem satellites misit, quorum ipse insidiarum præscius consilium & sedulitatem elusit.*

## CAPVT SEXTVM.

1. DIxerunt autem filij prophetarum ad Eliseum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis.

2. Eamus vsque ad Iordanem,& tollant singuli de sylua materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite.

3. Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu cum seruis tuis. Respondit: Ego veniam.

4. Et abiit cum eis. Cúmque venissent ad Iordanem,cædebant ligna.

5. Accidit autem,vt cùm vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquã:

B exclamauítque ille, & ait: Heu heu heu domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam.

6. Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natauítque ferrum,

7. Et ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.

8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliúmque iniit cum seruis suis, dicens: In loco illo & illo ponamus insidias.

9. Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Caue ne transeas in locum illum:

quia

quia ibi Syri in insidiis sunt.

10. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel, neque bis.

11. Conturbatúmque est cor regis Syriæ pro hac re: & conuocatis seruis suis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel?

12. Dixítque vnus seruorum eius: Nequaquam domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclaui tuo.

13. Dixítque eis: Ite, & videte vbi sit: vt mittam, & capiam eum. Annunciauerúntque ei, dicentes: Ecce in Dothan.

14. Misit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cùm venissent nocte, circundederunt ciuitatem.

15. Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus, vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus: nunciauítque ei, dicens: Heu heu heu domine mi, quid faciemus?

16. At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.

17. Cúmque orasset Eliseus, ait: Domine, aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Elisei.

18. Hostes verò descenderunt ad eum: porrò Eliseus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussítque eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Elisei.

19. Dixit autem ad eos Eliseus: Non est hæc via, neque ista est ciuitas: sequimini me, & ostendam vobis virum quẽ quæritis. Duxit ergo eos in Samariam:

20. Cúmque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus: Domine aperi oculos istorum, vt videant. Aperuítque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ.

21. Dixítque rex Israel ad Eliseum, cùm vidisset eos: Numquid percutiam eos pater mi?

22. At ille ait: Non percuties: neque enim cepisti eos gladio & arcu tuo, vt percutias: sed pone panem & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad dominum suum.

23. Appositáque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt, & dimisit eos, abierúntque ad dominum suum & vltrà non venerunt latrones Syriæ in Terram Israel.

24. Factum est autem post hæc, congregauit Benadad rex Syriæ vniuersum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam.

25. Factáque est fames magna in Samaria: & tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.

26. Cúmque rex Israel transiret per murum, mulier quædã exclamauit ad eum, dicens: Salua me domine mi rex.

27. Qui ait: Non te saluat Dominus: vnde te possum saluare? de area, vel de torculari. Dixítque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit:

28. Mulier ista dixit mihi: Da filium tuũ, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras.

29. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixíque ei die altera: Da filium tuũ, vt comedamus eum. Quæ abscondit filium suum.

30. Quod cùm audisset rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Vidítque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.

31. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisei filij Saphat super ipsum hodie.

32. Eliseus autem sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: & antequam veniret nuncius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quòd miserit filius homicidæ hîc, vt præcidatur caput meum? videte ergo, cùm venerit nuncius, claudite ostium, & non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est.

33. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuncius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum à Domino est: quid amplius expectabo à Domino?

# IN CAP. VI. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers.1. *Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est.*]

1. ALIVD iam succedit Helisæi miraculum, in re quidem leui, sed tamen leue non est eximiæ virtutis argumentum. Habitabāt Prophetarum filij, quibus tanquam magister & pater Helisæus præerat, prope Iordanem, an prope Ierichuntem, aut Galgala, non constat, vtrumque est non procul à Iordane: vbicumque statuas hoc Prophetarum collegium, constat pro habitantium numero non habuisse satis spatij. Quare rogant Helisæum, sibi vt liceat è sylua cædua, quæ est ad Iordanis ripam, ligna comportare, quibus laxetur magis communis illa commoratio. Quam facultatem ab Helisæo consecuti, progressi sunt ad syluam: vbi cùm quidam minus cæderet cautè, syluestrem illam ad ædificandum materiam, excidit securis, quam mutuam acceperat, in Iordanem; cuius iacturam tulit grauiter, tum quia otiosum ageret diem illum inermis, tum quia rem amiserat alienam, quam domino neque posset reddere, neque haberet fortasse illius pretium, quod illius iacturam compensaret. Quare rem totam ad Helisæum retulit, qui cum aliis aut materiam succidebat, aut certè cædentibus instabat: qui iniecto ligno in eum locum, in quem securim decidisse cognouerat, ferrum, quod in solo gurgitis profundo consederat, ad summas aquas enatare fecit. Hæc omnia nota sunt, neque est aliquid in quo immorari debeat commentatio.

2. Sed hîc Patres aliquid altius meditantur, quod demersa securis, & sursum euocata portēdit. *Hoc*, inquit Theodoretus q. 19. *præfigurauit Seruatoris nostri dispensationem; quomodo enim lignum quidem, quod est leuissimum, fuit demersum, quod est autem grauissimum, nempe ferrum, supernatauit; ita diuinæ naturæ descensus effecit, vt humana natura ascenderet.* Hoc pluribus tractauit Augustinus tom. 10. serm. 1. idem Angelomus, & Eucherius. Alij hîc alia meditantur satis ad moras opportuna. Ferrum donum esse putant intelligentiæ, quod Dominus prælatis viríq; Apostolicis, imò & iis qui præsūt, concedit, vt ligna cædant syluestria, & infrugifera & illa ad vtilem aliquam fabricam comportent. Quibus interdum excidit securis, quæ syluam purgat, & plantas succidit inutiles, & manet in manu iam inermi, pro securi acuta aridum & obtusum manubrium, à quo sperari nihil potest; quod commodatum habuerat & alienum, nempe non proprium, sed datum à Deo. Quod sanè

3. *Quale aptū instrumentum viri Apostolici.*

iis qui munus tractant Euangelicum, persæpe contingit qui, pro acuto ferro, quod dedit dominus commodato, lignum retinent obtusum, & inutile, quod neque cædit, neque truncat, quod maximè truncatum, & cæsum oportuit. Audi Eucherium, & Angelomum, eisdem vtrumque verbis. *Ferrum in manubri, donum intellectus in corde est. Ligna verò per hoc cædere est praue agere, increpare; quod nonnumquam dum fluxè agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quia ex dissoluto*



A *opere intelligentia fatuatur. Quam profectò intelligentiam ad hoc nouimus dari, vt ante dantis oculos ex bona actione debeat restitui. Vnde rectè is qui ferrum amiserat, clamabat, heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuum acceperam.* Idem penè Rupertus in hunc librum cap. 32. Hîc tamen addo peiorem quodammodo conditionem illorum esse qui malè vtuntur dono sibi intelligentiæ commodato, quàm illorum qui intelligentiæ securi, ab eo, in quo radicati fuerant, & inueterauerant, infelici solo succisi non sunt: hi enim prope fluuium, sunt in ripa, vnde ab aliis eradicari aut succidi possunt; hi verò in profundo flumine cum sua intelligentia ibi demersa ac perdita, vnde ab aliis educi ferunt quàm ægerrimè, quia satis sibi putant esse consilij, & scientiæ,

4. *Doctorum hominum miserа cōditio, qui lapsi sunt.*

B neque ipsi vtpote sua iam sapientia graues enatare possunt. Hoc planè est sal illud infatuatum, quod neque sibi, neque aliis vsui esse potest. Sed hi si filij Prophetarum sunt, id est, si bene instituti, cùm securis excidit commodata à Domino, non ad futiles vsus, & inanes plausus, sed ad maius opus & salutem animarum, statim erraſse se clamant, & restitui sibi postulant, quod exciderat, ne in vacuum postea, & sine vllo tantæ operæ pretio laborent. *Vnde*, ait Eucherius, *rectè is, qui ferrum amiserat, clamabat, heu, heu, heu, domine mi, & hoc ipsum mutuum acceperam. Habent enim hoc electi proprium, si quando in eis sua scientia furtiua vanæ gloriæ culpa subripitur, ad cor velociter redeunt, & quicquid in se ante districti iudicis oculos damnabile inueniunt, lacrymis insequuntur. Qui*

C *flentes non solùm cautè inspiciunt, quæ malè commiserunt, sed ex accepto munere, quæ reddere etiam bona debuerunt.*

Vers.8. *Rex autem Syriæ pugnabat contra Israël.*] 5. Aliud iam proponitur Helisæi miraculum, quo Samariam liberauit à Syrorum insidiis, & illos priùs cæcitate percussos, in laqueos, id est, in ipsam Samariæ plateam incautos induxit, vnde non emersissent incolumes, nisi idem, qui induxerat, ab hostili manu defendisset. Hic Rex Syriæ, qui bellum intulit Israëlitis, fuit Benadad, qui vario euentu, cum iisdem iam antè pugnauerat, à quo, vt nuper vidimus, literas attulit Naaman ad Regem Israël. Quæ fuerit belli causa, non docet Scriptura, neque alia quærenda,

D quàm antiquum, & quasi naturale odium inter duas illas gentes, inter quas, vtpote inter vicinos loco, & diuersos religione populos assiduum esse solet. Cúmque insidias, quas opportuno loco constituerat Syrus, declinasset Rex Israel, neque quicquam tentaret, quod haberet successum, eiúsque causam Helisæum esse cognosceret, cuius oculos aut intelligentiam ipsius consilia non laterent; statuit omnino tollendum esse de medio. Erat tūc Helisæus in Dothan, quam equis & curribus vndique circundedit Syrus, ne vllo modo, qui ibidem erat inclusus, Helisæus haberet effugium.

Vers. 15. *Consurgens autem diluculo minister viri* 6.

*Dei egressus vidit exercitum.* ] Hic minister non erat Giezi, vt paulo antè diximus, sed alius puer, cui, vt appareat, non erat explorata satis Helisæi virtus, alioqui neque timeret adeò, neque tam ploraret infantiliter, quasi iam esset actum de suo ac domini capite. Quem consolatus est Helisæus, affirmãs multo plures esse, multóque fortiores, qui defendunt, quàm qui obsident, & oppugnant ciuitatem. Cùm autem adhuc timeret puer, cùm videret hostes & multitudine innumerabiles, & armis egregiè ad omnem contentionem instructos, neque contrà stare, qui arcere possent, aut sustinere illorum impetum, orauit Dominum Helisæus, vt clausos, aut hebetes aperiret oculos pueri; vt sciret quàm non esset timendum à mortali manu, vmbratilique Syrorum acie, cùm sese opponeret è cœlo, multo potentior & numerosior acies, cuius comparatione nihilomagis poterat aduersaria potentia, quàm spuma gracilis, quæ dissipatur à vento, aut aridæ stipulæ, quæ ab igne momento temporis rediguntur in cineres. Atque ideo obiecti sunt equi, & currus ignei, & eorum item ignei ascensores, vt eorum significaretur & vis acerrima ad pugnandum, & celeritas maxima ad conficiendum id, quod essent aggressi. Sicut ignis, qui materiam, quam habet obuiam, celeritate maxima corripit, & ita consumit, vt nullum interdum superioris formæ vestigium relinquat. Sanè in igne dum materiam arripit aridam, explicari solet, vis & celeritas. Sic Sap. cap. 3. v. 7. de iustis, *sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Hæc porrò Angelorum erat acies, qui igneum corpus, aut speciem sumpserunt ex aëre, quam adolescentuli oculis obiecerunt. Tales iusti secum habent custodiam, dum pro Dei causa cum aduersaria potestate suscipiunt certamen. De qua Psalm. 33. v. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eos.* Hebraicè, *castra metabitur.* Talem custodiam habuit Iacob, quando illi magno stipatus comitatu occurrit Esau Genes. 32. cùm enim non minus timeret fratrem, cuius priùs audierat minas, & quem adhuc antiquum retinere animum suspicabatur, Deum sibi adfuisse sensit, & Angelorum misisse castra, quæ confirmarent languentem animum, & quæ quadringentis viris, quos secum frater afferebat, opponeret. *Fuerúntque ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait, castra Dei sunt hæc.*

7. *In igne vis, & celeritas significatur.*

*Angelorum custodia.*

8. Vers. 18. *Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate.* ] Ad preces Helisæi percussit Deus illum Syrorum exercitũ, ea cæcitatis specie quæ ἀοράσια dicitur, & secundùm alios ἀχρισία, cùm homo aliquid videt, illud tamen, quid sit, discernere non potest. Qualis fuit Sodomæorum cæcitas, qui cùm viderent alia, portam tamen Loth videre non poterant; aut ita videbant, vt tamen ab aliis portis, aut etiam à solido continuóque pariete non distinguerent. Hanc Septuaginta ἀοράσιαν vocant. Cùm autẽ interpretes nullam haberent Latinam vocem, qua huius significationem exprimerent, cæcitatem reddiderunt. De quibus sic Aug. lib. quæst. in Genes. q. 43. *Viros, qui erant ad ostium domus* (Loth) *percusserunt cæcitate. Græci habent ἀοράσια, quod magis significat, si dici potest auidentiam, quæ faciat non videri, non omnia, sed quod non opus est. Hæc ἀοράσια, & illi percussi sunt, qui quærebant Helisæum.* & idem Aug. lib. 22. de ciuitate cap. 19. *Cum aliquid non videtur, quamuis adsit, à quibus alia quæ pariter adsunt, videntur; sicut illam claritatem dicimus adfuisse, non visam, à quibus alia videbantur, ἀοράσια Græcè dicitur, quod nostri interpretes Latinè dicere non valentes lib. Genes. 19. cæcitatem interpretati sunt. hanc enim passi sunt Sodomitæ quando quærebant ostium iusti viri, nec poterant inuenire. Quæ si cæcitas fuisset, qua fit, vt nihil possit videri, non ostium, quo ingrederentur, sed duces itineris, à quibus inde abducerentur, inquirerent.* Hæc eadem Augustini ratio valet etiam in hanc Syrorum cæcitatem, neque enim, si cæci omnino forent, Helisæum quærerent, quem videre non possent, sed potius viæ duces, quæ ipsos in loca, vnde nuper exierant, sine errore deducerent. Videbant igitur Helisæum, quocũ loquebantur; videbant Dothan, vbi tunc Helisæum esse audierant; sed neque illam Dothan, neque hunc Helisæum esse putabant; quia alia Helisæi, alia Dothan, in illorum oculos species incurrerat.

Vers. 19. *Non est hæc via, neque ista est ciuitas, sequimini me, & ostendam vobis virum.* ] Hîc non nemo mendacij arguere posset Helisæum, cùm neque illam diceret esse viam, quæ duceret ad ciuitatem, quam ipsi quærebant, neque illam esse Dothan, vbi tunc esset Helisæus, cùm omninò se res haberet contrà. Abul. q. 17. cùm priùs refutasset Lyræ sententiam, qui dicebat non esse ciuitatem illam Helisæi patriam, sed Samariam, atque ideo in verbis Prophetæ non esse mendacium, quia non negauit illam esse ciuitatem, vbi esset tunc Helisæus, sed illam esse Helisæi patriam, & familiare domicilium. Quod verò Samariæ esset Helisæi domus, probabat Lyra, quia, vt cap. præcedenti vidimus, puella Hebræa dixit vxori Naaman, *vtinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria.* & infrà: *Helisæus autem sedebat in domo sua,* & tamen ibi erat sermo de ciuitate Samariæ. Quod optimè confutat Abul. Quia Syri non quærebant Samariam, sed Dothan, in qua erat Helisæus, atque ideo malè negauit illam esse ciuitatem, & ibi esse prophetam, cuius causa eò essent profecti.

9.

Ille aliam adducit expositionem accommodatè non tam ad verba militum, aut Regis Syriæ, quàm ad illorum desiderium, & animum. Quærebant illi ciuitatem, vbi inuenturi essent Helisæum, sed reuerà, vt satis probauit euentus, inuenerunt in Samaria; quia cùm illum priùs iuxta Dothan non agnouissent, propter ἀχρισίαν, perinde fuit ac si vidissent nunquam. Quam expositionem etiam adhibuit Hugo, verbis tamen obscuris. *Quando,* inquit, *verba proferuntur prophetice, vel significatiuè, intelligi debent in sensu quo fiunt, non quem faciunt.* Et tandem eò magis inclinat Abul. vt putet Helisæum tunc fuisse mentitum, officiosè tamen, vel non reputatum esse mendacium, quia illud dicebat incitante Deo, vt per ostensionem miraculi, magis esset Dominus Gentilibus notus.

10.

Mihi non displicet prior Abulensis explicatio; sed neque displiceret, si quis diceret non de ciuitate, aut de homine, quæ coràm habuere milites illi, locutum Helisæum, sed de illa hominis, & ciuitatis specie, quæ se illorum oculis obiecerat, quæ longè aberat à vera ciuitatis, & Helisæi forma. Ac si diceret, illam quam se videre putabant, non esse Dothan, quia longè alia erat, vera illius ciuitatis imago, licet materialiter, vt dicunt Logici, ciuitatem viderent; sicut etiam cum materialiter viderent Helisæum, formaliter tamen non videbant, quia non illius acceperant expressam imaginem; neque Helisæus promittit ostensurum se, quam quærebant ciuitatem, alioqui Samariam non ostenderet, de qua ne cogitarant quidem, nisi vt illam effugerent, sed tantùm virum, cuius gratia venerant, quem antè non videbant, cùm tamen haberent præsentem,

11.

quia

quia alienam illis formam obiecerat, non ſuam, ſe tamen oſtendit cùm ſublata ſenſuum ἀκρισία, Heliſæum eſſe cognouerunt, quem antè alium eſſe crediderant. Quare neque mentitus eſt Heliſæus, cùm dixit, neque illam eſſe viam, quia longè aliam apparere fecit, quàm ipſi antè nouerant, neque ciuitatem ex hoc ſolùm negauit, neque de ciuitate vllum præterea verbum. Promiſit ſolùm ſe virum oſtenſurum, quem quærebant. Quod fideliter præſtitit in Samaria. Expende ſingula, & videbis, nullum in his verbis apparere mendacium. *Non eſt*, inquit, *hæc via, neque iſta eſt ciuitas. Sequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis.* Non dixit, oſtendam ciuitatem, quam quæritis.

Verſ. 20. *Cúmque ingreſſi eſſent in Samariam, dixit Heliſæus: Domine, aperi oculos iſtorum, vt videant.*] 12. B Hactenus Syri ἀορασίᾳ ſeu ἀκρισίᾳ laborabant, putabántque illam, quam ingreſſi fuerant viam, ducere in Dothan; cùm ibi omnia expectarent ſigna, quæ vel ipſi obſeruaſſent antea, vel ab aliis notata didiciſſent. Præterea cùm plurimum Dothan diſſimilis eſſet Samariæ ciuitati regiæ, in Samariam quam iam, Heliſæo duce, fuerant ingreſſi, expreſſam quandam imaginem ſpectabant Dothan, & captam iam ciuitatem, & Heliſæum comprehenſum arbitrabantur. Cùm autem clauſi mœnibus tenerentur, ne poſſent effugere, & in media platea, omnium oculis & telis expoſiti conſtitiſſent, ex ea ſpe & gaudio quamprimùm exciderunt. Orauit enim Heliſæus Dominum, vt cæcis illis, aut qui non procùl aberant à cæcis, oculos reſtitueret, & verè, ſicut antea de rebus iudicarent: quod cùm eſſent ex inopinato conſecuti, in eum ſe locum deductos agnouerunt, vnde ſibi ad libertatem, & fugam, aperiendum aditum deſperabant. Quid enim facerent homines licèt multi numero, turbati tamen, & impediti, & eo in loco vbi vt maximè cuperent, commouere ſe non poſſent, neque tractare vtiliter arma, cùm contra ſe omnes Samariæ vires & arma intenta, & animos ſimiliter infenſos viderent; de quibus Chryſoſtom. tom. 1. homil. de Heliſæo, & Syrorum inſidiis. *O virtus*, inquit, *admirabilis Dei, ducuntur captiui, qui Prophetam venerant captiuare, detinentur, vt rei, qui Dei hominem voluerant detinere. Propheta ſanctiſſimus, non pugnat, & vincit, non dimicat & ſubigit*, &c. *Mox vt captiui exercitus ciuitatem ingreſſi ſunt, clauduntur portæ, occurrit populus, Rex feſtinat, ſtupent omnes, cuncti mirantur.* Et cùm ad Heliſæi preces, meliùs de ſuo progreſſu atque periculo iudicarent, ἀκρισίᾳ ſublata, qui priùs cùm eſſent cæci, aut etiam multo magis, quàm cæci miſerabiles, cùm ſe victores & fortunatos tunc cenſerent, quando minùs aberant à mortis periculo, *tunc reddito viſu lamentantur, & plangunt, tunc ſe captiuos, tunc reos, tunc ſe morti iam proximos recognoſcunt.*

13. In his ergo Syris imaginem quandam intueri videor illorum, qui dum humana curant, & fugacia, dum potentiorum aucupantur gratiam, & illorum ſtudiis, & libidini ſeruiunt, felices ſe putant, quia quadam ἀορασίᾳ & rerum quas ante oculos habent, ἀκρισίᾳ laborant: at dum illis Deus oculos aperit, quos clauſerat cupiditas, aut ambitio, aut alius quiuis immoderatus affectus, aut quibus falſæ rerum imagines illuſerant, cùm in platea Samariæ ab hoſtibus vndique concluſi, inſtare ſibi ſentiunt inopinatum exitium; in hora videlicet extrema vitæ ſuæ, *tunc reddito viſu lamentantur & plangunt, tunc ſe captiuos, tunc reos recognoſcunt.*

*Mors peccatorum peſſima.*

*Gaſp. Sanctij Com. in lib. Reg.*

A Verſ. 22. *Non percutias, neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo.*] 14. Conuenerat ad nouum illud ſpectaculum cum Rege Samariæ totus populus inſtructus armis, & qui facilè turbatum illum, & impeditum exercitum conficere potuiſſet. Sed non audet Rex Iſrael tentare aliquid, niſi Heliſæo conſulto, cuius opera & precibus inexpectatum illum caſum contigiſſe nouerat. Quare rogat an ſibi ſiue liceat, ſiue expediat, exercitum illum morti dedere, & illius clade Syrorũ vires debilitare, & ſpiritus frãgere inſolentes, & acres. Negat id Heliſæus fieri licere, cùm in eas anguſtias redactus fuerit hoſtilis exercitus, non ab humana virtute, & bellico congreſſu, ſed à diuina manu. Non quia non liceret, aut fortaſſe eſſe poſſet ex vſu; ſicut fecere ſæpe cum magno rei Iſraeliticæ progreſſu viri ſancti, qui in illos ſæuierunt, quos ipſorum ferro Deus exanimatos, & penè conſtrictos tradiderat, vt Iudic. 7. ſub Gedeone, & lib. 1. Reg. c. 14. ſub Ionatha; ſed quia Deus ſuam potentiam, ipſis etiam hoſtibus notam eſſe voluit, & tot habere illius in Gentilicis populis præcones, quot fuerunt in illis Syrorum caſtris, & priùs inducta ἀορασίᾳ in periculum vitæ certiſſimum adducti, & poſtea ſuo beneficio ex ipſius mortis faucibus extracti. Ita Chryſoſtomus ſuprà: *Intercipitur*, inquit, *virtus, ſi virtutis relator extinguitur, fruſtrà ſignum apud nos, quod geſtum eſt, remanens oſtenditur, ſi ipſe ſignifer aboletur, diſcant, qui neſciunt, referant qui ſenſerunt, pergant ad ſuos, ad proprios redeant, virtutes indicent Dei, potentiam referant Domini. Nuncient, inquam, quæ ſenſerunt qui nunciare non poterunt, ſi iidem qui ſenſerant, occidũtur.* Et poſt pauca, *Dimittit Heliſæus exercitus iſtos ad ſuos: dimittit, inquam, tot prædicatores, quot habuit hoſtes, tot relatores virtutum, quot homines hoſtium. Iam apud Gentes Deo negotium geritur, iam apud exteros veritas comperta demonſtratur.* Idem penè Theodoretus q. 20. *Si interficiantur, non cognoſcetur magnitudo miraculi: ſin autem reuertantur ſani ad eum, qui miſit, ille quoque diſcat Dei noſtri potentiam.*

Verſ. 22. *Sed pone panem, & aquam coram eis.*] 15. In pane & aqua per Synecdochen, omne poculentum & eſculentum intelligitur. Et quidem varia ciborum genera fuiſſe Syris appoſita, conſtat ex eo quod ſtatim ſubditur: *Appoſita eis eſt magna ciborum præparatio*, qualis nimirum Regem decebat ſplendidum, in ea maxima ciuitate, quæ caput erat regni, quæque, vt eſt veriſimile, iis rebus abundabat, quæ ſunt ad vitæ ſubſidia, & ſplendorem neceſſariæ.

Verſ. 23. *Et vltrà non venerunt latrones Syriæ in terram Iſrael.*] 16. Quomodo latrones, & latrunculi, idem interdum ſint, qui milites, diximus ſuprà c. 5. in principio. Quomodo verò latrones Syriæ in Iſraelis terram non venerint vltrà, cùm tamen conſtet veniſſe non longè pòſt, explicuimus in noſtris commentariis ſuper Iſaiam cap. 2. ad illud, *& conflabunt gladis ſuos in vomeres.* vbi diximus *non amplius, non vltrà*, & ſimilia non ſignificare ſemper aliquid perpetuum, ſed aut quod diuturnum eſt, aut quod fieri ſolet, neque ita frequenter, neque eodem quo priùs, ſucceſſu. Sic de his qui erant Euangelico tempore, dicitur Iſai. c. 2. *Non exercebitur vltrà ad prælium.* & Gen. 35. *Dictum eſt Iacob à Deo, non vocaberis vltrà Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum*; & tamen, vt conſtat, ſæpe poſt hæc vocatus eſt Iacob; & Euangelij tempore bella non defuerunt. Sed verè homines dicuntur non exercendi ad bellum, & Iacob non eſſe vocandus antiquo nomine, quia vtrũque

*Quod rarius fit, aut non ſucceſſu bono, negatur fuiſſe.*

que minùs sępe accidit,quàm priùs:vide quid nos hac de re capite præcedenti ad finem. Alij alias adducunt solutiones, quæ minùs videntur expeditæ,aut quia non probant, quod assumunt, aut quia non adeò curioso lectori satisfaciunt. Hæc explicatio placuit Abulensi q. 24. & Adriano Fino lib.7. oppositione 5. Et fortasse verũ est quod suprà putat Abulensis, latrones dici non quoscũque milites, sed qui turmatim prædaturi aliorum fines ingrediuntur; nam qui cum Rege aut Imperatore sub signis merentur, latrones non vocantur. Quare licèt Rex Syriæ cum exercitu venerit contra Samariam, non tamen latrones venisse existimantur, sed milites. Aut certè cùm alij cum Rege latrones fuerint in castris, non tamen isti quos sibi Helisæus beneficiis, & populo Israelitico demeruit.

17. Vers. 24. *Congregauit Benadad Rex Syriæ, vniuersum exercitum suum, & ascendit & obsidebat Samariam.*] Hic Benadad ille idem fuit, quo cum euentu vario non semel congressus est Achab: qui cùm amplificare vellet imperium, quicquid habuit virium vndecumque coniscripsit, & Samariam Israelitici regni caput obsedit. Fuit autem vsqueadeo longa & grauis obsidio,ita dira, atque obscœna fames, vt illa adhiberentur in cibum, quæ natura horret, & quæ sine nausea tangi, aut spectari non possunt.

*Samaria extrema fames.*

18. Vers.25. *Donec venundaretur caput asini octoginta argenteis.*] Fecit illa pertinax Syrorum obsidio, vt humana consumerentur alimenta, & obsessos eò adigeret fames, vt vulturino more putridis vescerentur cadaueribus,imò & stercore, quod faciunt canes,& porci,&, quod magis est miserandum, & horribile, matres ipsæ natura molles,& in prolem indulgentissimæ,filiorum carnibus, quos sua ipsæ manu priùs occidissent, acutam famem non tam explerent,& leuarent, quàm obtunderent.Fuerunt profanis tempora vsqueadeo angusta, propter hostium in obsidendo pertinaciam,vt homines è muribus magno interdum pretio coëmptis,ex serpentibus, ex his denique rebus,quas natura,quia inutiles, repudiauit, & excreuit, alimenta parauerint, vide Valerium Maxim.lib.7.c.6. illa tamen omnia pertulit Samaria, quæ omnibus sæculis memorabile prodidit documentum.

19. Caput asini venundatum dicitur octoginta argenteis, siclis videlicet,quos Græci stateres appellant,valéntque trecentas & viginti drachmas, totidem videlicet Hispanicos argenteos.Lyra in capite totum animal significari putat:& quidem, vt sæpe à nobis vsurpatum est, vulgari Hebræorum idiomate *caput alicuius* pro eo sumitur cuius est caput.Quomodo dicimus,*caput canis*,*caput colubri*, pro cane,& colubro. Hinc tritum illud. *O præclarum caput*,*vile caput*,*caput liberum*.pro homine præclaro,vili, & libero: & in re armentaria,& pecuaria valde familiare est.Cùm enim greges numeramus, numerata dicimus capita, & tot esse capita, quot sunt, verbi gratia,oues, boues, equi,&c. Hispani certè, cùm de gregibus est sermo,sic plerumque loquuntur, *diez mil cabeças*, *mil reses*. *Res* autem idem est, quod caput apud Hebræos,à quibus hanc vocem sumpserunt Hispani.De hac re multa habemus in iure: vnum pro multis exemplum accipe. Marcianus lib.13. de pignor. *Gregi*, inquit, *pignori obligato*, *quæ postea nascuntur*, *tenentur*, *sed & si prioribus capitibus decedentibus totus grex fuerit renouatus*, *pignori tenebitur*. & Vlpianus lib. 3. digest. de rei vendicatione. Marcellus lib. 4. digest. scribit, *qui gregem habebat capitum trecentorum*, *amisit centum*, *redemit totidem aliena capita*. Vnde tributum personale, capitale dicitur. Vide Petrum Gregorium 1. p. syntag. lib.3. cap. 5. ex Num. 10. Non displicet Lyræ cogitatio, verumtamen placet magis, quod visum est communiter aliis, & probat vocis ipsius proprietas, quæ in capite intelligit id quod propriè sonat. Et quidem in ea ciborum caritate nimis esset vile pretium, pro vno asino, qui conditus sale diu vnam posset sustentare familiam, octoginta argenteorum; neque magna esset illa famis amplificatio. Neque mirum est tanti venditum esse vnum asini caput, cùm teste Plinio lib.8. c.57.Valer.Max.lib.7.c.6.cùm Annibal Casilinum obsideret,mus vnus ducentis denariis emptus esse dicatur.

*Fames memorabilis.*

*Et quarta pars stercoris columbarum quinque argenteis.*] Quia in columbino stercore, nihil esse videtur esculentum, quódque vim habere possit alimenti; quidam non putant hîc significari columbarum excrementa, sed grana quædam, & arborum baccas, quas in gutturis vesica habent columbæ. Ita Lyra, cuius sententiam non improbat Historia schol. Dionysius Hugo. Columbis autem licèt suos in vrbe, cùm omne esculentum deerat, nidos haberent, tamen quia extra mœnia egressæ sua foris ex agris alimenta portabant, satis erat cibi. Hoc fortasse verum. Sanè non improbabile;verumtamen verborum non est deserenda proprietas, vbi ipsa rerum difficultas, aut contradictio non cogit. Sanè vt animalia quædam sunt, quæ aliorum stercore pascuntur, vt quotidie videmus, neque in illo deest aliqua nutritiua & esculenta materia;sic etiã in columbino stercore aliquid est reliquum de confecto cibo, quod non appetit, aut concoquit columbarum, hominum tamen natura non respuit, imò quod salutares habet, & non insuaues escas. quod in aliis animalibus facit natura, id in homine facit necessitas, & illa fames quam Virgilius lib.3. Æneid. *obscœnam* vocauit,quia homines,vt docet ibi Seruius, ad obscœnas & indecoras epulas compellit, & lib.6. *malesuadam*, quia nihil est tam inhumanum, & fœdum, ad quod non inuitet, imò trahat fames, & dira necessitas. Sunt qui dicunt cum Iosepho non adhiberi columbarum stercus ad cibum,sed vt ciborum esset condimentum sicut sal. Alij emi stercus illud,vt eo ad coquendos cibos pro lignis vterentur obsessi;sed ista satis suam fidem,& veritatem produnt.

*Caput pro eo cuius est caput.*

*Vnde apud Hispanos res pro oue, aut boue, aut alio animali.*

Vers. 26. *Cúmque Rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamauit ad eum, dicens: salua me domine mi Rex.*] Ascendit Rex murum vt videret an satis diligenter vigilarent excubiæ; & an satis alij fideliter datas sibi stationes tenerent, aut vt indè hostium exploraret castra, aut alias ob causas, quibus in eo rerum articulo prouidere debent, qui reipublicæ præsunt. Quem mulier quædam adiit, & magno clamore, & fœmineo vlulatu Regem alloquitur,illúmque suarum iniuriarum vindicem appellans, ait, *salua me ô rex*. Puto hanc esse familiarem formam,qua homines aut in afflicta fortuna, aut cùm à fortiori premuntur aduersario, qui ius nostrum obtinere non sinit,patronos aduocamus, & illorum,vt nulla contra ius & fas inferatur iniuria, imploramus auxilium. Sic qui res suas ab alio iniquè sublatas iudicio repetit, optimè, meo iudicio, diceret, *salua me iudex*,quia nisi meum ius te vindice iuxta le-

*Salutatio aut imploratio familiaris Hebræis.*

ges

ges obtineo,mihi pereundum est.Neque mihi videtur improbabile, hoc loquendi modo aliquid honoris ab inferiori ordine superioribus deferri. Vnde sæpe in salutationibus vsurpabant Hebræi, *Osanna*,id est, serua, obsecro. Cùm autem hic dicendi modus ad varios pateret & adhiberetur sẽsus,quia multis modis saluare alios aliquis potest vel iudicio, cùm bona alicui restituuntur ablata, vel armata manu, cùm armatus imminet aduersarius,vel certè porrecto cibo,cùm grauis vrget fames; Rex,vt apparet,in posteriorem hunc sensum accepit hanc mulieris siue obsecrationem, siue querelam,quasi panem peteret, aut aliud quoduis deficientis naturæ subsidium. Quod ipse præstare non poterat, cùm non minùs quàm illa premeretur angustè. Offensus illa tam intempestiua imploratione respondit, id quod homines cùm exulcerato sunt animo, cum fastidio & stomacho, *Non te saluet Deus.* Quod dicunt in eodem affectu, & cum eodem stomacho profani, *Dij te perdant, dij tibi malefaxint*, & similia.

23. Vers.27. *Vnde te saluare possum, de area, vel de torcular?* ] Putabat Rex optare, atque exigere fœminam esculentum aliquid,aut poculentum:cúmque in area & horreis,in torculari,& doliis horum nihil haberet,repulit illam à se,quasi suæ & publicæ necessitatis ignaram.In area illa intelliguntur,quę grana continent,in folliculis inclusa, & quæ in area, plaustris aut tribulis teruntur, qualia sunt frumentum,hordeum,lupinus,cicer, & similia: in torculari, qui ex vite præcipuè, & si qui alij poculenti succi ex pomis,punicis malis,& aliis plantarum fructibus exprimuntur.Cùm autem in pane & vino omnia intelligantur naturæ subsidia, quæ sunt à potu & cibo, puto tam vinum & aquam, quàm aream,& torcular pro omni alimento figura sumi prouerbiali.

24. *Quid tibi vis?* ] Apparet hunc Regem præcipiti esse,atque iracundo ingenio, quod vt facilè à furore abripitur, sic etiam illo deferuescente facilè sedatur.Malè aliquid precatus fuerat mulieri, quæ ab illo importune salutem implorabat, breui tamen se ab illo furore recipit; & à muliere rogat, ecquid velit à regia siue liberalitate, siue potentia & auctoritate præstari. Eodem modo cùm paulo pòst omnia esset Helisæo minatus, dixissétque, *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Helisæi super ipsum hodie.* statim consedit furor, & mitiùs illum est allocutus.

25. Vers. 28. *Mulier ista dixit: Da filium tuum vt comedamus eum hodie.*]Hæc est tota causa,quæ mulierem planè miseram ad regios pedes supplicem abiecit, vt quando suum ipsa filium occidisset, epulandúmque tradidisset vicinæ suæ ex pacto, iuberet vt staret promissis, & filium quoque suum iuberet occidi.En crimen,en causa,vitam insectatur infantis,& sibi deberi ex pacto contendit infantile corpus. Exempla habemus aliquot diræ famis, quorum nonnulla paulo antè retulimus; sed nulla magis acerba, quàm quæ passus fuit populus Israeliticus:sicut illi minatus fuerat Deus,si quando à diuinarum legum obseruatione recederet,Deut. 28.v.53.*Comedes fructum ueteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum.* Hoc autem accidit hîc, vt vides, & cùm à Chaldæis obsessa fuit Ierusalẽ, vbi non solùm parentes ex filiorum carnibus sibi pararunt cibos, sed etiam ex parentum filij. Ezechiel.c.5.v. 10.*Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Quod accidit tertiò cùm à Romanis in easdem angustias adducti sunt Iudæi, vt auctor est Iosephus lib. 7. de bello capite 8.

Vers. 30. *Quod cùm audiisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum.*] In dolore quacunque ex causa ille nasceretur, discindebant Hebræi vestimenta sua, vt variis sæpe locis antè docuimus. vide quæ nos suprà lib.2.Reg. cap.14. Sed antequam audiisset illarum fœminarum controuersiam, & videret ad cædem posci miserum infantem,vt duarum matrum famem leuaret,iam ipse vestem induerat cilicinam, quam ad extorquendam ab irato Deo misericordiam,maximum putauit habere momentum. Sic sanè fecerat non multo antè Achab, cùm gtauiter esset ab Elia reprehensus,lib.3. cap.25.v.16.De huiusmodi luctu diximus plura lib.2. Reg. c. 12. & in commentariis nostris in Ionam c.3. vbi duorum Regum legimus exempla,quàm similima,alterum Dauidis, alterum Regis Niniue, qui Deum sibi offensum afflicto corpore, & abiecta regia maiestate placarunt.Vide commentarios nostros ad illud Ioelis c. 2. *Scindite corda vestra, & nõ vestimenta vestra.*Et licèt occultum Rex ad illud vsque tempus cilicium gestaret appressum carnibus, cùm tamen fuerint vestimenta discissa, omnium oculis confestim apparuit. Quid sit cilicium,nemini dubium, vestimentum nempe asperum & rude, quod non tam foueat, tegátque corpus ad honestatem & mollitiem,quàm affligat & pungat. Dicitur autem cilicium,à cilicia,vbi caprarum sunt numerosi greges,quæ vellus habent tonsile, ex quo vestes fiunt crassæ, & saga ad rusticos vsus & cœli, nubiúmque molestias opportuna.Quia verò in capris hircísque pili sunt rigentes, quíque à setis non admodum differunt,fit vt vestes cilicinæ, quæ à capris, hircísque,seu etiam interdum à camelis materiam sumpserunt, non dicantur laneæ, quia lana mollior est quàm vt in caprarum pilos conuenire debeat. Sic sanè Martialis lib.14. epigr. 140. cuius titulus est,*Vdones cilicini.*

*Cilicium quid.*

*Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti:*
*Ciniphio poterit planta latere sinu.*

Hoc nomẽ sæpe in Scriptura sacra audimus,& caprarum pilos, ex quibus ad tegendum tabernaculum stragula texebantur cilicina Exod.c.26.*Facies & saga cilicina vndecim ad operiendum tectum tabernaculi.* Cilicinum quoque fuit tegumentum illud quod sibi de camelorum pilis Ioannes contexuit. Et quicquid iam è setis, siue equinis, siue bouinis ad affligendum corpus homines pœnitentiæ gratia conficiunt,cilicium appellatur.

Vers. 31. *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Helisæi.*]Miror quòd tam stomachetur Rex in Helisæum,à quo nihil passus fuerat, quod aut maiestatem læserat regiam, aut aliqua ratione ad statum illum, & gustum ciuitatis pertineret. Sed sanè qui tyrannico more rempublicam non tam moderantur, quàm imperiosè vexant, non tam spectare solent,quid ab illis ratio, & æquitas exigat, quàm quid imperet nimis præceps, & væsana libido, cui libentiùs obsequuntur, quàm legi. Quidam ideo tam succensere Regem putant Prophetæ, quia cùm posset ciuitatem ab hoste liberare, sicut antea fecit, cùm hostes cæcos in medium ciuitatis induxit, & penè constrictos tradidit Samaritanorum armis, id tamen cùm ciuitas magis angustè premeretur, non facit, aut saltem aliquo alio modo ciuitatem ab obsidione non soluit, aut de vitæ naturali & necessario subsidio non prouidet. Ita Ambr.lib.3.de officiis.

Aut etiã cùm tam videret legis & patriæ religionis amatorem,& in illos tam seuerum,atque infẽsum,qui illam prodidissent, & cum vitulorum superstitioso atque nefario cultu permutarent, persuadere sibi potuit duram illam, & obscœnam famem suis precibus exoraſſe à Domino, vt vexatio daret intellectum, & qui à verbis propheticis noluerant,ab obsidione,& fame disciplinam acciperent.Dicit etiam Ambr. vbi suprà, nunc indignari Regem vehementer Helisæo, quòd ipsi non permiserit illos occidere, qui cæci in Samariæ plateã fuerant ingressi, cùm tamen nullo negotio facere potuerit. Quæ illum ratio aut furor in væsanum illud consilium impulerit,mihi incertum est:illud scio non fuisse ante illum articulum meditatum neque causam fuisse grauem, quando tam breui reuocauit mentem, & cui seuerè minatus fuerat capitale supplicium,illum statim mitiùs allocutus est, quod facilè suadet illum non tam à ratione duci, quàm à furore trahi.

28. Vers. 32. *Helisæus autem sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo.* ] Non lego Helisæum in Samaria,intra illius nempe mœnia,habuisse collegium, vbi discipulos,sicut pluribus aliis locis,instituerat; sicut habuit prope Iericho in Carmelo,& Galgalis.Existimo autem habuisse hospitium, sicut habuit in Suna,vbi Sunamitidis filiũ excitauit. Quia ergo hoc tempore,quo durauit obsidio,quod longum fuisse oportet,in certa aliqua domo commoratus est, quam habuit pro sua, ideo in illa sedisse dicitur,& cum illo senes, qui illius delectabantur consuetudine, aut quia cum illo de communi re deliberabant. Est sanè in rebus angustis virorum sanctorum ad defendendos animos mœrore contractos potentissimus sermo, qui aut docet quid lateat commodi in eo quod videtur humanis rationibus esse contrarium,aut promittit breuem & expeditum exitum ab eo,quod illi aut perpetuum, aut diuturnum futurum esse crediderant.

29. *Præmisit itaque virum.*] Cur Rex hominem præmiserit ad Helisæum, nõ docet Scriptura:illud videtur certum, eo misisse consilio, vt commodiùs posset,quod antè minatus fuerat, amputare caput Prophetæ.Id enim valet quod statim additur:*Nũquid scitis quod miserit filius homicidæ hic vt præcidatur caput meum.* Eò fortasse spectabat illa viri præmissio, vt doceret Regẽ vbinam esset, an solus,& quid rerum ageret Helisæus, vt ipse statim subsecutus,faciliùs quod optabat,perficeret. Quod videbat Propheta, & ideo obserari ostium iussit, ne Rex,qui nuncij sequebatur vestigia,in domum interiorem irrumperet. Aut certè missus est, vt Prophetam occideret, quod cùm sciret Helisæus, iussit portam occludi tantisper, vt opinatur Abulens.q.38.dum Dominus illius adueniret, qui aderat à tergo iam alienus à priori sententia, quam dum paululum à furore respirasset, mutauerat. Quasi dicat,si nuncium tantisper foris excludatis, nihil erit timendum,neque ab armato nuncio, neque ab irato Rege. Nam Rex qui illum proximus assequitur, iam mutauit animum, & ferrum extorquebit de nuncij manibus, cui id antè negotij dederat, vt caput meum præcideret. Quare perbreuis mora caput meum ab hostili ferro vendicabit.

30. Vers. 33. *Adhuc illo loquente,eis apparuit nuncius, qui veniebat ad eum,& ait.* ]Obscurum est quisnam hic fuerit, qui locutus esse dicitur, nunciúsne, an Rex, qui antegressum affectabatur nuncium. Iosephus Regem esse putat, qui simul cum nuncio,aut eo fortasse prior ingressus est; qui cùm animum exigua illa temporis mora iam mutasset,compresso furore,à quo priùs rapiebatur ad Prophetæ cædem, verba locutus est, & sana magis, & minus quàm antea minacia:idem etiam putat Theodoretus q.32.& mihi est penè certum, quia non priùs ingressus est nuncius quàm Rex. Neque enim obiectis portarum claustris intrare nuncius potuit, & Rex qui eodem penè temporis momento adfuit,vt nuncium retardaret à cæde, prohiberi neque debuit, neque potuit. Sed præsente Rege ipsius nuncium loqui neque vrbanitas,neque obseruantia patiebatur.Hæc sententia placuit Abulensi q.39. Lyræ,Dionysio,Caietano,Vatablo, qui omnes dicunt adductum pœnitentia Regẽ, reuocare voluisse spiculatorem ab Helisæi cæde. *Filius homicidæ.*Filius erat Ioram Achab,& Iezabelis.Vterque homicida fuit. Achab quidem, quia occidit Naboth,& conscius fuit, aut etiam adiutor illorũ Prophetarum cædis, quos interfecit Iezabel, de qua lib.3.c.18. Iezabel autem,quia & ipsa Naboth interfecit,& Prophetas,& nihil fecit reliqui, quo Eliam Helisæi magistrum interimeret. Quare verè ab Helisæo vocatus est Ioram homicidæ filius.

*Ecce tantum malum est à Domino:quid amplius expectabo.*]Exposuit,opinor, Ioram illarum fœminarum controuersiam,quæ proximè ad se delata fuerat. Quo nihil videbatur excogitari posse miserabilius, quàm eô,premente fame, adactas esse matres, vt filios laceratos & coctos in sua rursus viscera reconderẽt. Ait ergo Rex in eo esse statu rem Samaritanã, vt nihil esse videatur, quô fames,aut calamitas procedere possit vlteriùs. Aut certè nihil esse expectandum grauius,vt iam tandem oret ad Deum, vt respiciat populum tam durè vexatũ, & rebus iam omnino cadentibus, desperatisque subueniat. Et hæc posterior explicatio mihi probabilior. 31.

Quærit Abulensis q.42. quare non antea, cùm tot vrgerent mala,pro populo non orarit Propheta; & docet ideo omissum esse precationis officiũ, quia Deus iam antea dixerat, nihil impetraturas preces pro gente vsqueadeo scelerata profusas; sicut Ezechieli c.14.& Ieremiæ c.15.dixit,si in peccatore populo essent viri quidã sanctissimi, Moyses,Samuel,Noe, Daniel, Iob,nihil tamen effecturos esse, cùm contrà ad cœlum vsque peccatorum scelera clamarent. Iam forsan audierat id, quod Ieremias c.7.v.16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem,& orationem,& non obsistas mihi,quia non exaudiam.Nónne vides quod isti faciunt.*Et fortè iam Helisæus sæpius orauerat, nihil tamen obtinuerat, quia nondum aduenerat orationis maturitas; sicut orauit sæpe pro Saule Samuel,& pro commisso sibi populo Moyses,neque tamen illi semper auditi sunt. 32.

Mihi illud etiam videbatur non alienum à prophetico zelo,noluisse Helisæum orare ad illud vsque tẽpus pro populo, quantumuis illum vrgeret angustè Syrorum obsidio, quia illam vexationem opportunam esse nouerat, vt cæcos aperiret oculos, & intellectum daret insipientibus. Sanè qui suprà c.2.pueris maledixit,qui statim ab vrsis lacerati sunt,quia id spirituali tam ipsorum quàm parentum saluti expedire censebat, idem cùm fame & ferro domari posse existimaret gentem cerui-cis duræ,& ad sanam mentem,& officium adduci, non tam hebetare voluit orando, quàm acuere tribulationum aculeos. Neque eam ob rem iudicari debuit inhumanus & durus, sicut neque pater,cùm filium flagello cædit, dum distortum ingenium 33. *Optare licet corporis incommoda aliis pro eorum spirituali salute.*

genium corrigere,& deprauatos mores ad rectam regulam informare vult. Sanè Paulus molle cor habuit,& infirmabatur cum infirmis,& cum scandalizatis vrebatur.& tamen 1.Cor.5. non dubitauit fornicarium quendam tradere Satanæ, cuius tyrannis erat multo magis, quàm Syrorum acerbior; quia id putabat ad spiritualem illius salutem expedire. *Iam iudicaui*, inquit, *tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit.*

# IN CAP. VII. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*CVM grauis Samariam fames vrgeret, neque illius leuandæ aliqua se spes, aut modus ostenderet, magnam Propheta in diem crastinum abundantiam promisit; cuius promissionem cùm vanam putaret vir quidam nobilis, qui à Rege nusquam aberat, audiuit à Propheta futurum, vt veram cognosceret prophetiam: neque tamen ad illum vllus ex ea abundantia fructus pertineret. Liberauit Deus Prophetæ fidem, seu, verius suam, immisitque subito coorto strepitu pauorem in Syrorum animos, qui suspicati obsessorum subsidio externas aduenisse copias, aufugerunt statim, quammaximè potuere festinatò, relictis in castris omnibus quæ ipsi ad victum seu ad ornamentum attulerant. Quod obsessis nunciauere leprosi quidam, qui extra ciuitatem, hominúmque conuentus de more vagabantur; qui vacua repererunt Syrorum tentoria, & furtim ipsi ex illis maxima ad suos vsus emolumẽta portarunt. Primùm tam subita mutatio suspecta fuit: suspicatus enim fuit Rex simulatam esse fugam, & in ipsa latere Syrorum insidias. Sed cùm ab emissariis didicissent veram esse fugam: & tam in via, quàm in tabernaculis exuuias relinqui, egressus est populus ad opimam prædam ea multitudine atque impetu, vt non facilè aut caperet, aut euomeret porta Samariæ, vbi iuxta Prophetæ verba oppressus est à multitudine, & extinctus vir ille nobilis, qui nugacem appellarat Prophetam, & illius verba indigna, quibus à præsentibus haberetur fides.*

## CAPVT SEPTIMVM.

1. DIxit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno, in porta Samariæ.

2. Respondens vnus de ducibus, super cuius manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiã cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

3. Quattuor ergo viri erant leprosi iuxta introitum portæ: qui dixerunt ad inuicem: Quid hîc esse volumus donec moriamur?

4. Siue ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur: siue manserimus hîc, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ, si pepercerint nobis, viuemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.

5. Surrexerunt ergo vesperi, vt venirent ad castra Syriæ. Cúmque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt.

6. Si quidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi: dixerúntque ad inuicem: Ecce mercede conduxit aduersum nos rex Israël reges Hethæorum & Ægyptiorum, & venerunt super nos.

7. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerũt tẽtoria sua, & equos & asinos in castris, fugerúntque, animas tãtùm suas saluare cupientes.

8. Igitur cùm venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt vnum tabernaculum, & comederunt, & biberunt: tulerúntque inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt: & rursum reuersi sunt ad aliud tabernaculum, & inde similiter auferentes absconderunt.

9. Dixerúntque ad inuicem: Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuncij est. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare vsque mane, sceleris arguemur: venite, eamus, & nunciemus in aula regis.

10. Cúmque venissent ad portam ciuitatis, narrauerunt eis, dicentes: Iuimus ad castra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos & asinos alligatos, & fixa tentoria.

11. Ierunt ergo portarij, & nunciauerunt in palatio regis intrinsecus.

12. Qui surrexit nocte, & ait ad seruos

ſuos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus, & idcirco egreſſi ſunt de caſtris, & latitant in agris, dicentes: Cùm egreſſi fuerint de ciuitate, capiemus eos viuos, & tunc ciuitatem ingredi poterimus.

13. Reſpondit autem vnus ſeruorum eius: Tollamus quinque equos, qui remanſerunt in vrbe (quia ipſi tantùm ſunt in vniuerſa multitudine Iſraël, alij enim conſumpti ſunt) & mittentes, explorare poterimus.

14. Adduxerunt ergo duos equos, miſítque rex in caſtra Syrorum, dicens: Ite, & videte.

15. Qui abierunt poſt eos vſque ad Iordanem: Ecce autem omnis via plena erat veſtibus & vaſis, quæ proiecerant Syri cùm turbarentur: reuerſíque nuncij indicauerunt regi.

16. Et egreſſus populus diripuit caſtra Syriæ: factúſque eſt modius ſimilæ ſtatere vno, & duo modij hordei ſtatere vno, iuxta verbum Domini.

17. Porrò rex ducem illum, in cuius manu incumbebat, conſtituit ad portam: quem conculcauit turba in introitu portæ, & mortuus eſt, iuxta quod locutus fuerat vir Dei, quando deſcenderat rex ad eum.

18. Factúmque eſt ſecundùm ſermonem viri Dei, quem dixerat regi, quãdo ait: Duo modij hordei ſtatere vno erunt, & modius ſimilæ ſtatere vno, hoc eodẽ tempore eras in porta Samariæ:

19. Quando reſponderat dux ille viro Dei, & dixerat: Etiamſi Dominus fecerit cataractas in cælo, nũquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

20. Euenit ergo ei ſicut prædictum fuerat, & conculcauit eum populus in porta, & mortuus eſt.

---

# IN CAP. VII. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

### Verſ. 1. *In tempore hoc cras modius ſimilæ vno ſtatere erit.*]

1. CVM iam ad extremã lineam, ærumnoſa Iſraëlitarum conditio perueniret, adfuit quoque orandi certa, & deſignata maturitas: tunc enim propior ſolet eſſe libertas, quando magis premit iniqua ſeruitus; & tunc propior eſt, vt leuetur, cùm ad ſummum venit dolorum acerbitas. Quod Ægyptij captiui ſunt experti, qui cùm duriùs à Pharaone premerentur, de illius libertate cogitabat Deus, & Moyſem cum poteſtate, & virga in Ægyptum mittebat. Neque alij ex eodem populo captiui Babylonij, propiores erant gloriæ, à qua videbantur excidiſſe, quàm cùm, Aman agente, de illorum capite vniuersè actum videbatur. Qua de re optimè Chryſoſtomus in Pſalm. 117. *Quando*, inquit, *res in maximam inciderint inopiam, tunc tu ſpera maximè. Tunc enim Deus maximè oſtendit ſuam potentiam, non à primordio, ſed quando res fuerint planè deſperatæ ab hominibus. Hoc eſt enim tempus diuini auxilij. Et ideo nec pueros eripuit à principio, ſed poſtquam fuerunt conjecti in fornacem; nec Danielem antequam eſſet miſſus, ſed ſeptem poſt diebus. Ne attende rerum naturas, quæ præcipites agunt in deſperationem, ſed Dei potentiam, quæ, quæ ſunt deſperata, adducit in bonam ſpem.* Quando igitur eò adducta eſt parentum fames, vt alimenti gratia in filiorum viſcera ferrum adigerent, tunc Deus illam Syrorum ſpoliis explere decreuerat. Scit igitur Propheta craſtina luce eam futuram annonæ vilitatem ex abundantia natam, vt modius ſimilæ, nobilis videlicet frumenti ſtatere vno, & duo modij hordei tantidem in porta Samariæ venderentur, in eo videlicet loco, iuxta quem caſtra metati fuerant aduerſarij.

2. Verſ. 2. *Reſpondens vnus è ducibus, ſuper cuius manum Rex incumbebat.*] Vir quidam princeps ex illorum numero, qui aſſidui erant Regi, illíque præſtabant familiare miniſterium, in cuius videlicet aut manu aut humero Rex innitebatur. Sicut Rex Syriæ in manu ſeu humero ſuſtentabatur Naaman. Vbi vulgatus, *vnus è ducibus*, Hebr. eſt שלישׁ *Salis*, quæ vox idem valet quod triarius, aut tertiarius, ſeu triumuir. LXX. τρισάτης. quod nomen eſt dignitatis atque perſonæ. Quid tamen hîc aut quibuſdam aliis locis Scripturæ ſacræ, ſignificet, obſcurum eſt. Illud eſt veriſimile, aliquod munus eo nomine ſignificari illuſtre, quod tres viri ſimul, aut certè terni obire ſolent, quales illi qui apud Romanos dicuntur Triumuiri. Horum verò id videtur eſſe proprium, vt per ſuas vices adſint Regi, & illi aut manum aut humerum ſupponãt, quibus innixus molliùs & honeſtiùs incedat. De hac voce vide plura in noſtris commentariis ſuper Ezech. cap. 23.

3. *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo.*] Incredibile iudicabat vir ille primarius, ſeu τρισάτης, tantam futuram abundantiam frumenti, cùm tãta tunc eſſet in ciuitate illius inopia. Quid ſit cataracta, ſeu cataracter, diximus in noſtris commentariis ſuper Malachiam ad illud cap. 3. v. 10. *Si non aperuero vobis cataractas cœli.* Vbi oſtendimus cataractas eſſe, aut aquas, quæ cum fragore, aut impetu labuntur è ſublimi, atque præcipiti loco, aut quæ in loco etiam plano ruptis aggeribus erumpunt magna mole, & anguſtis antè faucibus coarctatæ. Interdum tamen cataractæ dicuntur locus ipſe qui emittit, aut excipit aquas, quæ cũ ſtrepitu, atque impetu labuntur. Vnde fit vt portæ aut feneſtræ, ſeu emiſſaria, quæ aquam effundũt, quaſi violenter antè compreſſam, vocentur cataractæ. Hinc ſæpe audimus cœli cataractas apertas, quãdo

do ea copia atque impetu præcipitantur aquæ, vt videantur in nubibus apertæ feneſtræ per quas in terras fluuius, qui in ſinu cohiberetur nubiu, præceps erumperet. Hic vir ille princeps nō loquitur de nubium cataractis, ex quibus aqua torrens & præceps in terram defluit (quid enim aquarū copia in craſtinam diem afferre poſſet, quo famem expleret, & frumenti vilitatem induceret.) Sed cōſiderat in cœlo, & nubibus quædam tamquā horrea, ex quibus per fenceſtras & cataractas, frumēta aut farinæ in terrā delabuntur. Ac ſi dicat, ſi Deus faciat, vt modò frumēti, ſicut olim manna, pluuia quædam in Samariam deſcendat, non tamen eueniet, quod tu in craſtinum diem futurum promittis. Ita hunc locum exponit Ioſephus. *Sicut abſurdum ſit ſperare ſimilas & hordei pluuiam, ita neque quod tu dicis mihi ſit veriſimile.*

4. *Videbis oculis tuis, & inde non comedes.*] Dignus erat dux iſte vſqueadeo incredulus verbis nō ſolū Prophetæ, ſed etiam Domini, vt ſequenti die, quē Dominus illucere voluit Iſraëlitis fortunatum, & candidum, neque frueretur oblata diuinitus ciborum abundantia, & vitæ in reliquum vſurā amitteret. Qui cùm vidiſſet Syrorum fugam, & ex illorum caſtris collectas exuuias, & tantā repentè rerum mutationem, non tamen illi facta poteſtas fuit, vt vel modicè libaret victoriæ fructum, cùm in ipſa porta, vbi iam proſtabat viliſſimo pretio venale frumentum, erumpentis turbæ pedibus conculcatus obierit.

5. Verſ. 3. *Quatuor ergo viri leproſi iuxta introitum portæ.*] Hæc ad finem capitis ſic ipſa per ſe patēt, vt nullam interpretis operam deſiderent. Leproſi nō permittebantur cum aliis in ciuitate ſimul viuere, aut cum aliis habere familiare commerciū. Quam legē licèt alia diuinæ legis præcepta prodidiſſent, hanc tamen ſeruabant Samaritani. Quare leproſi ſua extra mœnia habuere tabernacula, vbi ſoli viuerent, ne alij aliquid obſcœnum & immundum ex eorum conſuetudine, & habitu contraherent. Quos cùm opprimere facilè poſſent Syri, qui Samaritanis aliis omnia cupiebant, & moliebantur aduerſa: horum tamen vicem miſerati, aut certè cùm illorum ſpeciem fœdiſſimā horrerent, aut ab illorum contagione metuerent, ab illorum cæde manus continuerunt armatas. Aut quia nihil leproſi inferre potuerunt acerbius, quàm quod morbus ipſe tam fœdus, quàm dirus afferebat. Nā qui in dolore eſt, & ab amicis & cognatis etiā deſpicitur, bene ſecum actum eſſe putat, cùm mors cōtingit, quæ in lucro ponitur, cùm à dolore vendicat & ignominia. Quòd ſi, vt obſeruauit Chryſoſtomus hom. 16. in Matth. To. 2. Heliſæus principē Syrum hominem lautum, & ſplendidum, qui regio planè cultu lepræ fœditatē, aut tegere, aut moderari poterat, neque tāgere, neque comitari voluit, quomodo Syri illos homines ignobiles, horridos pœdore atq; illuuie, obſitos, aut tangerēt, aut ſpectarent ſine horrore ac nauſea. *Cùm ad Heliſæum Naamā veniſſet leproſus alienigena miſſus à Rege ſuo, mandat illi per diſcipulum ſuum, vade ad Iordanē fluuium, & lauare ſepties, & mundaberis à lepra tua, ipſe verò non eſt auſus ire, & videre lepram, & tangere illā.* Scio aliis rationibus ex religione natis adductum Heliſæum, vt ſibi à leproſo principe caueret. Sed quis ſcit an hæ quoque rationes apud Syros valuerint; qui ſicut alia à vicinis populis, ſic etiā leges de leproſis euitandis ab Iſraëlitis acceperunt; quorum attingebant fines, & ignorare non poterant quid de leproſis cautum eſſet à lege. Leuit. 13. v. 44.

*Leproſi ab aliorum cōgreſſu ſeparati.*

*Quid hic eſſe volumus donec moriamur?*] Eadē foris patiebantur leproſi, quæ ciues intra mœnia, neque enim ipſis copia erat panis, neque à quo emēdicatò peterent, habebant. A Syris autem erogare non audebant, cùm ſatis ſe ab illis accepiſſe putarent, ſi per ipſos in ſuis ſordibus vtcumque viuere liceret. Cùm ergo moriendum ſibi eſſe exiſtimarent præ ciborū inopia, deficiente natura, (quod mortis genus, & longum eſt & durum) maluerunt miſericordiam experiri Syrorū, quàm in ſuis diuerticulis inedia & ſitu cōtabeſcere. Quòd ſi illos minus haberēt pacatos, & beneuolos, ſatius eſſe ferro iudicabant, quàm fame tabēque conſumi; vicit ergo cogitatio poſterior, & cùm ſub veſperē, quo tempore minus eſt lucis, & quæ fœda ſunt ſpecie, aliorum oculos minùs verentur, & fugitant, in caſtra veniſſent, illa inuenerunt ſic à milite, atque cuſtodia nuda, vt quantum liberet, ſiue ex cibis, ſiue ex argento, ac vaſis, omníque nobilium ornamento, ſumere potuerint. 6.

Verſ. 6. *Dominus ſonitum audire fecerat in caſtris Syriæ.*] Rationem reddit cur tam ſubitò, & feſtinatò in fugam ſe coniecerint Syri, caſtráque reliquerint ingentibus ornata diuitiis futura hoſtibus opima ſpolia, neque ex tot ornamentis ad vitæ, viæque neceſſaria ſubſidia, quicquam aſſumpſerint, quia Dominus terrorem incuſſit audito ingenti ſonitu, quaſi noui exercitus inſtructi equitibus, ac curribus cū omni apparatu militari, qui in caſtra tūc imparata, & à vicino hoſte & ab omni perturbatione ſecura, iam iā irrumperent. Quos aſcitos ſuſpicabantur ex Ægypto, & à fœderatis gentibus, maximè ab Hebræis, quibuſcum genus erat commune, & ſibi viciſſim mutuam præſtabāt operam. Quare cùm reliqua in illa ſubita perturbatione non curarent, & tantum vitæ, cui extrema putabatur imminere neceſſitas, conſulerent, quàm potuerunt ocyſſimè fugam arripuerunt, & ſi quid ſecum raptim abſtulerunt, illud, ne ſibi foret oneri, proiecerunt in via. 7.

Verſ. 9. *Si noluerimus nunciare vſque manè, ſceleris arguemur.*] Prudenter coniectarunt leproſi ſibi aliquid à Rege imminere ſupplicij, niſi quamprimū de Syrorum fuga, & caſtris derelictis admonerēt. Quia perire poterat oblata diuinitus occaſio, quę magnas poſſet obſeſſis commoditates afferre. Hoc verò illius eſt, qui hoſtium vellet commodis ſeruire, & patriæ prodere libertatem, à qua cum vitæ etiam periculo contra hoſtium pernicioſa conſilia ſtare debuiſſet; referunt igitur, quod de Syrorum caſtris, & fuga compererant. Cúmque Rex dixiſſet illam Syrorum fugam ſibi valde videri ſuſpectam, ac tandem timendum ne in ſimulata trepidatione & fuga laterent inſidiæ, neque vana aliis ſuſpicio videretur, ſtatuerunt antequam populus tumultuariè, vt ſolet, cùm ſeſe oſtentat præda, extra mœnia procurreret, explorare ſolertiùs an aliquis ibi inſtructus eſſet dolus, & quod eſſet Syrorū conſilium. Quod fecerunt duobus equis aſſumptis, qui ferme ex omnibus erant reliqui. Qui cùm apertè cognouiſſent nihil ibi timendum eſſe doli, omnes ad prædam aduolant, ex qua præter alia ornamēta, tantum retulerunt frumenti, atque hordei, vt vno ſtatere, iuxta prophetæ vaticinium, vnus frumēti, & duo hordei modij venirent in porta Samariæ. Tunc autem Rex virum illum principem, de quo ſuprà, qui vanam crediderat iactauerátque Prophetæ promiſſionem, conſtituit ad portam ciuitatis, vt ſua auctoritate contineret tumultuantem populum, ne dum auidus prædæ ſine ordine erūpit, & pacem turbat tandiu deſideratam, & id in 8.

ſeipſos,

seipsos,dum ad prædã inhiant,afferant mali,quod hostis tandiu præstare non potuit. Qui tã abfuit, vt turbam,quasi ruptis aggeribus fluuium erumpentem,continere potuerit,vt illius pedibus conculcatus in ipso ciuitatis aditu fuerit extinctus, ne qua pars prophetici vaticinij pondere careret, & fide.Quòd Rab.Salomon,vt refert Lyra, putat, hos quatuor leprosos esse Giezi, & tres illius filios,perridiculum,& merè nugax:neque aliud habuit fundamentum, quàm quòd illi, & liberis ipsis, vt minatus fuerat Helisæus, adhæsit lepra Naaman. Quasi tunc Giezi cum tota familia viueret in Samaria, aut nullus præter illum eo tempore leprosus in illa regia ciuitate foret.optimè commentum hoc Rabbinicum confutat Abulensis q.12.

# IN CAP. VII. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*CVM impendentem Israëlitidi regioni famem præsciret Helisæus, admonuit Sunamitidem fœminam, cuius antea filium reuocarat ad vitam, vt in externam aliquam regionem egressa communem suæ genti plagam declinaret. Septennio transacto in patriam reuersa domum suam, & agros ab alieno possessore occupatos inuenit. Vendicauit tamen sibi,neque parum momenti attulit grata tunc apud Regem Helisæi memoria.Sub id tempus venit Damascum Helisæus, cùm Rex Benadad graui tentatus morbo in lecto decumberet,quem per Hazaelem de morbi exitu consuluit, à quo nihil timendum esse dixit,verùm alio mortis genere periturum denuntiat. Reuersus Hazael renunciat nullum à morbo impendere periculum, silet tamen de altera responsi parte, quæ imminere dicit alia ex causa perbreuem mortem. Quam Hazael ipse per insidias attulit, & illius loco Syrorum regnum occupauit,in quo dum vixit,grauissima edidit crudelitatis exempla, sicut illi illacrymans Helisæus prædixerat.Successit sub hæc tempora Ioram filius Iosaphat in Iuda, cui filia Achab Athalia nupserat, à quo defecit Idumæa, quæ iampridem Iudæ Regibus antè seruierat. Cuius regnum susceptit Ochozias nihilo parente melior, vtriusque enim Athalia ex stirpe Achab corrupit mores,quæ illius vxor,& huius mater erat.*

## CAPVT OCTAVVM.

1. ELiseus autem locutus est ad mulierem,cuius viuere fecerat filium, dicens: Surge,vade tu & domus tua, & peregrinare vbicumque repereris:vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis.

2. Quæ surrexit, & fecit iuxta verbum hominis Dei,& vadens cum domo sua, peregrinata est in Terra Philisthiim diebus multis.

3. Cúmque finiti essent anni septem,reuersa est mulier de Terra Philisthiim: & egressa est vt interpellaret regem pro domo sua,& pro agris suis.

4. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus.

5. Cúmque ille narraret regi quo modo mortuum suscitasset,apparuit mulier, cuius viuificauerat filium, clamans ad regem pro domo sua,& pro agris suis. Dixítque Giezi: Domine mi rex,hæc est mulier,& hic est filius eius,quem suscitauit Eliseus.

5. Et interrogauit rex mulierem: quæ narrauit ei. Dedítque ei rex eunuchum vnum, dicẽs:Restitue ei omnia quæ sua sunt, & vniuersos reditus agrorum,à die qua reliquit terram vsque ad præsens.

7. Venit quoque Eliseus Damascum, & Benadad rex Syriæ ægrotabat, nunciauerúntque ei,dicentes: Venit vir Dei huc.

8. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecũ munera,& vade in occursum viri Dei, & consule Dominum per eum,dicens: Si euadere potero de infirmitate mea hac?

9. Iuit igitur Hazael in occursum eius, habens secum munera, & omnia bona Damasci,onera quadraginta camelorũ. Cúmque stetisset coram eo,ait:Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te,dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac?

10. Dixítque ei Eliseus:Vade, dic ei:Sanaberis:porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur.

11. Stetítque cum eo,& conturbatus est vsque ad suffusionem vultus: fleuítque vir Dei.

12. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ facturus sis filiis Israël mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio,& paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.

13. Dixítque Hazael: Quid enim sum seruus

seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.

14. Qui cùm recessisset ab Eliseo, venit ad dominum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliseus: At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem.

15. Cúmque venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem eius: quo mortuo, regnauit Hazael pro eo.

16. Anno quinto Ioram filij Achab regis Israël, & Iosaphat regis Iuda, regnauit Ioram filius Iosaphat rex Iuda.

17. Triginta duorũ annorum erat cùm regnare cœpisset, & octo annis regnauit in Ierusalem.

18. Ambulauítque in viis regum Israël, sicut ambulauerat domus Achab: filia enim Achab erat vxor eius: & fecit quod malum est in conspectu Domini.

19. Noluit autem Dominus disperdere Iudam propter Dauid seruum suum, sicut promiserat ei, vt daret illi lucernam, & filiis eius cunctis diebus.

20. In diebus eius recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi regem.

21. Venítque Iorã Seira, & omnes currus cum eo: & surrexit nocte, percussítque Idumæos, qui eum circumdederãt, & principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua.

22. Recessit ergo Edom ne esset sub Iuda, vsque ad diem hanc. Tunc recessit & Lobna in tempore illo.

23. Reliqua autem sermonum Ioram, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

24. Et dormiuit Ioram cum patribus suis, sepultúsque est cum eis in Ciuitate Dauid, & regnauit Ochozias filius eius pro eo.

25. Anno duodecimo Ioram filij Achab regis Israël, regnauit Ochozias filius Ioram regis Iudæ.

26. Viginti duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Athalia filia Amri regis Israël.

27. Et ambulauit in viis domus Achab: & fecit quod malum est coràm Domino, sicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit.

28. Abiit quoque cum Iorã filio Achab, ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulnerauerunt Syri Ioram:

29. Qui reuersus est vt curaretur, in Iezrahel: quia vulnerauerant eum Syri in Ramoth, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Porrò Ochozias filius Ioram rex Iuda, descendit inuisere Ioram filium Achab in Iezrahel, quia ægrotabat ibi.

---

# IN CAP. VI. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

Vers. 1. *Heliſæus autem locutus eſt ad mulierem, cuius viuere fecerat filium.*]

1. MAGNVS planè est misericordiæ fructus, quo Deus impensum pauperibus officium, aut etiam homo interdum cumulatè compensat. Commodarat Sunamitis Helisæo de hospitio, cui vt referret gratiam, impetrauit à Domino filium, deinde mortuum reuocauit ad vitam. neque id satis esse putauit ad officij gratiam, cuius neque deposuerat, neque, vt opinor, ad finem vsque vitæ memoriam deposuit. Cùm enim septennalem famem præuidisset in terra Israelitide, admonuit illam, vt maturè ex illa regione discederet, & eò migraret, vbi septennali spatio maior esset à frumento commoditas.

2. Hanc famem in terram Israël missam esse dicit Theodoretus q. 23. quia cùm tantis populus ille esset affectus beneficiis, & nunc ad extremum fugatis Syris, & penè ab interitu reuocata Samaria, in suis tamen hæreret peccatis, neque tantillo melior esset, quàm antea. De tempore, quo ista contigerunt, non leuis inter auctores disceptatio est. Quidam historiam de Naaman contigisse putant, post hanc septennij famem, aut extremo anno septennij illius: quod ea ratione probant, quia ex illo septennio Sunamitis ex eo loco, vbi toto illo tempore commorata fuerat, in patriam remigrauit, vendicauítque sibi hæreditates, in quas alij, quasi caducæ forent, irruperant: & eodẽ tempore Ioram cũ Giezi Helisæi famulo loquebatur; quod sanè non faceret, si tunc leprosus esset. Qui enim Rex homo lautus cũ homine deformato à lepra, & graue aliquid olenti loqueretur, maximè cùm cautum esset à lege, ne cũ homine eo morbo fœdato quicquam esset commercij. Ita tradunt Hebræi in Seder olam c. 18. & probat Abulens. q. 1. & Lyra.

3. Ego primùm non sum nescius vsitatum esse in Scriptura, vt non eo ordine, quo contigerunt, res gestæ narrentur, atque ideo fieri potuisse, vt quæ hìc narrantur, anteceſſerint, & Giezi lepram, & Naaman sanitatem restitutam. Sed illa ratio non mihi videtur tantũ habere momenti, vt perturbare debeat narrationis ordinem. Primùm, quia si religionem spectes, quæ omne dirimit commercium cum homine leproso, non est adeò seuerum illud, si quod est à lege præceptum, vt colloquiũ neget. Sanè quatuor illi leprosi, de quibus capite præcedenti, locuti sunt cum ciuitatis custodibus, imò cũ ipso, vt opinor, Rege Ioram. Deinde homo idololatra,

latra,qui vitulis supplicabat,non adeò erat diuinæ legis studiosus,vt magnum esse scelus existimaret, si quid in illius legis obseruatione foret omissum. Atqui dices,homines lauti istorum hominũ consuetudinem horrent;vt neque aspectu,qua sunt animi mollitudine dignentur. Sunt sane aliqui qui ad ista nauseant,quibus est muliebris putida quædam,& languida mollicies; at viri ista numquam auersantur,neque horrent.Certè Rex Syriæ Naaman leprosi,si quid incidisset,quod illius prudentiam & consilium exigeret, non auersabatur consuetudinem, & si quid nobis vsui est aut voluptati,illud à leproso libenter audimus. Cupiebat Ioram aliquid nosse de Helisæi gestis , cuius multa audierat,neque pauca ipse testis agnouerat : cùm autem testis esset oculatus Giezi,qui diu ab ipsius latere numquã discesserat,à nemine melius, quàm ab illo de rebus ab Helisæo gestis doceri potuit. Neque necesse fuit propè astare Regi,cùm loqueretur,ita vt grauem inspiraret halitum, aut aspectu horrido Regis oculos offenderet.

4. Vers.4.*Rex autem loquebatur cum Giezi.*] Admiratus Ioram grandia,inauditaque miracula , quæ de Helisæo latè fama vulgarat, rogauit à Giezi tunc leproso ( studium enim sciendi molestiam facilè leuauit)ecquid de tanto viro ipse aut vidisset, aut nosset.Accidit autem opportunè, vt tunc esset sermo de Sunamitidis filio, quem ad viuos defunctum reuocauerat , cùm ingressa est mulier illa cũ rediuiuo filio;vt domum suam, & agros vendicaret sibi ab alienis possessoribus , qui in illa bona quasi caduca venerant.Quæ cùm ius suum à Rege obtinere vellet,impetrauit facilè. Id negotij Rex dedit Eunucho cuidam , qui sibi de more aderat; cui dixit,vt non solùm domum,& agros,sed etiam perceptos ad illum vsque diem fructus referẽdos curaret.Est autem hoc loco,sicut aliis sæpe,Eunuchi nomen honestũ,neque enim valet id,ad quod vulgus hominum vsurpat , sed aliquid virile magis,& decorum.Hoc nomine afficiuntur viri proceres Regis familiares,& assidui, qui Regum mãdata curant,& regalibus præsunt ministeriis. Hoc verò nomen ideo datum est Regis præfectis, quia hoc hominum exectorum genus intimum erat Regis penetralibus, vtpotè magis à suspicione libetum,& illorum opera ad obuia quæuis negotia vtebantur Reges.

*Eunuchus in significatu vulgo honestiori.*

5. Vers.7. *Venit quoque Helisæus Damascum, & Benadad Rex Syriæ ægrotabat.* ] Qua de causa profectionem illam in Damascum susceperit Helisæus, non constat;sed illa videtur neque otiosa , neque leuis, vt Hazaeli prædiceret , quem Syriæ Regem futurum esse præscierat,quàm dirum & barbarum habiturus esset imperium,vt illius animum ad lenitatem,& clementiam traduceret. Alij alias causas adducunt,aiunt enim eò venisse,vt Regem Syriæ vngeret Hazaelem, quod non fecerat antè Elias,cùm tamen,vt faciendum curaret,mandatum accepisset à Domino lib.3.c.19.sed est verisimilius vnctum esse Hazaelem ab Elia : neque hoc loco Scriptura tacuisset , si factum fuisset ab Helisæo. Hebræi ,in quibus Principes sunt Rab. Salomon, & Rab.Dauid,Helisæum dicunt abiisse Damascũ, vt Giezi confirmaret animum, qui propter peccatum,quod illi lepram induxit,de salute desperarat animæ,atque ideo à patria , veráque religione ad idololatriam defecerat,Damascíque cum Gentilibus habitabat.Sed quo fundamento,ac fide dicant Hebræi,ipsi viderint. Eo porrò tempore graui laborabat morbo Benadad Rex Syriæ,cuius causam eam esse dicit Iosephus lib.Ant.9.cap.2.quia graA uiter tulit se fuisse deceptum vano terrore, ac sonitu,cùm magnas hostium copias aduentare , atque imminere crederet , neque vllus esset à quo strepitus ille tantus ederetur.Quare cùm vrgeri se crederet ab aduerso numine,sic est affectus animi ægritudine,vt ægritudinem quoque corporis inde contraxerit. Iosephi sententiam probat Histor. scholastica, Lyra, Dionysius, Abul. q.14. fundamentum habemus nullum huius cogitationis, omnino tamen non est improbabilis.

*Helisæus desperantem Giezi confirmat.*

Vers.8.*Et ait Rex ad Hazael:Tolle tecum munera,* 6.
*& vade in occursum viri Dei.* ] Erat Hazael inter Regis ministros,aut primus,aut cum primis,quem oneratum his muneribus, quæ in Syria censentur esse præcipua, iussit vt Helisæum adiret , rogarétque an ex eo morbo,quo tunc afflictabatur ægrè, consecuturus esset sanitatem.

Vers.10. *Vade,dic ei:Sanaberis. porrò ostendit mihi* 7.
*Dominus,quia morte morietur.*] Implexa hæc est , & multis modis implicata respõsio.Sanitatẽ promittit,& mortem minatur;neque sanitatem consecutus est , de qua illum securum Propheta reddiderat,quis hæc componat? Varios hîc video modos expediendi nodi,quos adducit Abulensis q.20.ego duos adducam, qui minùs videntur esse difficiles. Alter seruorum indicat ingenium , qui dominorũ sic obsequuntur voluptati,vt nihil illis annunciẽt durum, aut quod illis aliquid possit afferre molestiæ.Quare aduersa omnia aut tegunt,aut eleuant, quæ verò contigerunt ex votis , sic ornant & amplificant , vt nihil esse dicant fortunatum magis. Deinde notum est satis , & in Scriptura frequens, imperatiuũ & optatiuum sumi pro futuro,vt non tã optet,aut imperet,aliquid Propheta, quàm futurum prædicat.Quare si duo hæc,vade,& dic,per futurum exponas,hîc erit sensus. Tu vades,ô Hazael,dicéque Regi pro tuo aliorúmque assẽtatorũ ingenio salutem,& vitam,longè tamen erit aliter, quàm tu ad illius votũ dicturus es,quia Dominus ostendit mihi,omnino illi fore moriẽdum. Parum 8.
ab hac explicatione differt , si hîc esse dicas permissionem ironicam,quæ apud profanos,& sacros frequentissima est , quæ cùm videatur aliquid alicui concedere,potiùs negat & prohibet. Quale est illud Virgilij lib.4.Æneidos,

*I,sequere Italiam ventis,pete regna per vndas.*

Tale est illud lib.3.c.22. *Ascende,& vade prosperè:& tradet eam Dominus in manu tua.*& c.18.dicebat Elias ad sacerdotes Baal , *Clamate voce maiori.* & Thren.4. *Gaude & lætare filia Edom.* Vide quæ nos ad illa loca.Quare sensus erit ironicæ promissioni contrarius,quasi dicat Propheta , non est cur vadas,& assentatorum more sanitatem annuncies, quia ostendit mihi Dominus illi quamprimum mortem esse paratam.

Sed illa mihi videtur explicatio solutior , quæ 9.
negat moriturum Regem à naturali causa , id est, ab eo morbo,quo tunc laborabat , & de quo Propheta consulebatur.*Consule Dominum per eũ,dicens: Si euadere potero de infirmitate mea hac;*re autem vera,si vim infirmitatis intueare , sanabitur Rex , id est,non extinguetur ab infirmitate, quia illa adeò grauis non est,& facilè à medicina leuari potest; verũ morietur , quia vis illi afferetur extrinsecus, & à ferro, aut laqueo , seu ab alia causa præcluso spiritu potius peribit,quã ab intrinseca qualitate, deficiente natura.Huc aduocare oportet illã regulam,cuius sæpe meminimus , iuxtà quã id dicitur fieri,licèt numquam futurum sit,quod vt fiat,ipsa rerũ natura videtur exigere:& id fieri negatur,licèt reuerà fiat, quod neque exigit , neque patitur

*Id dicitur fieri,quod res fiat,ipsa rerum natura postulat, licèt numquã fiat.*

rerum

rerum natura. Quomodo dicimus Christianum hominem, quadrageſimalibus, aut ſextis feriis non comedere carnes, licèt aliqui id contempta religione aliquando faciant, quia id ſecũdùm legem fieri non debet, & contrà homo dicitur hoc vel illo cibo veſci, licèt illius copia nõ adſit, quia illius ſtomachus illum cibum amat, & vtiliter concoquit, alios teſpuit; ſic ergo ſanandus dicitur Rex ab illa infirmitate, licèt ante receptam ſanitatem deceſſerit, quia infirmitas eiuſmodi fuit, vt vinci poſſet à natura non difficilè, cui tandem breui ſanitas ſuccederet. Sanatus ergo eſt, quia ſanari potuit, & debuit, quoad morbi vim & naturam ſpectat; mortuus autem, quia vis incubuit externa, quæ illum oppreſſit, oppreſſiſſétque etiam ſi corpore eſſet iuuenili, & vegeto.

10. Verſ. 11. *Stetitque cum eo, & conturbatus eſt, vſque ad ſuffuſionem vultus. fleuitque vir Dei.*] Priora verba eiuſmodi ſunt, vt tam Hazaeli, quàm Heliſæo conuenire poſſint. Plerique Heliſæo attribuunt; Septuaginta Hazaeli in editione Complutẽſi. *Et ſtetit Azael ante faciem eius, & appoſuit corã eo munera donec confuſus eſſet: & fleuit homo Dei.* Aliter habent Græci codices à Sixto correcti. Iuxta hãc Septuaginta lectionem ſententia eſſet non difficilis. Si enim tot illa munera, quæ à Rege acceperat, vt illis Prophetæ muneraret oraculum, ante faciem expandit Heliſæi, non eſt mirandum, ſi ea Regis liberalitate ſuffunderetur Prophetæ facies, pudore videlicet & dolore; eſt enim graue illi dura nunciare, qui tibi bene cupiat, & te quàm poteſt humaniſſimè proſequatur. Eſt durum item homini modeſto, quíque de ſe non ſuperbè cogitat, qui paupertatem amat, & libentiùs ab ſe abdicat bona, quàm alius ambit, & acquirit, diuitias offerri eo pondere & pretio, vt quadraginta onerent camelos, & quæ dici potuerint omnia bona Damaſci. Sed pletique, vt dixi, hæc Heliſæo tribuunt, cui hæc accidit vultus ſuffuſio, dum intentis oculis in Hazaelem, illum intuebatur attentè, quaſi quoddã in illo cerneret naturæ monſtrum, donec tandem conturbato, atque ſuffuſo vultu deiecit oculos, quos vis lachrymarum maxima replebat.

11. Caietanus aut attonitum, aut attoniti ſimilem dicit fuiſſe Prophetam offirmata in aliquem locum, & immota facie, quaſi alienus eſſet à ſeipſo, & altius aliquid ſecũ meditaretur; qui quaſi aliquid in ea ecſtaſi aſpexiſſet horribile, flebili vultu vim lachrymarum maximam profudit. Abul. q. 20. *Suffuſio*, inquit, *vocatur, quædam diſpoſitio ſubitò orta, ſecundùm quam mutatur facies ad plorandum: nam incipientes plorare ex quadam amaritudine, incipiunt habere vultus alteratos, & cùm maneret Heliſæus coram Hazaele, cœpit ſuffundi, ſcilicet non potens tenere fletum.* Hanc diſpoſitionem Latinus ſic explicaret, *conformare, aut fingere vultum ad fletum, aut ploraturire.* Hiſpanus *hazer pucheros.* Talem opinor affectum, & vultum expreſſit Virg. lib. 1. Æneidos in Venere,

*Triſtior, & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes*
*Alloquitur Venus.*

12. Verſ. 12. *Cui Hazael ait: Quare Dominus meus flet?*] Mirum viſum eſt Hazaeli quòd Heliſæus cum illa vultus ſuffuſione ploraret, cùm nihil videret vſqueadeo moleſtum, ac durum, vt ex viro tam conſtantis & fortis oculis lachrymas excuteret: cauſam igitur rogat, quam ille nihil cunctatus reddit.

13. *Quia ſcio, quæ facturus es filiis Iſrael mala.*] Intuebatur eo tempore, quo ſtetit plorabundus, & ſilẽs Heliſæus ea omnia, quæ ſtatim obiecit Hazaeli, fumantes ab hoſtili incendio ciuitates, ſtrata iuuenum cadauera, infantes elíſos, & exciſis matrũ vteris effuſíſq; viſcerib. extractos aut informes, aut malè formatos fœtus. Hęc autem ſpecies planè barbara, multúmque miſerabilis ſuffudit vultum, & ex Prophetæ oculis lachrymas expreſſit. Hæc porrò ab Hazaele fuiſſe patrata habemus infrà c. 10. v. 32. *In diebus illis cœpit Dominus tædere ſuper Iſrael, percuſſitque eos Hazael in vniuerſis finibus Iſrael a Iordane contra orientalem plagam.* & iterũ cap. 13. v. 3. *Iratúſque eſt furor Domini contra Iſrael, & tradidit eos in manus Hazael Regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazael cunctis diebus.* Et v. 7. *Et non ſunt relicti Ioacham (Regi Iſrael) de populo, niſi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos Rex Syriæ, & redegerat quaſi puluerem in triturã areæ.*

*Et prægnantes diuides.*] Reliqua neque obſcura 14.
ſunt, neque incredibilia: at illud difficile creditu eſt, quòd ab Hazaele prægnantes dicãtur eſſe diſciſſæ, & ex illarum vtero infantes extracti, aut in eo exanimati crudeliter. Quare multi hoc loco non tã propriam putant, quàm figuratã orationẽ, neq; illius cogitationis graue aliquod deficit argumentũ. Hoc enim dicendi genere, dira ſignificatur & barbara crudelitas, quia multi dicuntur diuiſi, aut ſecti, à quibus in ſumẽdo ſupplicio ferrum abfuit, & id quod ferrare homines, aut diſſecare poteſt. Oppreſſi ſanè fuere lapidibus duo ſenes, qui, Dan. c. 13. Suſannæ pudori priùs, deinde 15.
honori & vitæ inſidiati ſunt, quia, vt cõſtat Deut. 19. illud ſupplicium accuſator mendax ſuſtinere debuit, quod reo ſceleris conuicto ſubeundũ fuit: adulterio autem, cuius deferebatur rea Suſanna, lapidatio erat à lege cõſtituta, vt liquet Ezech. 16. v. 40. & 23. v. 45. & 47. vbi apertè dicitur adulteriũ eſſe lapidationi ſubiectũ. Cùm igitur lapidati fuerint duo illi, non minus crudeles, quàm libidinoſi ſenes, ferra tamen aut alio inſtrumento ſimili dicuntur eſſe diſſecti; ſic enim Daniel ad eorum alterũ: *Ecce Angelus Dei accepta ſententia ab eo ſcindet te mediũ.* Et rurſus ad alterum, *Manet Angelus Domini habens gladiũ, vt ſecet te mediũ.* Neque alio ſenſu accipit Matt. 24. de ſeruo malo, de quo ſic Chriſtus: *Veniet Dominus ſerui illius, in die, qua nõ ſperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis.* Quòd verò eo loco *diuido* ſignificet propriè, aliquem ſecare, ſeu ferrare medium, probat verbum Græcum διχοτομέω, cuius ea ſola, aut præcipua ſignificatio eſt.

Diuido, ſeco, ſcindo, *prouerbiali ſpecie durũ ſignificant ſupplicium.*

*Adulterij pœna lapidatio.*

At feciſſe Hazaelem, id quod verbũ in propria 16.
ſignificatione ſonat, & reuera diſſecuiſſe prægnãtes, veri eſt ſimilior, & communior ſententia. Primùm, quia ibi nulla apparet neq; cõtradictio, neque nouitas, cùm idipſum alij aliquãdo fecerint, vt Ammon Amos c. 1. v. 13. vbi dicitur diſſecuiſſe prægnantes Galaad; & Manahem 4. Reg. 15. v. 16. *Percuſſit Manahẽ Thapſam, & omnes qui erãt in ea, & interfecit omnes prægnãtes eius, & ſcidit eas.* Quod etiam admiſſum ab Hazaele docet Amos c. 1. v. 3. nam vbi vulgatus tranſtulit de Damaſco, *eo quòd triturauerint in plauſtris ferreis Galaad:* Septuaginta legunt, *pro eo quòd ſecuerunt ferris ferreis prægnãtes Galaad.* Qua de re vide plura in noſtris cõmentariis ſuper Amos ad hunc locũ. Vbi aliquot narrãtur ſupplicia his non diſſimilia, qualia ſunt ducta eſſe ſuper homines victos, & quaſi meſſium ſtratos aceruos ferrata carpenta, & plauſtra ferrantia, in quibus non apparet ſæuitia minor, quàm in diuiſo fœminarum vtero.

17. Vers. 13. *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* ] Sunt qui canem hoc loco sumant pro re vili, vt sæpe in Scriptura, & tũc hanc existimant esse sententiam. Ego homo tenuis & vilis, nihilo cane melior, atque robustior, rem tantam aggrederer, quam perficere non posset, neque tentare auderet is, cui maior esset animus, & regia potestas. Cui respondet Helisæus illi non defuturas vires, quia breui peruenturus esset ad regni Syriæ splendorem, atque potentiã. Ita penè Abulensis q. 22. & fauet huic cogitationi, quod proximè subditur, *vt faciam rem istã magnam?* quasi dicat, non ego tam sum potens, aut tantum mihi assumo, vt sperem rem tantam me posse perficere, cùm sim instar canis vilissimi: hoc opus regias exigit vires. Cum Abulensi sentiunt Caietanus, & Hugo. Nicolaus de Lyra, Emanuel Sa, & Ioannes Mariana, sic superiorem sententiam probant, vt etiam admittant illam, quæ in cane non vilitatem, & abiectionem, sed crudelitatem, & feritatem intelligat.

18. Ego in priorem sentẽtiam sic afficior, vt numquam illam probare potuerim; quia nescio quomodo minus canis nomen cum extrema sententiæ parte conuenire posset. Non horret Hazael, vt opinor, priora, nempe ciuitates incendio dedere, & iuuenes, viros videlicet bellatores, & strenuos gladio cõficere; cùm illud in acie, réque bellica non sit indecorum. Neque id sibi impossibile, neque fortasse admodũ difficile fore credebat, cùm vir esset princeps inter Syros, & cui castrorum cura, & bellorum administratio cõmitti posset, sicut fortasse non semel antè credita fuerat. Illud tamẽ horrebat, quod ad extremum addidit Helisæus cùm dixit, *Paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Ad hæc postrema respondit Hazael, dixítque cũ admiratione, & stomacho, quasi iniuriã sibi feciſſet Helisæus: *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* Quasi diceret, ferinum esse opus, non humanum infantes lacerare, aut allidere ad saxa, euiscerare matres, & ex illarum vtero, fœtus nondum maturos & informes extrahere. Porrò in cane impudentiã execramur, cuius ipse est symbolum, & feritatem etiam videmus, qua morsu membra lacerat, fodit & dissipat intestina, neque putridis saniéque fluentibus corporibus parcit. vtrumque execratur Hazael, dum canem se esse negat. Neque enim tam est impudens, vt illa velit aut cogitet, aut tam ferus & rabidus, vt audeat, & tentet optata, aut cogitata complere. Hæc, meo iudicio, neque à rerum natura aliena sunt, neque à textu.

19. *Ostendit mihi Deus te Regem Syriæ fore.* ] Hæc verba induxerunt multos in priorem explicationem, quæ placuit Abulensi, quæ ostendunt, vt illi probant, Hazaelem neque vilem, neque infirmum esse futurũ ad ardua quæque tentanda: cùm Rex sit futurus Syriæ. Quod nomẽ illi & auctoritatem conciliabit apud omnes, & vires dabit tanto negotio pares. Quæ ratio non videtur ita grauis, vt meam mihi cogitationem extorqueat. Quòd enim posset facilè priora præstare, subiugare videlicet, & accendere ciuitates, faciet regia potestas, quæ Syrias vires sibi obsequentes facit. Quod autem nunc homo priuatus, & modestus execratur & horret, allidere videlicet paruulos, & prægnantes exenterare, illud etiam, vt velit, & audeat, regia potestas faciet, quæ non

20. solùm, statum & ordinem, sed etiam mores & ingenium mutat. Neque enim rarò vidimus eos, qui in priuata fortuna sibi à cæde, & morum di-

*Fortuna mutat mores.*

ritate temperarunt, fuerúntque aliis optimę disciplinæ & sanctitatis exẽplum, succubuisse postea fortunæ põderi, & quasi Circęo poculo exuisse antiquam & humanam, & nouam quandam & ferinam naturam induisse. Exempla sunt obuia apud profanos, apud sacros docuit paulo ante hæc tempora Saul, quem alterum à seipso fecit regia conditio, & qui in priori statu modestus fuerat, mitis, prudens, & quo nemo fuit in Israele melior, postea verò ita se totum ipse retexuit, vt euaserit superbus, immitis, fatuus. Talis denique vt non facilè illo quemquam in Regibus peiorem inuenias. Et hic etiam, de quo nunc agimus, Hazael, cùm hoc ipso tempore bene esset in suum Regem, & Dominum animatus, déque illius salute Prophetam auidè consuleret, cuique omnia, vt credibile est, secunda cuperet, cùm primùm se vocari ad Syriæ regnum audiuit, sic est à seipso regni expectatione mutatus, vt prodita fide, quam seruare debuit sartam & tectam, & officiorum immemor, quibus à Rege cumulatus fuerat, de illius nece cogitarit, réque ipsa quamprimum intulerit, vt mox dicemus.

Hac prædictione existimant multi, impletum 21.
esse mandatum, quod à Domino acceperat Helias in Oreb lib. 3. c. 19. vers. 15. vbi iussus est Propheta Hazaelem vngere Regem Syriæ, & Iehu Regem Israel. vt autem Iehu vnctus est, sub hæc tempora, vt constat ex capite sequenti: sic etiam nunc Hazael. Ita putant Caietanus hîc, & cap. 19. lib. 3. Reg. Histor. Scholastica. Ego tam Hazaelem, quàm Iehu vnctos esse puto in Reges ab Elia, quando descendit ex Oreb, vt pluribus docui in lib. 3. Reg. cap. 19. Vt quid enim ex illo monte venturus esset in Damascum, nisi vt ibi vnctione Hazaelem designaret in Regem. *Reuertere*, ait Deus, *in viam tuam per Damascum, cúmque peueneris illuc, vnges Hazael Regem super Syriam.* Quòd verò postea vnctus fuerit Iehu, & Hazaeli spes obiecta de regno, nihil incommodat: nouimus enim Reges semel, & iterum vngi solitos, vt constat de Saule, & Dauide. Et Hazael non dicitur vnctus ab Helisæo, sed tantùm ab illo accepisse futurum esse Syriæ Regem. Quod verò vnctione designauit Elias, aut non credidit homo Gentilis, qui Eliam non antea viderat, aut fortasse de fama non nouerat, aut certè, quia plurimùm putabat superesse temporis, non admodum de regno laborabat, neque animi modestiam, aut in Regem fidelitatem, & studium abiecerat. Sicut Dauid, qui cùm vnctione sacra à Samuele vocaretur ad regnum, quàm diutissimè tamen antiquam modestiam & spiritum retinuit. Tunc autem Hazael spiritus assumpsit insolentes, & regios, cùm ab Helisæo, cuius admirandam non solùm famam nouerat, sed etiam in gente sua non semel fuerat expertus vim & potentiam, Eliæ designatio confirmata est: tunc enim, vt debitum sibi regnum obtineret, id tentauit, quod proximè cogitare non auderet.

*Elias Iehu, & Hazaelem vnxit.*

Vers. 15. *Cúmque venisset dies altera, tulit* 22.
*stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem eius.* ] Laborabat, vt diximus, Benadad febri videlicet graui, qua, vt fit, vehementer æstuabat. Neque parum conferebat ad leuandum febrilem illum æstum, & refrigerandum corpus, madidum aqua frigida, stragulum super faciem expandere; quod videtur Rex ipse imposuisse sibi, aut certè vt alij sibi imponerent, præcepisse: & hoc videtur ve-

roma

ro magis ſimile. Quam occaſionem perire noluit Hazael,qui iam Syriæ regnum expectatione non dubia deuorarat. Quare quaſi vellet officium illud pietatis impendere eodem linteo,quo faciem refrigerare ſe velle ſimulabat,obſtructis faucibus ſpiritum præcluſit. Ita cum Ioſepho tenent communiter alij. Sic autem Ioſephus de Hazaele, *ſequenti die reti vuido in eum iniecto præfocati à ſe regiam occupat.*

23. *Regnauit Hazael pro eo.*] Non fuit difficile Hazaeli regnum occupare, cùm vir eſſet ſtrenuus,& populo charus,& quia iam à tempore vſque Eliæ increbuerat Syriæ regnum Hazaeli deberi. Maximè, quia, vt occiſi à ſe Regis inuidiam declinaret, (perfidia enim populares animos vehemẽter alienat) ſic cautè incautum Regem fraudulentus oppreſſit, vt non tam attuliſſe mortem, quàm beneficium contuliſſe videretur.Porrò hos duos Reges Benadad, quem Ioſephus appellat Adadũ,& Hazaelẽ,qui in illius locum & nomen ſuffectus eſt,magno apud Syros poſt longa ſæcula in honore fuiſſe docet ipſe Ioſephus lib.11. c. 2. *Vſque in præſens*, inquit, *tempus, tam Adadus, quàm Hazael eius ſucceſſor diuinis apud Syros coluntur honoribus, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnificè templis extructis Damaſcenorum vrbẽ ornatiorem reddiderunt: eorum enim effigies quotidianis pompis honorant.* Sanè aliquot poſt annos nobile hos duos Reges apud Syros habuiſſe nomen, indicat Amos cap.1. vbi regnum Syriæ domum appellat Benadad, & Hazaelis: *Mittam ignem in domum Hazael, & deuorabit domos Benadad.*

24. Verſ.16. *Anno quinto Ioram filij Achab Regis Iſrael, & Ioſaphat Regis Iuda, regnauit Ioram filius Ioſaphat, Rex Iuda.*]Hinc incipiunt implicari quamplurima,in quorum explicatione mirè ſe torquẽt interpretes,quæ nobis neceſſariò expediẽda ſunt. Et primùm obſeruandum duos Reges eiuſdẽ nominis in idem omnino tempus incurriſſe, Ioram nimirum Regem Iſraël, & Ioram Regẽ Iuda,qui regnare cœpit ſimul cum parente Ioſaphat, ab anno illius regni quinto,& anno item quinto alterius Ioram Regis Iſrael, vt habes in textu. Sed occurrit hîc primùm impeditus nodus,quem expediamus neceſſe eſt. Neque enim videtur fieri potuiſſe, vt initium regni Ioram Regis Iuda fuerit anno quinto Regis Ioſaphat, & Regis Ioram, cùm Ioſaphat viginti annis regnare cœperit in Iuda, antequam Ioram in Iſrael. Nam Ioſaphat regnum iniit quarto anno Regis Achab. 3. Regum 22. v.41. Achab autem regnauit annos viginti duos,lib.3.Reg.c.16.v.29.Solutio facilis eſt, iuxta illam regulam, quam ſuprà tradidimus lib. 3.Reg. c.1. v.25. & lib.4.c.3. v.1. vbi diximus regnare ſæpe filios cum parentibus aliquandiu ſimul; & parentibus mortuis aliquandiu ſolos, & numerari interdum annos, quos cum parentibus ſimul,& deinde ſoli,interdum illos tantùm,quos ſoli regnauere. quæ obſeruatio multa diſſoluit, quæ videntur in Scriptura ſacra vehementer implexa.Regnauit Ioram Rex Iuda cum patre ſimul ab anno quinto Ioſaphat, multo antequam alter Ioram regnum iniiſſet Iſrael; cœpit autẽ regnare ſolus anno quinto Ioram,id eſt, viginti annis poſtquam regnum habuerat cum parente commune: pater enim regnauit annos viginti quinque, lib.3. cap.22. v.42.

25. Verſ.17. *Triginta duorum annorum erat, cùm regnare cœpiſſet, & octo annis regnauit in Ieruſalem.*] Triginta duorum annorum erat Ioram, cùm regnare ſimul cum parente cœpit, quo cum ſimul annos viginti poſuit in regno: cùm verò pater obiit,annos habuit quinquaginta duos,quibus ſi addas octo,qui reliqui fuerunt regni,& vitæ, annos illius vitæ ſexaginta complebis. quod maximè obſeruatum oportet, propter illa,quæ dicuntur lib.3. Paralip.c.22.v.2.vbi Ochozias filius Ioram regnum iniiſſe traditur anno ætatis ſuæ 42. vnde videtur Ochozias parente ſuo duobus annis eſſe ſenior, cùm eo tempore quadragenarius obierit, aut obiiſſe videri potuerit Ioram, cùm Ochozias filius annos impleret quadraginta duos. Nam ſi Ioram triginta duorum annorum fuit, cùm primùm regnum ſuſcepit, & octo tantùm regnauit annos, conſequens eſt, vt annos nõ exceſſerit quadraginta, ſed qua ratione, nos explicuimus,cùm deceſſit Iorã annos iam ſexaginta compleuerat. quam explicationẽ probauit Franciſcus Suarez tom.1.in 3.p.S.Tho.diſp.6.ſect.15.

Verſ.18. *Ambulauitque in viis Regum Iſrael, ſicut ambulauerat domus Achab: filia enim Achab erat vxor eius.*] Quia filij magis cum matribus aſſiduè & familiariter viuunt, & matrum indulgentia mollior,fit, vt in diſciplina & morib. filij magis maternos, quàm paternos exprimant mores, vt ſtatim in Ozia videbimus,qui matrem habuit ex gentilico genere, & ideo gentilicos à teneris annis imbibit mores.quod matres faciunt,poſſúntque in filiorum ætatulam,id etiam non minus & poſſunt, & audent in maritos vxores, quæ deliniunt familiaribus illecebris, capiúntque coniugali conſuetudine,& multiplici blandimento naturæ. Hæc nunc ratio traditur, cur optimi Regis filius in alienos mores degenerarit, quia conſortem habuit thalami, & in ſuo fouit ſinu fœminam ab impia religione corruptam,quod perinde fuit,atque ſi colubrum foueret in ſinu. Hæc porrò vxor Ioram,& filia Achab fuit Athalia,de qua poſtea ſuo loco pluribus. 26.

*Et fecit quod malum eſt in cõſpectu Domini.*] Licèt in cõſpectu Domini malũ ſit,quicquid à lege rectáque ratione deficit, illud tamen ἀντονομαστικῶς malũ corã Domino dicitur, vt putat Abul q.30. quod illius prodit religionem,& legem,& debitũ illius nomini honorem,& cultum ad Deorũ muta ſimulacra traducit. Sed fecit alia etiam mala grauiſſima,in quibus non pietatẽ ſolùm, ſed etiã humanitatem exuiſſe videbatur:nam, vt legimus lib.Paralip.2.c.21.ſex fratres occidit,vbi ſe paulùm in regno confirmauit, ſiue vt omnem amittendi regni ſuſpicionem tolleret,ſiue vt alendorũ pro dignitate fratrũ onus abiiceret,ſeu vt relicta à parente bona,& ciuitates adimeret. Nã, vt eodem libro,& capite Paralipomenõ legimus, *reliquit Ioſaphat filio primogenito regnum,aliis verò filiis munera argenti & auri,& penſitationes cum ciuitatibus munitiſſimis in Iuda.* Et ne quid viri principes ea crudelitate, aut morum improbitate offenſi in regno turbarent, illos quoque interficiendos curauit, vt habes ibidem v.4. 27.

Verſ.19. *Noluit autẽ Dominus diſperdere Iudam propter Dauid ſeruũ ſuũ.*]Eò ſe proiecerat Iuda ſub Ioram,& Athalia vxore Gentili, atque impia, vt meruerit à Domino diſperdi: ſed quia Dominus meritorum meminit Dauidis, & fidei datæ de regno in illius familia retinendo, continuit furorem, & ita illius regni vires attriuit, & debilitauit potentiam, vt tamen lucernam relinqueret à nobili ſtirpe, quæ in eo regno perpetuò luceret. Id porrò Deus promiſerat lib.2.Reg.c.7. v.12 & 3.Reg.c.8.v.25.Quomodo autem lucerna ſumatur pro filiis,diximus lib.2.Reg.ad illud ca. 28.

14. *Quærunt extinguere scintillam meam.*

29. Vers. 20. *In diebus illis recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi Regem.* ] Quemadmodum Dauid Idumæos, vicinasque alias regiones subiugarit, reddiderítque vectigales, diximus suprà cap. 3. ad v. 4. cúmque dissecto Israëlis imperio, quædam prouinciæ Regis Israëlis ditioni subessent: Idumæa tamen Regi Iuda vectigalia pendebat, & illius dominatum agnouerat. Eo verò tempore, quo regnabat Ioram, ab illius ditione recessit Idumæa, vel quia Deus tantæ prouinciæ iactura punire voluit Ioram, & populi scelerati crimina, & hoc potiùs: vel quia homines etiam alienos à religione pudebat illi parere. In quo tanta fuit in suos etiam fratres crudelitas, & in aliis rebus morum intemperantia. quare excutere voluerunt iugũ, quod ad illud vsq; tempus ab ætate Dauidis licèt inuiti subierant tamen, & quæ ex pacto tributa debebant, ad vnũ dependerant.

30. Sed illud aliquid quæstionis habet, quòd nunc Rex ab Idumæis constitutus esse traditur, cùm paulo antè c. 3. Rex dicatur esse in Idumæa. Respõdet Abulens. q. 33. illum tunc propriè non esse Regem, neque fortasse ex Idumæo genere, sed præfectum qui partes obiret regias à Dauide primùm, deinde ab aliis Iudæ Regibus præpositum: qui cùm Rex non esset, Rex tamen ab omnibus dicebatur, quia pro Rege illã administrabat prouinciã: cui ea à reliquis deferebatur obseruantia, vt qui illius maiestatem læderet, maiestatis regiæ læsæ reus accusaretur. Quales multis sæpe locis & olim, & nostra ætate illi vocantur, qui ad aliorum arbitratum, & illorum nomine prouinciam aliquam administrant, cui superior potestas, & moderationis formã præscribit, & cùm libuerit, ab illa moderatione, & quasi regno depellit. Quales sunt omnes penè qui Iaponiis præsũt, qui Reguli commodiùs vocari possunt: & qui Proreges à nobis appellantur. Tali ergo præposito aut Rege sublato, ex suo genere Regem constituerunt Idumæi, qui non ad alienam voluntatem, aut ipse viueret, aut rempublicam administraret, sed omnino liberè, & iuxta antiquas Idumæorum leges, aut consuetudines, non quasi alieni iuris, sed omninò sui.

31. Vers. 21. *Venitque Ioram Seira, & omnes currus cum eo.* ] Seira idem est quod Idumæa, vt enim Esau Idumæorum pater appellatus est Edom ab edulio rufo, pro quo vendidit primogenij ius, & ab Edom vocata est Idumæa: sic etiam ab hirsuto corpore vocatus est Seir, quod hirtum sonat, atque pilosum, & à Seir, Seira fuit appellata prouincia eadem Idumæa. Venit igitur Ioram in Idumæam cum omni instructu militari, ferens secum equites & currus, & egressus nocte, cùm illi, qui contrà stabant, ex Idumæis securiùs agerent, quàm ille rerum articulus poscebat, graui plaga percussi sunt, quam neque illi effugere potuerunt, qui curribus & equitatui præerant, vt clariùs expressum est lib. 2. Paralip. c. 21. v. 9. vbi dicuntur omnes equitatus duces esse percussi, hoc verò loco principes curruum. Cùm autem præcipuum castrorum firmamentum esset sublatum, reliqua Idumæorum turba in sua se tabernacula recepit.

*Seira idem quod Idumæa.*

32. *Tunc recessit & Lobna in tempore illo.* ] Lobna ciuitas erat regia, antequam regio Chanaanitis occuparetur ab Hebræis, vt constat Iosue cap. 12. v. 15. vbi Rex Lobnæ percussus dicitur à Iosue; quæ Iosue c. 21. v. 13. assignata dicitur Leuitis cum suburbanis suis. Non solùm igitur alieni Iorami detrectauerunt imperium, sed etiam domestici, quique pro Dauidicæ familiæ gloria, & regno antè certauerant. Neque ratio defuit, cur etiam contribules à Iudæi Regis imperio defecerint, cùm morum improbitas alienum à cognatione fecerit, & prope Gentilem. Neque rarò fieri solet, vt in eos acriùs inuehamur, oderimúsque magis, qui cùm nobis genere sint coniuncti, illorum nos improbitatis, & pudet & pudet. Rationes verò huius defectionis habemus lib. 2. Paralip. c. 21. v. 10. *Lobna recessit, ne esset sub manu illius; dereliquerat enim Dominum patrum suorum, insuper excelsa fabricatus est in domibus Iuda, & fornicari fecit habitatores Ierusalem, & prænaricari Iudam.* Hæc eadem scelera repetuntur statim v. 13. in eis literis quæ datæ dicuntur ab Helia, de quibus mox.

Hic rogabit aliquis, quomodo si victi fuerunt 33. Idumæi, Ioram non est victoriam persecutus, neque ampliùs regionem illam ad iugum, quod excusserat, retrahere conatus est: nam, vt habes proximè v. 22. ad tempus vsque scriptoris sacri suum sibi ius & libertatem conseruauit. *Recessit,* inquit, *Edom, ne esset sub Iuda vsque ad diem hanc.* De Lobna alia ratio est, licèt enim quando detrectatum iugum, iterum subierit non cõstet, subiisse verisimile est aliquot saltem annis post hanc discessionem, quod probat Abulensis q. 37. quia aliàs infrà c. 23. Iosias non accepisset vxorẽ Amital filiam Ieremiæ de Lobna. Hæc autem ibi traditur mater fuisse Ioachaz. Deinde quia de Idumæa dicitur vsque ad diem hanc, id est, vsque ad scriptoris ætatem recessisse: quod dicendum esset item de Lobna, nisi iam rursus ad fidem officiúmque rediisset, eo fortasse tempore, quo regnabat in Iuda Rex aliquis iustus, qui custos esset religionis, vindex legum, pater denique patriæ, cuius se fidei securè committeret. Nunc itaque videndum cur cùm belli initio secundum viderentur habuisse successum, & fausta portenderent in posterũ, Ioram tamen neque contra Idumæos, & Lobnenses quicquã deinceps molitus est; sed in suo consilio, siue perfidia obstinatò hærere permisit. Huius ego rationẽ hanc esse puto, quia 34. conscientia mala semper est timida, quæ vires debilitat, & in ipso etiam portu timet naufragium; neque vllum est tẽpus, in quo non occurset oculis debitum suis sceleribus, & quoddam quasi fatale periculum. Quid enim sperare posset boni, qui tot fratres nulla lacessitus iniuria de medio sustulisset? De hac scelerum conscientia est illud Sap. 17. v. 10. *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimoniũ condemnationis. Sẽper enim præsumit æua, perturbata conscientia.* Vide, quid hac de re Plutarchus, libro de sera Numinis vindicta. Auxit, opinor, valde hanc perturbationem & metum epistola Eliæ, quæ sub hoc tempus videtur allata, quæ scelerum conscientiam exagitauit acerbè, & grauia prædixit tum populi, tum familiæ, honoris ac valetudinis incommoda. Quem enim non commouerent, & frangerent epistolæ ab illo datæ, quæ aliquot antè annis è viuis abierat? & illæ minæ, quibus nihil videbatur obiici posse horribilius: de his epistolis sic habemus lib. 2. Paral. c. 21. v. 12. *Allatæ sunt autem ei literæ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in viis Asa Regis Iuda, sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicari fecisti Iudã, & habitatores Ierusalẽ, imitatus fornicationem domus Achab: insuper & fratres tuos domum patris tui meliores te occidisti: ecce Do*

*ce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis & vxoribus tuis, vniuersáque substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Quando verò scriptæ fuerunt hæ literæ,& vnde, aut per quos allatæ, diximus suprà cap.2. dub.3. de Elia.

35. Alia præterea causa fuit, quæ Regem Ioram ab vlteriori in Idumæos insectatione deterruit: quia iuxta minaces Eliæ literas coniurarunt finitimi populi contra Ioram, magnísque tam illius domum, quàm regnum ipsum Iuda attriuerunt incommodis,vt enim statim post propheticas minas lib. Paralip.2. c.21. v.16. legimus: *Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum, & Arabum, qui confines sunt Æthiopibus, & ascenderunt in terram Iuda, & vastauerunt eam, diripuerúntque cunctam substantiam, quæ inuenta est in domo Regis,insuper & filios eius & vxores.Nec remansit ei filius nisi Ioachaz, qui minimus natu erat, & super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili,&c.* His ergo tentatus incommodis, & eodem tempore à tot nationibus appetitus, non tantum à priuatis malis nactus est otij, vt externis se bellis implicaret. Quare cùm vndique à finitimis populis, & aduersa valetudine imminerent mala, priorem abiecit cogitationem, & impunitá reliquit Idumæorũ audaciam.

36. Vers.23. *Nónne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regis Iuda?* ] Quænam sint verba dierum, explicuimus in prolegomeno 3.n.3.eorum, quæ hîc omissa sũt,aliqua habemus li.2. Paralip.c.21.

37. Vers.24. *Et dormiuit Ioram cum patribus suis, sepultúsque est cum eis in ciuitate Dauid.* ] Nihil hîc dicitur de mortis genere ac funere Ioram. id tamen habemus ex lib. 2. Paralip. ca.21. De morte quidem, v. 18. *Percussit eum Dominus alui languore insanabili, cúmque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circuitus, & hac longa consumptus tabe, ita vt egereret viscera sua,languore pariter, & vita caruit.* De funere statim, *mortuúsque infirmitate pessima,& non fecit ei populus secundùm morẽ combustionis exequias, sicut fecerat maioribus eius.*Erat vt apparet odiosus populo, ídque magno suo merito Ioram, atque ideo alia omnia funeris officia impendi Regibus solita omisit, neque aliud præstitit quo regium cadauer honestaret præter sepulturæ locum. Neque in Regum sepulchro tumulatus est, quasi illo indignus honore, sed in separato alio, ignobilíque sepulchro in ciuitate Dauid: sic enim habemus lib.2.Paralip. c.21. *Sepelierunt eum in ciuitate Dauid,veruntamen non in sepulcro Regum.* Neque combustiones adhibuit, quod fortasse præcipuum erat in feralibus sacris. Quid porrò sit in funere combustio, diximus in nostris commentariis super Ieremiam ad illud ca. 34.de Sedecia, *Secundùm combustiones patrum suorum Regum priorum,qui fuerunt ante te,sic comburent te.*Vbi diximus apud Hebræos cadauera non solere comburi, neque huic rei quicquam incommodare,quòd Saulis & Ionathæ corpora combusta dicantur lib.1. Reg. cap. vltimo, vide quæ diximus suprà ad hunc locum ex lib.1.Regum cap.31.

*Quo sensu Hebræorũm cadauera tremari dicantur.*

38. Comburebantur igitur non cadauera, sed in cadauerum exequiis aromata varia, quod vsitatum esse in multis nationibus, ex profana eruditione constat,quod ideo faciebant, ne quid molestum exhalaret corpus exanime. quam ob causam vnguentis quoque pretiosis vngebant. De vtroque exempla apud profanos obuia. Virgilius lib.6. Æneidos de Miseno.

*--- Congesta cremantur*
*Thurea dona,dapes fuso crateres olino.*

*Res odoriferæ in funeribus adhiberi solita.*

Apuleius li.4. Florid.*Iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa; iam os ipsius vnguine odore delibutum.* Statius 3. Sylu.

*--- Quis carmine longo*
*Exequias,& dona malæ feralia pompæ*
*Perlegat?omne illi stipatum examine longo*
*Ver Arabum,Cilicúmque fluit,floréque Sabæi*
*Indorúmque arsura leges, præreptáque templis*
*Thura.*

Iuxta hunc morem Persius Satyr.6.

*---Sed cœnam funeris hæres*
*Negliget iratus,quod rem curtaueris,vrnæ*
*Ossa inodora dabit.*

De sacris est illud testimoniũ illustre de Christo Ioan.c.19.v.39. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm,ferens mixturam myrrhæ, & aloës,quasi libras cẽtum.* Quod esse Iudæis in suorum funere legitimum, docet id, quod sequitur, *Sicut mos est Iudæis sepelire.* Idem quoque præstitũ est in funere Asa Regis Israël lib.2. Paral.c.16.v. 14. *Et sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid:posuerúntque eum super lectum suum plenum aromatibus,& vnguentis meretriciis,quæ erant arte pigmentariorum confecta:& combusserunt super eum ambitione nimia.* Hoc nõ videtur obscurum aut dubium,sed illud nostram cogitationem nonnihil conturbat,quòd non dicuntur aromata in funere combusta, sed combustus ille,de cuius agitur funere, vt de Sedecia indicat Ieremias ca. 34.v.5. *Secundùm combustiones patrum suorum Regũ priorum qui fuerunt ante te.* Sed est quid ad hæc responderi possit non incommodè:primùm,quia vbi vulgatus *comburent te,* Hebraicè est,*comburent tibi,*id est, in honorẽ tuum. Deinde,quia nõ rarò alicui tribuuntur illa,quæ in id quod eius causa, aut in eius honorem fit, magis,aut etiam omnino conueniunt. Quomodo dicitur *aliquem bibere,* qui in illius honorẽ & gratiam,tot cyathos hausrit, quot literis constat illius nomen.exẽpla sunt obuia.Accipe ex omnibus vnũ ex Martial. lib.1. epigr.39.

*Ludæi in funere aromata adhibent.*

*Naenia sex cyathis, septem Faustina bibatur,*
*Quinque Lycas,Lyde quattuor,Ida tribus.*

Idem esse credo de ferali cœna,quæ in mortuorũ inferiis porrigebatur iis, qui officij atq; honoris gratia funus obibant. Sanè ita olim loquebantur Hispani, qui comedi mortuum tunc dicebant, cùm feralibus de more epulis accumberent. Sic ergo comburi dici possunt mortuorum cadauera, cum in illorum exequiis aromata cremantur.

*Regnauit Ochozias filius eius pro eo.*] Hic Ochozias absque dubio binomius fuit, vocatus est enim Ioachaz lib.2.Paralip.c.21.v.17.& c.22.v.1. idẽ vocatur Ochozias. De Ioachaz illic dicitur, *Nec remansit ei* (Ioram) *filius nisi Ioachas,qui minimus natu erat.*Hîc,*Constituerũt autem habitatores Ierusalem Ochoziam filium eius (Ioram) minimum Regem pro eo. Omnes enim maiores natu,qui ante eũ fuerant, interfecerunt latrones Arabum.* En quomodo Ioachaz natu dicitur minimus inter filios Ioram, & superstes ex omnibus, quos latrones occiderunt;& idem omnino dicitur de Ochozia.

Vers.25.*Anno duodecimo Ioram filij Achab Regis Israel regnauit Ochozias.*] Hîc oportet reuocemus, quæ paulo antè diximus, ad v.16. regnasse filios aliquando cum parentibus simul, aliquando verò solos: & interdum numerari tantùm annos, quibus aliquis solus regnum obtinuit,

REGVLA. *Illis aliqua tribuuntur, quæ magis, & omnino conueniunt in illud, quod in eorum causa fit.*

& hoc frequentiùs (quia hoc modo clariùs temporum ratio constat, & rerum gestarum series intelligitur) aliquando omnes, quos cum parentibus simul in administrando regno posuerunt: sicut accidit Ioram Regi Iuda, de quo nuper. Idem nunc accidit Ochoziæ, qui regnauit solus vnum annum, cum patre viginti, à primo videlicet anno, quo regnare cœpit, nempe anno quinto aui sui Iosaphat, tum autem annos natus erat viginti duos; at cum regnare solus cœpit, annum agebat quadragesimum secundum, & tunc regnum iniit anno duodecimo Ioram Regis Israël, quo anno pater ipsius regno ac vita defunctus est. Nam si anno quinto Ioram Regis Israel regnare solus incepit alter Ioram, necesse est, vt si octauo postquam obtinuit regnum anno decessit, anno decesserit duodecimo Regis Israel, tot enim sunt anni Ioram Regis Israël, à quinto anno inclusiuè, in cuius initio mortuus est Iosaphat, & illi successit in regno iam solus Ioram Rex Iuda. Quòd autem in principio anni quinti Regis Israël cœperit Regis Iuda Ioră solitarium imperium, ex eo constat, quia qui nunc dicitur annus duodecimus, in quo tempore regnare cœpit Ochozias, capite sequenti v.29. vndecimus vocatur. *Anno vndecimo Ioram filij Achab regnauit Ochozias super Iudam:* quæ loca conciliari non possunt, nisi dicamus aliquem ex his annis inchoatum esse, ita vt iuxta scripturæ moram, adhiberi possit vel omitti. Ex quo efficitur annum, in quo decessit Ioram Rex Iuda, & regnum eius loco iniit Ochozias, vndecimum vocari, atque etiam duodecimum potuisse. Meminisse oportet Ioram Ochoziæ patrem obiisse sexagennarium, vt diximus suprà v.17. vnde soluitur nodus ille, in quo extricando multi laborarunt, quòd nimirum videretur filius parente senior. Nam Ochozias eodem anno, quo solus regnare est orsus, extinctus fuit, id est, annos natus quadraginta duos, nam vno tantùm regnauit anno, quare decimo octauo parentis anno natus est Ochozias.

43. Vers.26. *Nomen matris eius Athalia filia Amri Regis Israël.* ] Sicut progenitores, quantumcunque distent à posteris, patres appellantur, vt Abraham & Israel, illorum, qui ex eorum genere ad hæc vsque secula propagati sunt; sic etiam posteri, licèt ab illis multa successione distantes filij vocantur. Athalia filia fuit Achab, vt constat suprà v.18. dicitur tamen Amri filia, quia illius erat neptis. Amri enim pater erat Achab. Quemadmodum hoc ipso tempore Iehu, qui cap. sequenti v.2. filius esse dicitur Iosaphat filij Namsi, 2. Paralip.c.22.v.7. vocatur filius Namsi. Hebræi, vt in eius traditionibus refert Hieronymus, putant Athaliam sororem fuisse Achab, & filiam Amri, dici tamen filiam Achab non natura, sed imitatione, quia illius mores ad vnum expressit. Sed errant hîc Hebræi, vt alibi sæpe, neque deserendus sensus prior, qui & ipse facilior est, neque à literæ proprietate distortus.

Vers.27. *Gener enim domus Achab fuit.* ] Vixit Ochozias more prorsus gentilico, sicut etiam Pater Ioram, vterque enim secutus est non tam parentem Iosaphat, quàm Achab, cuius filiam duxerat Ioram, quæ fermentum Israeliticæ massæ pestilens fuit. Addidit præterea, vt ex domo Achab vxorem duceret, aut sororem matris, aut amitæ, vel auunculi, filiam fortasse Ioram Regis Israël, quæ non videtur fuisse Athalia genitrice melior, cùm educata esset in domo, atque adeò in sinu Iezabelis, cuius imbibit mores, & à teneris annis Gentilicas hausit disciplinas. 44.

Vers.28. *Abiit quoque cum Ioram filio Achab ad præliandum contra Hazael.* ] Voluit Achab, vt vidimus suprà lib.3.c.22. vindicare sibi à Syrorum imperio Ramoth Galaad, in eo tamen bello, congressu primo infeliciter periit. Studio quoque regni amplificandi filius ipsius Ioră persequi statuit, quod pater antè inauspicatò tentauerat. Et sicut Achab Iosaphat Regem Iuda affinitate sibi coniunctum ad eam expeditionem socium adhibuit, sic etiam Ioram affinitate, generéque coniunctum ad belli societatem asciuit Ochoziam. Cessit tamen malè conatus ille, nam percussus grauiter à Syris Ioram cessit ex acie, & vt à vulnere commodiùs curaretur, secessit in Iezrael. Neque tamen alij duces excesserunt è castris, aut alij vulneratum Ioram, & fugientem ex acie persecuti sunt, vt ex cap. sequenti facilè constabit. Ochozias reliquit castra, & ne videretur officium deserere, quod cognato Regi & vulnerato debebat, descendit in Iezrael, quò ille saucius corpore, & æger animo diuerterat.

---

# IN CAP. IX. LIB. IIII. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*VNGITVR Iehu Rex Israël, cùm esset in castris ad Ramoth Galaad, ad quam oppugnandam descenderat Ioram Rex Israel: cui id negotium datur à Propheta vt domum Achab funditus exscindat. Rem principiò dissimulat Iehu, tandem amicis, qui iidem viri principes erant in exercitu, rem totam manifestat. Orat tamen ne ea de re quicquam in vulgus prodeat, donec rerum maturitas aduenerit, quo melius possit imperata præstare. Eo autem tẽpore Ioram vulneratus à Syris curandi vulneris gratia in Iezrael discesserat; quo cum simul erat cognatus Ochozias, qui ad eũ officij gratia venerat. Tunc autẽ Iehu corripuit secũ totum pondus exercitus, & quàm maximè potuit festinatò contendit in Iezrael. Vidit hoc speculator, & annũciat Regi, quo semel, atque iterũ missis exploratoribus, ipse cũ Ochozia tãdẽ obuiã progreditur. Qui statim vulneratus occubuit in agro Iezrael: in quo priùs*

*Naboth*

*Naboth lapidibus oppressus obierat. Cùm autẽ fugæ se daret Ochozias, deprehensus tamen non longè ab eo loco eundem sortitus est exitum, quem paulo antè Ioram. Progressus inde Iehu peruenit Iezraël, quem ex fenestra Iezabel composita ac fucata ad venustatem forma, cum offensione alloquitur, & perfidiæ exprobrat turpe scelus. Quam Iehu præcipitem dari iubet è fenestra, quam lacerarunt canes, reliquerúntque vsque adeò exiguas regij cadaueris reliquias, vt qui in illud horribile spectaculum intuebantur, tantam fieri posse mutationem mirarentur.*

## CAPVT NONVM.

1. ELiseus autem prophetes vocauit vnum de filiis prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad.

2. Cúmque veneris illuc, videbis Iehu filium Iosaphat filij Namsi: & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum.

3. Tenénsque lenticulam olei, fundes super caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem super Israël: Aperiésque ostium, & fugies, & non ibi subsistes.

4. Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad.

5. Et ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant, & ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixítque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, ô princeps.

6. Et surrexit & ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput eius, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Vnxi te regem super populum Domini Israël:

7. Et percuties domum Achab Domini tui, & vlciscar sanguinem seruorum meorum prophetarum, & sanguinem omnium seruorum Domini, de manu Iezabel.

8. Perdámque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum & nouissimum in Israël.

9. Et dabo domum Achab, sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Ahia.

10. Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuítque ostium, & fugit.

11. Iehu autem egressus est ad seruos domini sui: qui dixerunt ei: Recténe sunt omnia? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, & quid locutus sit.

12. At illi respondérunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locutus est mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: Vnxi te regem super Israël.

13. Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu.

14. Coniurauit ergo Iehu filius Iosaphat filij Namsi contra Ioram: porrò Ioram obsederat Ramoth Galaad, ipse & omnis Israël, contra Hazaël regem Syriæ:

15. Et reuersus fuerat vt curaretur in Iezrahel propter vulnera, quia percusserant eum Syri, præliantem contra Hazaël regem Syriæ. Dixítque Iehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de ciuitate, ne vadat, & nunciet in Iezrahel.

16. Et ascendit, & profectus est in Iezrahel: Ioram enim ægrotabat ibi, & Ochozias rex Iuda descenderat ad visitandum Ioram.

17. Igitur speculator qui stabat super turrim Iezrahel, vidit globum Iehu venientis, & ait: Video ego globum. Dixítque Ioram: Tolle currum, & mitte in occursum eorum, & dicat vadens: Recténe sunt omnia?

18. Abiit ergo qui ascenderat currum, in occursum eius, & ait: Hæc dicit rex: Pacatáne sunt omnia? Dixítque Iehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me. Nunciauit quoque speculator, dicens: Venit nuncius ad eos, & non reuertitur.

19. Misit etiam currum equorum secundum: venítque ad eos, & ait: Hæc dicit rex: Nunquid pax est? Et ait Iehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me.

20. Nunciauit autem speculator, dicens: Venit vsque ad eos, & non reuertitur: est autem incessus quasi incessus Iehu filij Namsi: præceps enim graditur.

21. Et ait Ioram: Iunge currum. Iunxerúntque currum eius, & egressus est Ioram rex Israël, & Ochozias rex Iuda, singuli in curribus suis, egressíque sunt in occursum Iehu, & inuenerunt eum in agro Naboth Iezrahelitæ.

22. Cúmque vidisset Ioram Iehu, dixit: Pax est Iehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationis Iezabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent.

23. Conuertit autem Ioram manum suam, & fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ Ochozia.

24. Porrò Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas: & egressa est sagitta per cor eius, statímque corruit in curru suo.

25. Dixítque Iehu ad Badacer ducem: Tolle, proiice eum in agro Naboth Iezrahelitæ: memini enim quando ego & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem huius, quòd Dominus onus hoc leuauerit super eum, dicens:

26. Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi herí, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle,& proiice eum in agrum,iuxta verbum Domini.

27. Ochozias autem rex Iuda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutúsque est eum Iehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo, & percusserunt eum in ascensu Gauer, qui est iuxta Ieblaam; qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi.

28. Et imposuerunt eum serui eius super currum suum,& tulerunt in Ierusalem: sepelierúntque eum in sepulchro cum patribus suis in Ciuitate Dauid.

29. Anno vndecimo Ioram filij Achab, regnauit Ochozias super Iudam;

30. Venítque Iehu in Iezrahel. Porrò Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio,& ornauit caput suum,& respexit per fenestram

31. Ingredientem Iehu per portam, & ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?

32. Leuauítque Iehu faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista? & inclinauerunt se ad eum duo vel tres eunuchi.

33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum, & præcipitauerunt eam, aspersúsque est sanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam.

34. Cúmque introgressus esset, vt comederet, biberétque, ait: Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam, quia filia regis est.

35. Cúmque issent vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariam,& pedes, & summas manus.

36. Reuersíque nunciauerunt ei. Et ait Iehu: Sermo Domini est, quem locutus est per seruum suum Eliam Thesbitem, dicens: In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel,

37. Et erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel, ita vt prætereuntes dicant: Hæccine est illa Iezabel?

---

# IN CAP. IX. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

Vers. 1. *Elisæus autem prophetes vocauit vnum de filiis Prophetarum.* ]

1. REMANSERANT, vt dixi, abeunte Ioram, viri aliqui principes, quorum prudentiæ & fidei credita fuerat belli moles, vt obsidionem vrgerent, & inchoata perficerent. Obtinuerant iam, vt apparet, ciuitatem, & intra illius mœnia castra locauerant: & oppugnabant arcem, ac munitiora loca, quæ adhuc erant in hostium potestate. Eorum princeps erat Iehu, quem iuxta Domini præceptum Elias iam antea Regem vnxerat. Sed quia tunc designationem illam non curabat Iehu, aut quia illi defuisse pondus arbitrabatur, aut quia tempus suscipiendi regni non audierat ab Elia, ideo de occupando debito sibi regno cogitationem non susceperat, aut susceptam abiecerat. Quare iuxta præceptum, vt opinor, Eliæ, cùm adesse iam maturitatem Helisæus agnosceret, illum per vnum ex discipulis rursus inunxit, indixítque, quid ab illo Deus præstitum vellet; & cur illi præcipuè Israëlitici imperij habenas tradere voluerit.

*Iehu bis vnctus.*

2. *Tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad.* ] Quid sit *lenticula*, diximus pluribus lib. 1. Reg. cap. 10. in principio, vbi etiam egimus de oleo, quod Reges initiat, atque constituit. Mittitur autem Prophetæ discipulus in Ramoth Galaad, quia ibi tunc erat in castris princeps exercitus Iehu.

Vers. 2. *Ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum.* ] Ex his fit probabile, quod suprà coniectabamus, aut certè bonam illam partem esse in Israëlitarum potestate, & superesse tantùm expugnandam arcem, & si qua essent in ciuitate firmiora loca. Nam ingressurus dicitur Propheta, nempe in locum, vbi erat Iehu, & in cubiculum interius, quod sanè in castris esse non solet. Tunc autem erat Iehu simul cum aliis regni exercitúsque proceribus, qui de re bellica, & publica deliberaturi consederant. Quem euocat de medio consessu Propheta; quia opus illud in eo articulo secretum esse oportuit, ne videlicet, qui causæ fauebant Regis Ioram, cùm viderent nouum designari Regem, rem totam turbarent, eóque deducerent, vt Israëlitæ in varia studia, factionésque dissecti in cognata viscera ferrum conuerterent, maiorémque à seipsis, quàm ab hoste Syro, plagam acciperent. Et quia in ea denunciatione hostile aliquid ab irato, & tumultuante populo timere sibi poterat Propheta, iubet Helisæus vt postquam vnxisset Iehu, & Dei nomine edixisset, quid illi mandatum esset negotij, & quô spectaret

ret illa inopinata designatio, statim sese ex illa ciuitate corriperet, antequam quisquam, quid esset factum, suspicari posset.

4. Vers. 7. *Percuties domum Achab domini tui, & vlciscar sanguinem seruorum meorum prophetarum, &c. de manu Iezabel.* ] Quomodo Achab instigante Iezabele in Prophetas Domini, & diuinæ legis amatores debacchatus fuerit, dictum est lib. 3. cap. 18. Memor autem Dominus sanguinis Prophetarum sua causa profusi, noluit tantam audaciam impunitam abire. Atque ideo ab impia familia pœnas exigit ita graues, vt nihil ex illa reliquum futurum sit, neque illa quidem, quæ aut nimium vilia, aut nimium tuta fore putabantur, quibus ferrum plerumque ignoscit: illa quidem, vt in ipsa distringatur gladius, censentur indigna: hæc, quia eiusmodi sunt, vt vim omnem repellant hostilem, & omnes hostium machinas, & impetus illudant.

5. Vers. 8. *Interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israël.* ] Hæc à nobis explicata sunt lib. 3. cap. 14. v. 10. & lib. 1. c. 15. v. 22. neque aliquid succurrit, quod addamus.

6. Vers. 11. *Iehu autem egressus est ad seruos Domini sui, qui dixerunt ei: Recténe sunt omnia?* ] Eodem tempore egressus est Propheta per aliam portam, vt militarem furorem effugeret, qui leuissimis de causis concitari assolet, & Iehu ad principes illos, quibuscum de summa rerum deliberatus consederat. Qui cùm hominem vidissent ex illorum ordine, qui non vulgaria aut loquuntur, aut faciunt, suspicati sunt aliquid illum cum Iehu moliri nouum: atque ideo cùm ad intermissum negotium rediisset Iehu, hac illum familiari interrogatione excipiunt: *Recténe sunt omnia?* ac si diceret, ecquid noui est? accidit ne aliquid, quod bellicis aut communibus rationibus incommodet? Quomodo autem his verbis amici se familiariter excipiant, diximus suprà c. 5. v. 21. ad eadem verba.

7. *Quid venit insanus iste ad te?* ] Licèt Prophetæ propter viuendi formam à populari remotam, à multis, quibus illorum sermo paulo liberior molestus erat, & cultus asperior, delicatum & molle vitæ genus accusabat, insani viderentur, & horridi, indigni tandem quos viri principes, & lauti ad conuictum, & congressum admitterent, tamen hoc tempore, quando in Israële viguit magis idololatria, & passim Prophetæ ad cædem quærebantur à Iezabele, & ab Achab, & à Regibus etiam Iuda, ex quo cum domo Iezabelis affinitatem contraxerunt, & genus habuere commune, multo magis putabantur insani, quasi à suo, vel à diabolico agerentur spiritu, non diuino. Neque fortasse aliud significabat, illud puerile conuitium, quo Helisæus caluus dicebatur suprà c. 2. quia vox illa, vt diximus, delirum hominem significat. Fuit sanè illa hominum opinio, vt qui futura prædiceret, aut diuina nunciaret, Pythonico, atque fanatico spiritu putaretur instinctus. Eo nomine laborabat Ieremias, in cuius odium à Semeia inflammabatur sacerdos magnus Ierem. c. 29. v. 19. *Dominus dedit te sacerdotem, vt sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium, & prophetantem, vt mittas eum in neruum.* De Prophetis sic Cicero lib. 2. de diuinatione. *Quid habet auctoritatis furor iste, quem diuinum vocatis, vt quæ sapiens non videt, ea videat insanus, & is qui humanos sensus amiserit, diuinos assecutus sit. Et vaticinari idem esse, quod insanire,* idem dixit in orat. pro Sextio de Pisone. *Eos qui dignitati dicerent esse seruiendum, vaticinari atque insanire dicebat.* Plato in Phædro insanos appellat Prophetas, & accommodatè ad hunc sensum multa de Sibyllis, à vatibus fabulantur poëtæ. *Quidam*, ait Plato, *diuino beneficio sunt insani, vt Prophetæ & Sibyllæ.* Hæc, credo, principes isti à Sidoniis, quorum magnam tunc habebat multitudinem Sidonia Iezabel, sæpius audierant, & ideo Prophetam ab Helisæo missum insanum vocant.

Prophetæ existimati insani.

8. Vers. 12. *Hæc & hæc locutus est mihi.* ] Commodè accidit designato, vt ibi simul essent, & bene, vt apparet, in illum animati Principes illi, pene quos tunc erat summa rerum: quibus Iehu singula, quæ in secessu audierat à Propheta, distinctè narrauit. Deus autem sic aliorum animos ad sua consilia attemperatè disposuit, vt repugnaret nemo. Sed omnes in introductum Sidoniorum genus à Iezabele, duriùs inuecti, de illo extinguendo aut expellendo de Israëliticis finibus cogitarent. Quare Regem illum salutant, & illorum voces publica in castris consecuta est acclamatio, quæ de more Regi nouo secunda omnia festiuo clamore precabatur. Illud enim indicat, quod statim adiicitur, cecinerunt tubâ, atque dixerunt, *Regnauit Iehu.* In Regum inauguratione clangorem esse tubarum, iam antè diximus, & probat Absolonis inauguratio, & vnctio lib. 2. c. 15. & Salomonis lib. 3. c. 1. v. 39. vbi clamatũ est à populo plaudente, *Viuat rex*, aut, quod idem est, *Regnet rex*: sicut in vnctione Adoniæ, cecinit populus, *Viuat rex Adonias.* Cúmque tunc tribunal haberent nullum, aut solium, quod regium videri posset, aut regio simile, detractis palliis opere tumultuario, prout rerum ipsarum articulus ferebat, excitarunt tribunal, in quo sedere fecerunt nouum Regem, vt ritu legitimo Regnũ iniret. Fuit honor ille magnus, subiecisse alterius pedibus, id quod alicui sit honori atque ornamento maximo. Quod fecerunt multis annis postea Solymitani ciues, qui Christo cùm insidens asino Hierosolymam intrauit, vestimenta calcanda substrauerunt, Matth. 21. v. 8. quod etiam fecerunt milites, vt Catonem Vticensem honore prosequerentur, quàm eo tempore potuerunt maximo: vt enim in illius vita auctor est Plutarchus, strauerunt vestes in illis locis, per quæ ille ex prouincia decedens transiturus erat.

9. *Vestimenta alicui substernere magnus honor.*

10. Vers. 14. *Porrò Ioram obsederat Ramoth Galaad.* ] Hæc ad versum 17. explicata sunt cap. 8. à versu 18. id autem quod statim dicitur v. 16. *Nemo egrediatur profugus de ciuitate, ne vadat, & nunciet in Iezraël*, satis docet apertè castra in ipsa ciuitate fuisse locata, & oppugnari tunc non vrbem ipsam, sed ciuitatis aliquod nobile præsidium.

11. Vers. 17. *Speculator, qui stabat super turrim Iezraël, vidit globum Iehu venientis.* ] Cùm in nobilioribus aliis ciuitatibus excubarent vigiles super muros, & in sublimi loco speculatores omnia latè despicerent, id tamen præcipuè factum oportuit, cùm non longè abesset hostis, aut alicunde se periculum ostenderet; vt nunc in Iezraële, quia ibi Rex iacebat saucius, & armatus hostis proximè constiterat. Ex turri igitur speculatoria spectauit, qui in ea attentas agebat excubias, agmen hominum, qui ex Ramoth Galaad Iezraëlem versùs incitato cursu properabãt; quod nimirum agebat Iehu, vt datum sibi à

Propheta

Propheta perageret negotium. Est autem globus confusa, atque collecta hominum multitudo, qualis esse militum solet, quando cursu velociori progreditur, vulgo militum dicitur, *tropa*. Sanè eo nomine Virgilius explicat militum progressum, cùm viam carpit confusis ordinibus. Sic lib. 9. Æneid.

*Quis globus, ô cives, caligine voluitur atra,*
*Hostis adest.*

12. *Tolle currum, & mitte in occursum eorum, & dicat vadens: Recténe sunt omnia?* ] Perculsit nuncius ille, turbauitque Regem, suspicari etenim potuit ex eo inopinato globo, ne qua seditio orta esset in castris, aut hostis, à quo nuper vulneratus fuerat, audacior ingrueret. Quare iubet vt aliquis occurrat obuiam, & certum aliquid referat de rerum statu, edicítque vt eo modo aduenientes salutet, quo excipi solent amici, qui hoc se modo plerumque salutant, *Recténe sunt omnia?* Quod explicuit nuncius ipse statim, dum militum globum obuius excepit. Cùm enim, vt est verisimile, Domini sui mandatum expleuisset, dixit, mutatis verbis, eadem tamen sententia, *Pacata sunt omnia?* quod idem valet atque, vobísne omnia pacata sunt, & prospera; seu magis, quod Iosue dixit Angelo, de cuius studio dubitabat cap. 5. vers. 13. *Noster es, an aduersariorum?* Fecit idem, credo, quod apud Virgil. Pallas lib. 8. qui occurrens Æneæ, de cuius animo nihil dum nouerat, ait,

——— *Quo tenditis, inquit,*
*Qui genus? vnde domo? pacem ne huc fertis an arma?*

13. *Dixítque Iehu: Quid tibi & paci? veni & sequere me.* ] Minus benuolo, atque hilari vultu excepit regium illud mandatum Iehu; atque ideo respondit, non illud esse Regis ingenium, aut institutum, vt illi ac aliis, qui eius adhæsere partibus, quicquam possit esse pacificum. Quare monet sibi vt adhæreat, neque se illis implicet infortuniis, quæ iamiam impendent ab offenso Deo capiti regio. Noluit autem Iehu à se abire nuncium, ne Rex de re tota certior, aut fugam caperet, aut aliquo alio modo suæ saluti consuleret. Cùm autem Rex ab speculatore didicisset, priorem nuncium se illi conglobatæ multitudini socium adiunxisse, secundum misit nuncium, cui idem omnino accidit, quod priori.

14. Vers. 20. *Est autem incessus quasi incessus Iehu filij Namsi, præceps enim graditur.* ] Strenuum oportet fuisse, & acrem in re bellica Iehu, quíque ipse arderet in pugnando, neque suos torpere sineret in re, quæ malè ab ignauis administrari potest: quando eo signo ab speculatore cognoscitur quòd præceps ingreditur, quasi eo proprio, ac familiari signo distingueretur ab aliis.

15. Vers. 21. *Et egressus est Ioram Rex, & Ochozias Rex Iuda.* ] Non placuit Ioram illud silentium, & incitatus cursus, & reditus nunciorum impeditus. Quare licèt æger & saucius statuit sibi futurum ex vsu, si currum ipse ascenderet, & sua auctoritate, si qua exoriretur seditionis occasio, maturè præcideret. Adhibuit autem socium Ochoziam, qui officij gratia illis diebus adesse voluit ægrotanti, cuius etiam auctoritas, vtpote regia, aliquid videbatur apud seditiosos, & rebelles habitura ponderis. Inuenerunt autem duo illi Reges Iehu in agro Naboth, quem iniquo iudicio, & innocentis sanguine comparatum possidebat adhuc Iezabel, & filius eius Ioram.

16. Vers. 22. *Pax est Iehu?* ] Vbi illius globi principem vidit esse Iehu, neque species, & ardor illius tantæ multitudinis aliquid pacificum aut sedatum promitteret, dixit Ioram, idem prope quod duo legati, quos antè præmiserat, *Pax est Iehu.* Quæ verba ad duos sensus patent, alter plenus est benuolentiæ, qui optat amico pacem, id est, fortunam bonam, & quicquid hominibus solet esse in votis, id enim iuxta Hebræorum idioma valet *pax*. Alter est, an pacificus veniat, id est, an animum afferat hostilem, an amicum: Regine commodis seruiat aduentus ille inopinatus, an ad illius interitum, & ruinam aspiret. Posteriorem hunc spectasse Regem, docet Iehu respõsum, qui ait nullam pacem illi deberi: cuius mater illa admisit scelera, quæ in eius, & filiorum caput supplicium clamant capitale, id enim valet illud, *Pax quid.*

17. *Adhuc fornicationes Iezabel, matris tuæ, & veneficia eius multa vigent?* ] Tam fornicationes, quàm veneficia hoc loco significationem habent figuratam, non propriam. Notum est idololatriæ scelus fornicationis nomine significari, vt millies in Scriptura sacra legimus. Quare cùm millies Iezabel supplicarit idolis, & adhuc supplicet, mille illius vocari fornicationes possunt. *Veneficia* cum alia multa significent, in aliis ea quoque significant, quæ amorem conciliant damnatum, & turpem, qualia sunt, quæ philtra dicuntur, lenocinia, Veneris cæstus, aut pocula, aut alia quæ inuenerunt pharmaceutriæ, aut sagæ. Cùm autem Iezabel non solùm fornicata fuerit, sed etiam quasi læna, aut concubitus illegitimi conciliatrix, quæ philtris interdum vtitur, & veneficiis; fornicationes habere dicitur, quia idola colit, & veneficia, quia alios ad fornicandum, id est, ad supplicandum idolis allicit, & quodammodo dementatos inducit. Hæc quæ de Iezabele nunc dixit Iehu, dixit postea Nahum de Ninive cap. 3. v. 4. vbi graues intorquentur minæ; *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia; quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in suis maleficiis.* Hæc autem furtiuæ irritamenta libidinis expressit in sua Pharmaceutria Virgilius, quam sumpsit ex Theocrito. Hac autem deluса est Dido, & inducta ad quandam amoris insaniam in Æneam lib. 1. Æneidos, & eodem artificio lib. 4. simulat, velle se in sui amorem Æneam pellicere, quem videbat alienum. Libuit hoc Didonis exemplum adducere, quia sub hoc tempus vixit, in quo nunc nostra laborat commentatio, vt multi putant, licèt alij tunc à Didone ædificatam Carthaginem putent, quo Troia diruta. Si ergo hoc tempore vixisse dicamus Didonem, cùm constet esse Sidoniam, & è regio genere, nisi nos historia illius temporis fabulosa decipiat, non est improbabile, si minus sororem, cognatam tamen fuisse Iezabelis. *Fornicatio pro idololatria.* *Veneficium quid.* 18. *Dido Virgiliana cognata videtur Iezabelis.*

19. Vers. 23. *Conuertit autem Ioram manum suam, & fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ Ochozia.* ] Cùm se in medios hostes incidisse cognosceret Ioram, conuertit manum suam, & equorum habenas retorsit ad fugam, & idem vt faceret Ochoziam admonuit, dum ait insidias ab hoste fuisse paratas. Iehu verò cùm sentiret Regem meditari fugam, ne ereptus alicubi se confirmaret, & plus sibi deinceps exhiberet negotij, noluit sibi præsentem occasionem excidere, atque ideo quàm potuit maximè curuauit arcum, sagittámque adeò secundo destinauit euentu, vt corde traiecto exanimem in suo curru dejecerit.

Accidit

Accidit autem commodè vt eo in loco caderet Ioram, vbi Naboth iniquo iudicio Iezabelis opera ceciderat, vt adimpleretur, quod prædictum fuerat ab Elia Regi Achab, eo loco fundendum esse sanguinem domus illius, in quo effusus antè fuerat Naboth. Cuius vaticinij testis fuerat Iehu, qui tunc erat simul cum Achab, quando ab Elia minaces illas voces accepit. Quas item acceperat Badacer, cui id negotij dedit Iehu, vt in agrum illum proiiceret regium cadauer.

20. Vers. 26. *Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius*, &c.] Hæc verba dicit Iehu se audiisse, neque tamen illa nos habemus lib. 3. Reg. cap. 20. vers. 20. vbi de illis actum oportuit. Tantùm enim habemus vers. 19. *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Hæc de Achab. De Iezabele autem vers. 13. *Canes comedent Iezabel in agro Iezraël*; De aliis tantùm habemus, pomum Achab deletum iri funditus. Hîc ego notius reor reuera dixisse Prophetam, quod se audiisse ab illo nunc affirmat Iehu, & à sacro historico monumentis sacris non esse mandatum. Quod sæpe factum est: ignoraremus enim plurima quæ gesta sunt, & in historia suo loco, & ordine prætermissa, nisi per occasionem alieno loco, & tempore forent adducta. Quis nosset sub Ozia Rege Iuda contigisse terræ motum, nisi Amos cap. 1. statim in principio docuisset? Quis nosset per crabrones exactos è suis finibus fuisse Chananæos, nisi multis pòst annis iamiam moriturus Iosue in Hebræorum memoriam reuocasset? Quàm multa ignoraremus, eorum, quæ in Ægypto contigerunt, dum seruitutis iugum ab Ægyptio dominatu excuterent Hebræi, nisi illa in lib. Sapient. cap. 16. ad finem vsque capitis scriptor sacer esset prosecutus? Hoc modo fortasse docuit Iehu, quod reuera audiit ab Elia, quod tamen sacer omisit historicus.

REGVLA. *A sacro historico nonnulla omissa sunt, quæ ab aliis per occasionem dicta.*

21. Fieri autem potuit vt falsum aliquid dixerit hoc loco Iehu, neque enim ille scriptor est canonicus, & Spiritus sanctus non probat hæc quæ dixit Iehu: sed tantùm dicit hæc ab illo fuisse prolata; cuius rei plura adduci possent exempla. Quæ tu vide in nostris commentariis in lib. 1. Regum, ad illud cap. 4. vers. 8. *Hi sunt dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.*

REGVLA. *Multa Scriptura refert ab aliis dicta quæ non probat.*

22. *Et pro sanguine filiorum eius.*] Ex hoc loco constat, si modò in eo non errauit Iehu, filios quoque ipsius fuisse sublatos, quod fortasse eo consilio fecit Iezabel, ne pòst esset vllus, qui paternam repeteret hæreditatem, aut paternam vlciscereturiniuriam. Nisi mauis ideo dici occisos filios Naboth, quia sublato patre, sublati quoque videri possunt, qui ab illo si viueret, propagari potuerunt. Quemadmodum qui stirpem arboris elisit, aut effodit, ille arboris ramos, & fructus succidisse censetur. Quomodo Chaldæus exposuit illud Genes. 4. vers. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sic enim vertit, *Vox sanguinis generationum, quæ futuræ erant succedere de fratre tuo, clamant coram me de terra.*

*Cum Naboth videntur quoque occisi filij.*

23. Vers. 27. *Ochozias autem Rex Iuda videns hoc fugit per viam domus horti.*] Nil iam putabat à periculo tutum Ochozias, cùm in Regem suum tam videret hostiliter inuectos esse familiares, & domesticos; neque se videret ab illis peccatis esse liberum, propter quæ actum esse videbat de Rege Israël, & ab illius stirpe profectum, contra quam tam dirum fulmen Elias intorserat. Hortus porrò ille, per quem fugam intendit Ochozias, ille videtur esse, cui priùs Achab, vt hortum dilataret, quem regiæ domui habebat adiunctum, vineam addiderat Naboth. Quo loco fuerit ascensus Gauer, vbi percussus dicitur Ochozias, incertum mihi est; illud certum, peruenisse Ochoziam in ciuitatem Samariæ, & inde abductum, alibi occisum à Iehu. Quod apertè dicitur lib. Paral. 2. cap. 22. vers. 9. *Ipsum quoque perquirens Ochoziam comprehendit latitantem in Samaria, adductúmque ad se occidit.*

Illud præterea additur, sepultum esse Ochoziam, eo quòd esset filius Iosaphat, id est, ex eius stirpe: nam reuera nepos fuit, non filius, tantum enim honoris existimabant Israëlitæ deberi optimo Principi Iosaphat, vt eius gratia ignoscendum putauerint nepoti. Vnde inferre aliquis posset Regem Israël Ioram mansisse insepultum, & nactum esse non aliam, quàm asini sepulturam. Quando ea adducitur causa, quòd Ochozias tumulatus fuerit, quia parentem habuit optimum, qualem non habuit Ioram. Verius tamen puto sepultum quoque fuisse Ioram: quia grauem illam ignominiam Scriptura sacra non tacuisset, neque illam aliis minatus est Elias, præter Achab, & Iezabelem: illius enim sanguinem lambendum esse dixit à canibus, hanc à canibus deuorandam. Et qui tumulari iussit Iezabelem infrà vers. 34. non sineret Ioram Dominum quondam suum insepultum manere; ita multis probat Abulensis quæst. 19. Illud etiam hîc obseruandum, sub illud tempus, in quo extinctus fuit Ochozias, nullam fuisse spem, quòd de Ochoziæ stirpe quisquam regnare posset; sic enim 2. Paralip. cap. 22. vers. 9. *Nec erat vltrà spes aliqua, vt de stirpe quis regnaret Ochoziæ.* Quæ statim expendemus, vbi ventum fuerit ad cap. 11. Tota verò Ochoziæ calamitas ex matre Athalia orta est, & ex consiliariis, quos ipsi adhibuit auus Achab, cuius sensus euerterat impia Iezabel. De Athalia habes 2. Paralip. 22. vers. 3. *Mater eius* (nempe Athalia) *impulit eum vt impiè ageret.* De consiliariis vers. 4. *Ipsi enim* (nempe qui erant de domo Achab) *fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui in interitum eius.*

24.

Vers. 29. *Anno vndecimo Ioram filij Achab regnauit Ochozias.*] Cap. præcedenti vers. 8. legimus, anno duodecimo Ioram iniisse regnum Ochoziam. Quòd autem hîc regni exordio annus assignatur vndecimus, ex Hebræorum consuetudine natum est, qui aliquando imperfectum annum pro integro, atque perfecto numerant, interdum omittunt. Ex qua consuetudine id habemus, in anno duodecimo dimidiato regni Ioram excessisse parentem Ochoziæ, & Ochoziam ipsum regnare cœpisse: qui numerari potuit, vel omitti.

25.

Vers. 30. *Porrò Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram.*] Mirum hoc est, & planè Gentilici, & barbari ingenij, tunc lætum & elegantem cultum assumere, quando sordes assumi debuêre funereæ, & lacrymis oculi, & vnguibus deformari genæ. Abulens. quæst. 28. duas adducit causas, quæ mouêre Iezabelem, vt faciem ad pulchritudinem, & caput ad dignitatem componeret: altera est vt Iehu noui Regis, quem stillantem filij recenti sanguine videbat, gladium à suo iugulo depelleret; timebat enim ne quod proximè filio, id sibi etiam ab hoste contingeret. Solet enim pulchritudo, sæuitiam temperare quantumuis inflammatam.

26.

*Magnum à pulchritudine præsidium contra vim etiam armatam.*

Quis

Quis enim nisi humanitatem priùs exuisset, faciem alterius pulchram, aut contristare voluit, aut deformare, nisi inuitus? Dixit enim optimè Socrates, pulchritudinem tutelam esse fœminarum; & Carneades ἀδορυφόρητον βασιλείαν vocauit pulchritudinem, ac si diceret, regnum sine satellitio: quia satis habet sibi præsidij contra hostilem vim, atque furorem formæ venustas. Notum est illud quod de meretrice Phryne Pausanias tradit lib. 1. in Atticis. Et Plutarchus in vita Hyperidis. Quæ cùm in iudicio Athenienſi foret accusata, neque propter sceleris turpitudinem sperares se laturam impunitum scelus, quod grauissimi oratoris oratione obtinere non poterat; id sua pulchritudine tandem obtinuit. Eo fortasse consilio Iezabel ad pulchritudinem fuco se & ornamento composuit, vt eo lenocinio à suo iugulo hostile ferrum auerteret, & oculos caperet aduersarij, vt si minus vxor, at certè concubina illius thalami consors haberetur. Ita Abulens. Sed sanè malè; cùm hoc consilio coniungas, quòd grauia in Iehu eodem tempore maledicta congessit, dum illum appellat Zambri, quod nomen, vt dicemus statim, odiosum erat in Israël. Alij, vt refert Lyra, in illo nomine nullum putant esse conuitium, imò potiùs aliquid esse dicunt amatorium, & mollius, quasi factum excusetur Iehu, & ab illo existimetur abesse scelus. Sed modus ille neque ad rem est, neque ad textum, atque ideo illum prudens omitto.

27. Rationem aliam adducit Abulens. minus improbabilem mihi, tametsi illi magis placeat superior. Ait enim Iezabelem eo ornamento ostendere voluisse in muliebri pectore spiritus se habere viriles, neque abiecisse animos, etiamsi filium videret occisum, & victorem hostem exultantem intra mœnia, neque sibi deesse aut animum, aut vires, quas opponeret, quod in optimis ducibus commendant historiæ; quæ magni animi, atque prudentiæ esse statuunt aduersam tolerare fortunam, neque rebus cadentibus quemquam animo cadere. Itaque post multa sæcula in honore sunt quidam, quorum Valerius Maximus meminit lib. 5. cap. 10. qui filiorum mortem sic tulerunt patienter, vt nullam mœrentis animi significationem ediderint. Quod fortasse præseferre voluit ambitiosa illa, & superbissima fœmina. Hæc mihi ratio omnium videtur accommodata maximè.

*Magna fortitudinis argumentum patienter ferre aduersa.*

28. Aliam rationem ego cogitabam, quam hîc proponere non grauabor, vt de illa lector, vt volet, statuat. Moris fuit apud aliquos populos Gentiles, vt nascentes exciperent cum fletu, quasi illos calamitates manerent ingentes, & assiduæ; morientes iucundè & festiuè dimitterent, quasi iam à multiplici calamitate exolutos, & quos melior excepisset conditio: in his numerantur Thraces, Cæsij, Causiani. Vide Alexandrinum Neapolitanum lib. 2. cap. 25. Sanè id esse pluribus Gentilibus commune, dixit Egesippus lib. 5. cap. 53. *Nonnullis gentilibus*, inquit, *mos est vt ortus hominum fletibus, occasus gaudiis prosequantur: quod illos ad ærumnas generatos doleant, hos ad beatitudinem rediisse gratulentur.* Idem Macrobius in somnio Scipionis. Quis scit an hæc apud Sidonios consuetudo fuerit: quorum mores in filij funere seruare voluit Iezabel.

*Quidã nascentes filios eũ fletu excipiunt, morientes cum voluptate dimittunt.*

29. De stibio Plinius lib. 33. c. 6. vbi principalẽ virtutẽ esse dicit circa oculos. *Ideo*, inquit, *plerique platyophthalmon id appellauere, quoniã in callioblepha-*

*Quid stibium, & eius vsus.*

*ris mulierũ dilatat oculos, & fluxiones inhibet oculorum.* Esse autem hoc in vsu apud Hebræas fœminas, & in vicinis etiam regionibus, indicat Ieremias cap. 4. vers. 30. & Ezechiel cap. 23. v. 40. vbi cùm loqueretur de Ierusalem, quasi de meretrice, hoc genus illi attribuit medicamenti. Hoc communiter ab aliis dicitur *Antimonium*, Hispanus à voce כחול *chahol*, qua vtuntur Rabbini, vocant *Alcohol*. Hoc Hieronymus epist. ad Furiam tom. 1. inter meretricia blandimenta, seu lenocinia commemorat. Sic enim ibi de Magdalena post liberioris vitæ mutationem. *Non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos.* Quod medicamẽti genus vsitatũ esse prioribus sæculis, probat illius frequẽs à Patribus, imò à profanis reprehensio. Cyprianus de opere, & eleemosynis, ad medium. *Inunge oculos tuos nõ stibio diaboli, sed collyrio Christi.* Hoc reprehẽdit quasi muliebre & molle Iuuenalis Satyra 2.

Vers. 31. *Numquid pax potest esse Zambri?*] Hæc verba plena sunt offensionis, quæque perfidiam obiiciunt seruo contra Dominum. Nota est historia Zambri, ex lib. 3. Reg. cap. 16. v. 10. quomodo Regem suum & Dominum Ela temulentum occidit, & illius regnum occupauit. Et quia res fuit nota in Israël, & ab omnibus communiter improbata; existimo nomen Zambri abiisse in prouerbium, & sumptum esse pro eo, qui infidelis in illum fuit, quem tueri atque obseruare debuisset. Quomodo Iudæ nomen pessimè nunc audit apud Christianos, quia Christum prodidit, & eius vitam tenui pretio illis vendidit, qui illum ad mortem & crucem expetebant. 30.

Vers. 32. *Quæ est ista?*] Hebr. מי את מי *mi ithi mi.* quis mecum? ac si diceret, ecquis est mecum? qui talia obiici Regi patiatur, ab hac venefica, & pestilenti fœmina? Ita quidam exponunt. Ego sic videor explicare posse accommodatè ad nostram translationem, *quæ me? quæ?* id est, quæ est ista fœmina, quæ me tam alloquitur impudenter & liberè? Quod neque cum re grammatica pugnat; nam מי etiam generi conuenit fœminino, & את articulus est, qui quartum designat casum. Vbi comperit esse Iezabelem, neque enim res erat obscura; iussit Eunuchis, qui illi aderant, aut qui cum Regina erant in fenestra, & hoc potiùs, vt illam præcipitarent à fenestra. Quod illi fecerunt statim, eo impetu vt Iezabelis sanguine parietes respersérint: quæ deinde ab equis conculcata mortem oppetiit miserabilem. Cúmque impium illud cadauer, quia à regio sanguine prognatum, honestare vellet sepultura, vix aliquid reliquum inuentum est ex illo, quod sepulturæ mandari potuerit. Sic enim iuxta Prophetæ verba, laceratum est à canibus, vt præter caluariam, & summos pedes, ac manus nihil supereſſet è regio cadauere. Id verò quod ex canum laniena relictum est, sepulturæ videri posset mandatum iuxta noui Regis imperium, aliquot fortasse diebus, ex quo præceps è fenestra lapsa est, & à canibus lacerata: ita vt aliquandiu in agro ignominiosè iacuerit, & prætereuntibus occasionem dederit, vt admirabundi clamarint. *Haccine est illa Iezabel?* Neque incommodat, quod suprà vers. 10. dicatur de Iezabele, *nec erit, qui sepeliat eam*, quia ex vsu Scripturæ, sicut cùm ex magno numero, pauci fecerunt aliquid, omnes absolutè fecisse negantur: sic etiam cùm ex toto cadauere 31.

uere exigua pars tumulata fuerit, totum cadauer dicitur insepultum. Sed verisimilius est partes illas numquam fuisse sepulturæ mandatas, tum quia sic prædixerat Propheta suprà versiculo decimo, tum quia cùm audiuit Iehu ex toto cadauere exiguam partem esse relictam, recordatus est quod dixerit Elias audiente se, Regi Achab, *& erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel, ita vt prætereuntes dicant, hæccine est illa Iezabel*, quod sanè non facerent, nisi semesa ossa prætereuntium oculis apparerent.

*Iezabel non sepulta.*

33. Vers. 37. *Hæccine est illa Iezabel?* ] Vox *illa*, magnum habet pondus, continet enim superiorem statum & gloriam Iezabelis, quam cum sordidissima, atque miserrima fortuna componit. Quasi dicat, hæccine est illa superbissima, crudelissima, tam studiosa pulchritudinis, quam modò pictis stibio oculis, & capite mitra redimito videbamus, quæ suo Regem, regnúmque moderabatur arbitratu, &c. En quò redacta illa pulchritudo à natura concessa, & quotidianis aucta lenociniis; en regij fastus, en terror bonorum, &c. Illud ad extremum addo, Iudæos antiquos, qui ex Hebræo in Hispanicam linguam Biblia transtulerunt, pro *Iezabele*, conuertisse *Isabel*. Fortasse bene, licèt enim Iezabel nomen sit Sidonium, fieri tamen solet, vt nomen maximè proprium nationibus multis, & linguis commune sit.

*Iezabel qua ab Hispanis Isabel.*

Chrysostomus homilia vigesimaquinta in epistolam ad Romanos Iezabelis exemplo docet grauius illos esse puniendos, qui aliis, vt peccarent, faces addiderunt. Cùm enim multa contra scandalum grauiter suo more dixisset, in expositione morali dixit, *Non propriorum tantummodo malorum rationem dabimus, sed & eorum, quibus aliis scandalum præbemus. Quòd si etiam per se ipsas graues sunt nostrorum delictorum pœnæ, vbi & istæ accedent, quando saluabimur? Non enim putamus nos excusationem habituros, si quando delictorum socios inuenerimus, nam istud supplicium magis augebit. quandoquidem & serpens magis punitus est, quàm mulier, quemadmodum & mulier plus quàm vir, & Iezabel maiores pœnas dedit, quàm Achab vineæ raptor; ipsa quippe vniuersum istud negotium texuerat, Regique lapsus occasionem dederat. Igitur & tu quoque si reliquis perditionis causa fueris, grauiora patieris, quàm qui per te subuersi sunt. Vide reliqua.*

34. *Scandalizatiũ suppliciũ graue.*

---

# IN CAP. X. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*VT datum sibi à Propheta negotiũ exactè præstaret nouus Rex Iehu, septuaginta filios, quos è variis vxoribus susceperat Achab, extinguendos curauit. Quod facilè obtinuit à seruis Achab, qui nullo modo putabant Iehu mandatis esse repugnandum. Neque tantùm in filios Achab, sed in eos quoque, quibus illi familiariter vtebantur, sæuitum est. Neque pepercit Ochoziæ fratribus, quos in medio cursu deprehendit, cùm in Samariam, vt inchoata perficeret, iter esset aggressus. Quo loco Rechabitarum patrem Jonadab data, acceptáque fide ad præclarum opus socium adhibuit. Deinde, vt nomen Baal, cuius nefarium cultum instigante Iezabele induxerat Achab, omnino deleret, simulat se magnum velle sacrificium immolare Baal, eámque ob rem sacerdotes illius vndecunque aduocat. Quos cùm in illius templo conclusisset, immisso exercitu ad id antè parato, omnes ad vnum interfecit; & statuam Baal redegit in cineres, illiúsque fanum in sordidos latrinarum vsus conuertit. Quod Iehu studium Deus producto in illius domo ad quartam vsque generationem regno compensauit. Sed non diu stetit Iehu in ea pietate, à qua regni sui duxerat exordium. Propter quod Deus, non exiguam partem Israelitici regni Hazaeli tradidit tunc Syrorum Regi.*

## CAPVT DECIMVM.

1. ERant autem Achab septuaginta filij in Samaria: scripsit ergo Iehu litteras, & misit in Samariam, ad optimates ciuitatis, & ad maiores natu, & ad nutritios Achab, dicens:

2. Statim vt acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, & currus, & equos, & ciuitates firmas, & arma,

3. Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, & eum ponite super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri.

4. Timuerunt illi vehementer, & dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, & quo modo nos valebimus resistere?

5. Miserunt ergo præpositi domus, & præfecti ciuitatis, & maiores natu, & nutritij, ad Iehu, dicentes: Serui tui sumus; quæcumque iusseris faciemus, nec constituemus

mus nobis regem:quæcumque tibi placent, fac.

6. Reſcripſit autem eis litteras ſecundò, dicens:Si mei eſtis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini veſtri, & venite ad me hac eadem hora cras in Iezrahel.Porrò filij regis,ſeptuaginta viri, apud optimates ciuitatis nutriebantur.

7. Cúmque veniſſent litteræ ad eos, tulerunt filios regis,& occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis,& miſerunt ad eum in Iezrahel.

8. Venit autem nuncius, & indicauit ei, dicens:Attulerũt capita filiorum regis.Qui reſpondit: Ponite ea ad duos aceruos iuxta introitum portæ vſque mane.

9. Cúmque diluxiſſet, egreſſus eſt, & ſtans dixit ad omnem populum: Iuſti eſtis: ſi ego coniuraui contra dominum meum, & interfeci eum,quis percuſſit omnes hos?

10. Videte ergo nunc quoniam non cecidit de ſermonibus Domini in terrã, quos locutus eſt Dominus ſuper domum Achab, & Dominus fecit quod locutus eſt in manu ſerui ſui Eliæ.

11. Percuſſit igitur Iehu omnes qui reliqui erãt de domo Achab in Iezrahel,& vniuerſos optimates eius, & notos, & ſacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ.

12. Et ſurrexit, & venit in Samariam: cumque veniſſet ad Cameram paſtorum in via,

13. Inuenit fratres Ochoziæ regis Iuda, dixítque ad eos: Quinam eſtis vos? Qui reſponderunt: Fratres Ochoziæ ſumus, & deſcendimus ad ſalutandos filios regis, & filios reginæ.

14. Qui ait:Comprehendite eos viuos. Quos cùm comprehendiſſent viuos, iugulauerunt eos in ciſterna iuxta Camerã,quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam.

15. Cúmque abiiſſet inde,inuenit Ionadab filium Rechab in occurſum ſibi, & benedixit ei.Et ait ad eum: Numquid eſt cor tuum rectum,ſicut cor meũ cum corde tuo? Et ait Ionadab:Eſt.Si eſt,inquit, da manum tuam.Qui dedit ei manum ſuam. At ille leuauit eum ad ſe in currum:

16. Dixítque ad eum: Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et impoſitum in curru ſuo,

17.Duxit in Samariã.Et percuſſit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria vſque ad vnum,iuxta verbum Domini, quod locutus eſt per Eliam.

Congregauit ergo Iehu omnem populum,& dixit ad eos: Achab coluit Baal parum,ego autem colam eum ampliùs.

19. Nunc igitur omnes prophetas Baal, & vniuerſos ſeruos eius,& cunctos ſacerdotes ipſius,vocate ad me: nullus ſit qui non veniat,ſacrificiũ enim grande eſt mihi Baal: quicumque defuerit,non viuet. Porrò Iehu faciebat hoc inſidioſè,vt diſperderet cultores Baal,

20. Et dixit: Sanctificate diem ſollemnem Baal.Vocauítque,

21. Et miſit in vniuerſos terminos Iſraël, & venerunt cuncti ſerui Baal: non fuit reſiduus ne vnus quidem qui non veniret. Et ingreſſi ſunt templũ Baal: & repleta eſt domus Baal,à ſummo vſque ad ſummum.

22. Dixítque his qui erant ſuper veſtes: Proferte veſtimenta vniuerſis ſeruis Baal.Et protulerunt eis veſtes.

23. Ingreſsúſque Iehu,& Ionadab filius Rechab,templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis fortè vobiſcum ſit de ſeruis Domini, ſed vt ſint ſerui Baal ſoli.

24. Ingreſſi ſunt igitur vt facerent victimas & holocauſta: Iehu autem præparauerat ſibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicũque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus veſtras, anima eius erit pro anima illius.

25. Factum eſt autem,cùm completum eſſet holocauſtum, præcepit Iehu militibus & ducib. ſuis:Ingredimini,& percutite eos, nullus euadat. Percuſſerúntque eos in ore gladij, & proiecerunt milites & duces:& ierunt in ciuitatem templi Baal,

26.Et protulerunt ſtatuam de fano Baal, & combuſſerunt,

27. Et comminuerunt eam.Deſtruxerũt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas vſque in diem hanc.

28. Deleuit itaque Iehu Baal de Iſraël:

29. Verumtamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſraël, non receſſit,nec dereliquit vitulos aureos,qui erãt in Bethel,& in Dan.

30.Dixit autem Dominus ad Iehu:Quia ſtudioſè egiſti quod rectũ erat, & placebat in oculis meis,& omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab: filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſraël.

31.Porrò Iehu non cuſtodiuit vt ambularet in lege Domini Dei Iſraël in toto corde ſuo: non enim receſſit à peccatis Ieroboam,qui peccare fecerat Iſraël.

32. In diebus illis cœpit Dominus tædere ſuper Iſraël: percuſsítque eos Hazaël in vniuerſis finibus Iſraël,

33.A Iordane contra Orientalẽ plagam, omnem Terram Galaad,& Gad, & Ruben, &

& Manaſſe,ab Aroër,quæ eſt ſuper Torrentem Arnon,& Galaad,& Baaſan.

34. Reliqua autem verborum Iehu, & vniuerſa quæ fecit,& fortitudo eius, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iſraël?

35. Et dormiuit Iehu cum patribus ſuis, ſepelierúntque eum in Samaria:& regnauit Ioachaz filius eius pro eo.

36. Dies autem,quos regnauit Iehu ſuper Iſraël, viginti & octo anni ſunt, in Samaria.

# IN CAP. X. LIB. IV. REGVM COMMENTARII.

## Verſ. 1. *Erant autem Achab ſeptuaginta filij in Samaria.*]

1. MINATVS fuerat Elias Achab libro tertio capite vigeſimoprimo non eſſe relinquendum de domo Achab mingentem ad parietem, non clauſum & nouiſſimum. Quo loquendi genere, vt diximus, excindenda funditus ſignificabatur tota domus Achab, & illius extirpanda progenies; quod negotium iiſdem propè verbis mandatum fuit Iehu ab alio Propheta. Quod dum Rex nouus præſtare aggreditur,de Regis Achab ſobole diligenter inquirit, filióſque in Samaria plurimos apud nutritios, virósque nobiles habitare cognouit non minus ſeptuaginta. Quod ſanè mirandum non eſt, cùm vxores Reges habeant plurimas, neque pauciores concubinas, quas prolis multiplicandæ gratia vxoribus inducunt. Ex illis nullum arbitror ex Iezabele natum; neque fortaſſe plures enixa eſt, quàm Ioram, quem proximè interfecit Iehu; & Athaliam, quæ nupſerat alteri Ioram filio Ioſaphat. Hos igitur omnes tollendos curauit, ne quod ex illa ſcelerata familia ſemen ſupereſſet.

2. *Scripſit ergo Iehu literas, & miſit in Samariam ad optimates ciuitatis*, &c. ] Iſtæ literæ aliquid videntur continere ironicum, & minari infortunium aliquod illis, qui id admiſiſſent, quod videntur propriè commendare literæ, cuiuſmodi multa occurrunt in Scriptura, & nos aliquot adduximus exempla ad illud libro tertio capite vigeſimoſecundo verſiculo 15. *Aſcende, & vade proſperè.* Iubet ergo vt illorum exploret animos, vt ex omnibus filiis, aut etiam nepotibus Achab ( omnes enim poſteros appellari filios nemo neſcit ) illum ſibi Regem aſſumant, qui minus eo nomine, ac titulo videatur indignus. Quod illi facturi videbantur non iniuſtè, cùm optimates eſſent illius ciuitatis regiæ, & maiores natu, quorum conſiliis alij obſequerentur non inuiti, cùm in illis ſcirent plus eſſe prudentiæ, & in illa ciuitate haberent parata omnia, quæ ad regiam maieſtatem & inaugurationem videbantur neceſſaria. Quales ſunt currus, & equi, & reliqua, quæ regium illud nomen comitantur, & promouent; & quando neque arma deſunt, neque propugnaculum, pro conſeruando quem elegiſſent Regem, acriter dimicarent. Illi verò cùm facilè cognoſcerent, quò ſpectarent literæ illæ, & quæ laterent minæ in illa ironica, & ſimulata permiſſione; timuerunt valde, cùm ita inſtructum viderent Iehu, vt neque duo Reges illius impetum ſuſtinere, neque exitium declinare potuerint. Quare cùm è re ſua & publica futurum exiſtimarent, nihil contra noui Regis conſilia moliri, reſponderunt paratos ſe eſſe facere quæcunque vellet, & cùm iam Regem haberent, à cuius imperio & fide recedere non putabant, de conſtituendo Rege neque egiſſe, neque acturos in poſterum. Quare ſignificaret quid actum vellet, & à ſua in ipſum obſeruantia ſperaret omnia.

3. Verſ. 6. *Si mei eſtis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum Domini veſtri.* ] Accepit gratus optimatum ſtudia Iehu, & promiſſorum pignus aliquod, & documentum ab illis præberi voluit. Miſit igitur literas iterum, quibus ſignificauit, ſi ſibi fidem haberi velint, neque quicquam agere ſimulatè, filiorum domini ſui capita præciderent, illáque ad ſe craſtina luce, eadem, qua literæ dabantur, hora in Iezraelem mitterent. Qui, acceptis literis, nihil cunctati abſciſſa filiorum ſeptuaginta capita in cophinis, ſicut imperatum fuerat,in Iezraëlem tranſmiſerunt. Quæ Iehu in porta ciuitatis,in loco nimirum frequenti,& celebri proponi iuſſit.

4. Verſ. 9. *Iuſti eſtis, ſi ego coniuraui contra Dominum meum, & interfeci eum, quis percuſſit omnes hos.* ? ] Cùm capita in loco ſtatuiſſet frequenti, ac publico, nihil ſe feciſſe dicit tyrannicè, ſed iuſtè omnia, alioqui neque iuſti fuiſſent optimates populi, & maiores natu, qui ex ſemine regio ſeptuaginta viros interfecerunt. Sed ex eo tam prompto obſequio, quo noui Regis excepere mandata, & ex eo ſtudio, quo tot viros, quos priùs tam obſeruabant officioſè, vtpote Regum aut filios aut nepotes, vſque adeo alacriter & promptè ſuſtulerunt, docet Iehu illam rerum conuerſionem ex Dei decreto, non ex humano proueniſſe conſilio. Qui quid factum vellet, iam antea per Eliam Prophetam ſignificarat; qui ex domo Achab nullum prædixit futurum eſſe ſuperſtitem. Illa igitur omnia tam natura ſua difficilia perfecta ſunt breui, non tam hominum induſtria, atque virtute, quàm diuino conſilio.

5. Verſ. 11. *Percuſſit igitur Iehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Iezraël, & vniuerſos optimates eius, & notos, & ſacerdotes.* ] Non ſatis habuit extinxiſſe omnem ſobolem Regis Achab, ſed ne quid ex eius domo reliquum eſſet, illos tollendos curauit, qui ex eius domo vel familia dici potuerunt, quales fuerunt illi, qui

qui Regis optimates fuerunt, quorum videlicet consilio res illas administrauit, quas modò & Regis capite, & tanti imperij iactura castigat Deus. Item notos, qui neque Regis fuerunt familiares, & assidui, quique tantorum scelerum existimantur fuisse cósortes, & sacerdotes: hi fortasse sunt quos domi aluit Achab, quique Principes fuerunt in vitulorum nefario cultu, aut in sacris Baal. Sed fortasse illi hoc loco sacerdotes dicũtur, qui principẽ locum apud Regem tenuerunt, quique vocari possunt αὐλάρχαι, id est, aulæ principes. Quomodo Dauidis filij sacerdotes dicuntur 2. Regum c. 8. v. 18. cùm tamen non essent ex Leuitica tribu, quia magno apud Regem in honore fuerunt. Vide quæ nos ad illum locum: neque hæc mihi displicet explicatio posterior. Hos autem superesse noluit, tũ vt omnino tota domus interiret Achab, quam vt deleret funditus, à Domino mãdatum acceperat; tum ne quis turbare postea posset nouam formam reipublicæ superiorum Regum memoria, à quorum cæde non videbatur abfuisse perfidia.

*Sacerdotes dicũtur qui magno in loco apud Reges sunt.*

6. Vers. 12. *Et surrexit, & venit in Samariam, cúmque venisset ad cameram pastorum, in via inuenit fratres Ochoziæ.* ] Cùm rem communem iam constituisset in Iezraële, & quicquid ad Regem Achab pertinebat, excidisset funditus, vt stabiliret, quæ supererant, inde quamprimum euolauit in Samariam, quæ cùm sedes esset regia, regnique metropolis, ibi videbantur regnum réspublica constitui, atque administrari posse commodiùs: cúmque ventum esset ad locum, qui Hebraicè dicitur בית עקד הרועים *beth eked haroim*, de cuius significatione & proprietate postea, occurrerunt Ochoziæ fratres, qui ex Ierusalem fortasse, aut ex alio loco regni Iuda profecti sunt, vt Ochoziam fratrem, quem mortuum esse nesciebant, salutarent, eiúsque filios, quos secum videbatur adduxisse, vt rebus bellicis assuescerent, cùm comitari voluit auunculum Ioram Regem Israël, cùm vendicare sibi vellet Ramoth Galaad. Rogati porrò de genere ac patria, responderunt se esse fratres Ochoziæ, qui officij gratia in Iezraelem proficiscebãtur, vt fratri Regi, ipsiúsque Reginæ filiis, cuius studio ac voto obsecuti sunt, debitum impenderent obsequium. Quos statim eodem loco iugulari præcepit.

7. Hic nobis obseruandum, primùm hos fratres Ochoziæ, si filij fuere Ioram, qui pater Ochoziæ fuit, non fuisse omnes ex Athalia, sed ex variis vxoribus & concubinis. Quis enim vterus tam fœcundus esse poterat, qui quadraginta duos filios concipere, atque eniti potuerit. Vxores autem multas & concubinas habuisse Ioram, & filios ex illis susceptos ferro esse deuotos, legimus libro 2. Paralipomenôn capite 22. vbi hæc Ioram ab Eliæ literis accepit versiculo 14. *Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis, & vxoribus tuis*, quod impletum esse constat ibidem versiculo 16. *Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum, & Arabum, qui confines sunt Æthiopibus, & ascenderunt in terram Iuda, & vastauerunt eam*, &c. *Insuper & filios eius, & vxores, nec remansit ei filius, nisi Ioachaz, qui minimus natu erat.* Hic autem Ioachaz idem est qui Ochozias. Quare cùm alij Ochoziæ fratres ante ipsum Ochoziam fuerint occisi, & ex omnibus vnus tantùm Ochozias, seu Ioachaz dicatur esse reliquus, consequens est, vt dicamus, priùs Athaliæ tantùm filios fuisse sublatos, vno excepto Ochozia, qui ipsius Athaliæ filius fuit, & hos esse aliarum vxorum filios; vel fratres hoc loco Hebræorum more cognatos esse, nam qui communem habent familiam, & genus, fratres appellantur. Et hoc fortasse verius.

8. Sed dicet hîc aliquis, si isti Ochoziæ fratres non fuerunt Athaliæ filij, sed aliarum siue vxorum, siue concubinarum Ioram, aut certè Ochoziæ cognati: cur in illos tantopere sæuiit Iehu, vt ad vnum omnes interimeret, cùm illi tantùm videretur potestas data vt insectaretur, delerétque domum Achab. Ad quam illi tantùm pertinebant, quos è Ioram conceperat Athalia. Respondeo, duo Iehu in hac duorum Regum, ac regnorum vexatione spectare potuisse. Alterum, vt pœnas sumeret de Achab Iezabelísque peccatis, quod in mandatis acceperat à Deo; alterum, vt omnes seditionum causas præcideret: timere enim prudenter poterat ne viri potentes, quales fuisse oportet, aut fratres, aut cognatos Ochoziæ, aut vlcisci vellent illius mortem, aut aliquid moliri, quo Iehu consilia retardarent. Quælibet autem mora seu offensio maximè in ipsis imperij nascentis incunabulis, non solet, vel ad Regis existimationem, vel ad expeditum regnandi cursum existimari leuis.

9. Vbi vulgatus, *camera pastorum*, Hebr. est בית עקד *beth eked*, Septuaginta quasi nomen esset proprium, eodem modo reliquerunt *bethacad*, Chaldæus, *in domo congregationis pastorum*, alij, *in domo alligationis*. Et quia dum tondentur oues, alligari solent, quidam reddiderunt, *domum tonstrinæ*, & hoc fortasse verum: id enim indicasse videtur vulgatus dum cameram appellat pastorum, vbi nimirum maxima esse videtur opportunitas pro tondendis gregibus. Neque hæc explicatio sine fundamento est: nam cùm in ouium tonsione dies ponantur geniales, & læti, ad quos aduocentur amici, qui conuiuiis excipiuntur splendidis, necesse est in pascualibus agris domus sint amplæ, & non omnino opere rudi, ad quas viri lauti, & non inelegantes ad rusticam illam celebritatem conueniant. Quales fuerunt illæ, in quibus Nabal libro primo Reg. capite 25. & in quibus Absalom libro secundo capite 13. regio simile conuiuium instruxere. Eo igitur loco vbi Ochoziæ fratribus occurrit Iehu, domus fuisse videtur ampla, & à pastoribus in ouium tonsione frequentata, quæ loco nomen dedit. Sicut etiam domus alia, vbi non vulgares solùm, sed splendidæ etiam peragebantur nuptiæ, quæ iuxta Hebræorum morem celebrabantur in agris, vocabatur domus vulgi, à qua locus ille nomen accepit: de qua Ieremias capite 39. versiculo octauo. *Domum quoque Regis, & domum vulgi succenderunt Chaldæi igne.* Vide quæ nos eo loco pluribus. Sicut ergo domus illa vocari potuit domus nuptiarum, aut nubentium, sic etiam hæc domus, domus pastorum aut tonsionis nominari potuit. Ad extremum obseruo illos filios fratrum Ochoziæ, & principes Iuda, qui libro secundo Paralipomenôn capite vigesimosecundo versiculo octauo, à Iehu dicuntur esse sublati, diuersos esse ab his Ochoziæ fratribus. Nam hi ad cameram pastorum, & post Ochoziæ mortem dicuntur occisi; illi autem ante Ochoziam in Iezraële, vt videtur textus ipse ostendere non obscurè. Vnde paulo antè fugerat Ochozias; *Cùm euerteret*, inquit, *Iehu domum Achab, inuenit*

*Domus ampla, & lauta pro tondẽdis ouibus.*

10. *Domus in agro ampla pro nuptiis & ouium tonsione.*

*inuenit Principes Iuda, & filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, & interfecit illos. Ipsum quoque perquirens Ochoziam comprehendit*, &c.

11. Vers. 15. *Cúmque abiisset, inde inuenit Ionadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei.* ] Quisnam fuerit iste Rechab, quódque Rechabitarum genus, diximus pluribus in nostris commentariis super Ieremiã ad cap. 35. in principio; vbi de hoc Ionadab nonnihil. Hi verò vitam agebant pastoritiam, & agrestem: neque ædificarunt domum, sed pastorum more construxere sibi tabernacula, quæ facilè ex vno loco in alium transferri poterant. Hæc in illo Ieremiæ loco. De hoc porrò Ionadab, déque Rechabitarum instituto lege Hieronymũ epist. 13. quæ est ad Paulinum de institutione Monachi. Cùm ergo iste Ionadab sicut alij Rechabitæ, qui cùm extranei forent à populo Gentilico, se tamen Israëlitis adiunxerant, in tabernaculis agerent, & copiosos alerent ouium greges, iuxta cameram illam pastorum versabantur, quo tempore Ochoziæ fratres extincti sunt. Cùm autem Ionadab potens esset, Iehu sua plurimum interesse putabat, si illum suis partibus quamprimum adiungeret. Quare cùm primùm habuit obuium, benedixit illi, id est, salutauit amicè, & omnia bona precatus est. cúmque sui studiosum esse cognouisset, déque illius in se constanti fide non dubitaret, assumpsit secum in currum, deduxítque in Samariam, vbi si quæ ex Achab familia reliquiæ supererant, omnino deleuit.

*Rechabitæ pastores.*

12. *Et dedit ei manum suam.*] Dare manum licèt subiectionem aliquando denotet, nonnumquã tamen amicitiam & fœdus aut recenter init, aut initum cõfirmat. Sic Paulus ad Galat. 2. v. 9. *Qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* Et concordia in matrimonio consertis coniugum manibus significatur. Tob. cap. 7. nouorum coniugũ dextræ coniunguntur. & passim videmus in antiquis numis cõplicatas manus cum hac inscriptione, *fides* aut *amicitia*, aut *fœdus*. Dum ergo manum Iehu poscebat sibi dari à Ionadab, societatem petit aut tunc primùm iniri, aut initam antè confirmari in posterum.

*Dare manũ vsitatum in amicitia & fœdere.*

13. Vers. 18. *Congregauit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos: Achab coluit Baal parum*, &c.] Ex hoc loco ad versum 28. nihil est obscurum, tantùm enim refertur, quemadmodum astu Iehu sacerdotes omnes Baal, & omnes illius cultores, simulato sacrificio, in illius honorem, in templum concluserit, & ibi ad vnum omnes interfecerit, & Baalis abolito malè simulacro nefariam illius religionem à Iezabele primùm inductam ex Israele toto relegarit.

14. Vers. 28. *Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israël, non recessit, nec reliquit vitulos aureos.* ] Quemadmodum aureos quoque vitulos, quos Ieroboam sceleratè conflauerat, exterminare voluerit Iehu, & ex Israëliticis finibus omnem Gentilicam impietatem expellere, neque tamen cogitata perfecerit, sed potiùs ipse quoque dum alios metuit, & suo imperio cauere studet, vitulos adorarit, explicuit optima similitudine Oseas c. 7. vt nos pluribus explicuimus, quæ, quia ad historiam, de qua nunc agimus, plurimum refert, libet eorum aliqua, quæ illic adduximus, huc quoque transcribere.

15. In eo capite Oseas, qui non longè post hæc tempora prophetauit, docet quomodo Deus sanare voluerit Israelem religione Gentili, & peregrinis moribus infectum, & quemadmodum pauliſper sub initium regni Iehu ab idolomania respirarit, breui tamen ipso Iehu deficiente, ad ingenium & impietatem redierit. Sic enim explico illud vers. 1. *Cùm sanare vellem Israël, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.* Quasi dicat Deus, pullulasse repentè scelus, quod videbatur esse compressum.

Deinde vers. 4. docet quomodo à tempore, quo 16.
sub Ieroboam decem tribus recesserunt à duabus aliis, & à templo omnes Reges, qui Ieroboami loco successerunt, eodem quo illi errore decepti ad idololatriam defluxerunt, id enim valet, *omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* Et quidem de omnibus subiicitur illud quasi legitimum, *de via Ieroboam non recessit, qui peccare fecit Israël.*

Quòd verò breuis fuerit illa populi, seu vera, 17.
seu simulata conuersio, docet idem Propheta v. 4. *Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti.* Quieuisse videbatur populus à fermento, id est, à contagione illa pestilenti tempore Iehu, qui non videbatur rationem vllam habiturus religionis illius, quam induxerunt, amplificauerúntque superiores Reges Israël, cùm tam studiosè atque acriter ad sanguinem vsque, & cædem sacerdotum insecutus esset nefariam illam religionem, quæ gentem Israëliticam infecerat. Tunc verò populus non fermentabatur, neque disponebatur ad clibanum, id est, ad impietatem, qua superiorum Principum animi flagrabant. Quieuit itaque aliquandiu à vitulorum, atque idolorum cultu: quia licèt non omnino veteres animos deposuisset, non tamẽ cõtra noui principis studium moliri quicquam contra religionem securum sibi fore existimabat. Sed illud fermentum, quod iam antea ab aliis Principibus acceperat, non erat otiosum, sed inflabat, & corrumpebat animos, & ad metaphoricam fornacem disponebat. Quando ergo fermentatus est totus popũlus, & apud omnes inualuit vitulorum amor, ipse quoque princeps Iehu aliorum exemplo, aut certè cùm timeret ne quid grauius pateretur ab offenso populo, aut certè ne ad templum & Regum Iuda fidem, finésque transfugeret, coluit ipse quoque aureos vitulos, & sopitam paululum idolomaniam excitauit. Sic autem de Iehu hîc versiculo 28. *Deleuit itaque Iehu Baal de Israël. Veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israël, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos*, &c.

*Aliquandiu cessatum à vitulorum adoratione.*

Quomodo autem Iehu impiæ se religioni 18.
cum aliis addixerit, docuit idem Oseas versiculo quinto. *Extendit manum suam cum illusoribus, quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cùm insidiaretur eis.* Principes populi furentes insano vitulorum amore, & zelo, eò adegerunt delusum Regem, vt manus illis dederit inermes, quas in ipsos in ipsorúmque religionem nuper armauerat. Fecit igitur idem, quod illusores, à quibus regius animus expugnatus est. Extendit manus supplices ad vitulos aureos, & quod proximè damnarat edicto, & ferro mulctauerat, impiè sicut reliqua turba complexus est. Hoc autem obtinuerunt à Rege iam altero à seipso: quando contemptæ patriæ religionis seuerus vindex esse voluit. Atque ideo addidit statim, *Tota nocte dormiuit coquens eos: manè ipse succensus quasi ignis flamma.* Cùm insidias Iehu principibus moliretur, qui nefariam religionem retinere studebant; ipse illorum insidiis occupatus,

*Iehu vitulos adorauit.*

& in illius amorem seu studium accensus est. Tota nocte ardens ipse zelo voluebat secum, quomodo illos coqueret, & iam animo coquebat conficiebatque; sic enim afficiebatur quasi iamiam vreret, ex illorum interitu anticipatam lætitiam capiebat. Sed breui consedit ardens ille zelus & æstus religiosi consilij: nam manè aliorum igne ipse succensus est, quos ipse suo inflammare, atque consumere meditabatur. Porrò cùm aliquid momentaneum, ac breue significare volumus, his ferme modis explicamus, in quibus nocturnum cum matutino tempore coniungitur; quia exiguum est spatium quod inter duos hosce terminos interiectum est. Sic Ezechias apud Isaiam c. 38. *De manè vsque ad vesperam finies me.* Psal. 29. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Psalm. 89. *Manè floreat & transeat; vesperè decidat, induret, & arescat.* Quod Hispanus familiariter vsurpat, dum temporis breuitatem hoc modo significat: *De la noche a la mannana.* Quare his verbis nil puto significari aliud, quàm citò fractam fuisse Iehu constantiam, & breui ad Ieroboami mores & studia defluxisse.

19. *Prouerbium De manè, ad noctẽ, & similia, pro breui tempore.*

20. *Eodẽ capite Oseæ.* Vers. 7. *Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & deuorauerunt iudices suos: omnes Reges eorum ceciderunt: non est qui clamet in eis ad me.* Quod fecerunt cum Iehu principes, à vera religione transfugæ, id feciſſe videntur cum aliis Regibus, seu iudicibus qui deinde rem Israeliticam moderati sunt. Vt enim ipsi inflammati erant væsano vitulorum amore: sic etiam Reges & iudices vitulorum amore sic inflammarunt, vt non aliter arderent, quàm succensa fornax. Quare deinceps nullus fuit è Regibus, & iudicibus populi, qui non acciderit ad vitulorum aras: qui cùm supplices preces, & manus ad idola sustulerint frequenter, nemo tamen ad Deũ clamauit supplex, & illius in rerum angustiis auxilium imploravit. Quomodo Reges omnes, quandiu durauit regnum Israël, à peccatis Ieroboam non recesserint, satis constat.

Vers. 30. *Filij tui vsque ad quartam generationem, sedebunt super thronum Israël.* ] Norat Deus quid feciſſet, & quid postea facturus esset Iehu, noluit tamen priora illa opera abire sine sua mercede, illáque non vulgari, si humanam rationem atque existimationem spectes. Quid enim maius mortalium animi, aut optant aut putant, quàm primum inter omnes locum obtinere. quod accidit Regibus: hoc Deus promittit Iehu, qui regnum iubente atque auspice Deo consequutus est, & eodem auspice posteris vsque ad quartam generationem reliquit: Illi autem fuerunt Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias, quibus vita regnóque defunctis ex alia familia Reges suffecti sunt. vt habes infrà cap. 15. v. 12. 21.

Vers. 32. *In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israël.*] Cùm eo tempore corrupto iam Iehu, & cum aliis in commune scelus turpiter dilapso, nihil in tanto populo appareret, quod vindicem peccatorum dexteram contineret, tædio affectus Deus seueriùs statuit de re Israëlitica, quam in omnem intemperantiam & labem proiectam videbat. Quare tradidit populum Hazaëli Regi Syriæ, per quem vexare voluit rebellem illam gentem, qui sic fauente, imò & auctore Deo gessit rem feliciter, vt tribus, quæ vltra Iordanem consederunt, graui plaga percusserit. Quid præterea gesserit Iehu, postquam Baalis templum, statuam, sacerdotes, & inanem superstitionem delerit, nihil habemus; licèt multa alia fortiter feciſſe dicatur, quæ relata fuisse dicuntur in commentarios Regum Israël, quæ *verba dierum* appellantur; ex quibus videtur Oseas sumpsisse c. 7. illa quæ de illius animo languido, & timido dicebamus. Regnauit autem annos viginti, & octo, quibus exactis in Samaria regia ciuitate tumulatus est. 22.

---

# IN CAP. XI. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*OCCVPAVIT Athalia Ochoziæ mater regnum Iuda, quod vt proprium haberet, atque perpetuum, omnes Ochoziæ filios, suósque nepotes interfecit. Exemit tamen Ioſaba Ochoziæ soror à cæde illa infantem Ioas, qui mortis opinione mortem effugit. Quem in templo absconditum, cui Ioiadas coniux, summúsque Sacerdos præerat, sexennio seruauit. Cùm autem Sacerdos maturum tempus esse duxit, vt populo regium puerum ostenderet, quem nemo crediderat à cæde reliquum, aduocauit strenuam militum manum, armauitque, & docuit quid facto opus esset, ne conatus ille pius abiret inanis. Productus est igitur puer regio ornatus habitu, plaudente atque clamante multitudine. Quas voces cùm audisset Athalia, descendit in templum, & insidias sibi instructas esse clamat. Quam sacerdos extractam è templo perire iubet: fœdúsque inter Regem & populum de more paciscitur. Destructisque aris, quas Regum impietas, & Athaliæ maximè extruxerat Baal, & vrbem, & regnum ab omni nefaria superstitione purificat.*

CAPVT

## CAPVT VNDECIMVM.

1. AThalia verò mater Ochoziæ, vidēs mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium.

2. Tollens autem Ioſaba filia regis Ioram, ſoror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata eſt eum de medio filiorum regis qui interficiebantur: & nutricem eius de triclinio: & abſcondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur.

3. Erátque cum ea ſex annis clàm in domo Domini: porrò Athalia regnauit ſuper terram.

4. Anno autem ſeptimo miſit Ioiada, & aſſumens centuriones & milites, introduxit ad ſe in templum Domini, pepigítque cum eis fœdus: & adiurans eos in domo Domini, oſtendit eis filium regis:

5. Et præcepit illis, dicens: Iſte eſt ſermo, quem facere debetis:

6. Tertia pars veſtrum introeat ſabbato, & obſeruet excubias domus regis. Tertia autem pars ſit ad portam Sur: & tertia pars ſit ad portam, quæ eſt poſt habitaculum ſcutariorum: & cuſtodietis excubias domus Meſſa.

7. Duæ verò partes è vobis, omnes egredientes ſabbato, cuſtodiant excubias domus Domini circa regem.

8. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus veſtris: ſi quis autem ingreſſus fuerit ſeptum templi, interficiatur: eritíſque cum rege introeunte & egrediente.

9. Et fecerunt centuriones, iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada ſacerdos: & aſſumentes ſinguli viros ſuos, qui ingrediebantur ſabbatum, cum his, qui egrediebantur ſabbato, venerunt ad Ioiadam ſacerdotem.

10. Qui dedit eis haſtas, & arma regis Dauid, quæ erant in domo Domini.

11. Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua, à parte templi dextera, vſque ad partem ſiniſtram altaris & ædis, circum regem.

12. Produxítque filium regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium: feceruntque eum regem, & vnxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: Viuat rex.

13. Audiuit autem Athalia vocem populi currentis: & ingreſſa ad turbas in templum Domini,

14. Vidit regem ſtantem ſuper tribunal iuxta morem, & cantores & tubas prope eum, omnémque populum terræ lætantem, & canentem tubis: & ſcidit veſtimenta ſua, clamauítque: Coniuratio, coniuratio.

15. Præcepit autem Ioiada centurionibus, qui erant ſuper exercitum, & ait eis: Educite eam extra ſepta templi, & quicumque eam ſecutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim ſacerdos: Non occidatur in templo Domini.

16. Impoſuerúntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum, iuxta palatium, & interfecta eſt ibi.

17. Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum, & inter regem, & inter populum, vt eſſet populus Domini, & inter regem & populum.

18. Ingreſſúſque eſt omnis populus terræ templum Baal, & deſtruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt validè: Mathan quoque ſacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et poſuit ſacerdos cuſtodias in domo Domini.

19. Tulítque centuriones, & Cerethi & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxerúntque regem de domo Domini: & venerunt per viam portæ ſcutariorum in palatium, & ſedit ſuper thronum regum.

20. Lætatúſque eſt omnis populus terræ, & ciuitas conquieuit: Athalia autem occiſa eſt gladio in domo regis.

21. Septémque annorum erat Ioas, cùm regnare cœpiſſet.

---

# IN CAP. XI. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

Verſ. 1. *Athalia verò mater Ochoziæ videns mortuum filium ſuum ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium.*]

1. DVo hîc video planè admiranda: alterum quod magis videtur mirabile, mulieris, addo etiam alienigenæ, ſubire dominatum, & tyrannico iugo ingenuũ, & nobile collum ſubiecíſſe. Sed nihil non audet mulieris ambitio, quæ, in quamcunque velit partem, vehemens eſt. Reliquerat Ochozias ex multis, vt ferebat illius temporis conſue-

tudo, vxoribus, & concubinis plures filios, ad quos hæreditario iure paternum regnum pertinebat, quibus vt ſibiipſi vendicaret, regnum inuidit.

2. Verſ. 2. *Tollens autem Ioſaba filiâ Regis Ioram, ſoror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata eſt eum.*] Ioſaba, quæ lib. 2. Paral. dicitur Ioſabeth, ſoror erat ex patre Ioram Ochoziæ, non verò ex Athalia matre, ſed ab alia Iorami vxore ſuſcepta, alioqui cum Ioiada ſacerdote maximo, cui nupſerat, in Athaliæ mortem non conſpiraſſet. Hæc ergo cùm Athalia in regium genus ferino planè more baccharetur, Ioas filiorum Regis minimum illius crudelitati ſubtraxit; cum quo ſimul abſtulit nutricem, quæ in eodem cum infante triclinio, ſeu cubiculo morabatur. Et vtrumque ſeruauit concluſos in templo, quod facilè à ſummo Sacerdote, ſuo nempe coniuge impetrare potuit. Qui ea de re non minus quàm vxor laborabat, vt euentus ipſe docuit.

3. Verſ. 3. *Erátque cum ea ſex annis clàm in domo Domini.*] Porrò Athalia regnauit ſuper terram. Sex annis delituit in templo infantulus Ioas, ſimul cum ea, id eſt, cum nutrice; cuius opera indigebat infantulus, aut cum Ioſaba amita, quæ illius incolumitati inuigilabat ſedulò, aut potiùs cum vtraque. De nutrice eſt omnino certum, ſic enim expreſsè lib. 2. Paral. c. 22. v. 11. *Abſconditque eum cum nutrice ſua.* cum vtraque verò in templo fuiſſe legimus ibidem v. 12. *Fuit ergo cum eis in domo Dei abſconditus.* Totos verò ſex annos, in quibus quaſi in carcere, ſeu cuſtodia nobili clauſus fuit Ioas, regnum obtinuit Athalia. In lib. Paral. citato cuſtoditus dicitur Ioas cum nutrice in cubiculo lectulorum. Hic autem locus non fuit triclinium, vnde ſumptus fuit Ioas, & tranſlatus in templum, licèt *triclinium* idem penè ſit, quod cubiculum lectulorum; ſed fuit locus in templo, vbi Ioas latuit toto ſexennio, quo Athalia regnauit. Eſt autem *locus lectulorum*, cubiculum illud, quod paſtophorium dicitur, qualia fuerunt in templo plurima, vbi habitant aut qui templo præſunt, aut qui in eo excubant, aut cuſtodiæ vel ſacri alicuius miniſterij gratia. In nullo autem loco regius infans commodiùs, quàm in paſtophorio occultari potuit. Paſtophorium autem appellari arbitror etiam *thalamum* ab Ezechiele c. 40. v. 7. vbi diximus thalamum propriè non eſſe lectum; ſed cubiculum vbi lectus ſternitur.

4. *Ioas vbi latuit.*

5. Verſ. 4. *Anno autẽ ſeptimo miſit Ioiada, & aſſumẽs cẽturiones,* &c.] Annus hic ſeptimus dicitur, aut ætatis pueri, quia, vt habes lib. 2. Paral. c. 4. in principio ſeptẽ annorum erat, cùm regnare cœpiſſet, aut certè regni Athaliæ; nam ſex annos fortaſſe regnauit totos, & partem anni ſeptimi, quia, vt ſæpe diximus, inchoatus annus pro integro numerari ſolet. Tunc autem ſacerdos ſummus ſecretò aduocauit militiæ præpoſitos, ac principes, & ſuam illis cogitationem aperuit, nempe abolere velle illam Iſraelitici nominis labem, & ſublata Athalia, cuius imperio ignominiosè paruerant, legitimo hæredi, & contribuli ſuo, paternum regnum reſtituere. Et cùm primùm eos iuramento adegiſſet, ne quid proderent eorum, quorum cauſa aſciti fuerant, & ſuam operam commendato ſibi negotio ſtrenuámque præſtarent, filium Regis produxit coràm, de quo nihil ad illud vſque tempus audierant. Edixítque, quid cuique faciendum, & imperatorio more (neque enim vllus erat, qui munus illud obire poſſet meliùs) ſuas ſingulis ſtationes, cuſtodiáſque diſpoſuit. Quæ fuerit iſta diſtributio, ſatis conſtat è litera. Sed ſunt nobis obſeruanda nonnulla ex lib. Paral. & cap. ſæpius citato.

Primùm, vt colligitur ex lib. Paral. c. 23. v. 2. congregati ſunt ad ſummi ſacerdotis imperium Leuitæ de cunctis vrbibus Iuda, quorum ingens erat numerus, quique in atrium ſacerdotale, ſiue interius intrare poterant, quò nemini patebat acceſſus, niſi ex ordine eſſet ſacerdotali, ſeu Leuitico. Quare v. 6. id datum eſt negotij Leuitis, ac ſacerdotibus, vt atrium ſuum ingreſſi Regem cuſtodiant, qui in illo atrio non longè ab æde, id eſt, à tabernaculo ſeruabatur, quibus ex armamentario deprompſit arma, quæ Dauid olim in templo conſecrauerat. Edixítque Leuitis ne quemquam aliũ, in templum intrare ſinant, interficiántque quotquot contrà nitantur, & Regem ipſum ſiue exeuntem, ſiue ingredientem comitentur, & tegant. 6.

Illud item obſeruandum, ingentem illam Leuitici generis multitudinem, quæ varia in templo obibat miniſteria, in viginti quatuor claſſes eſſe digeſtam, quæ ita miniſtrabant in templo, vt ſabbatis excederent, quę iam ſuo munere perfũctę fuiſſent, & eodem die aliæ ſuccederent recentes, quæ eadem poſtea miniſteria ſubirent. Quod conſtat ex lib. Paral. 1. c. 9. v. 25. vbi cùm actum eſſet de his, qui templo darent Leuiticam, ſeu ſacerdotalem operam, ſubditur, *Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in ſabbatis ſuis de tempore vſque ad tempus.* & colligitur ex hoc capite v. 9. vbi centuriones ex genere nimirum Leuitico aſſumpſiſſe dicuntur de viris ſuis, *qui ingrediebantur ſabbatum, cum his, qui egrediebantur ſabbato.* Ex quo fiebat, vt magnus fieret in ſabbatis concurſus eorum, qui excedebant è templo, & qui eodem loco ad eadem miniſteria recentes aduenerant. Quare prudenter Ioiadas ſacerdos congregari iuſſit, quos ſui conſilij adminiſtros habere voluit, vt turbæ non coniuratæ ad arma, ſed ad ſacra templi miniſteria conueniſſe viderentur. Cætera quæ ad templi, pueríque cuſtodiam pertinent, obſcura non ſunt. 7. *Leuitæ per vices ſuas miniſtrabãt in templo.*

Verſ. 7. *Si quis autem ingreſſus fuerit ſeptum templi, interficiatur.*] Studebat Ioiadas puerum regium inaugurare ritu legitimo, & ne quis tumultus ab Athalia, aut ab aliis, quibus illa noui Regis renũtiatio non placebat, ortus, ſuis cogitationibus obſtreperet, aut in diſcrimen adduceretur pueri caput, aut excitata ſeditio rem turbaret publicam, edixit ne quis, præter illos, quos ipſe aduocarat, armauerátque contra omnem euentum, tranſgreſſus ſepta templi in conuentum irrumperet. Septũ hic appellari puto; quem Ezechiel c. 40. vocat murum forinſecum. *Ecce*, inquit, *murus forinſecus in circuitu domus vndique.* Erat autem murus hic extrarius in circuitu templi quaſi illius munimentum, quod Septuaginta vocant antemurale, Græcè προτείχισμα vel περίβολος προτείχισμα quidẽ, quia templo prætenditur, peribolus autem, quia illud vndequaque circundat. Hoc quidem habuit templum, quod oſtenſum fuit Ezechieli, & ad exemplar Ezechieli propoſitum poſtea à Zorobabele conſtructum. Quod etiam fuiſſe in templo à Salomone condito, in quo hæc omnia gerebantur, indicat illud Ieremiæ Thren. 2. v. 7. *Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius.* Scio fuiſſe peribolum alium qui exterius atrium ab interiori, id eſt, à ſacerdotali ſecernerat, de quo Ezechiel c. 42. ſed eſt dubium an ille fuerit in Salomonis templo. Neque videtur improbabile cauiſſe Ioiadam 8. *Septũ quid.* *In templo quid antemurale, ſeu murus forinſecus.*

dam, ne quis in sacerdotale atrium irrumperet, vbi scena illa peragebatur. Sed de extrario septo, siue muro sermonem esse, mihi videtur probabilius.

10. *Testimoniū idē quod lex.* Vers. 12. *Produxítque filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium.* ] Obseruauit Ioiadas illa omnia, quæ lex iubet fieri, dum aliquis Rex in suo populo constituitur, de quibus nos pluribus lib. 1. Regum c. 10. Est autem testimonium idem quod lex, seu deuteronomium, quod lib. 2. Par. c. 24. v. 11. clariùs expressum est, *dederúntque in manu eius tenendam legem.*

11. Vers. 13. *Audiuit autem Athalia vocem populi.*] Non difficile fuit Athaliæ vocem lætantis populi, clangentis tubæ, & turbæ, huc illúcque discurrentis audire, cùm regia domus esset proxima templo, quod tantæ multitudinis clamoribus resonabat. Quare statim aduolat ad templum, & cùm puerum regium, quem adhuc esse superstitem non putabat, ab obuia turba, vt est verisimile, filium esse didicit Ochoziæ, quem ipsa occidisset cum aliis fratribus, nisi Iosabeth amitæ & nutricis solertia, ab imminente iam ferro esset ereptus. Vt enim ait Iosephus lib. 9. c. 7. *Iosabeth regiam ingressa cùm inter cæsorum cadauera latentem nutricis opera anniculum puerum Ioas deprehendisset, ablatum furtim domi in suo cubiculo abdidit, & solo marito conscio sex annis in templo clam aluit.* Quare si vera sunt, quæ tradit Iosephus, infans ille cum aliis ad mortem expositus opinione mortis mortem effugit.

*Ioas pro mortuo ab Athalia relictus.*

12. Vers. 15. *Educite eam extra tecta templi, & quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio.* ] Venerat Athalia, vt Reginam decebat, licèt subito quodam horrore perculsa, & festinato gressu, stipata familiari comitatu, & prætoriana cohorte: neque fortasse deerant plurimi in eo conuentu, qui, quia ad suas rationes non videbatur importuna dominatio fœminæ, illius partibus libenter adhæserant, qui magnos timebantur excitaturi motus. His tot incommodis occurrendum ratus magnus sacerdos, præcipit, vt inquit suprà Iosephus, vt Athalia sola admitteretur in templum, & foras excluderentur prætoriani milites: deinde ne quam ex fœminea cæde domus illa sacra acciperet iniuriã, illã priùs extrahi iubet extra septa tẽpli, id est, extra murum illum extrinsecum, seu peribolum, de quo nuper; qui locum profanum à sacro secernebat. Quòd si quis Reginam sequeretur, vel vt illam ab iniuria, seu à plaga defenderet, vel vt illius se partibus adiungeret, illum quamprimum vt occiderent, centurionibus edixit. Extracta igitur fuit ex templo, & iuxta regiam domum, quæ non aberat procul, interfecta. Iosephus tradit (fortasse ex antiqua memoria, neque enim id sumere ex Scriptura potuit) centuriones à Ioiada accepisse mandatum, vt Athaliam raperent ad torrentem Cedronis, vt ibi suorum scelerum pœnas daret.

13. *Pactum inter Deum, & Regem cumprimum digitur.* Vers. 17. *Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum & inter Regem, & inter populum, vt esset populus Domini, & inter Regem & populum.* ] Sicut Moyses ad Dei imperium pactus est fœdus inter Deum, & populum, Exod. c. 19. quasi arbiter & mediator inter Deum & hominem, sic etiam nunc Ioiada, qui cùm sacerdos esset summus, causam agebat Dei, cuius erat familiaris minister. Pactum autem inter Deum & Regem illud est, vt opinor, de quo Deut. 17. v. 16. ad finem vsque capitis, vbi præscribit Regi, quid facere debeat. Illud præcipuè, de quo v. 18. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis huius, in volumine accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus. Et habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias eius,* &c. Hęc exigit à Rege Dominus, quæ si studiosè seruauerit, illi Deus, & ipsius posteris regnum promittit. *Vt longo,* inquit, *tempore regnet ipse, & filij eius super Israel.*

Pepigit item fœdus inter Deum, & populum, quod nihil aliud fuit, quàm iteratio, renouatióque fœderis quondam initi cum populo. De quo Exod. c. 19. v. 5. vbi Deus aliquid promittit, & aliquid etiam exigit à populo. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis (mea est enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Cúmque hæc Domini verba Moyses retulisset ad populum, respondit omnis populus simul, *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* De fœdere inter Regem & populum nihil habemus in Scriptura, quod ego meminerim. Pactum autem esse inter rempublicam & principem, nemo nescit. Recipit enim in se princeps, regni, legum, æquitatísque tutelam, futurum se patriæ, religionísque custodem, & vindicem promittit. Populus contrà Regi obseruantiam, & fidem, tum deinde sumptus & ad regiam maiestatem conseruandam, & ad illa honestè, & vtiliter administranda, quæ ad communes vsus, & dignitatem pertinent. Tale pactum pepigerunt cum Dauide seniores Israel, quando illum præposuerunt regno lib. 2. Regum c. 5. v. 3. *Venerunt quoque seniores Israel ad Regem in Hebron, & percussit cum eis Rex Dauid fœdus coram Domino;* vide quæ nos ad illum locum.

14. *Pactum inter Deum & populum.*

*Pactū inter Regem & populum.*

Vers. 18. *Ingressúsque est omnis populus terræ templum Baal.* ] Quo tempore regnauit Athalia, quæ vt Iezabelis filia ex genere Sidonia, facilè persuasit viro suo Ioram, vt Sidoniorum Deum Baal, & nobili templo, & diuinis honoribus prosequeretur. Quod detractis tẽpli Salomonis spoliis, exornauit, vt constat lib. 2. Paral. c. 24. v. 7. Et licèt dum illa duo monstra viuerent, subiectus populus mutire non auderet, tamen postquam sublata est Athalia: & tota ferme potestas ad Ioiadam venit, qui pro Ioas adhuc puerulo rem moderabatur Israeliticam, ille idem populus in templum Baali ab Athalia constructum irrumpens aras euertit, simulacrum comminuit, & sacerdotem nefariæ religioni ab Athalia præpositum interemit. Hoc porrò fecit populus, vt pactum præstaret, quo se Deo nuper obligarat. Populus terræ iuxta Hebræorum idioma plebeiã significat multitudinem, sic sanè Ieremias c. 44. *Reges vestri, & principes vestri, & populus terræ.* Et idem c. 52. *& septem viros de his, qui videbant faciem Regis,* &c. *& sexaginta viros de populo terræ.*

15.

*Populus terræ quid.*

*Et posuit sacerdos custodias in domo Domini.* ] Eo tempore quo dominata est Athalia, cùm Sidoniã religionem coleret, & ad illam mariti quoque studium allexisset, frigebat Hebræorum religio, & multa iacebant, quæ melioribus sæculis egregiè viguerant. quàm impiè templi splendorem obscurarit Athalia, habes lib. 2. Par. c. 24. v. 7. Inter alia aut sublatæ erant, aut imminutæ custodiæ, quę excubias agebant pro templo, illas restituit Ioiada, aut quia id ad templi dignitatem pertinebat, aut quia cùm templum Baalis esset tunc violatum, & ignominiosè illius sublata religio, timere potuit meritò sacerdos summus, ne qui ægrè tulissent Baali nuper irrogatam iniuriam, aliquid auderent in templum Domini, & illius siue ruina siue ignominia dolorem suum ex Baalis violatione conceptum solarentur. cui incommodo vt maturè caueret,

16.

ueret,cuſtodum excubias in templo diſpoſuit.

17. Verſ.19. *Tulítque centuriones,& Cerethi, & Phelethi.*]Quinam ſint Cerethi & Phelethi, explicuimus lib.2.c.8.Hi verò fuere viri fortes,& qui apud Latinos dicuntur prætoriani milites, quibus credita eſt regij, aut imperatorij corporis cuſtodia, quibus communitus ſacerdos regium puerum ex templo in palatium rraduxit, vt in regio ſederet throno,& ſuam ibi fauenti, & gratulanti populo maieſtatem oſtenderet.

18. *Et venerunt per viam portæ ſcutariorum.*]Cùm regia domus multas haberet portas, vt in domibus amplis neceſſe eſt,ad aliquam illorum armamentarium erat, in quo ſcuta ſeruabantur, quæ antè Reges de more geſtabant, aut prætoriani milites, A aut alij,qui dignitatis tantùm gratia Regem præcedebant. Quæ aurea primum excudit Salomon, deinde Roboam ex ære conflauit. De quibus lib. 3.Reg.c.14.v.26. vbi cùm alia multa Roboamus dediſſe diceretur Seſac RegiÆgypti,additur,*ſcuta quoque aurea quæ fecerat Salomon,pro quibus fecit Rex Roboam ſcuta ærea,& tradidit ea in manum ducũ ſcutariorum, & eorum, qui excubabant ad oſtium domus Regis. Cúmque ingrederetur Rex in domũ Domini,portabant eã,qui præeundi habebant officium, & poſtea reportabant ad armamentarium ſcutariorum.* Per portam ergo, iuxta quam erat ſcutorum illorum armamentarium, deductus eſt Ioas in domum regiam, quam deinceps, vt verus Dominus habitauit.

---

# IN CAP. XII. LIB. IV. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*EVIT Ioas principiò religioſus Princeps, quandiu Ioiadas vixit. Quem ſicut auctorem habuerat comparandi regni,ſic etiam ducem, & magiſtrum habere voluit. Qui eò primùm incubuit, vt ea reficeret, quæ vel tempus attriuerat, vel hominum iniuria labefactarat in templo. Quam curam vtpote quodammodo ſacram ſacerdotum fidei commendauit. Quos cùm de ſartis tectis templi minus, quàm putarat, ac vellet ſollicitos videret,pecuniam ad eos vſus à populo collectam, & curam reparandi, atque ornandi templi aliis commiſit, qui ex Leuitico genere non eſſent,quibus quam ea in re formam ſeruari vellet,accuratè præſcripſit. Sub id tempus Hazael Rex Syriæ bellum adornabat contra Ieruſalem; quem vt ab ea cogitatione deduceret, dona ad illum miſit ingentia,ſpoliata domo Domini, & Regia his ornamentis, quæ alij ante ſe Reges adillarum ſplendorem cumulatè contulerant.Tandem cùm mortuo Ioiada minùs moderatè ac piè regnum adminiſtraſſet,à ſeruis ſuis, coniuratione facta, ſublatus eſt.*

## CAPVT DVODECIMVM.

1. ANno ſeptimo Iehu, regnauit Ioas: & quadraginta annis regnauit in Ieruſalem,nomen matris eius Sebia de Berſabee.

2.Fecítque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada ſacerdos.

3.Veruntamen excelſa non abſtulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat in excelſis incenſum.

4. Dixítque Ioas ad ſacerdotes: Omnem pecuniam ſanctorum,quæ illata fuit in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam ſponte & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini:

5.Accipiant illam ſacerdotes iuxta ordinem ſuum, & inſtaurent ſartatecta domus, ſi quid neceſſarium viderint inſtauratione.

6.Igitur vſque ad vigeſimum tertium annum regis Ioas, non inſtaurauerunt ſacerdotes ſartatecta templi.

7. Vocauítque rex Ioas Ioiadam pontificem & ſacerdotes, dicens eis: Quare ſartatecta non inſtauratis templi? nolite ergo ampliùs accipere pecuniam iuxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem templi reddite eam. B

8. Prohibitíque ſunt ſacerdotes vltrà accipere pecuniam à populo, & inſtaurare ſartatecta domus.

9. Et tulit Ioiada pontifex gazophylaciũ vnum, aperuítque foramen deſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini,mittebántque in eo ſacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.

10.Cúmque viderent nimiam pecuniam eſſe in gazophylacio, aſcendebat ſcriba regis,& pontifex,effundebántque & numerabant pecuniam,quæ inueniebatur in domo Domini. C

11. Et dabant eam iuxta numerum atque menſuram, in manu eorum qui præerant cæmentariis domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum,& in cæmentariis iis,qui operabantur in domo Domini,

12. Et

12. Er ſartatecta faciebant: & in iis, qui cædebant ſaxa, & vt emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita vt impleretur inſtauratio domus Domini, in vniuerſis quæ indigebant expenſa ad muniendam domum.

13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuſcinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia, quæ inferebatur in templum Domini.

14. Iis enim qui faciebant opus, dabatur vt inſtauraretur templum Domini:

15. Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam vt diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam.

16. Pecuniam verò pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia ſacerdotum erat.

17. Tunc aſcendit Hazael rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam, & direxit faciem ſuam vt aſcenderet in Ieruſalem.

18. Quam ob rem tulit Ioas rex Iuda omnia ſanctificata, quæ conſecrauerant Ioſaphat, & Ioram & Ochozias patres eius reges Iuda, & quæ ipſe obtulerat: & vniuerſũ argentum, quod inueniri potuit in theſauris templi Domini, & in palatio regis: miſitque Hazaeli regi Syriæ, & receſſit ab Ieruſalem.

19. Reliqua autem ſermonum Ioas, & vniuerſa quæ fecit, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

20. Surrexerunt autem ſerui eius, & coniurauerunt inter ſe, percuſſerúntque Ioas in domo Mello in deſcenſu Sella.

21. Ioſachar namque filius Semaath, & Iozabad filius Somer, ſerui eius, percuſſerunt eum: & mortuus eſt: & ſepelierunt eum cum patribus ſuis in Ciuitate Dauid, regnauítque Amaſias filius eius pro eo.

# IN CAP. XII. LIB. IV. REGVM COMMENTARII.

Verſ. 1. *Anno ſeptimo Iehu, regnauit Ioas, & quadraginta annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Sebeia de Berſabea.*

1. IN eodem anno, quo mortuus eſt Ochozias & regnare cœpit Iehu in Iſrael, natus fuit Ioas; ſeptennis enim regnare cœpit, quo tempore in ſuo regno ſeptimum annum agebat Iehu. Nomen & patria matris, quæ fuiſſe dicitur ex Berſabea, oſtendunt hunc Ioam non habuiſſe matrem illam, quæ ex domo Achab nupſit Ochoziæ, vt habes ſuprà c. 8. v. 27. Hæc autem non diceretur orta de Berſabee, quia commendatio hæc vulgaris erat, ſed de domo Achab, quæ maior erat, & magis propria, ac nota commendatio.

2. Verſ. 2. *Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada ſacerdos.*] Quandiu vixit Ioiada, cui ſe formandum tradiderat Ioas, à quo accepit publicæ adminiſtrationis formam, à cuius præceptis atque obſeruantia non recedebat, cùm ab illo accepiſſet quòd regnaret, &, propè dixerim, quòd ſpiraret, & viueret, fecit quod bonum, & religioſum principem decebat. At poſtquam exactis annis centum & triginta ſacerdotio pariter, & vita defunctus eſt Ioiada, vt habemus lib. 2. Par. c. 24. v. 16. quorundam principum conſiliis, quos Athalia aut donis, aut artificio corruperat, ita corruptus eſt, vt veram religionem prodiderit, neque minori ſtudio coluerit Baal, quàm vel Athalia, vel illi qui primùm peſtem illam in Iſraelis fines induxerunt. *Poſtquam autem*, inquit, *obiit Ioiada, ingreſſi ſunt principes Iuda, & adorauerunt Regem, qui delinitus obſequiis eorum acquieuit eis: & dereliquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſeruieruntque lucis & ſculptilibus.* Ex quibus verbis non obſcurè colligitur non permiſſiſſe Ioiadam, quandiu vixit, accedere ad nouum Regem principes illos, aut alios, quorum non eſſent probati mores, & explorata religio. Quia videbat tranſuerti facilè poſſe pueri diſciplinam, & corrumpi mores, quos ipſe à teneris annis in infante Rege tãdiu, tãtóq; labore formauerat. qui ſublato ſene, ſublatum eſſe exiſtimarunt impedimentum, quod ipſos ab aſpectu, & conſuetudine Regis morabatur. Accedunt igitur læti, omnia promittunt officiorum obſequia, illecebris capiunt, ad ſuos denique mores, & imaginem fingunt, faciunt denique ex bono principe, & veræ religionis amante, impium, ſceleratúmque tyrannum, & à patria religione ad idolorum nefaria ſacra transfugam, à religioſo denique non Gentilem ſolùm, ſed etiam gentilicæ veſaniæ patronum & vindicem. Vide quid faciant conſiliarij, in quibus conſilij & pietatis parum eſt, qui ſibi quàm ſimillimum principem faciunt, qui quo magis potentia atque auctoritate poſſunt, & minus à legum ſeueritate timẽt, eo maiori indigent fræno, cùm maiores habeant ad omnem improbitatem impulſus.

*Mali conſiliarij aut familiares corruptela principum.* 3.

Verſ. 3. *Veruntamen excelſa non abſtulit.*] Cùm alia omnia impietatis fomenta ad ſacerdotis imperiũ ſuſtuliſſet Ioas, excelſa tamen non abſtulit, quod illi cum aliis penè omnibus Regibus commune fuit, de quibus hoc quaſi legitimum additur, *verũtamen excelſa non abſtulit*: ſunt autẽ *excelſa* loca nefariæ religioni conſecrata, ſiue quia illa plerumque 4. *Excelſa quid.*

que sublimia sunt, siue quia altaria supra terram attollunt, quæ ideo vocari potuerunt excelsa, & hoc fortasse potius, vt diximus lib. 3. cap. 15. v. 14. Porrò licèt pleraque excelsa siue illa altaria fuerint, siue montium fastigia idolorum cultui consecrata, tamen Deo vero à religiosa turba licet parum religiosè sacrificabatur, cùm sacrificare non licèret, nisi in designato loco, maximè post excitatum templum. Quòd verò sacerdotes soliti essent sacrificare Domino in excelsis, docet illud Iosiæ iudicium infrà c. 23. v. 9. *Non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Ierusalem, sed tantùm comedebant azyma.* Vide Abul. q. 2. Cur non sustulerit impia illa sacraria, ea videtur esse ratio, quia turbas timebat, quas excitare solet popularis furor, cùm id eripitur, ad quod plurimorum animi afficiuntur. Sanè fuisse principes, quorum animis insitus fuerit amor in Baal, neque illos exiguo numero, satis probant principes illi, de quibus proximè, qui cùm in viuis desiit esse Ioiada, nimis credulum Regem ad omnem impietatem perpulerũt.

5. Vers. 4. *Duxitque Ioas ad sacerdotes omnem pecuniam sanctorũ, quæ illata fuerunt in templum Domini.*] Cùm Athalia regnante, aut etiã cùm viuerent & coniunx Iorã, & filius Ochozias, in quos mulier callida, & vehemens plurimum habuit potestatis, religio frigeret, & ipsi etiam Principes alienos à patria sanctitate animos haberẽt, facile fuit Athaliæ spoliare templum ab his ornamentis, quæ habuit maxima, & quæ tueri poterant illustrem illã molem, aut conuellere, aut debilitare quantũ posset. Quod fecit non minus auidè, quàm auidè voluit simulacra honestare Sidonia. Ita habemus lib. 2. Par. c. 24. v. 7. *Athalia enim impiissima, & filius eius destruxerunt domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in tẽplo Domini, ornauerunt fanũ Baalim.*

*Ex templo ad ornanda idolorum delubra ornamenta sublata.*

6. Antequam quod sequitur explicare aggrediar, obseruo in templo varia à variis offerri solita, sed non omnia ad eosdem vsus. Quædam à Deo sic offeruntur, vt consumantur in altari, & in fumum abeant, qualia sunt holocausta: quædam in vsum cedunt sacerdotum, qualia sunt sacrificia pacifica, & quæ offeruntur pro peccato; quorum pars ad sacerdotes, pars ad alios, atque alios pro varia rerũ qualitate pertinet. Alia verò ad templi pertinent multiplices vsus, ad vasa nimirum sacri ministerij, ad vestimenta, atque ornamenta sacra, ad concinnanda, atque instauranda, quæ vsu detrita, aut tempore ruinosa, atque collapsa sunt; qualia sunt quæ nunc pro sartis tectis à lege destinantur, de quibus hîc sermo.

*Munerum, quæ offerũtur in templo, differentia.*

7. Hæc porrò pecunia ab illis exigebatur, qui vigesimum annum expleuissent, quique arma tractare poterant, de quibus Exod. 30. v. 12. *Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen dimidium sicli iuxta mensurã templi.* Et statim v. 16. *Susceptámque pecuniã, quæ collata est à filiis Israel, trades in vsus tabernaculi testimonij.* Hi verò qui vigesimum annum prætergressi sunt, dicuntur in loco proximè citato ex Exod. transisse ad nomen, id est, peruenisse ad illam ætatem, in qua censeri possent, & in illorum numerũ, & ordinem referri, qui ad militiam iudicãtur idonei. Hoc autem loco *prætereuntes*, quia iam prætierunt, id est, excesserunt ex illa ætate, quæ ad bellicũ pondus censebatur infirma. Quia verò singulis annis in qualibet ciuitate multi sunt, qui vigesimũ complent annum, obire solent quæstores tẽpli, siue exactores pecuniæ sacræ ciuitates, vt pecuniam templo debitã, ex capitibus singulis in sacrum ærariũ conferant. Porrò hoc tributũ singulis annis templo solere dependi, docet Iosephus lib. 7. de bello c. 26. vbi sic de Vespasiano post subactam Iudæam. *Stipendium verò vbicunque degerent, Iudæis indixit, binásque drachmas singulis annis deferre in Capitolium iussit, ita vt antehac Ierosolymorum templo pendebant.* Duæ autem drachmæ idem valent quod dimidium sicli, quod Israelitæ cùm excessissent ab anno vigesimo, templo soluebant.

*Iudæi, quæ tẽplo prius offerebant, ad Capitolium deferre coacti.*

*Quæ offertur pro pretio animæ.*] Duplex esse potest huius loci sententia. Altera est hoc legitimo, & annuo tributo profiteri hominem, cùm ætati accessit iuuenile robur, quicquid habet, id totum se debere Deo; & ea professione se totum Deo mancipio dat. Deinde verò se dimidio redimit sicli, quem dat pro anima sua, id est, pro seipso. Notum est enim alicuius animam pro illo sumi, cuius est anima; quomodo dicere etiã potuisset, *pro suo capite* quia etiã caput pro eo sumitur cuius est caput. Sicut primogenitus debetur Deo; quia Deus Ægyptiorũ occidit primogenitũ. Ille tamen postquam oblatus est Deo, pretio redimitur; sic etiã viri Israelitæ, cùm ex quo annum impleuere vigesimum, Deo sunt oblati, vel ab ipsa lege, vel à consuetudine, oblato pretio, nempe didrachma, aut semisiclo se sibi vendicant atque restituunt: atque ideo ille semisiclus pretium dicitur animæ, quia seipsũ illo pretio redimit, qui à seipso priùs libertatem abdicarat.

8.

Alius sensus est, illud pretiũ animæ ideo vocari, quia ideo penditur, vt Dominus vitã largiatur incolumẽ, & longam, & ab omni seruet valetudinis incõmodo. Et ideo additur Exod. 30. *Et nõ erit plaga in eis cùm fuerint recẽsiti.* & hanc rationem assignauimus lib. 2. Regũ c. 24. cur numeratus populus tã graui plaga percussus fuerit, quia videlicet constitutũ à lege dimidium siclũ nõ exoluit, quod tenet Abulẽsis in Exod. c. 3. q. 9. Hæc porrò numeratio, seu census populi, & pro animarũ pretio legitima solutio, tunc fieri poterat, vt nonnulli putãt, quando bellum ingrueret, vt bellatorum numerus notus esset Regi, aut quando necessitas occurreret publica, qualis esset aut instauratio templi, aut vrbium munitio, aut quiduis aliud quod communibus cõmodis seruiret. De bello constat lib. 2. Par. c. 25. vbi Amasias numerasse dicitur populum, vt contra Idumæos exercitũ conscriberet. Sed sanè, vt vides, hîc nihil de bello, aut re profana agitur, sed de tabernaculo aut templo; vnde Philo hanc pecuniam sacrã appellat. Vide quæ nos de hac re pluribus ad c. 24. lib. 2. Regum. Quia verò graues erant templi, quotidianique sumptus, sæpe etiam haberi poterat populi census, & ex eo sacra colligi pecunia. Fieri verò ad extrema Israeliticę reipublicæ tempora singulis annis probat illud Vespasiani decretum, de quo suprà: sub hæc verò tempora, in quibus nostra versatur cõmentatio, fieri potuisse, satis ostendit hoc regium edictum, de quo lib. 2. Par. c. 24. v. 5. *Congregauit* (Ioas) *sacerdotes, & Leuitas, & dixit eis: Egredimini ad ciuitates Iuda, & colligite de vniuerso Israel pecuniam ad sarta tecta templi Dei vestri per singulos annos.* Quòd verò id neque factum fuerit, fierique debuerit ante hoc tempus, illud satis indicat, quia neq; hoc anno fieret, nisi id cautũ esset, & præceptũ à Rege. Neque populus dimidiũ illũ siclum contulisset ad templũ, nisi speciali quodã edicto foret admonitus, vt cõstitutã à Moyse pecuniam, capite nimirũ sexto Exodi, ad templũ deferret. Sic legimus lib. Par. 5. v. 9. *Et prædicatũ est in Iuda & in Ierusalem, vt deferrẽt singuli*

*Quæ Deo offeruntur, illa hominũ vitam ab omni incõmodo tuentur.*

9.

10.

*Quo tempore fieret cẽsus, conferrẽturque pecunia ad vsus tẽpli.*

*singuli pretium Domino, quod constituit Moyses.* Quod autem sacerdotes & Leuitæ, quibus cõmissa fuerat nõ solùm templi custodia, sed etiam instauratio, pecuniam illam multis antè diebus non collegerint, ea videtur esse ratio, quia aut non videbant ante Athaliæ regnum quid instaurari posset in templo, & cùm regnauit Athalia, quæ templum, quoad potuit, spoliauit & euertit, non audebant instaurare, & reficere, quæ illa tam impiè, & violenter deformarat.

11. *Et quam sponte & arbitrio suo inferunt in templum Domini.* ] Ex his constat singulis hominum capitibus, postquam destinatum à lege tempus implerunt, non esse liberum pecuniam omittere à lege constitutam. Nam cùm de aliis donis atque pecuniis agitur, illa dicuntur sponte inferri, & arbitrio cordis illorum, qui illud, quicquid est, ad vsus templi sacros dedicarunt.

12. Vers. 5. *Accipiant illam sacerdotes iuxta ordinem suum.* ] Cùm variæ essent sacerdotum, Leuitarúmque vices, siue ephemeriæ, quæ etiam ordines appellari possunt, ab illis voluit Rex colligi tractarique pecuniam, qui iuxta seriem, & ordinem suum temporibus sibi destinatis sacro vacarent ministerio, ita vt tot essent curatores, dispensatorésque pecuniæ sacræ, quot essent sacerdotum descriptæ vices.

13. *Igitur vsque ad vigesimum tertium annum Regis Ioas non instauerauerunt sacerdotes sarta tecta templi.* ] Quo anno Ioas sacerdotibus edixerit, vt de reconcinnando templo cogitarent, non constat: Illud est certum anno Regni Ioas vigesimo tertio, cùm templum malè foret ab Athalia diteptum, nihil à sacerdotibus fuisse reparatum. Hoc apertè indicat Rex ipse Ioas, qui cum summo, aliisque sacerdotibus grauiter expostulat, quòd totam videantur de instaurando templo curam abiecisse. *Quare*, inquit, *sarta tecta non instauratis templi.*

14. *Nolite ergo amplius accipere pecuniam.* ] Dupliciter peccabant sacerdotes, & quia non accuratè colligebant pecuniam, quæ in capita illorum, qui ad vigesimum vsque annum adoleuerant, constituta fuerat à lege, & quia si quid eo nomine collatum fuit à numerato populo, id non tam ad communes, & sacros, quàm ad priuatos, & profanos vsus conuertebant. Quare non sine causa Rex ex arbitrio sacerdotum pecuniam remouit, quæ cùm iure communis & sacra sit, iniuria tamen & cupiditate hominũ à seipsa degener profana fit, & propria. Quare si quid accepissent à populo, reddi iubet, vt ex eo reparetur, si quid in templo ruinosum est, & ab illa in posterum cura liberos esse iubet.

15. Vers. 9. *Et tulit Ioiada Pontifex gazophylacium vnum, aperuitque foramen desuper.* ] Ad imperium Regis constitutum est gazophylacium quoddam, quod lib. 2. Paralip. cap. 24. vers. 8. appellatur arca. Illud verò sacerdos Ioiada faciendum curauit, eo modo, vt à parte superiori exiguo foramine pateret, per quod introrsus inferrentur didrachmæ, vt pecunia illa tuta esset à latronum manibus, & facilè eò demitti posset, vel ab eo qui penderet, vel ab illo, qui assideret gazophylacio. Gazophylaciorum autem duo sunt genera, alterum est eorum, quorum in templo magnus est numerus; de quibus Ezechiel c. 4. & de illis nos ibi non pauca, Hebr. לשכה *laschah*, quam vulgatus modò cubiculum, modò exedram, modò gazophylacium, aut pastophorium vocat. Est autem locus amplus in quo templi gazæ variáque supellex asseruari solet. Alterum vocatur ארון *Aron*: hoc verò arcam valet, seu thecam, aut capsellam, quæ collectas à populo eleemosynas excipit, continétque, quam Hispanorum vulgus *cippum* vocat; quæ angustam supra rimam habet, quæ pecuniam admittit intrò, non effundit foras. vbi autem Gazophylacium istud multũ videbatur habere pecuniæ, regius scriba simul cum Pontifice excipiebat illam, numerabátque, & tandem ad artificum, materiæ, & operarum sumptus impendebatur.

*Gazophylacium duo.*

Vers. 13. *Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi*, &c.] Hæc pecunia ad sarta tecta templi, id est, ad instauranda quæ concusserat hominum violentia, aut ætas consumpserat, aut labefactarat, conferebatur. Hispanus diceret *la fabrica y reparos del templo.* Non verò ex his fiebat varia, & multiplex templi supellex, quales sunt hydriæ, luteres, thuribula, tubæ, & alia eiusmodi ex metallo conflata, nisi fortè quando instauratione perfecta aliquid erat reliquum collatitiæ pecuniæ, quod in supellectilem templi conuerti posset. Quod hoc tempore factum est. nam, vt legimus lib. 2. Paralip. c. 24. v. 14. *Cúmque complessent omnia opera, detulerunt* (nempe sacri ærarij custodes) *coram Rege, & Ioiada reliquam partem pecuniæ, de qua facta sunt vasa templi in ministerium, & ad holocausta: phialæ quoque, & cætera vasa aurea, & argentea.* Quòd verò ad sarta tecta seu reparationem templi pertineret, explicatur ibid. v. 13. *Egeruntque hi qui operabantur industriè, & obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitauerunt domum Domini in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt.*

16.

Vers. 15. *Et non fiebat ratio his hominibus, qui accipiebant pecuniam, vt distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.* ] Elegerant, vt apparet, Rex & sacerdos exploratæ fidei homines, quibus tutò sacram illam pecuniam crederent, qui ad reddendam illius rationem non adigebantur. Et quidem ad fraudandam pecuniam tot sunt artificia, tot fuci, vt nemo queat hos honorarios fures furti conuincere. Multo igitur satius est fideles, & bonos rei pecuniariæ, & operi faciundo præficere, quàm industrios, & malos ad seuerum examen & calculos vocare.

17. *Qui pecuniam curãt publicam, illi plerumque fures sunt.*

Vers. 16. *Pecuniam verò pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat.* ] Quid sit peccatum, & quid delictum, disputant scholastici doctores. Mihi in præsentia est satis quod August. docet quæst. 20. in Leuit. *Fortasse*, inquit, *peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni:* & paulo pòst. *Aliud est declinare à bono, aliud facere malum, & illud delictum, hoc peccatum sit. Nam & ipsum peccatum quid aliud sonat delictum, nisi derelictum.* Tam verò sacrificium pro delicto, quàm pro peccato ad sacerdotem pertinere satis est notum. De sacrificio pro peccato dicitur Leuit. 6. v. 26. *Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi.* Et statim, *Omnis masculus de genere sacerdotali vescatur de carnibus eius.* De hostia pro delicto Leu. 7. v. 6. *Omnis masculus de sacerdotali genere in loco sancto vescetur his carnibus.* Et statim, *Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto; vtriusque hostiæ lex vna erit, ad sacerdotem, qui eam obtulit, pertinebit.*

18. *Peccatum & delictum in quo differant.*

Sed quæret hîc aliquis, vndénam ex Scriptura constet pro peccato aut delicto afferri debuisse aut potuisse pecuniam. Abulensis quæst. 15.

19.

postquam sententias alias refutasset, ait, de peccato afferri potuisse sacerdoti pecuniam, si contra ipsum sacerdotem aliquid esset admissum, vt si abstulisset quis quod de victimis ad sacerdotem pertineret, tunc enim præter illatum damnum, & victimam pro illo peccato, quintam etiam partem insuper in pecunia debuit offerre sacerdoti, Leuit. 5. vers. 15. *Anima si præuaricans cæremonias per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarij, ipsúmque quod intulit damnum restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti.* De delicto verò ait, deberi sacerdoti quintam partem damni illati, quod imprudens aliquis admisit, cùm rei ablatæ aut læsæ Dominus ignoratur. Numer. cap. 5. vers. 6. *Qui per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintámque partem desuper, ei in quem peccauerint. Sin autem non fuerit, qui recipiat, dabunt Domino, & erunt sacerdotis.*

20. Placet quidem Abulensis sententia; addam tamen ego aliquid, vt opinor, non abs re. sed primùm obseruo probabile videri non semper ab his, qui expiari volunt à peccato, seu delicto, afferri ad templum victimas, sed nonnumquam, idque non infrequenter, præberi pecunias, quibus à sacerdotibus emantur iuxta legis præscriptum. Qui verò nobiles sunt, aut locupletes, non ita parcè numerant pecunias, vt non addant aliquid, imo & sæpe multum supra legitimum pretium. Illud verò quicquid est, ad sacerdotum spectat vsus, quia ad victimam confertur pro peccato, quæ tota pertinet ad sacerdotem. Quòd autem pro victimis aliquando offerantur pecuniæ, quod omnino perinde est, docent aliquorum exempla, qui cùm victimas commodè non possent, pro victimis pecunias obtulerunt. Sic qui apud Babylonios tenebantur, vt habes Baruch c. 1. v. 6. *Collegerunt pecuniam secundùm quod potuit vniuscuiusque manus, & miserunt in Ierusalem ad Ioakim filium Halciæ, filij Salom sacerdotem, & ad sacerdotes, &c. Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offerte prò peccato ad arã Domini Dei nostri.* Ad sacrificia porrò sæpe pecunias obtulere Gentiles, neque repulere sacerdotes. De Dario liquet lib. 1. c. 6. vbi quæ ad sumptus tam templi, quàm altaris necessaria sunt, de regio fisco præstari iussit. Idem Artoxerxes cap. 7. & Machabæorum tempore Seleucus Asiæ Rex, vt habes 2. Machab. c. 3. Si hoc ita est, non exigua pecunia ex sacrificiis pro peccato, atque delicto, ad sacerdotum vsus peruenire potuit.

*Pecunia pro victimis oblata sacerdotibus.*

21. Vers. 17. *Tunc ascendit Hazaël Rex Syriæ, & pugnabat contra Geth.* ] Extrema pars capitis catastrophen continet miserandam Ioas, qui regnum priùs religiosè, & feliciter obitum, infelici atque impio exitu terminauit. Quænam fuerit causa, iam suprà adduximus, & nonnihil etiam statim adducemus; quia vbi Ioiada in viuis esse desiit, qui iuuenilem leuitatem, & immoderatos impetus sua auctoritate compressérat, statim se in omnem impietatem, & vesaniam proiecit. Quare Deus vlcisci voluit, tum priuatam Regis, tum communem populi intemperantiam, deformato regno, quod nuper instaurari cœperat, & sublata vita, quam Rex, quondam pius, nunc verò idololatra multiplici peccatorum genere corruperat. Immisit enim Hazaelem Syriæ Regem, quem paulo antè per Prophetam regno vnctione destinarat. Qui cùm alias regiones continenti victoriarum cursu, suo subiugaret imperio, tandem victrices copias mouit in Ierusalem, quam eò adduxit, vt Rex de salute & libertate desperãs quo hostem summoueret, & quoad posset periculum redimeret, spoliarit templum, domúmque regiam diuitiis, atque ornamentis omnibus, quæ hostis discedens, Damascum vsque traduxit.

22. Vers. 19. *Reliqua autem sermonum Ioas, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in libro verborum dierum*, &c. ] Horum aliqua habemus in lib. 2. Paralip. cap. 24. quæ hîc afferri non erit abs re. Primum post Ioiadæ mortem, quem suorum morum formatorem habuit, sic mutatum Regis ingenium, vt numquam tinctus videretur honestis disciplinis. Quare coluit idola, quorum antè euerterat aras, & sacraria destruxerat, neque audiuit Prophetarum monita, cùm tamen in illius auribus assiduè personarent. Præbuerat enim faciles aures & obsequentem animum illorum blandimentis, qui cum assentatoriis, & pellacibus verbis venenum instillabant, & quia illa magis arridebant sentienti naturæ, in ea suiipsius impos, præceps ferebatur. Addunt Hebræi in Seder Olam eò Regem progressum amentiæ, vt se pro Deo adorari voluerit, quod ex eo sibi persuadent, quia principes dicuntur adorasse Regem. Sed sanè verbi *adoro*, latiùs patet significatio, & Dauid Rex, qui ab illa insania procul aberat, non semel dicitur adoratus.

*Adorandi verbum.*

23. Cùm autem Zacharias filius Ioiadæ, qui pro defuncto patre summum iam sacerdotium inierat, spiritu afflatus diuino tam Regem, quàm principes impietatis argueret, monerétque vt tandem saperent, & ad patriam religionem reuerterentur, sic in illum efferati sunt, vt non solùm conniuente, sed etiam iubente Rege in loco maximè sacro in atrio domus Domini, hoc est, in atrio sacerdotali, lapidibus oppresserint. Neque puduit Regem illius filium virum innocentem, neque tum de Rege ipso malè, atque de republica meritum atrociter extinguere, à cuius patre habuerat, non solùm vt regnaret, sed etiam vt viueret; cùm autem circunstarent armatæ lapidibus manus, iam morti proximus diuinam imploranit fidem, & auxilium, & suæ mortis vltionem Domino commendauit.

24. Quærunt hîc aliqui an iste Zacharias ille sit de quo Christus apud Matthæum cap. 23. qui occisus dicitur inter templum, & altare. Quidam hunc Zachariam filium Ioiadæ esse putant, quorum princeps est Hieronymus, quem è Latinis plurimi sequuntur, S. Thomas, Albertus, Maior, Abulensis, Gagneius, Iansenius, Salmeron, Maldonatus, Berradus. Alij patrem Ioannis Baptistæ, & in his sunt ex Græcis Patribus quamplurimi, Origenes, Basilius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Epiphanius, Theophylactus, & è recentioribus Baronius, & Toletus. Alij eum esse statuunt, qui in minorum Prophetarum numero vndecimus numeratur, ita Chrysostomus homil. de Ioanne Baptista tom. 2. Tertullian. in Scorpiaco, cap. 8. Theophylactus in Matth. Ribera, Montanus, Vatablus, Stunica, Glossa. Quæ sententia mihi omnino placuit in commentariis super Zachariam, in principio, vbi de hac quæstione pluribus. Rationes verò, quæ hanc sententiam confirmant, grauissimæ sunt, nam apud Matthæum c. 23. & apud Luc. c. 11. de illo

*Zacharias, de quo Mat. 23. fuit qui inter Prophetas minores numeratur.*

illo Zacharia videtur esse sermo, qui vltimus est Prophetarum omnium, quando primi hominum meminit, qui sua morte prophetauit. *A sanguine*, inquit, *Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ*; Loquebatur autem de eo, qui notus erat Iudæis illius temporis. Alij verò Zachariæ neque numerabantur in Prophetis, neque ita vocabantur, licèt Prophetæ fuerint, saltem ille qui filium Ioannem susceptit: inter illum autem Zachariam, de quo hoc loco, & Christi tempus, alij multi fuerunt Prophetæ, qui occisi sunt, vt Amos, Isaias, Ieremias. Deinde, quia quasi propria illius Prophetæ nota ponitur à Christo pater Barachias, quæ nota in principio Prophetæ legitur. Quòd si alij Zachariæ patrem habuissent, qui Barachias vocaretur, vt nonnulli putant, non satis aptè parentis nomen esset additum à Christo, cùm nominis communitas potius confunderet, quàm distingueret personas. Rationes quæ alios in alias sententias impulerunt, quàm potuimus accuratè dissoluimus, qui volet, petat ex nostris in Zachariam commentariis: neque enim hæc omnia iterare libet, neque opus est.

25. Additur deinde in eodem libro Paral. cap. 24. v.24. vno anno exacto, ex quo Zacharias lapidatione sublatus est, venisse exercitum Syriæ, & ab illo populi principes occisos, & ingentem prædam Damascum vsque fuisse perlatam: & cùm exiguus esset Syrorum exercitus, ab illo tamen infinitam multitudinem fuisse concisam. Qui vbi oneratus exuuiis in patriam rediit, reliquit Ioas in lecto, ex graui morbo decumbentem.

Vers. 20. *Surrexerunt autem serui eius, & coniurauerunt inter se, percusseruntque Ioas in domo Melo.*] Hos coniuratos ait Iosephus lib. 9. c. 9. amicos fuisse Zachariæ, quem Rex ingratus, & impius occidi iussit. Sanè occisum fuisse Regem in vltionem iniustæ Zachariæ necis, ipse docet textus lib. 2. Paralip. c. 14. v. 25. *Surrexerunt autem contra eum serui sui in vltionem sanguinis filij Ioiadæ*: Dixerat iam moriturus Zacharias, *Videat Dominus, & requirat*, à quo instinctus Zacharias scelus obiecit, & grauia minatus est Regi, regnique principibus, & requisiuit sanguinem impiè crudelitérque profusum. Nam euoluto anno inuexit Syrus copias non quidem apparatu ac numero timendas, sed quas armauit Dominus, illámque fortitudinem & audaciam indidit, vt infinitam profligarint multitudinem, & regni principes, quorum consilio oppressus fuerat Zacharias, ferro confecerunt. Cùm autem regni templique thesauris vitam suam à Syris redemisset Ioas, non tamen diu illius vsura concessa est; nam à seruis in lecto, in quo decumbebat ægrotus, interfectus fuit. Quemadmodum Melo prope templum esset, & in illo regiam domum ædificauerit Salomon, diximus lib. 3. Reg. c. 11. v. 27. neque aliquid apparet, quod superioribus adiiciam.

26.

---

# IN CAP. XIII. LIB. IV. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*TOTVM hoc caput sibi omnino vendicant Reges Israël, quorum primus Ioachaz filius Iehu secutus dicitur viam Ieroboam, & Religionem peregrinam amplexus. Quamobrem sic à Syris Deus Israëliticas vires atteri permisit, vt penè confecerit. Misertus tamen seruatorem misit, per quem malè iactatus populus ad priorem statum reuocatus est, neque tamen ideo ad sanam mentem rediit, frugémque meliorem. Huic successit Ioas, nihilo patre melior. Eo verò tempore grauis morbus Helisæum vexabat, qui hostium terror, & patriæ columen putabatur, ad quem Ioas lachrymabundus venit, suam, populique ruinam deplorans Helisæo sublato, quem tamen moriturus Propheta melioris fortunæ expectatione confirmat, ex sagittarum coniectu victoriarum numerum de Syrorum exercitu prædicens. Post hæc autem decessit, & in sepulchrum illatus exanimatum hominem reuocauit ad vitam, quem alij dum latrunculos fugiunt, in illius sepulturam coniecerunt. Misertus autem Dominus Israëlitici populi, quem Ioachaz regnante variis modis, atque temporibus iactarat Hazaël, victorias concessit antè ab Helisæo prædictas Regi Ioas: & quas Ioachaz pater vrbes amiserat, ipse rursus ad priores Dominos postliminio reduxit.*

## CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM.

1. ANno vigesimo tertio Ioas filij Ochoziæ regis Iuda, regnauit Ioachaz filius Iehu super Israël in Samaria decem, & septem annis.

2. Et fecit malum coram Domino, secutúsque est peccata Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, & non declinauit ab eis.

3. Iratúsque est furor Domini contra Israël, & tradidit eos in manu Hazaël regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazaël cunctis diebus.

4. Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus: vidit enim angustiam Israel, quia attriuerat eos rex Syriæ:

5. Et dedit Dominus saluatorem Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ;

habita

habitauerúntque filij Iſraël in tabernaculis ſuis ſicut heri & nudiuſtertius.

6. Verumtamen non receſſerunt à peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Iſraël, ſed in ipſis ambulauerunt: ſiquidem & lucus permanſit in Samaria.

7. Et non ſunt derelicti Ioachaz de populo niſi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quaſi puluerem in tritura areæ.

8. Reliqua autem ſermonum Ioachaz, & vniuerſa quæ fecit, & fortitudo eius, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſraël.

9. Dormiuítque Ioachaz cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Samaria, regnauítque Ioas filius eius pro eo.

10. Anno trigeſimo ſeptimo Ioas regis Iuda, regnauit Ioas filius Ioachas ſuper Iſraël in Samaria ſedecim annis:

11. Et fecit quod malum eſt in conſpectu Domini: non declinauit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſraël, ſed in ipſis ambulauit.

12. Reliqua autem ſermonum Ioas, & vniuerſa quæ fecit, & fortitudo eius, quomodo pugnauerit contra Amaſiam regem Iuda, nónne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſraël.

13. Et dormiuit Ioas cum patribus ſuis: Ieroboam autem ſedit ſuper ſolium eius. Porrò Ioas ſepultus eſt in Samaria cum regibus Iſraël.

14. Eliſeus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt: deſcendítque ad eum Ioas rex Iſraël, & flebat coram eo, dicebátque: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.

15. Et ait illi Eliſeus: Affer arcum, & ſagittas. Cúmque attuliſſet ad eum arcum, & ſagittas,

16. Dixit ad regem Iſrael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cùm poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſeus manus ſuas manibus regis.

17. Et ait: Aperi feneſtram orientalem. Cúmque aperuiſſet, dixit Eliſeus: Iace ſagittam. Et iecit. Et ait Eliſeus: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam, percutiéſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.

18. Et ait: Tolle ſagittas. Qui cùm tuliſſet, rurſum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cùm percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet,

19. Iratus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.

20. Mortuus eſt ergo Eliſeus, & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno.

21. Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulchro Eliſei. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.

22. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Iſrael cunctis diebus Ioachaz:

23. Et miſertus eſt Dominus eorum, & reuerſus eſt ad eos propter pactum ſuum, quod habebat cum Abraham, & Iſaac, & Iacob: & noluit diſperdere eos, neque proiicere penitus, vſque in præſens tempus.

24. Mortuus eſt autem Hazael rex Syriæ, & regnauit Benadad filius eius pro eo.

25. Porrò Ioas filius Ioachaz tulit vrbes de manu Benadad filij Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris ſui iure prælij, tribus vicibus percuſſit eum Ioas, & reddidit ciuitates Iſrael.

---

# IN CAP. XIII. LIB. IV. REGVM COMMENTARII.

Verſ. 1. *Anno vigeſimo tertio Ioas filij Ochoziæ Regis Iuda regnauit Ioachaz filius Iehu.*]

1. REVERTITVR iam hiſtoria ſacra ad Reges Iſraël, de quorum geſtis aliquandiu ſiluerat. Cùm autem ſub annum decimumtertium Ioas Regis Iuda deceſſiſſet Iehu, eodem anno Ioachaz parentis loco ſuffectus eſt. Qui poſteriores parentis mores ſecutus eſt, cùm receſſit à Deo, cuius cauſam videbatur ſuſcepiſſe conſtanter, ac piè; priores contẽpſit, quos in ſeipſo potiùs debuiſſet exprimere. Quare ſecutus Ieroboam aureos adorauit vitulos, quod ita grauiter tulit Dominus, vt Hazaëlem priùs, deinde illius filium Benadad in Iſraëlis terminos inuexerit. Qui toto tempore, quo regnauit Ioachaz, ſic attriuerũt Iſraëlis vires, vt ex immenſa bellatorum multitudine, decem tantùm peditũ millia, equites quinquaginta, & decẽ currus ſuperfuerint. Cùm autem Ioachaz ad interitũ videret labi rem Iſraëliticã, neque ſibi ſatis eſſe viriũ, vt Syrorum frangeret, aut ſuſtineret, aut retardaret impetus, cõfugit ad Deum, qui tandẽ Iſraëlitici ſtatus miſertus ſaluatorem miſit, qui furorem compreſſit, & ſpiritus Syrios. Eóque reduxit Iſraëlem, vt in ſuis tabernaculis, ſecurus vt antea, & otioſus viueret.

Nunc verò videndum quis fuerit ſaluator iſte, 2.
& quo tempore à Domino Iſraëli datus. Lyra datum eſſe putat tempore Ioachaz, alioqui videretur

retur Deus concessisse Regis precibus, quod optabat. Idem tenet Histor. Schol. Alij communiter datum esse credunt tempore illius filij Ioas Regis Israël; ita Abulens. q. 3. & quotquot durasse vexationem illam à Syris arbitrantur toto tempore, quo vixit Ioachaz. Sic enim exponunt illud v. 3. *Et tradidit eos* (nempe principes Israëlitas, & illorum Regem Ioachaz) *in manu Hazaël Regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazaël cunctis diebus*, nempe Ioachaz, quod expressè legitur infrà v. 22. Et licèt aliquando regnante Ioachaz frangi potuerint Syrorum spiritus, & vires (licèt ea de re nihil habeamus in Scriptura proditum) tamen numquam videntur Syri ab Israëlitis superati, donec iuxta Helisæi verba hoc ipso capite v. 19. à Ioas tertiò superati sunt, & vrbes receptæ, quæ à Regibus Syriæ fuerant ablatæ. Ante hoc tempus non video quomodo filij Israël dici potuerint liberati à Rege Syriæ, & sicut heri, & nudiustertius in tabernaculis habitasse. Neque ratio Abulensis, quæ antiquos in contrariam cogitationem induxit, admodum premit. Orauit enim Ioachaz, non tam pro se, quàm pro populo, quem labentem, & ad interitum inclinatum videbat, cui Deus fauere voluit magis quàm Regi, cui Saluatorem misit, de quo mox. Et indicat ipsa litera non obscurè v. 5. *Et dedit Dominus Saluatorem Israëli, & liberatus est de manu Regis Syriæ*, nempe Israël.

3. De Saluatore res est incerta. Quidam Angelum esse opinantur illius prouinciæ tutelarem, qui sicut postea Assyriorum sub Ezechia, sic nunc Syrorum exercitum deleuit, aut illorum sic infirmauit vires, vt rem Israëliticam ad suum statum restituerit. Alij Helisæum putant, qui sicut antea sæpe contribulibus suis saluti contra Syros fuit; sic etiam nunc, cùm Israëlitarum fortuna durè vexatur; ita Caietanus. Plures Ioas, qui paulo pòst patri suo Ioachaz in regno successit, in cuius regno contigisse existimant salutem illam, de qua præsens sermo. Ita Abulensis q. 3. suprà, Mariana, Vatablus. Et quidem ante regnum Ioas nihil egregium factum audimus contra Syros. Neque de Ioachaz post hæc quicquam habemus aliud, quàm dormisse cum patribus suis. Alia verò indicantur illius fortiter gesta, quæ in verbis dierum scripta esse dicuntur, sed quæ illa fuerint, contra quos, & quando, sacra silet historia.

*Saluator Israël quis.*

4. Hìc ego longum inuenio hyperbaton, quod obscuram valde reddit narrationem, quam ego sic dispono, atque explico. Post versum 3. in quo in manum Hazaëlis, & Benadad eius filij traditus dicitur Israël toto tempore, in quo regnauit Ioachaz, statuo versum 7. *Et non sunt derelicti Ioachaz de populo, nisi quinquaginta equites.* Deinde infero quod est à versu 4. ad 7. in quo deprecatus dicitur Ioachaz Dominum, & ab illo obtinuisse Saluatorem, quo ad eum statum reduxit Israëlem, vt securus ageret in tabernaculis suis, sicut antea, quod quidem contigit tempore Ioas. Neque tamen ideo mutauit mores Israël, aut amplexus est illius religionem, cuius fuerant benignitatem & potentiam experti. Deinde addo versum 8. *Reliqua verò sermonum Ioachaz*, &c. Fortitudo porrò Ioachaz, de qua ibi, explorari potuit in variis conflictibus, quos cum Syris habuit, licèt in illis aduersam sortitus fuerit fortunam, in qua ferenda spectari fortitudo potuit; neque enim fortuna, à fortibus stat semper, sed aliquando ad infirmiorem partem declinat, quia multi

A sæpe casus interueniunt, qui fortioribus victoriam eripiunt.

Vers. 10. *Anno trigesimo septimo Ioas Regis Iuda, regnauit Ioas, filius Ioachaz super Israël.* ] Regnarunt eodem tempore duo Reges, alter in Iuda, alter in Israël, quibus commune nomen fuit, vterque enim dictus est Ioas. Ad versum vsque 14. nihil habemus aliud quàm breuem complexionem vitæ Ioas, & illius filij Ieroboam. quomodo parentum suorum secuti fuerint vestigia, deinde de vtrisque speciatim nonnulla. 5.

Vers. 14. *Helisæus autem ægrotabat infirmitate, quæ & mortuus est: descenditque ad eum Rex Israël, & flebat.* ] Sub hæc tempora vexari cœpit grauiter Helisæus ab eo morbo, quo extinctus est. Cùm autem Ioas rex Israël, experimento cognouisset, quã rei Israëliticæ vtilis fuisset Helisæus, & futurum aut putaret, aut timeret magnum imperij sui & populi eo sublato detrimentum, descendit ad illum, fleuit largiter, patrem identidem inclamans, & patriæ columen. Quid porrò sit *currus Israël, & auriga eius*, explicuimus suprà c. 2. vbi iisdem verbis Helisæus abeuntem Eliam prosecutus est. 6.

Vers. 14. *Affer arcum & sagittas.* ] Prophetæ non semper in verbis statuunt vaticinij pondus, sed etiam signis, vt constat in Zacharia, Ezechiele, Ieremia. Cùm autem clariùs rem student exprimere, & significare certiùs, & altiùs auditorum mentibus infigere, vtrumque coniungunt & verba, & signa. Quia verò in Helisæo sitas esse putabat Ioas imperij vires, illásque aut fractum, aut debilitatum iri metuebat, si ille inter viuos, aut inter suos esse desiisset, vt regium animum cadentem confirmaret, arma iubet adduci, quæ Hebræis erant familiaria, arcũ videlicet, & sagittas, quas ita à Rege vibrari iubet, vt tamen manũ suam regijs manibus ad sagittarum emissionem admouerit. Quo significabat suum illi auxilium non defuturum, etiamsi à patria, imò & à viuis procul abiisset. Quibus satis hæreticorum huius temporis errorem conuellit, qui nullam esse putant, aut otiosam sanctorum intercessionem, aut certè, quod potiùs reor, quia Helisæus, sicut aliis locis, sic etiam hìc in seipso Deum adumbrabat, & illius manus diuinam repræsentabat. Quare hoc signo ostendebat Propheta diuinum auxilium Israëlitis adfuturum, & ideo statim sagitta salutis dicitur esse Domini, quia victoriam Dominus consecutus est. 7.

Vers. 17. *Aperi fenestram orientalem.* ] Hæc fenestra spectabat Syriam, ad quam telum illud adigebatur, tam à Regis, quàm à Prophetæ manu: vnde colligitur hìc Regi Israël, contra Syriam, non contra nationes alias salutem, id est, victoriã promitti. Neque enim in aliam partem iaculatus est Ioas, Helisæo iubente, nisi in Syriam, quia ab ea parte, cùm reliquæ nil tentarent hostile, timebatur fulmen. Scio paulo pòst illatum esse bellum contra Amasiam Regem Iuda, & à Ioa stetisse victoriam; sed ad hanc, vt opinor, nihil Helisæus contulit, neque illam aliquo modo intuebatur hoc hieroglyphicum, ac prophetale signum. 8.

*Sagitta salutis Domini, & sagitta contra Syriam.* ] Hæc est explicatio hieroglyphici signi, quod exitium minatur Syriæ, quæ iampridẽ sæpe, & nunc maximè Israëlis imperio moliebatur exitium. Est autem, vt opinor, hoc sumptum ex antiqua vulgarique consuetudine, quæ huiusmodi signis aut indicebant, aut inferebant bellum aduersariis. Ex quo iam hostes licere sibi existimabant, 9.

*Bellum quomodo hostibus indici solitum.*

quicquid in hostes permittit ius belli sanctum atque legitimum. Exemplum satis nobis suppeditat antiquitas. Romani, vt auctor est Seruius in lib. 9. Æneid. bellum indicebant vibrata hasta in hostilem agrum. ad quam consuetudinem solemnem & legitimam alluſit Virgilius suprà, apud quem ita Turnus:

*Ecquis erit mecum, ô iuuenes, qui primus in hostem.*
*En, ait, & iaculum intorquens, emittit in auras*
*Principium pugnæ.*

Vide Gellium lib. 16. c. 14. quod etiam vsitatum inter Græcos docet Valerius lib. 3. vbi sic de Argonautis:

*Donec hasta volans, immani turbine tranſtris*
*Insonuit, monuitque ratem rapere omnia cæca*
*Arma manu.*

Et Iustinus lib. 2. de Alexandro, vbi primùm Persarum terram attigit. *Cùm delati*, inquit, *in continentem essent, primus Alexander iaculum, velut in hostilem terram iacit.* Quia verò non solùm vastitas hostibus, & exitium affertur ferro, sed etiam incendio, non solùm ferrum, sed etiam fax in hostilem agrum iniicitur. Euripides in Phœnissis.

*Pugnæ cruentæ symbolum postquam fuit*
*Emissa fax.*

Hastam cum face ad eundem finem coniunxit Statius lib. 4. apud quem Bellona sic bellum indicit, & incendit.

*Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo*
*Ostendit Bellona facem, dextrâque trabalem*
*Hastam intorsit agens.*

10. Vide plura apud Rosinum lib. 5. Ant. Rom. c. 1. Alexandrum Neapolitanum lib. 4. cap. 3. Ad hunc modum (& forsan ex Hebræorum consuetudine, tametsi ego ea de re nihil inuenerim) arbitrabar admonitum esse Regem à Propheta, ne dubitaret cum Syriæ Rege signa conferre; sed quamprimum bello & sua repetere, & à Syris sibi regna subiugare tentaret, cuius factum videri poterat initium, sagittâ versùs Syriam intortâ, quæ Syris exitium, Israëlis autem salutem portenderet. Quomodo verò *Salus* significet victoriam, ostendimus pluribus super Isaiam ad illud cap. 60. *Occupabit salus muros tuos.*

11. *Percutiésque Syriam in Aphec, donec consumas eam.* ] Hic locus impeditus est, & variè versatus à Theologis, qui vt promissa quædam, aut etiam minas conditionatas agnoscunt, sic scientiam conditionatam, aut mediam in Domino considerant; quia scit hoc, vel illud futurum, modò hoc vel illud factum intercedat, & futurum negat, si illud absit. Quod probat illud Actor. cap. 27. nam cùm Deus promisisset Paulo neminem eorum, qui eâdem cum Paulo naue vehebantur, esse percundum; postea tamen dixit perituros, nisi nautæ in eadem cum illis naue perseuerent. Sic enim ibi v. 23. ait Paulus, *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Et statim v. 31. dixit Paulus centurioni, & militibus: *Nisi hi* (nautæ) *in naui manserint, vos salui fieri non potestis.* Iuxta hanc scientiam conditionatam, & mediam promisit Deus per Prophetam consumendam esse Syriam à Ioas, ea tamen lege, si sæpius terram iaculo percuteret; quod quia non fecit, attriuit quidem Ioas Syrorum, non contriuit vires, ac potentiam, quod Deus eadem conditionata scientia cognouerat. De hac scientia vide Suarez Rom. 1. de Gratia proleg. 2. & Vazquez tom. 1. in 1. partem S. Thom. disp. 67. Arrubal. 1. p. disp. 46. & 47. præsertim cap. 4. num. 10.

*Conditionata scientia.*

Duplex est Aphec. Altera in tribu Iuda, de qua Iosue cap. 19. quæ ab Aquilone proxima attingit Syriam, vbi superatus fuit Abinadad Rex, & graui plaga concisus Syrorum exercitus. De hac intelligendus est hic locus, qui in duos sensus patet. Alter est, vt reuera in eodem loco sternatur Hazaëlis exercitus, quod magis videtur indicare litera. Alter vt eadem plaga, licèt in aliis locis, afficiantur Syri à Ioas, qua affecti priùs fuerunt ab Achab in Aphec. In posteriorem ego explicationem magis inclino, quia non inuenio aliquod bellum commissum à Ioas contra Hazaëlem, aut Syros in Aphec. Deinde quia in Scriptura sacra frequentissimum est, notam similitudinis omitti, vt à nobis sæpe obseruatum & probatum est. Erit ergo sensus, percutietur à te Syria, sicut percussa fuit priùs in Aphec. De hoc loquendi genere plura nos in c. 10. Zachar. ad illud v. 11. *& transiet in maris freto.* id est, sicut in transitu maris rubri. 12. *Aphec duplex.*

Vers. 18. *Et ait: Tolle sagittas. qui cum tulisset, rursum dixit: Percute iaculo terram.*] Superior iaculatio per orientalem fenestram victoriam portendebat contra Syros: nunc verò iaculo ad terram alliso victoriarum significatur numerus, & magis confirmatur proxima promissio. Iubet igitur Propheta Regi, vt sagittas tollat, & illis terram percutiat, quæ licèt esset Israëlitica, hostilem tamen terram significabat. Qui tribus, vt opinor, sagittis ter percussit terram, qui cùm à percutiendo cessaret, condoluit grauiter Helisæus, & indignatus, quòd non sæpius terram percussisset, ait ad Regem, pro percussionum numero, victoriarum quoque numerum futurum. Quare quia tribus tantùm vicibus terram appetiit infenso iaculo, tribus victoriis, & non ampliùs, cædendam esse Syriam. 13.

Hìc multa quærunt Patres & interpretes. Primum, cur Helisæus, sicut præcepit Regi, vt terram iaculo percuteret, etiam percussionum non præfiniuit numerum, quando tanti intererat, terram sæpius esse percussam. Abul. q. 16. varios è variis adducit modos dissoluendi nodi. quidam dicunt nouisse quidem Propheram pro numero percussionum, victoriarum etiam futurum esse numerum, non tamen illi concessum à Domino, vt hanc Regi prædictionem aperiret. Alij sentiunt cognouisse Helisæum, toties superatum iri Syriam, quoties esset terra iaculo percussa, idque significatum esse Regi, vt sæpe videlicet percuteret: non tamen de certo aliquo numero fuisse locutum. Quod ex eo fit verisimile, quia Rex tertiò percussit terram, quod non videbatur fuisse facturus, nisi percussiones multas præcepisset Propheta, neque numerum omisisset à Propheta præscriptum, cùm tanti sua & regni interesse cognosceret, neque res esset difficilis sæpius ad terram iaculum adigere. Dixit ergo Propheta Regi, vt sæpe terram percuteret, idque continenter, vt bene Caietan. cui præcepto Rex terna percussione satisfactum credidit. atque ideo meritò Helisæus indignatus est Regi, quòd cùm sæpe terram iussus esset ferire, ter tantùm in terram iaculum adegisset. In hanc sententiam inclinat Abulensis suprà, & addit hoc de victoriarum numero pro numero percussionum non esse Regi declaratum. Quia Deus illud aperire prohibuit, quia relinqui voluit Regis arbitrio, vt ostenderet stare per Regem, quo minus funditus deleretur Syria, aut ceruicem ferro domitam 14.

mitam Israelitico iugo summitteret. Hæc ferme omnia probat Caietanus, neque ego improbo. Neque contrà sentit Theodoretus q.21. *Arbitratus*, inquit, *Heliseus fore vt sua sponte multa faceret Ioas, &c.* Deinde indicat tres illas terræ percussiones esse per totidem sagittas in Syriam per orientalem portam emissas. *Postquam autem*, inquit, *tria emisit, valde succensuit Propheta, vtpote quod Syria ter solùm esset victa.*

Vers.20. *Mortuus est ergo Heliseus, & sepelierunt*
15. *eum.* ] Paulò postquam prædixit Regi futuram de Syris victoriam tertiò, decessit Helisæus, cuius funus viri pij curarunt diligenter, taléque statuerunt sepulcrum, quale tanti viri, támque egregiè de gente Israelitide meriti sanctitatem decebat. Fuisse autem sepulcrum illustre, & nõ quale homines vulgò consequuntur, illud probat, quòd in illud illatum est cadauer, de quo statim, ab hominibus, quibus à latrunculis non fuit concessum spatij satis, vt illud defossæ terræ de more commendarent. Quare fuisse videtur in modum spelũcæ, quale fuisse dicitur Christi Domini, & alio-
*Heliſæi vbi sepulcrum.* rum, quorum in Scriptura mentio. Quo in loco tumulatus fuerit, ex sacro textu non cõstat. Hieronymus in epitaphio Paulæ ad Eustochium, in Samaria sepultum esse tradit, sic autem ille. *Vidi*, inquit, *duodecim Patriarcharum sepulcra, & Sabastem*, id est, Samariam *quæ in honorem Augusti ab Herode Græco sermone Augusta est nominata; ibi siti sunt Heliseus, & Abdias Propheta, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptista*; Ibi multa eo etiam tempore contingere mirabilia refert eo loco Hieronymus, quæ tu lege.

16. Vers. 21. *Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Heliszi.* ] Metus fecit ne viri isti pij aut sepulcrum effoderent, in quo, iniecto puluere absconderent cadauer, aut in proprium deducerent sepulcrum, ad quod afferebatur, quia longiùs aberat. Quare cùm propè esset Heliszi sepulcrum, & ab illis viris facilè remoueri posset saxum, quo claudebatur, eò iniectum est corpus illud exanime tumultuariè ac raptim. Vnde accidit vt Heliszi ossa conuolutum attigerit. Nam si sedato animo, ac per otium in Heliszi sepulcrum inferretur, curarent, opinor, diligenter, qui sepulcri clausstra resignarent, propter tanti Prophetæ reuerentiam, ne ossa illa sacra, cadauer illud suo attactu pollueret.

17. Vers. 22. *Reuixit homo, & stetit super pedes suos.*] Hoc idem habes Eccl. 48. v. 14. *Et mortuum prophetauit corpus eius.* Vbi *prophetare* idem est quod ad vitam reuocare mortuum. Quia Prophetarum varia sunt opera, quæ opera vocari possunt prophetica, fit, vt verbum, *propheto*, multa significet, vt docere, diuinas laudes canere, excitare mortuos, futura prædicere, quia hæc olim aut propria fuerunt opera Prophetarum, aut cum paucis communia. de his nos plura lib.1.Regum ca.10. ad illud, *obuium habebis gregem Prophetarum.* Prophetasse quoque dicuntur post mortem ossa Ioseph. Eccl.cap.49. sed alio sensu. Nempe cùm visitata sunt, atque translata, significarunt; enim illum verum esse Prophetam, cùm adimpleta fuerint, quæ ille imminente iam morte prædixit. Porrò stare super pedes suos, non qualemcumque significat vitam, sed qualis est in homine robusto, & vegeto, qui nullum sensit neque à morte pallorem, & maciem, neque incommodum ab aduersa valetudine. Est autem hominis valentis, & fortis non iacere in terra, aut in lecto decumbere, aut etiam in puluere sedere, sed stare super pedes suos, erecto nimirum corpore, & ad omnem motum, & opus expedito. Quo dicendi modo vsus est Zacharias ca.14.v.12. dum significat homines etiam valentes consumendos esse tabe. *Tabescet*, inquit, *caro vniuscuiusque stantis super pedes suos*, & quidem super pedes stare aut inniti non solent, nisi qui adulta sunt ætate, & sano corpore.

*Prophetãdi verbi multiplex significatio.*

*Igitur Hazael Rex Syriæ afflixit Israel, cunctis* 18.
*diebus Ioachaz.* ] Repetit hîc historicus sacer, quod principio capitis adduxerat, nempe cunctis diebus Ioachaz à Rege Syriæ afflictum Israelem, & quomodo misertus durè vexati populi saluatorem promiserit, quem diximus fuisse Ioas, qui iuxta Heliszi vaticinium, tertiò de Syris victoriam reportauit; aut etiam eius filium Ieroboam, qui, vt legimus sequenti cap.v.25. quæ ab Israelitis abstulerãt Syri, ipse recuperauit. Nunc ostendit quid præter populi fortunam ærumnosam, Deum inflexerit, vt saluatorem miserit, & collapsam, aut etiam ruentem domum instaurarit, pactum videlicet quod iniit, cum Abraham, Isaac, & Iacob. Noluit enim populum ab illis propagatum natalibus interire funditus. Deinde ostendit quomodo Ioas ter superarit Syros, & ablatas ab Hazaele ciuitates de potestate filij ipsius Benadad suæ potestati reddiderit. Vbi autem superati Syri fuerint à Ioas, an in Aphec, vel alio loco, ex Scriptura non constat, neque alibi, quod ego nouerim, de hac victoria triplici de Syris quicquam habemus.

---

# IN CAP. XIV. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*AMASIAS in Iuda regnat pro parente Ioas; neque aliquid potius habuit, aut prius, quàm vt paternam vlciscetur mortem, occisis coniuratis, à quibus pater incautus fuerat oppressus. Deinde delectu contra Idumæos habito, illos ad vallem Salinarum graui plaga concidit. Minùs accidit ex voto bellum, quod contra Ioas Regem Israel, ipso à temerario consilio retrahente tentauit. Nam & Amasias ipse captus est, & populus fuga variè dilapsus, interrupti muri, deformata Hierosolyma, & domus Domini, & Regia ingentibus spoliata diuitiis. Tandem coniuratione facta in ipsius caput, fugit Amasias in Lachis, vbi mortem inuenit, quam in vrbe regia declinarat. Cui successit Azarias, qui & O-*

*zias, cuius tempore in Israele regnauit Ieroboam filius Ioas, qui licèt impius, & alteri Jeroboamo, qui aureos conflauit vitulos, non dissimilis, in re tamen militari strenuus fuit, & fortis, qui multa bella secunda gessit, & ciuitates multas, quas Syri sustulerant, immo & alias quæ Syrorum parebant Imperio, Israeli restituit.*

## CAPVT DECIMVMQVARTVM.

1. IN anno secundo Ioas filij Ioachaz regis Israël, regnauit Amasias filius Ioas regis Iuda.

2. Viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpisset: viginti autem & nouem annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Ioadan de Ierusalem.

3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non vt Dauid pater eius. Iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater suus, fecit:

4. Nisi hoc tantùm, quòd excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis.

5. Cúmque obtinuisset regnum, percussit seruos suos, qui interfecerant regem patrem suum:

6. Filios autem eorum qui occiderant, non occidit, iuxta quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: Non morientur patres pro filiis, neque filij morientur pro patribus, sed vnusquisque in peccato suo morietur.

7. Ipse percussit Edom in Valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram in prælio, vocauítque nomen eius Iectehel, vsque in præsentem diem.

8. Tunc misit Amasias nuncios ad Ioas filium Ioachaz, filij Iehu regis Israel, dicens: Veni, & videamus nos.

9. Remisítque Ioas rex Israel ad Amasiam regem Iuda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem. Transierúntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum.

10. Percutiens inualuisti super Edom, & subleuauit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare prouocas malum, vt cadas tu & Iudas tecum?

11. Et non acquieuit Amasias: ascendítque Ioas Rex Israël, & viderunt se, ipse & Amasias rex Iuda, in Bethsames oppido Iudæ.

12. Percussúsque est Iuda coram Israël, & fugerunt vnusquisque in tabernacula sua.

13. Amasiam verò regem Iuda, filium Ioas filij Ochoziæ, cepit Ioas rex Israël in Bethsames, & adduxit eum in Ierusalem: & interrupit murum Ierusalem, à porta Ephraim vsque ad portam anguli, quadringentis cubitis.

14. Tulítque omne aurum, & argentum, & vniuersa vasa, quæ inuenta sunt in domo Domini, & in thesauris regis, & obsides, & reuersus est in Samariam.

15. Reliqua autem verborum Ioas quæ fecit, & fortitudo eius qua pugnauit contra Amasiam regem Iuda, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel.

16. Dormiuítque Ioas cum patribus suis, & sepultus est in Samaria cum regibus Israël, & regnauit Ieroboam filius eius pro eo.

17. Vixit autem Amasias, filius Ioas, rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius, Ioachaz regis Israël, quindecim annis.

18. Reliqua autem sermonum Amasiæ, nónne hęc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda.

19. Factáque est contra eum coniuratio in Ierusalem: at ille fugit in Lachis. Miserúntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi.

20. Et asportauerunt in equis, sepultúsque est in Ierusalem cum patribus suis in Ciuitate Dauid.

21. Tulit autem vniuersus populus Iudæ Azariam annos natum sedecim, & constituerunt eum regem pro patre eius Amasia.

22. Ipse ædificauit Ælath, & restituit eam Iudæ, postquam dormiuit rex cum patribus suis.

23. Anno quinto decimo Amasiæ filij Ioas regis Iuda, regnauit Ieroboam filius Ioas regis Israel in Samaria, quadraginta & vno anno.

24. Et fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

25. Ipse restituit terminos Israël, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israël, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.

26. Vidit enim Dominus afflictionem Israël amaram nimis, & quòd consumpti essent vsque ad clausos carcere, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israëli.

27. Neo

27. Nec locutus est Dominus vt deleret nomen Israël de sub cælo, sed saluauit eos in manu Ieroboam filij Ioas.

28. Reliqua autem sermonum Ieroboam, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius qua prælиatus est, & quomodo restituit Damascum & Emath Iudæ in Israël, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël.

29. Dormiuitque Ieroboam cum patribus suis regibus Israël, & regnauit Zacharias filius eius pro eo.

# IN CAP. XIV. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

### Vers. 1. *In anno secundo Ioas filij Ioachaz Regis Israel regnauit Amasias filius Ioas Regis Iuda.*]

1. REDIT iam historia ad Reges Iuda, quæ desierat in Ioas, quem serui per insidias occiderunt, cui successit filius Amasias vir iam adulta ætate, vtpote annos natus viginti quinque, qui viginti nouem annis cum potestate fuit. Qui cùm rectè oblatam sibi prouinciam administrarit, longè tamen fuit, vt ad mores, & sanctitatem Dauidis accederet. Licèt enim idola non coluerit, hoc enim est *rectum facere coram Domino*, non tamen corde perfecto, vt legimus lib. 2. Paralip. c. 25. v. 2. In hoc enim dissimilis dicitur fuisse Dauidi: quia Dauid neque supplicauit vnquam idolis, neque passus est à quoquam coli, qui in matutino, vt ipse canit Psal. 100. v. 8. *interficiebat omnes peccatores terræ, vt disperderet de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem:* at Amasias neque excelsa sustulit, quæ parentes erexerant, neque sic coluit religionem patriam, & rectam, vt non defluxerit ad inanem, & impiam, immo & peregrinos Deos in populum à Deo ex omnibus electum induxerit. Fuerunt quidem regni primordia, recta coram Domino, vt hîc habemus, v. 3. sed ad extremum mutauit animum, & alienam religionem amplexus est; vt constat ex lib. 2. Paralip. c. 25. v. 14. Fuit autem in omnibus similis parenti Ioas, qui primùm, dum viueret Sacerdos Ioiada, pius fuit, & patriæ, religioníque zelator; eo verò mortuo mutatus est à seipso, & Athaliæ insaniam sequi maluit, quàm bonam illorum Regum mentem, qui religionis custodes, & vindices fuerunt.

2. Hæc mihi facilis videtur expositio, quia reuera tam pater Ioas, quàm filius Amasias principio recti fuerunt coram Domino, ad extremum tamen turpiter defecerunt. Sed est hîc aliquid, in quo attentus lector non immeritò hæreat. Nam v. 3. & 4 Amasias fecisse dicitur *iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater suus, nisi hoc tantùm quòd excelsa non abstulit.* Cùm autem Ioas pater excelsa non abstulerit, vt legimus c. 12. v. 3. non videtur in eo fuisse dissimilis Amasias. Ego hîc hyperbaton intueor, quod in Scriptura sacra infrequens non est, quod sumo ab illis verbis v. 3. *Veruntamen non vt Dauid*, vsque ad illud, *pater suus fecit.* Quæ verba parenthesi concludo in hunc modum. *Fecit rectum coram Domino.* (neque tamen secutus est Dauidem, sed Ioas patrem suum, quem sibi visus est exemplum vitæ proposuisse.) Sed in eo peccauit, nempe in regni principio, quod cùm facere debuisset, non tamen sustulit excelsa, sed in illis permisit immolare populum. In hanc penè sententiam inclinat Abul. q. 4.

Vers. 5. *Cúmque obtinuisset regnum, percussit seruos suos, qui interfecerant Regem patrem suum.*] Quomodo à seruis per insidias extinctus fuerit Ioas, diximus cap. præcedenti, neque aliquid habuit prius filius Amasias, quàm vt paternæ cædis vindex esset. Quare cùm seipsum in regno confirmasset, & rem tutò suscipi posse arbitraretur, pœnas exegit capitales ab illis, qui in regium caput insidiosè conspirarunt. In eo se tamen moderatè gessit, quòd in occisorum supplicio conquieuit furor, neque se ad posteros vlteriùs effudit: in quibus nihil videbat admissum, quod cæde, aut sanguine foret expiandum. Quare obseruauit religiosè ac piè, quod Deut. c. 24. v. 16. præscriptum est, ne filij parentum peccata luant, sed sibi quisque siue peccet, siue iustè agat, moriatur, aut viuat, neque cumuletur meritis, neque peccatis oneretur alienis. Quod item habemus in Ezechiele c. 18. vers. 20. vbi nos ea de re pluribus. 3.

Vers. 7. *Ipse percussit Edom in valle Salinarum.*] Hæc latiùs habes lib. 2. Paralip. c. 25. v. 5. ex quo necessariò nobis sumenda sunt aliqua, quæ expeditam reddent, & plenam narrationem. Statuerat Amasias Idumæam, quæ sub Iosaphat olim iugum excusserat, ad illud iterum vi subactam adigere: Quamobrem è suo regno quammaximas potuit, collegit & armauit copias; & manum non exiguam ex Israele cognato sibi populo mercede conduxit. Cúmque iam eò res esset adducta, vt in Idumæos mouerentur castra, aduenit vir Dei, Propheta nimirum, de numero illorum fortasse, quos in suis collegiis instituit Helisæus, qui prohibuit, ne sibi Rex Iuda aliarum tribuum adiungeret vires, à quibus Deus propter religionem iam antè proditam animum habebat alienum. Edixítque vt à Deo potius, quàm ab humana manu victoriam speraret, timerétque ne dum spem locat in viribus hominum, & in militari instructu putat sitam esse victoriam, sternatur ab hostibus, dérque ambitiosi spiritus debitas pœnas, cùm ab eo non speret, aut petat, à quo solo spectari potest certa victoria. Rex ægrè patitur perire sibi centum talenta, quæ in conducendo mercenario milite priùs expenderat; cui Propheta respondet, Deo non esse difficile multo plura largiri. Quare non esse cur illum ea talentorum iactura conturbet. Dimissus est ergo exercitus ex Israelitide gente conflatus, qui ea, sic enim interpretabatur, iniuria grauiter affectus, quæ arma in Idumæos antè parauerat, in Iudæorum populum, id est, in cognata viscera 4. *Amasiæ victoria de Idumæis.* *Impiorum auxilia eripiit potius quàm dant victoriam.*

conuer

conuertit; & occisis in ea prouincia tribus hominum millibus, opimas inde reportauit exuuias. Hæc ex lib. 2. Paralip.

5. Cùm ergo Amasias ad Prophetæ inssum mercenarium dimisisset exercitum, & à Deo potius quàm ab humano apparatu felicem exitum speraret, mouit contra Idumæos castra, quos in valle Salinarum graui plaga percussit: occidit enim in eo congressu decem hominum millia, & totidem ex exercitu Idumæorum ab Iudæ militibus ex prærupta rupe deiecti sunt, vt habes ex lib. 2. Paralip. c. 25. v. 12.

6. *Vallis Salinarum quæ.* Quæ sit ista vallis Salinarum incertum est. Erat, credo, locus non longè à mari mortuo, quod etiã salsissimum appellatur, in quo ex aqua salsa toti illi tractui familiari, magna vis salis concrescebat: à qua Salinarum sibi nomen assumpsit. In eadem valle à Dauide fuit antè pugnatum; & Idumæorum plurimum attritæ vires, vt habes lib. 2. Reg. c. 8. & lib. 1. Paralip. c. 18. De valle Salinarum plura nos adduximus lib. 2. Regum 8. ad illud, *Fecit quoque sibi Dauid nomen, cùm reuerteretur capta Syria in valle Salinarum.*

7. *Petra hic quid.* *Et apprehendit petram in prælio, vocauitque nomen eius Iectehel.* Quid sit hoc loco petra, incertum, fieri potest, vt sibi pallantes Idumæi locum aliquem præruptum, & arduum ascenderint, quò non putarunt aspirare posse victorem hostem. Sicut Iudic. c. 20. v. 4. Gabaitæ, cùm hostilem impetum sustinere se posse diffiderent, *fugerunt ad solitudinem, & pergebant ad petram cuius vocabulum est Remnon.* Et quidem rupes esse in Idumæa arduas, & inaccessas, vnde se facilè euitare posse vim omnem hostilem sperabant Idumæi: habemus apud Abdiã v. 4. qui sic ad Edom, *Quid dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? si exaltatus fueris, vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Idem Ieremias c. 49. vide quid nos ibi pluribus.

8. *Multæ ciuitates à petra nomẽ habent.* Quidam arcem esse putãt, aut certè ciuitatem in sublimi montium fastigio collocatam: nam arces eo tempore nullibi melius habuere sedem, quàm in arduis rupibus, ad quas aspirari nequeũt aduersarij; quæ ciuitates à loco petræ, aut saxa vocari solent. Sic in regione Moabitide ciuitas quædam petra deserti nominatur Isaiæ c. 16. Et fortasse quæ Iudic. 20. petra dicitur, Remmon ciuitas erat quam in summa desperatione præsidio sibi elegerunt filij Beniamin. Certè constat ciuitatibus multis, inditum esse petræ nomen ab arduo siue petroso situ. vide Abrahamum Ortelium in thesauro locorum. A petra nomen sibi sumpsit Tyrus Hebr. צור *sor.* quod petram valet. A *sor* sanè apud Hispanos arx quædam Sorita nuncupatur, quæ non procul à Compluto ad Tagi ripam ædificata fuit.

9. Ex hac rupe deiecti sunt Idumæi, & ita ad terram grauiter afflicti, vt viscera disruptis ilibus effuderint, vt habes lib. 2. Paralip. c. 25. vers. 12. quæ petra, siue arx Iectehel ex eo tempore vocata est, siue ab illo, qui in eam primus ascendit, siue ab stridore dentium, id enim vox valet Hebraica, quia præ metu atque horrore montis, stridorem dentium passi sunt Idumæi. Stridor autem dentium in Scriptura aut angorem animi, aut grauem doloris acerbitatem significat.

*Stridor dẽtium quid.*

10. Ex hac victoria id accidit homini impio, & plus satis suis viribus, atque industriæ tribuenti, vt idolorũ monstra, quæ coluerũt Idumæi, & ipse coleret, & populo suo adoranda proponeret, quasi illorum beneficio victoriam illam obtinuisset, quæ ipsius animum tam insipienter, & vehementer inflauerat. ita apertè lib. 2. Paralip. c. 25. vers. 14. *Amasias verò post cædem Idumæorum, & ablatos Deos filiorum Seir* (hic est Edom, seu Esau) *statuit illos in Deos sibi: & adorabat eos, & illis adolebat incensum.* Qua in re parentis sui Ioas viuam quandam imaginem expressit. Vt enim ille pius in regni principio fuit, deinde idolorum non solùm cultor, sed etiam patronus, & quodammodo antistes, vt habemus lib. 2. Paral. c. 24. v. 12. Sic etiam Amasias cùm priùs pietatem coleret, & Prophetæ verbis obsequeretur non grauatè, ad extremum à vera religione, & à bona mente trãsfuga Idumæorum sacra complexus est. Deinde statim additur à Domino grauiter in Amasiam offenso missum esse Prophetam qui Regis tam impium scelus exprobraret. Cui Rex iam alius à seipso molestum consiliarium vocat, monétque ne vlteriùs progrediatur exprobrando, & si odiosus esse pergat, mortem minatur. Cui Propheta discedens ait, à Domino seuero vindice decretam esse mortem, & quia tam impium admisisset facinus, & Prophetam ab ipso legatum, tam superbè, atque ignominiosè repulisset.

*Amasiæ principio pius, ad extremũ impius & mi. ser.*

Vers. 8. *Tunc misit Amasias nuncios ad Ioas,* &c. 11.
*Veni, & videamus nos.*] Angusti est & infirmi animi, si quid ex voto à bonâ fortunâ contingat, efferri immoderatè, atque ita sibi in posterum secunda promittere, vt nihil sibi aduersi metuendum putet. Eos verò, qui tali sunt animo, secundæ res non modò insolentes, sed etiam fatuos & insipientes reddunt. Hæc autem væsania tum in aliis studiis, atque consiliis pernicioſa est, tum in rebus bellicis pernicioſissima. Qua de re grauissima sunt non apud profanos solùm, sed etiam apud sacros documenta. Tu plura inuenies, quia obuia sunt. De Catone apud Gellium hoc habemus dignum tanto Imperatore consilium lib. 7. c. 3. *Scio,* inquit, *solere plerisque hominibus secundis, atque prolixis, atque prosperis animum excellentem, atque superbiam, atque ferocitatem augescere, atque crescere, quod nunc mihi magnæ curæ est, quod hac res tam secundè processerit, ne quid in consulendo aduersi adueniat, quod nostras secundas res confricet, néve hac lætitia nimis luxuriosè eueniat. Aduersa res se domant, & docent quid opus sit facto, secundæ res lætitia transuersum tendere solent à rectè consulendo, atque intelligendo. Quo maiori opere dico, suadeóque vti hac res aliquot dies proferantur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.* Idem penè apud Liuium 12. lib. 45. Paulus Consul, *In secundis,* inquit, *rebus, nihil quemquam superbè, ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efferent, nec aduersa infringent.* Quod optima similitudine explicuit Plutarchus in vita Luculli. *Non est,* inquit, *multum vim ferre, neque vulgaris animi in magnis successibus non exire de potestate.* Exierat planè noua victoria temulentus de potestate sua Rex Amasias, & vt ebrius solet fingebat sibi successus nouos, & victorias maiores, quas sic certa expectatione deuorarat, vt hostem otiosum, & illo longè eo tempore potentiorem vltrò lacesseret, id enim valet illud, *veni, & videamus nos.* In quo neque vlcisci voluit illatas iniurias, neque bello repetere quod foret ablatum, sed tantum experiri, quantum viribus posset, & militari scientia, quæ in se omnia summa esse sibi persuaserat, ex quo Idumæorum colla ferro domuit.

*Angustos animos felicitas immoderatè inflat, & stultos reddit.*

*Catonis sententia de non deliberando quãdo animus est elatus lætitia.*

*Donec animus defuescat, non deliberãdũ.*

*Veni, & videamus nos.*] Ludicræ in theatris 13.
osten

ostentandi roboris gratia conserunt pugnæ, qualem ineunt gladiatores, & athletæ, & qualem iniisse videntur robusti illi adolescentes, qui ex exercitu Ioab, & Abner in certamen prodierunt, lib. 2. Reg. c. 2. quorum pugna ludus appellatur. Sic enim ibi Abner v. 14. *Surgant pueri, & ludāt coram nobis.* Id omnino voluit Amasias cùm ad certamen euocauit Regem Israel, vt ex maiore hoste superato, illustrius sibi nomen compararet. Quod ex eo liquet, quia si aliquid aliud ex eo congressu sibi proposuisset Amasias, securum potius & imparatum aggrederetur Regem Israel, quàm admonitum priùs, & quasi ex condicto euocatum in stadium. Hoc enim valet, *videamus nos.* Quem dicendi modum in lacessendo puto Hebræis esse familiarem. Sic sanè loquitur Hispanus, *veamo nos en tal lugar.* Deinde, quia hoc apertè intellexit Ioas, cùm Amasiæ respondit, vt suas vires expenderet quæ infirmiores erant, quàm quæ possent belli, ad quod prouocabat hostem, pondus sustinere. Id enim valet parabola cedri & cardui, de qua mox; quam his verbis explicuit Ioas: *Percutiens inualuisti super Edom, & sublevauit te cor tuum in superbiam, contentus esto gloria, & sede in domo tua.* lib. 2. Paralip. c. 25. v. 16. paulo aliter. *Dixisti, percussi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam.* Quare amicè, & humaniter admonet, vt minùs de se magnificè sentiat, & quandiu licet otio fruatur, & pace, neque hostem suscitet quiescentem, neque sibi ac populo ordiatur malum.

*Amasia pernicioſa filiitus.*

14. Hæc mihi visa sunt non improbabilia, sed placet magis quod Iosephus putat lib. 9. ant. cap. 10. cui subscribit Abulēs. q. 10. & histor. scholast. dicit enim voluisse Amasiam, cùm plurimùm armis se posse confideret, decem tribus, quæ à parentum suorum Dauidis, ac Salomonis dominatu defecerant, imperio suo rursus adiungere. Qua de re conuentum voluit Ioas, illúmque ad se venire iussit, vt de re tanta opportuno loco, ac tempore transigerent. Quod fuit verisimile, quia non videbatur Rex coacto concilio de vana virium ostentatione deliberaturus, in qua nihil videbatur agi, quod foret ad vsum communem. At senatum ea de re deliberasse ex eo constat, quia c. 25. 2. Paralip. v. 17. dicitur, *Amasias Rex Iuda inito pessimo consilio, misit ad Ioas,* &c.

15. Vers. 9. *Carduus Libani misit ad Cedrum.* ] Hæc Hebræorū videtur esse parœmia, seu apologus, quo inæqualitas significatur eorum, quorum dissimillimū est ingenium, potestas, & mores; quorum amicitia stabilis esse non solet, neque fida, cùm ille qui infirmus est, facilè à potentiore conculcetur, spolietur, ac pereat. Vnde natum prouerbium, incertum est. Rabb. Salomon, vt refert Lyra, ortum putat ex nuptiis Dinæ filiæ Iacob, & Sichem filij Hemor, quæ & nouo sponso, imò & ciuitati toti perniciem attulerunt. Sed est accommodatio dura, ne dicam inepta. Ego puto cum Abulensi q. 12. tunc primùm excogitatam à Ioas, iuxta Syrorum, Palæstinorúmque consuetudinem, quibus familiare est, vt Hieronymus docet in cap. 18. Matth. ad omnem sermonem adhibere parabolas, quam dicendi formam seruauit Christus, vt ad vulgarem vsum sermonē suum attēperaret. significauit autem Ioas nequaquā futurum vtilē Amasiæ congressum illum, quem optabat, quocunque illum modo interpretere. Optabat Amasias aliquid maius quàm ipsius statum, & tenuitatem decebat, non aliter ac si Carduus ita velit cum Cedro amicitiā, vel affinitatem contrahere, vt primum in ea coniunctione locum teneret, sicut vir vxore in nuptiali nexu superior est. Neq; enim Ioas sine causa filium Cardui cum Cedri filia coniugali fœdere coniungit. Bestiæ porrò Libani stant magis pro Cedro, cuius ad vmbrā stabulantur, quàm pro Carduo, ex quo neque capiunt, neq; capere posse videntur vtilitatē vllā; quemque pedibus assiduè calcant, & ita proterunt, vt neque virere sinant, neq; sursum attolli.

*Syris familiares in quotidiano ſermone parabolæ.*

Apologum inductū à Ioas, sic ad Amasiæ consilium, & statum rerum præsentem accommodo. Si priorem Amasię consilij explicationē probes, quę dicit illum ex magni hostis certamine gloriā quærere, hæc erit accommodatio non incommoda; errare nimirū Amasiam si velit cum Rege Israël certamen inire, & maiora tentare, quàm assequi, vel sustinere possit; quemadmodum insanus iudicaretur Carduus, si Cedrū Libani lacesseret, aut ad illius proceritatem aspiraret, quod tunc videretur tentasse Carduus, cùm filiā Cedri filio suo despondere vult; matrimonium enim, aut æquales inuenit coniuges, aut æquales facit. Imò vir in coniugio superior est vxore, qualis Amasias videri vult dum victoriam sibi ex eo certamine promittit. Latini aliter explicant hunc disparem congressum, aut prouocationem, cùm leonem ab hinnulo, equum à testudine, ab scarabeo aquilam, luscinia à pica prouocari dicunt, ad pugnam, ad cursum, ad volatum, ad cantum. Vti autem, si quid esset mentis in belluis, illæ ferrent iniquissimè impudentiam Cardui, qui eos sibi assumpsisset spiritus, vt videri vellet Cedro superior: & ideo cum offensione, & stomacho conculcarēt Carduum, & si fieri posset ab imis euulsum radicibus exterminarent è Libano. Sic Regis Israel serui viri fortes, & nobiles stomachabundi non solùm à regno, sed etiam è viuis Amasiam eiicerent.

16. *Cardui & Cedri parabola.*

*Prouerbia quæ imparē significant congreſſum.*

Si verò secundam explicationem probes, quæ Amasiæ consilium illud esse vult, vt decem tribus, quas olim Ieroboam, à Dauidica familia distraxit, ad eamdem familiam rursus adiungeret: optimè accommodari potest inductus apologus. Vult Rex Iuda Regē Israel suæ potestati subesse, quod optimè in viro significatur, cui vxor subest, & tota familia, id meditabatur Amasias, dum in illo metaphorico ac prouerbiali connubio superiores partes habere studet, dum patrem illius regiæ familiæ filium suum, matrem verò familias filiam Ioas. Id verò perinde est, ac si Carduus vilis, atque spinosa planta Cedris velit leges & iura præscribere, qualia maritus indicit nouæ nuptæ, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Cantica ad illud c. 8. *ibi me docebis.* Amasiam igitur amicè, atque prudenter admonet Ioas, vt iterum, atque iterum, quid agere moliatur, consideret, & satis se habere putet gloriæ, quòd ex Idumæa superata retulerit exuuias, neque cōmittat, dum viribus suis maiora aggreditur, vt honoris sui labem, & fœdam regni iacturam sustineat. Porrò quantum in apologis & fabulis contineatur sapientiæ, & quàm illę longè sint à mendacio, docet August. lib. contra mendacium c. 13. vbi illius Apologi meminit, de quo Iudic. cap. 9. qui huic nostro quamsimillimus est.

17.

Vers. *Et non requieuit Amasias, ascenditque Ioas Rex Israël, & viderunt se.* ] Perinde atque si ab hoste datum esset, consilium illud optimum abiecit Amasias. Cúmque duriùs respondisset, quàm Regis Israel humanitas merebatur, & persequi se velle diceret cogitata, ascendit Ioas ad vrbem

18.

Bethsames,

Bethſames, vel vt Amaſiam ad meliorem mentem traduceret, vel ſi in eodem obſtinaſſet conſilio, pertinacem animũ, quicquid illud eſſet, quod Amaſias ſibi propoſuiſſet, ferro trãſigeret. Quare venit quàm optimè potuit armis inſtructus, vtpote prouocatus, & cùm decerni nihil diſceptando poſſet, res ad arma vocatur, & breui Rex Amaſias, & populus Iuda ſic fuit durè ab Iſraele vexatus, vt quiſq; non niſi in fuga ſalutem ſuam ſeruandam putaret. Captus fuit autem Amaſias, & ductus Hieroſolymam, quam victor occupauit Ioas, dirutíſque magno ſpatio mœnibus ad quadringentos nempe cubitos, quidquid pretioſum fuit in templo ac domo regia, Samariam abduxit.

19. Verſ. 14. *Et obſides.*] Incertum eſt quĩnã fuerint hi obſides, ex Iſraelíne an ex Iuda. id eſt, an quondam Reges Iuda filios acceperint principũ Iſrael, qui obſides eſſent ſeruandi fœderis, quod decem tribus cum duabus aliis iniiſſent, quos ſecum Ioas vrbis, ciuiúmque potitus in Samariam reduxit, reddidítque parentibus, & hoc indicat quod lib. 2. Paralip. c. 25. v. 24. dicitur, *Necnon & filios obſidum reduxit in Samariam.* Quæ verba indicãt iam olim ab decem tribubus datos obſides, quorũ tunc Hieroſolymæ poſteri ſupererant. An potiùs cùm ampla inde retulit ſpolia, ciuitatémque antiquis poſſeſſoribus reliquit, ne poſtea bella mouerent noua, aut conturbarent, quæ ipſe victor ſtatuiſſet, accepit obſides, principũ nempe filios, quos apud ſe retinuit in Samaria. & hoc videtur potius. Vt enim ciuitatis munimenta magna ex pietate diruit Rex Iſrael, ne locus munitus audaciam aleret ciuibus, ſic etiam obſides accepit, vt ciues à rerum nouarum ſtudio deterreret, ſeu, vt mihi videtur non improbabile, ne rurſus inſtaurarent diſrupta mœnia, quæ ipſe vt infirmaret aduerſarij vires, & audaciam frangeret, latè ſubuerterat.

20. Verſ. 15. *Reliqua autem verborum Ioas, quæ fecit, & fortitudo eius, qua pugnauit contra Amaſiam Regem,* &c.] Liber, ex quo Ioas bello præclarè geſta petere poſſemus, iam interiit. Sed ex hoc loco non obſcurè colligitur egregium aliquod dediſſe ſuæ fortitudinis documentũ, cùm pugnauit contra Amaſiam, qui aliquandiu videtur reſtitiſſe, occaſionémque dediſſe Regi Iſrael, vt quo polleret robore, quanta eſſet prudentia præditus, poſteris oſtenderet. Ex quo nonnulla contra Ioſephũ coniectura ſumitur, qui negat Ioas cum Amaſia conſeruiſſe ſigna, ſed territum illius exercitum, antequam ventum eſſet ad manus, aliô atque aliô fuga fuiſſe dilapſum. Sic autem lib. Ant. c. 10. *Vbi in conſpectum hoſtium venit, inſtructa vtrinque acie tantus repentè pauor, & conſternatio diuinitus milites eius inuaſit, vt priuſquam manus conſererent, iam terga verterent.* Vide quomodo in hac hoſtiũ conſternatione ſpectari potuerit illa fortitudo, quam textus ſacer indicat eſſe non vulgarem. Deinde ſubdit, *Ioas Amaſiæ mortem minatus eſt, niſi efficeret, vt Hieroſolymita apertis portis ſe cum victore exercitu admitterent.*

21. Verſ. 18. *Reliqua autem ſermonum Amaſiæ, nónne hæc ſcripta ſunt,* &c.] Non longè poſt hanc victoriam deceſſit Ioas Rex Iſrael, cui ſuperſtes fuit Amaſias annis quindecim. Quo tempore illum aliqua, eáque non pauca geſſiſſe, indicant verba nuper propoſita; quæ talia videntur fuiſſe, qualia expectari poterant ab illo, qui veram & patriam religionem eiuraſſet, & amplexus eſſet falſam, atque Gentilicam. Alioqui non fuiſſet contra illum Hieroſolymæ facta coniuratio, neque ipſe compulſus eſſet ex vrbe excedere fugiendo in Lachis, in qua tamen effugere non potuit exitiũ, quod declinare potuit. Eò enim conuolarunt, qui in illius caput cõſpirarant, ac tandem ferro confecerunt, vnde relatus eſt Hieroſolymam, & ibi in ciuitate Dauidis in paterno ſepulchro tumulatus. Rationem quæ coniurationem illam excitauit, hãc putat eſſe Lyra, quia grauiter dolebant Solymitani ciues propter Regis ſuperbiam omnino fatuam, ſuam ſibi ciuitatem, quam amabant plurimum, deformatam eſſe, ſpoliatam videlicet maximis ornamentis, atque diuitiis compilatum templum, nudatam à murorum munitione ciuitatem, abactos obſides, denique ciuitatem prouinciarũ principem quodammodo factam ſub tributo. Hæc igitur conſideratio adegit ciues patriæ amantes, vt tot malorum pœnas ab illo experetent, cuius cauſa exhauſtam videbant, & ab antiquo munimento nudatam ciuitatem.

22. *In genealogia Chriſti apud Matthæum tres Reges omiſſi.*

Hîc nobis explorandum eſt, quod diu malè torſit doctorum hominum, & ſanctorum ingenia, neque dum res ita eſt expedita, vt non aliquid præterea requirat curioſus lector, in quo poſſit acquieſcere, quod cùm non inueniat, ſuo iure à ſacrarum literarum interprete ſtudiũ exigit, & laborem, vt ſi quam inuenire lucem poſſit, illam præferat huic obſcuriſſimo, & difficillimo loco. Primùm obſeruant omnes penè, quotquot in Matthæum ſcholia, aut cõmentarios ediderunt, in hac generationum ſerie tres à Matthæo omiſſos eſſe Reges, quorum vitam, & geſta nuper expoſuimus, nempe Ochoziam filium Ioram, & huius filium Ioas, ac tandem Amaſiam, de quo proximè. Deinde obſeruant Oziam dici ab Euangeliſta genitum à Ioram, cùm tamen, vt ex hoc conſtat capite, & 2. Paralip. cap. 2. v. 1. & lib. 1. c. 3. v. 12. genitus dicatur ab Amaſia. Porrò qui Ozias vocatur hîc, & apud Matthæum, idem aliis locis vocatur Azarias. De Iechonia & fratribus, qui orti dicuntur à Ioſia in tranſmigratione Babylonis, alia quæſtio eſt, quæ etiam à nobis neceſſariò expedienda eſt, cùm ex his ſalebris emerſerimus.

23. *Cur omiſſi tres Reges varia ſententia.*

Quod ad priorem quæſtionem pertinet, plerique cum Hieronymo ſentiunt Matthæum in tres teſſaradecades omnes generationes ab Abrahamo ad Chriſtum includere voluiſſe, & cùm illa partitio non caperet omnes, omiſiſſe tres Reges, neque cur id faceret, defuiſſe cauſam; quia ſc. Ieſabelis impiiſſimæ fœminæ ſanguini miſcuerũt. Sic autem ibi Hieronymus. *Cernis quòd ſecundùm fidẽ hiſtoriæ tres Reges in medio fuerint, quos hîc Euangeliſta prætermiſit, Ioram quippe non genuit Oziam, ſed Ochoziam, & reliquos, quos enumerauimus: verùm quia Euangeliſtæ propoſitum erat, tres teſſaradecades in vniuerſo temporum ſtatu ponere, & Ioram generi ſe miſcuerat impiiſſimæ Ieſabel, idcirco, vſque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in ſanctæ natiuitatis ordine poneretur.* Cum Hieronymo ſentiunt plures alij, S. Thom. Ianſenius cap. 6. concor. Mariana, Barradas tom. 5. c. 12. & quoad teſſaradecades Salmeron tom. 2. tract. 27. Abulenſ. q. 17. quoad trium Regum peccata Hilarius, omnes in cap. 1. Matth. Dicunt autem horum aliqui ideo tres hoſce Reges fuiſſe omiſſos, quia propagati fuerant ex ſemine Achab, cui Deus per Eliam comminatus fuerat 3. Reg. c. 21. v. 21. ſe vniuerſam illius domum funditus deleturum. Vniuerſa porrò domus tunc deleta dici potuit, cùm ad quartam generationem euerſa, aut obſcurata eſt.

Et ſanè

*Parentum peccata vsque ad quartam generationem punita.*

Et sanè parentum peccata ad quartam vsque generationem puniri solent. Sic sanè Deus Exod. c. 20.v.5. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans impietatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* & sicut propter zelum, & obedientiam, qua Iehu deleuit domũ Achab, vsque ad generationem quartã, ex illius genere Reges esse voluit in Israel; sic è contra propter scelus Achab tres generationes Deus ex catalogo Regum Iudæ, & ex genealogia Christi expunctas esse voluit.

24. Rupertus lib.1.in Matth.c.4.ideo tres hosce Reges ex linea hac nobilissima excidisse putat, quia Prophetas Domini audire noluerunt. Ioas etenim Zachariam occidit filium Ioiadæ 2.Par.c.24.& Amasias c.25.Prophetã alium proposito capitis periculo silere fecit. Alij ex Philonis breuiario tẽporum, in Ochozia præcisam esse dicunt Salomonis lineã, & quotquot deinde successere filios esse Nathã. Philonem secuti sunt è iunioribus multi, in quibus est Ioãnes Annius, & Ioannes Lucidus. Philo tamẽ ille suppositus esse creditur ab Annio: certè illius fides leuissima est. Istæ duæ explicationes curioso lectori non satisfaciunt, nã neque soli Reges illi audire noluerunt Prophetas, aut etiam occiderunt, cùm à Manasse dissectus serra tradatur Isaias, & alij Prophetæ ab aliis Regibus minis fuerint à prophetãdo deterriti, qui tamen in hac regia serie locũ habent. Neque præterea omnes qui omissi fuerunt, aliquid contra Domini prophetas ausi sunt. Quid enim Ochozias vnquã in Prophetas? Illud de stirpe Salomonis in Ochozia præcisa refutant multi, Canus lib.11.de locis, & Salmeron lib.2.tract.27.

25. Ratio prima quæ Hieronymo placuit, quámque frequenter alij cõplexi sunt, non omnibus satis videtur soluta. Primùm, quia si propter peccata, aut propter genus cum Achab, & Iezabele commune è Christi genealogia tres illi Reges exciderunt, eradi etiam debuere complures, qui multo magis, aut coluerunt idola, aut seipsos peccatis contaminarunt. Sanè Ioram Ochoziæ pater nihilo magis pius fuit, quàm quilibet eorum, qui omissi sunt, de quo suprà cap.8.v.18. dicitur, *ambulauit in viis Regum Israel, sicut ambulauit domus Achab: filia enim Achab erat vxor eius.* Quod si generi Iezabelis se admiscuisse illius ignominiæ causa fuit; multo seueriùs puniri debuit Rex Ioram, qui filiam Iezabelis Athaliam duxit vxorem, imò & pater illius Iosaphat, qui illius connubialis vinculi auctor fuit, de quo lib.2.Par.18.v.1. *Affinitate coniunctus est Achab.* Quare hæc ratio parum videtur esse firma, quam non probat Maldonatus super c.3.Matth.& Salmeron suprà.

26. Neque præterea satisfacit, quòd cũ Hieronymo sentiunt aliqui nõ pauci, sublatos esse Reges illos, quia in tres tessaradecades cogi nõ poterãt, in quas fuerat Euangelista partitus Christi generationes. Quid enim in tessaradecade mysterij tantũ est, vt propter hunc numerũ à Christi stirpe expungi debuerint; quos fuisse constat Christi progenitores? Aut cur Euangelista accommodare potiùs debuit ad numeros antè mẽte conceptos, generationes ex quibus Christus secũdùm carnẽ genus deriuat suũ, quàm cõtra numeros illos ad generationes, ex quibus probare voluit Christi natales? potuisset meliùs si in tres partes partiri voluisset Christi generationes, nõ tessaradecades, sed pentadecades constituere, ne qua generatio redundaret. Quare hæc ratio valde infirma est. Quòd si quid solutiones hæ duæ habent ponderis, magis est ab auctorum granitate, & numero, quàm à rationum momento.

*Gasp.Sanctij Com.in lib.Reg.*

A Ego quid hîc afferã opportunũ, nihil habeo, in quo mihi ipsi satisfaciam; cupio tamẽ ab aliis aliquid afferri, quod nodũ expediat, & ita satisfaciat curiosorũ hominum studio, vt nihil præterea desiderẽt; quod lubens accipiã gratúsque. Cogitabam tamen solutionẽ aliã, quæ minùs mihi videbatur difficilis; quã ita proponam, vt nihil affirmẽ, sed lectori pio ac docto expendendã ac iudicandam relinquam. Priusquã aggrediar, nonnulla mihi præmittenda sunt, quæ me in eam cogitationnem induxerunt, quæ etiam ab aliis explorari atque censeri studeo, quia non tantum ingenio meo, atque labori arrogo, vt aliorum iudicium, censurámque detrectem. 27.

Primũ est, in Bibliis vulgatis, & fuisse multa, & 28.
nunc etiam esse non pauca, quæ scriptorum, ac li- *In Bibliis etiam Sixtianis aliqua consultò mutata non sunt, quæ mutari poterant.*
B brariorũ incuria sensim irrepserunt, quæ mutata sunt, & correcta à Sixto; & multa etiã relicta, quæ cùm mutanda viderentur, consultò tamen relicta sunt. Sic enim habemus in quadã præfatione ad sacra Biblia maximorũ Pontificũ imperio correcta. *In hac*, inquit, *peruulgata lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt: tũ quòd ita faciendũ esse ad offensionẽ populorum vitandam, sanctus Hieronymus non semel admonuit; tũ quod facilè fieri posse credendum est, vt maiores nostri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerunt, copiã meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quàm hi, qui post illorum ætatẽ ad nos peruenerunt; qui fortasse tam longo tẽpore identidẽ describendo* REGVLA. *Multa in Bibliis librariorum incuria corrupta.*
C *minus puri, atque integri euaserunt.* Ex quibus verbis habemus duo, & adhuc superasse aliqua, quæ mutanda videbantur, quæ tamen, vt Hieronymus admonuit, ad euitandã populi offensionẽ mutata nõ sunt; & quòd incuria describẽtiũ minus essent puri atque integri sacri codices, id quod ad nostram cogitationem plurimum facit. Sanè Hieronymus in Scriptura sacra, quã nunc etiam habemus, librariorum incuriam deprehendit, vt Isai.c.32.de quo statim, & Matth.c.1. cùm ageret de Iechonia, qui in Christi genealogia ponitur.

Secundò obseruo descriptores librorum, vocum 29.
aut literarum similitudine sæpe fuisse deceptos. REGVLA.
Sic Canus lib.11.de locis, vbi varia in numeris ob- *Aliquando litera, aut syllaba à librario omittitur propter sequẽtu similitudinem.*
seruat errata transcriptorum incuria, qui decepti
D similitudine notarum, quibus varij significantur numeri, vnũ numerum pro alio suppoſuere. Contingit autem sæpe, vt vna dictio à descriptore prętereatur, quia alia similis illi coniuncta est. Exempla occurrent plura, tu pauca accipe ad Hebr.c.12. v.2.communiter legimus, *proposito sibi gaudio.* Cùm tamen iuxta Græcos codices legẽdum sit, *pro proposito sibi gaudio.* Græcè enim legimus ἀντὶ τῆς κειμένης αὐτῷ χαρᾶς. ita legunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius; quia ergo coniuncta fuerunt *pro* particula, & *pro* iterum in participio *proposito*, alterum à parum attento, & festinante descriptore relictum est. & c.5. v.11. sermo ante correctos Latinos codices, *interpretabilis*
E dicebatur, cùm tamen dicendus esset *ininterpretabilis*, sic ad Roman. 11. *inuestigabiles dicuntur viæ Domini*, pro *ininuestigabiles*; coniunctio geminati *in*, fecit vt alterum descriptor omitteret. Sic Psalm.118. legimus, *præueni in maturitate*, pro *in immaturitate*, id est, in tempore nondum opportuno. 30.

Hoc ipsum contingit aliquando, cùm in eadem REGVLA. *Vox iterata facit vt scriptor intermedia transiliat incautus.*
clausula, imò cùm in diuersis, vox aliqua repetitur quæ interdum descriptorem properantem decipit, ita vt quæ intermedia sunt, transiliat incautus. Docuit hoc Hieronymus ad illud Isaiæ cap. 42.

*In veritate educet iudicium.* quem locum ita citat Matthæus c.12. vt mediâ clausulam aut omiserit, aut omisisse videatur. Sic ibi Isaias post alia quædam non pauca, quæ etiam in eodem loco retulit Matthæus. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium: non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem illius insulæ expectabunt.* Matthæus hæc omnia repetit, tantùm omittit illa, *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium,* *Hoc,* inquit Hieronymus, *Matthæus Euangelista non posuit, siue inter iudicium, & iudiciũ media scriptoris errore sublata sunt.* Clariùs idem ad Algasiam q.2. cùm de hac ipsa re iterum disputaret. *Videtur,* inquit, *mihi accidisse primùm scriptoris errore, qui legens superiorem sententiam in verbo iudicij esse finitam, putauit inferioris sententiæ vltimum verbum esse iudicium, & pauca verba, quæ in medio, hoc est, inter iudicium & iudicium fuerant, prætermisit.* De hoc iterum nobis agendũ est, cùm de Iosia, & illius filiis in hac ipsa seruatoris prosapia instituetur sermo.

31. REGVLA. *Quando numerus perfectus est, non habetur ratio imperfecti numeri, qui parũ à perfecto deficit, aut illum superat.*

Tertiò obseruandum, quando numerus natura sua perfectus est, vt qui decades, hecatondadas, chiliadas, aut myriadas complet, seu hominum electione, atque instituto, vt si magnus aliquis numerus in ogdoadas, enneadas, pentadecadas, & sicut hoc loco tessaradecades distribuatur, rationem non haberi illius numeri, qui parum aut excedit numerum perfectum, aut ab illo deficit. Genes. c. 35.v.26. duodecim numerantur filij Iacob, & in his Beniamin, & hi omnes nati dicuntur in Mesopotamia, cùm tamen constet Beniamin natum in Ephrata. Sicut duodecim filij Iacob, qui numerus propter illustres illos patriarchas perfectus erat, nati dicuntur in Mesopotamia, licèt vndecim nati tantùm ibi; sic etiam quia idem numerus in Apostolis illustris erat, licèt ex illo numero excidisset Iudas, & tantùm essent vndecim vsque ad electionem Matthiæ, id est, vsque ad Christi Ascensionem, tamen duodecim numerantur, quia vnus tantùm ab illo perfecto numero defecerat. Ita August. tom.4. lib.1. quæst. in Genes. quæst.117. *Vbi pars,* inquit, *maior est, aut potior, solet eius nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non pertinet, sicut ad duodecim Apostolos iam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit, cùm Dominus resurrexit à mortuis, & tamen ipsius duodenarij numeri nomẽ Apostolus in epistola sua tenuit, vbi ait eum apparuisse illis duodecim.* Plura exempla inueniet attentus lector in Scriptura sacra. tu vide plura apud Salmeronem prolog. 11. quinquag. 3. regul.4. sicut duodenarius numerus propter duodecim Apostolos in testamento nouo perfectus est, sic etiã tessaradecas, quia in tessaradecadas Euangelista voluit tres status Israeliticæ reipublicæ partiri, perfectus existimatur numerus. Atque ideo non admodum laborandum siue ex tessaradecade vnus defecerit, siue excedat numerus. Adhibuit autem Euangelista quaterdenas, in quas tempora Iudicum atque Patriarcharum, deinde Regum, postea eorum, qui exactis Regibus, in transmigratione, & post illam Christi prosapiam propagarunt, digereret, non quia omnino quælibet quatuordecim contineret generationes, sed quia nulla commodior excogitari partitio poterat, quæ singularum ætatum seu tractuum posset generationes magis æquali numero dispensare. Hispanus per duodenas, alij per quindenas multitudines diuidunt, neque in numerando curant, an exiguus numerus, aut non impleat, aut superet duodenas, quindenásve. Neque vbique gentium vulgaris, atque quotidiana numerandi ratio exiguum curat numerum, nominato perfecto. Quis vnquam dixit habitari ciuitatem à mille & decem viris, aut in acie cecidisse quater mille & viginti milites? satis enim habent numeros adhibuisse perfectos, in quibus communiter intelligitur, aut addendum, aut deducendum aliquid.

32. REGVLA. *In aliquo loco, ac tempore factum dicimus, quod non longè ab illis factũ est.*

Quod de numero perfecto dicimus, id etiam de nobili aliquo loco, aut insigni tempore dicendum est: id enim in aliquo loco fieri dicitur, quod non longè ab illo factum est. Quomodo Christus dicitur occisus Hierosolymæ, cùm tamen extra illam crucifixus sit. Sic enim Christus cùm de sua morte ageret Lucæ 13. dixit, *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* & Ioan.1. babtizasse dicitur Ioannes in Bethania, quia prope Bethaniam baptizabat. Idem etiam dicendum de tempore illustri, ac noto. Quomodo multa facta narrantur, quando egressi sunt filij Israel de Ægypto, cùm tamen nõnulla longiusculè post illud tempus facta fuissent, vt siccatum mare Iosue 2. occurrisse Moab Israelitis, Deut.23. datum manna, Exod.16. acceptam legem in monte Sina, Deut.4. Leuit.26. 2. Reg.8. v.9. *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses, in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cùm egrederentur de terra Ægypti.*

33. REGVLA. *Patres dicuntur omnes maiores, & filij minores, quantumcũque distent ab origine.*

Quartò obseruandum maiores posterorum suorum, quantumcumque è stirpe remotos, patres appellari, quomodo Israelitæ patrem suum appellant Abraham, & Iacob: & eodem modo iidem genuisse dici possunt posteros, etiam eos, qui multis pòst sæculis Patriarchas illos consecuti sunt. Atque ideo abauus Ioram, & Iosias auus generatione mediata optimè, & ex vsu Scripturæ genuisse dici possunt, ille Oziam abnepotem, hic nepotem Iechoniam. Verumtamen, quia in longa illa progenitorum serie immediatè ponuntur generationes, non est verisimile duobus tantùm locis, perpetuum illum ordinem esse interruptum, maximè cùm nulla grauis appareat ratio, quæ institutum loquendi modum deserere compellat. Atque ideo verisimile est in tot immediatis generationibus generationem nullam esse mediatã.

34. *Tres Reges non videntur omissi in Christi generatione.*

Accedo iam tandem ad illam cogitationem, quæ mihi non videbatur esse difficilis, putabam enim tres hosce Reges, qui sine dubio Christi fuere progenitores, ab Euangelista non fuisse prætermissos: neque rationem inueniebam vllam grauem, cur omitti debuerint. Non quidem vt nos referebamus suprà, quia peccatores essent, & idololatræ, quia alij fuerunt istis nihilo meliores, & tamen à Christi progenitorum catalogo expuncti non sunt, non quia propositas ab Euangelista tessaradecades generationum numerus excederet, si tres isti cum aliis in numerum venirent Christi parentum; quia ratio hæc leuissima est, vt suprà probauimus; neque si quis esset error, qui sanè nullus est, minor esset à deficiente numero, qui non complet, quàm ab excedente, qui tessaradecades non expleret, si enim quatuor adimas, qui videntur omissi, tres desiderantur generationes, vt totidem tessaradecades expleantur; quòd si illas addas, quas sublatas vides, vna tantùm redundat generatio, imò fortasse ad vnam adæquat tres quaterdenas, vt suo loco probare tentabimus.

35. Quòd autem nullam ab Euangelista omissam esse generationem putem, multa persuadent. Primùm, quia probare voluit Christum iuxta antiquas, neque semel iteratas promissiones ab Abraham, & Dauide fuisse prognatum, quod

quod non satis alicui videri posset consecutus, cùm in illa maiorum serie tot essent omissi, quod ignorare eo tempore quo hæc scripta sunt, poterat nemo: cùm genus omnium nobilissimum, vtpote regium, & in templo, atque etiam publicis aliis locis, qui quóue ordine orti essent, è qualibet familia notarentur. Quare notari posset ab his, quorum ætate scriptum fuit Euangelium, Matthæi fides, seu incuria, cùm id videretur omisisse, quod ex publicis tabulis apertè constabat. Atque ideo laborare posset, eo saltem tempore, Euangelistæ fides, neque spectasse existimaretur in omnibus historiæ veritatem, cùm in ipso ingressu in rebus maximè notis videretur, aut errore lapsus, aut artificio, & simulatione celasse, quod nullo modo prætermissum oportuit. Tale potuit esse in malitiosis animis eo tempore iudicium, quod omni ratione ab Euangelista declinandum fuit.

36. Quod verò Hebræi familiarum suarum principes, & quasi stirpes, & ex illis diffusas latè propagines conseruauerint, docet apud Eusebium lib. 1. hist. c. 7. Iulius Africanus, qui etiam addit summo studio Herodem Hebræorum genealogias abolendas curasse, ne quisquam illum alienum à Iudæorum genere deprehenderet. Quod licèt omni studio, atque artificio curaret, non tamen est assecutus quod optabat. Quia etiamsi ex publicis monumentis delere potuerit, si tamen deleuit, at ex hominum memoria delere non potuit, nam plurimi generis sui primordia, & maiorum suorũ monumenta conseruabant domi, quæ cognationum ordinem, & coniunctionem ostenderent. Quod ita factum esse constat lib. 1. Esdr. c. 2. & lib. 2. c. 7. vbi quidam de sacerdotio dicũtur excidisse, quia genus suum non potuerunt ostendere, nimirum exusto templo, & ciuibus in solum peregrinum abductis, aliqua familiarum monumẽta perierant. Ex illis ergo monumentis, siue quæ publicè seruabantur in templo, siue quę priuatim domi sumere potuit Euangelista, hanc progenitorum Christi seriem, à qua tres illi Reges non excludebantur, certè excluſi non sunt ex lib. 1. Paral. cap. 3. v. 11. vbi illorum nomina expressè leguntur.

*Hebræi suarum familiarum stirpem, & propaginẽ seruare soliti.*

37. Quare ego sic inferebam, tria illa nomina, quæ descriptoris incuria sublata existimabam. *Ioram autem genuit Ochoziam, Ochozias autem genuit Ioas, Ioas autem genuit Amasiam, Amasias autem genuit Oziam.* Qua interpositione id videbar mihi consecutus, vt plena esset secunda tessaradecas, & ex Ioram ad Oziam nulla esset mediata generatio. Quod vt ita suspicarer, hæc me cogitatio non leuiter adducebat, videbam enim tres ab Euangelista tessaradecades proponi, quæ tria tempora, seu tres status Israeliticæ reipublicæ distinguerent. Has autem sic putabam, & ab Euangelista discretas, & à nobis considerandas, quasi altera alteri connexa non esset, sed tria spatia seorsum à seipsis omnino diuisa constituerent. Quare trium tessaradecadum, tria statuebam capita, quæ singularum forent principia, id est, quæ ipsa gignerent, neque tamen ab alio cenſerentur genita. Prima tessaradecas est ab Abraham vsque ad Dauidem, nempe generantem, atque ideo ad hanc primam tessaradecadem refero Salomonem à Dauide generatum. Si verò Abrahamum tollas, qui tanquam caput non consideratur generatus, & Salomonem huic tessaradecadi ascribas, implebis spatium illud generationibus quatuordecim. Et nihilominus ad Dauidem vsque dicetur illa quaterdena producta; quia eo loco quasi generans considera-

*Tessaradecades in Genealogia Christi seorsum considerandæ.*

tur, & cum generationis termino, nempe Salomonis filio.

Secundæ tessaradecadis caput est Roboam, 38.
quia, vt diximus, Salomon illius pater in primam tessaradecadem contribuitur, quod si caput & principium, generans à nobis consideratur, non generatum, sicut priùs de Abrahamo dicebamus, ab Abia Roboami filio numetandæ sunt generationes quatuordecim. In hanc tessaradecadem tres illi Reges incurrunt, qui in Christi genealogia, sicut illam nunc habemus, non inueniuntur, producitur autem vsque ad Iosiam. Inter Abiam porrò, & Iosiam, quatuordecim ad vnam generationes numerantur. A Iosia porrò statim transmigratio sequitur, à qua ad Christum vsque quatuordecim generationes deprehendo.

Sed antequam ad tertiam tessaradecadem ac- 39.
cedam, repetendum est id quod suprà secunda notatione præmisimus, nempe aut repetitam vocem, aut vocis similitudinem, descriptorem decipi, ita vt aliquid transsiliat, quod inter duas voces iteratas, aut similes interiectum est; quod ibi accommodatis probauimus exemplis. Cùm ergo inter Ochoziam, & Oziam maxima sit similitudo, facilè decipi descriptor potuit, & coniungere Oziã cum Ioram; cùm tamen tres Reges intercessissent medij. Atque ideo Ioram dicitur genuisse Oziam, quod immediata & propria generatione non potuit, cùm tamen Ochoziam genuerit, & hic Ioas, & hic Oziam, qui quarto gradu distat à Ioram.

In tertia tessaradecade, aliquid etiam implexum 40.
occurrit, in quo patres, & interpretes, tam hîc, quàm apud Matthæum c. 2. non parum laborarunt, in quo & nos laboremus oportet, quando postea necessariò de Regibus, qui in Christi genealogia numerantur, agendum est. In primis illud est difficile, quia Iosias genuisse dicitur Iechoniam illum, à quo Salatiel dicitur generatus, cùm tamen Iechonias nepos fuerit, non Iosiæ filius. Deinde, quia generatus traditur in transmigratione Babylonis, cùm multo ante transmigrationem illam decesserit. Hic omnes vnum Iosiæ filium, aut omissum esse putant, aut certè nominis communitate cum altero filio obscurè confusum. Neque enim aliter componi multa possunt, quæ non benè cum aliis Scripturæ sacræ locis videntur consentire. Qua de re egimus in nostris commentariis super Ieremiam, ex quibus huc nonnulla transferemus.

Est igitur primùm obseruandum, Iosiæ filios 41.
(vnum excipio Sedeciam, de quo nihil mihi compertum est) commune habuisse Iechoniæ nomen. De Ioachaz, qui & Sellum, qui proximè in regno successit, tradit Esdras lib. 3. cap. 1. qui licèt extra canonem sit, non tamen exiguæ auctoritatis est. *Et assumentes*, inquit, *qui erant ex gente Iechoniam filium Iosiæ constituerunt Regem pro Iosia patre suo, cùm esset annorum triginta trium, & regnauit super Israel mensibus tribus, & mouit eum Rex Ægypti, ne regnaret in Hierosolymam etiam. Et constituit Rex Ægypti Ioacim fratrem eius Regem Iudæ.* Hæc omnia dicta sunt de Ioachaz 4. Reg. 23. & 2. Paralip. cap. 36. Quòd verò qui dictus est Heliacim, seu Ioacim, appellatus quoque fuerit Iechonias, licèt nihil habeamus ex Scriptura certum (nisi aliquid ad hæc conferre existimemus, locum istum Matthæi, in quo nunc extricando versamur) dicunt tamen è Patribus, & interpretibus non pauci. Hieronymus in hunc locum Matthæi duos Iechonias agnoscit, patrem & filium,

*Iosiæ filij vocati Iechonias.*

& hoc loco putat interueniſſe à deſcriptore vitiũ. Ambroſius lib.3.in Lucam ad finem. Idem ſentit Epiphanius in hæreſi Epicuræorum ad finem. Ita Chronicon Alexandrinum, in quo Ioacim pater, ſicut Iechonias filius, ſæpe vocatur Iechonias. Ita Abulenſis,& Ianſenius,& Mariana, in c.1. Matth. Garcia Galerza lib.8.c.3.deinde Ioiacim Iechoniæ filius, Iechonias quoque vocatus eſt, vt docet apertè hic Matthæi locus, qui Salatielem apertè dicit à Iechonia fuiſſe generatum,& Ieremias c.22. *Si fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda annulus in manu mea.*

42. Multi hîc in tertia teſſaradecade vnam deſiderant generationem, nimirum Ioacim, quem etiam Iechoniam appellari diximus, & varias adducunt rationes. Quidam putant in nomine Iechoniæ duos Iechonias eſſe comprehenſos, quia vtrique commune nomen erat. Epiphanius & Hieronymus, & Ambroſius ſuprà, quibus è recentioribus nonnulli ſubſcribunt, corruptũ eſſe putant locum, & deſcriptorem duorum nominum ſimilitudine fuiſſe deceptum, quod non rarò in Scriptura ſacra contigiſſe ſuprà notatione ſecunda probauimus. Epiphanius quidem ſic explorat, & fortaſſe inuenit deſcriptoris aut inertem incuriam, aut nimiam audaciam. *Aliqui*, inquit, *Iechoniam cum alio Iechonia reperientes, numerum duplicatum eſſe putauerunt. Non erat autem duplicatio, ſed numerus clarus. ex nomine enim patris filius nominatus eſt Iechonias. Iechonia itaque detracto proprietatis ſtudio vno nomine ex ignorantia huc delati defectuoſum fecerunt propoſitum argumentum*,&c.

43. Mihi hac in re diſplicebat minus, quod in cõmentariis ſuper Ieremiam ad caput primum in principio olim ſuſpicabar, nomen Ioacim, quem Iechoniam quoque vocari diximus, propter Iechoniæ filij nomen, quod erat illi proximum, fuiſſe præteritum. Tunc autem ſuſpicabar fuiſſe in hunc modum ab Euangeliſta nomina diſpoſita. *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius. Iechonias autem genuit Iechoniam in tranſmigratione Babylonis, & poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salatiel*,&c.

44. *Quomodo in tertia teſſaradecade euitẽtur tria incommoda in Chriſti genealogia.*

Hæc autem cogitatio tria ſummouet, quæ grauiſſima cenſeri debent incommoda. Primum, quia Iſaias reuera non genuit neque gignere potuit Iechoniam illum, qui genuit in Babylone Salatielẽ, quia Iechonias ille nepos fuit, & multis annis natus poſt Iſaiæ mortem. Secundum, quia Ioſias, neque Ioacim, neque vllum alium filium gignere potuit in trãſmigratione Babylonis, cùm ante illã obierit. Sanè conſtat triginta ferme annis ante inchoatam tranſmigrationem genitum eſſe Ioacim Iechoniam. Quod ita fit perſpicuum, nam Ioacim qui ſtatim à patris Ioſiæ cædè regnare cœpit, iam vigeſimum impleuerat ætatis annum, vt conſtat lib.4. Reg.c. 13.v.36. quibus ſi addas tres annos, quibus in regno fuit antequam Rex Babylonis principium faceret tranſmigrationis, Daniel.c.1. v.1. efficitur viginti octo annis ante tranſmigrationis initium natum eſſe Ioacim. Tertium, quia niſi aliquid corrigas, aut mutes, à tranſmigratione ad Chriſtum, non poſſunt generationes numerari quatuordecim. Quæ tamen omnia, ſi hoc modo, quem diximus, nomina diſponas, expeditus eſt exitus, neque aliquid occurrit, in quo attenti lectoris curioſitas offendat.

45. Nam primum verum eſt, à Ioſia Iechoniam Ioacim,& fratres illius, qui etiam regnauerunt, Ioſia defuncto, fuiſſe generatos. Verùm à Iechonia Ioacim, cuius anno tertio trãſmigratio cœpit, in trãſmigratione Iechoniam alterum ſuſceptum fuiſſe. Iam verò quomodo tertia teſſaradecas quatuordecim conſtet generationibus videamus. Suprà in Ioſia diximus teſſaradecadem ſecundam fuiſſe finitam: quæ tranſmigrationem non attigit. Quare neceſſe eſt, vt ab illis tertia teſſaradecas incipiat, qui tranſmigrationis incommoda experti ſunt; quorum primus fuit Ioacim, quem etiam Iechoniam appellari diximus. Ab hoc vſque ad Chriſtũ; ſi alterum Iechoniam annumeres, generationes numerantur non minus quatuordecim,& illa ommino incommoda tolluntur, quibus generationis ſeries aut interrupta videbatur, aut implexa. Hæc ego meditabar mecum, optabámque ab aliis aliquid afferri, in quo ſic acquieſcerem, vt nihil præterea deſiderarem. Quod etiam opto, & à melioribus ingeniis expecto. Neque enim ego quæ nunc adduxi, ſic probo, vt mihi in illis omnino ſatisfaciam: Quædam namque duriuſcula alicui videbuntur, vt quod teſſaradecadum capita in generationibus numeranda non ſint; & nonnulli ad aliquam teſſaradecadem referantur, quos alij ad alias pertinere putant. Sed ſi in hac noſtra cogitatione aliqua occurrunt incommoda, multo grauiora ſunt alia, quæ hac exponendi ratione declinamus. Neque puto de exiguo numero, aut commutatione leui nimis eſſe laborandum, cùm facilè eorum ſe nobis offerat prompta ſolutio à notatione, quam ſuprà tertio loco produximus. Vbi diximus, quæ proximè diſtant à perfecto numero, ſiue id in exceſſu, ſiue in defectu contingat, ea comprehendi, ac ſignificari numero perfecto. quod idem eſt dicendum de loco ac tempore, vt eadem notatione diximus. Quale eſt Ioachim Iechoniam genitum fuiſſe à Ioacim Iechonia parente in tranſmigratione Babylonis, cùm tamen paulo antè generatus fuerit. Quod ex eo conſtat, quia Ioacim vndecim regnauit annos, & cùm bis à Rege Babylonis ſubiugatus fuiſſet, primùm tertio anno, ex quo regnare cœpit, vt legimus Dan. c.1. deinde vndecimo, quando occiſus fuit: cùm illi ſucceſſit Ioachim Iechonias, decem & octo annos impleuerat; quare genitus fuit decem annis, ante tranſmigrationem inchoatam. Sed quia ſub illud tempus tranſmigratio contigit, & vterque Rex illius detrimenta ſuſtinuit; in tranſmigratione dicitur fuiſſe generatus.

Sed dicet aliquis; ſi quis hic fuit deſcriptoris error, aut incuria, cur nihil mutatum fuit hoc tempore, cùm tanto ſtudio Sixti iuſſu ſacri codices examinati, atque correcti ſunt? Huic obiectioni ſatis videtur factum illa præfatione, quæ ſacris, & proximè correctis Bibliis præfixa eſt, vbi quædam, quæ mutanda videbantur, conſultò immutata dicuntur eſſe relicta ad offenſionem populorum vitandam. Hîc autem non poterant ſine graui populorum offenſione inſeri quatuor Reges, quorum nomina in Chriſti genealogia, quæ ſæpe in templis reſonat, nunquam eſſent audita. 46.

Multi de hac Chriſti genealogia multa dixerũt quæ nunc referre omnia, neque otij noſtri eſt, neque animi, neque, vt ego opinor, inſtituti. videatur præter Matthæi interpretes noſter Gabriel Vaſquez tom. 2. in 3. p. S. Thom. diſp. 127. qua de re egit accuratiſſimè, & optimè, quo tempore per alias occupationes licuit, ne qua temporis, id eſt, boni doni, particula periret, cuius eſt parciſſimus, D. Franc. de Mendoza Almirãtus Aragoniæ. 47.

Quod

Quod opus iamdiu premit tanti viri modestia, quod vt in lucem proferat, vrgent amici, quorum precibus, vt est ingenio liberali, ac miti, non, credo, se præfractum, atque inexorabilem præbebit.

49. Vers. 21. *Tulit autem vniuersus populus Iudæ Azariam.* ]Hic Amasiæ filius vocatus est etiam Ozias, vt verbis habes expressis lib. 2. Par. c. 26. *Omnis autem populus Iuda filium eius Oziam annorum sedecim constituit Regem pro Amasia patre suo.* Et hoc nomen in Scriptura sacra sæpius auditur. Sub hoc Rege aggressi sunt, prophetare Isaias, vt ipse testatur in principio suæ prophetiæ, qui Amasiæ Regis frater existimatur, vt ex sententia Hebræorum refert Hieronymus, & Oseas, Ioel, Amos, Ionas, Nahum, eodem teste Hieronymo. Hic porrò Ozias, siue Azarias, licèt nondum ætate satis confirmata, annos natus sedecim, vbi primùm parentis loco suffectus est, ædificauit Ælath, eámque Regum Iuda ditioni restituit.

50. Vers. 23. *Anno quinto decimo filij Ioas Regis Iuda, regnauit Ieroboam filius Ioas Regis Israel.*]Triginta nouem annis regnauit Amasias, vt constat suprà v. 2. cuius anno decimo quinto Israeliticum imperium iniit Ieroboam filius Ioas, qui nihilo melior fuit parentibus suis: neque recessit à Ieroboami perfidia filij Nabat, qui vitulos aureos, & impiam religionem in Israelis terminos inuexit. Obseruare autem oportet, ne nominis tam sæpe repetiti communitas confusionem pariat, duos fuisse Reges in Israel, quibus commune nomen Ieroboam, quos parentum nomina distinguunt. Alter qui à Dauidis familia decem separauit tribus, & infelicem populum nefario cultu vitulorũ infecit, qui vocatus est millies filius Nabat. Alter nepos Iehu, qui ab altero loco regnauit in Israel, qui à parente vocatur filius Ioas.

51. Vers. 25. *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis.* ] Ab illa parte videtur Syri eripuisse multa, quę priùs obtinuere, aut obtinere potuerũt Israelitæ in terra Chanaanitide quæ data est à Deo in possessionem Israel. Ab illa enim parte Israelis fines Syri contingunt. Est autẽ Emath pars illa in Libano, per quam Babylonij, & Assyrij aditum habent minùs impeditum. Quas nos pylas, aut fauces appellare possumus. Est autem Emath in tribu Nephthalim, non procul à Damasco, quæ Syriæ caput est. Mare porrò solitudinis illud est, quod aliter mortuum, aut salsissimum vocatur; in quo sunt ciuitates illæ, quas antiquissimis sæculis cœleste consumpsit incendium, & aquæ fœtentes oppleuerunt.

52. *Quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi.*]Multa facta dictáque sunt, quæ tamen scripta non habemus illis in locis, vbi videbantur scribi potuisse commodiùs. Quæ tamen alibi ex occasione ab aliis narrata cognouimus. Non habemus in prophetia Ionæ quicquam de hoc Ieroboam; at hic locus sic est apertus, & talibus signatus notis, vt dubitare possit nemo Ieroboamo prędictum à Iona, restitutum iri veris Dominis ciuitates illas, quas Syri ab Emath ad mortuum vsque mare eripuissent Israeli. Ex hoc autem loco apertè colligimus σύγχρονον esse Ionam, Isaiæ, Amos, Oseæ, aliisque Prophetis, qui sub Ozia prophetasse narrantur. Cur autem Ionas filius dicatur Amathi, diximus in nostris commentariis super Ionam. De hoc porrò Ionæ ad Ieroboamum vaticinio ita Iosephus lib. 9. c. 11. *Ieroboamo Propheta Ionas prædixit, quod deuictis Syris ditionem suam esset amplificaturus, prolatis eius terminis ad Septemtrionem vsque Amatham vrbem: ad Meridiem verò vsque ad Asphaltitem lacum: his enim olim terminis Chananæa terra finiebatur, iuxta Iosue Imperatoris definitionem. Quo oraculo excitatus Ieroboamus totos eos tractus adeptos Syris ad suum regnum addidit, nihil fallente Iosue vaticinio.*

*Ionas Propheta sub Ieroboam.*

Vers. 26. *Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, & quòd consumpti essent vsque ad clausos carcere, & extremos.*]C. 13. v. 4. cùm sæpe ac diu à Syris attritus esset Israel, neque vlla sese ostenderet spes salutis ab humana manu; misit Deus saluatorem, qui sic affecit Syros durè, réstque turbatas, & afflictas Israelis ita constituit, vt sicut antea quilibet in tabernaculis suis, & sub vite, & ficu sine vllo metu, aut sollicitudine viueret. illum saluatorem esse dicebamus ipsum Ioachaz, qui spiritus Syrorum insolentes repressit, aut hunc Ieroboamum ipsius nepotem, qui non minus quã auus collapsam excitauit rempublicam, & ad priorem aut etiam meliorem statum adduxit. Quando non solùm Israelis regnum, sed etiam Iuda, à quo pater ipsius hostiliter antè dissederat, nouis amplificauit incrementis, de quo mox. Vbi vulgatus, *clausos carcere & extremos*, Hebræ. est. עצור ועזוב *asur azub.* quæ aliis locis non semel inueniuntur coniuncta, quæ vulgatus reddidit *clausum, & nouissimum*, de quo dicendi genere, vt reor, prouerbiali, diximus satis lib. 3. c. 14. v. 10. ad illud, *percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clausum & nouissimum.* Vbi diximus à gregibus ductam esse metaphoram, in quibus qui clausi sũt & nouissimi, maximè videntur esse tuti. Aut his verbis omnia significari, quæ homines in bonis numerant, quorum quædam sunt extra domum, vt agri & vineæ, quæ quia homines neque domi seruant, neque claustris muniunt, derelicta existimari solent: Alia secum habent, quæ seris claudũt illísque aut indormiunt, aut inuigilant, ne fures rapiant, qualia sunt aurea vasa, pretiosa supellex, pecunia, & si quid aliud est, quod capiat oculos, & manus furaces, & aduncas inuitent, quæ bona vocari clausa possunt, quia aut in arculis, aut certè intra parietes accuratè seruantur. Sic sanè habet antiquissima Hispanorum translatio, *Facta no quedar cosa tesaurisada, hasta no quedar cosa dexada en el campo.* Vulgatus addidit *carcere*, quod in Hebraico textu non habemus. quod explicationis gratia adhibuit, quod sæpe facit. Quæ vox videtur priorem explicationem approbare. Quæ dicebat hunc dicendi modum à re pecuariâ fuisse translatum; nam agni, aut oues, quæ intra septa continẽtur, aut domi, dici optimè possunt carcere conclusæ, qui liberos gressus, & vagos impediat. Certè funes, qui equos in circo continent, ne ante suum tempus erumpant in cursum, carceres dicuntur; quibus non valde dissimilia sunt septa, quæ ad continendas pecudes ex sparto & cannabe opere reticulato texuntur.

53. 54. Clausi, & extremi, *seu* clausi, & nouissimi *quid.*

55. Vers. 28. *Quomodo restituit Damascum, & Emath Iudæ in Israel.* ] Duæ istæ ciuitates extremæ sunt terræ promissionis, adeò vt multi non immeritò dubitarint ad Syriámne pertineant, vel ad terminos Israeli à Domino concessos. Ego ad Israelem pertinere puto saltem Emath, quæ est Antiochia, ad quam dum extendi dicitur terra promissionis, vt Numer. 34. inclusiuè ibi ponitur Emath, quasi pars illius. De Damasco res est magis dubia. Sed nobis vtcumque sumas satis est Damascum, & Emath Israelis imperio aliquando paruisse,

& Regum Syriæ armis, ſicut alias plures ciuitates eſſe ſubactas. Sanè lib. 1. Par. c. 18. v. 6. cepiſſe dicitur Dauid Damaſcum, & ibi conſtituiſſe militare præſidium. & v. 3. percuſſiſſe Adarezer Regem Saba regionis Emath, quas nunc Ieroboam ad imperium Iſraeliticum rurſus adduxit.

56. Sed quæret hic aliquis quomodo cùm Ieroboã Rex eſſet non Iuda, ſed Iſrael, ciuitates tamen illas Iudæ addiderit alieno, non proprio Iſraelis imperio: maximè cùm ciuitates illæ longè diſtant ab eo funiculo, quem inter duodecim fratres Iudas obtinuit. Multa hic Abul. q. 26. & alij, quæ nunc omitto. Tantùm dicam, quod mihi magis videtur expeditum & promptum. Eſt quidem verum ad alias tribus potius pertinere potuiſſe vtramque ciuitatem, quàm ad Iudam, quia propiùs diſtant ab aliis; nihilo tamen minus pertinuiſſe puto ad tribum Iuda, quia Dauid qui ex illa natus eſt tribu, vt illas ſubiugauit primus, ſic etiam ſuæ maluit, quàm aliis tribubus adſcribere. Quemadmodum lib. 1. Reg. c. 27. v. 6. licèt Siceleg magis ad tribum Simeonis pertineret, quia illa data fuit Dauidi. *Facta eſt Siceleg Regum Iudæ vſque in diem hãc.* Dicitur porrò reſtituta non Regibus Iuda, ſed *Iudæ in Iſrael.* quia extra ſortem Iudæ inter alias decem, aliquot erant ciuitates, quæ à Dauide in ſuam tribum fuerant contributæ, quæ parebant Regi Iſrael, ſicut etiam, vt opinor, parebat Siceleg, cùm tamen ad Iudam pertineret, vt diximus. Et hoc omnino ſibi vult illud, *reſtituit Damaſcum, & Emath Iudæ in Iſrael.* id eſt, fecit vt duæ illæ ciuitates adiungerentur aliis ciuitatibus Iudæ, quas habuit ſibi ſubditas in Iſrael, id eſt, in ſua ditione, quæ tamen nomen retinuerunt antiquum, & ſicut antea ſolitæ ciuitates dicebantur Iudæ.

*Quædam ciuitates adſcriptæ Iudæ, licet extra illius ſortẽ.*

Verſ. 29. *Dormiuitque Ieroboam cum patribus ſuis.*] Quærit hîc Abul. q. 27. an ferro Ieroboam, vel naturali morte perierit. Nullam illi vim allatam extrinſecùs probat, quòd dormiiſſe dicitur cum patribus ſuis, qui dicendi modus naturale indicat, non violentum moriendi genus. quòd verò vis interceſſerit, & ferrum, non probat illud Amos c. 7. v. 11. *In gladio morietur Ieroboam, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua.* Neque enim dixit eripiendam eſſe Regi vitam gladio, ſed, *conſurgam ſuper Ieroboã in gladio*: quæ verba tantùm indicant conflandum eſſe bellum contra domum Ieroboam, quod paulo pòſt accidit poſt illius mortem. Illa porrò verba retulit ſacerdos ſceleſtus Amaſias Regi, vt odioſum redderet Prophetam, & Regis manu illum de medio tolleret, aut exturbaret procul è regno, quem ſuis commodis atque conſiliis parum videbat opportunum: non itaque minaces illi ſermones fuerunt Amos, ſed Amaſiæ ſacerdotis, quos falsò confinxit, neque nouum eſt in Scriptura, vt quædam narrentur, quæ mentiti ſunt alij, quorum verba refert, non probat: vide plura lib. 1. c. 4. vbi diximus multa ab externis falsò dici, quæ Scriptura narrat, quibus tamen ideo nulla debetur fides.

*Ieroboam mors.*

# IN CAPVT XV. LIB. IV. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*AMASIAE patri ſucceſſit Azarias, qui aliter Ozias appellatur, qui ad parentis exemplum diuinis ſe legibus attemperauit; neque tamen demolitus eſt excelſa, quæ parentes minùs religiosè ac piè conſtruxerunt. Illud verò cum omnium offenſione tentauit audaciùs, quòd ſacerdotale ſibi munus aſſumpſit, adoleuitque incenſum, quod lex, & conſuetudo vni tantùm ſacerdoti permittunt. Quam audaciam Deus abire noluit impunitam, percuſſit enim illum horribili lepra, quæ ſacrilegum Regem non regno ſolùm, ſed hominum etiam conuictu priuauit. Habitauit enim ad mortem vſque in priuata domo, cuius loco filius Ioathan tractauit traditum ſibi à populo regni gubernaculum. Anno Azariæ octauo ſuſcepit regnum Iſrael Zacharias Ieroboami filius, quem ſexto poſtquam regnare cœpit menſe, interfecit Sellum. Tunc autem in generatione quarta ex familia Iehu excidit regnum Iſrael. Neque diutiùs regnum tenuit Sellum, quem exacto menſe occidit Manahem; qui nomen ſuum & regnum, & inſignis crudelitatis fœdauit exemplis, & ingentibus onerauit tributis, vt Aſſyrij Regis gratiam ſibi conciliaret. Huic ſucceſſit Phaceia, quem poſt biennium ſuſtulit Phacee Romeliæ filius. Huius tempore Thetglathphalaſar magnam Iſraelitici Imperij partem abduxit ad Aſſyrios: & ipſum Phacee interemit Oſee, & illius loco regnum occupauit. Sub hæc tempora regnauit Joatham in Iuda, in quem duo Reges Iſrael, & Syriæ, Raſin videlicet, & Romeliæ filius coniurarunt.*

## CAPVT DECIMVM QVINTVM.

1. ANno vigeſimo ſeptimo Ieroboam regis Iſrael, regnauit Azarias filius Amaſiæ regis Iuda.

2. Sedecim annorum erat cùm regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ieruſalem, nomen matris eius Iechelia de Ieruſalem.

3. Fecitque quod erat placitum coram Domi

Domino, iuxta omnia quæ fecit Amasias pater eius.

4. Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.

5. Percussit autem Dominus regem, & fuit leprosus vsque in diem mortis suæ, & habitabat in domo libera seorsum: Ioathan verò filius regis gubernabat palatiũ, & iudicabat populum terræ.

6. Reliqua autem sermonum Azariæ: & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

7. Et dormiuit Azarias cum patribus suis: sepelierúntque eum cum maioribus suis in Ciuitate Dauid, & regnauit Ioathan filius eius pro eo.

8. Anno trigesimo octauo Azariæ regis Iuda, regnauit Zacharias filius Ieroboam super Israël in Samaria sex mensibus:

9. Et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres eius: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

10. Coniurauit autem contra eum Sellum filius Iabes: percussítque eum palam, & interfecit, regnauítque pro eo.

11. Reliqua autem verborum Zacharię, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

12. Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Iehu, dicens: Filij tui vsque ad quartam generationẽ sedebunt super thronum Israël. Factúmque est ita.

13. Sellum filius Iabes regnauit trigesimo nono anno Azariæ regis Iuda: regnauit autem vno mense in Samaria.

14. Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa: venítque in Samariam, & percussit Sellum filium Iabes in Samaria, & interfecit eum, regnauítque pro eo.

15. Reliqua autem verborum Sellum, & coniuratio eius, per quam tetẽdit insidias, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

16. Tunc percussit Manahem Thapsã, & omnes qui erant in ea, & terminos eius de Thersa, noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes eius, & scidit eas.

17. Anno trigesimo nono Azariæ regis Iuda, regnauit Manahem filius Gadi super Israël decem annis in Samaria.

18. Fecítque quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël cunctis diebus eius.

19. Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talẽta argenti, vt esset ei in auxilium, & firmaret regnum eius.

20. Indixítque Manahem argentum super Israël cunctis potentibus & diuitibus, vt daret regi Assyriorum, quinquaginta siclos argenti per singulos: reuersúsque est rex Assyriorum, & non est moratus in terra.

21. Reliqua autem sermonum Manahem, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

22. Et dormiuit Manahem cum patribus suis: regnauítque Phaceia filius eius pro eo.

23. Anno quinquagesimo Azariæ regis Iuda, regnauit Phaceia filius Manahem super Israël in Samaria biennio:

24. Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

25. Coniurauit autem aduersus eum Phacee filius Romeliæ dux eius, & percussit eum in Samaria in turre domus regiæ, iuxta Argob, & iuxta Arie, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnauítque pro eo.

26. Reliqua autem sermonum Phaceia, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

27. Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Iuda, regnauit Phacee filius Romeliæ super Israël in Samaria viginti annis.

28. Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël.

29. In diebus Phacee regis Israël venit Theglathphalasar rex Assur, & cepit Aion & Abel Domum, Maacha & Ianoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephthali: & transtulit eos in Assyrios.

30. Coniurauit autem, & tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percussit eum, & interfecit: regnauítque pro eo vigesimo anno Ioatham filij Oziæ.

31. Reliqua autem sermonum Phacee, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israël?

32. Anno secundo Phacee, filij Romeliæ regis Israël, regnauit Ioatham filius Oziæ regis Iuda.

33. Viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris Ieruſa, filia Sadoc.

34. Fecitque quod erat placitum coram Domino: iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est.

35. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis: ipse ædificauit portam domus Domini sublimissimam.

36. Reliqua autem sermonum Ioatham, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda?

37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam, Rasim regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.

38. Et dormiuit Ioatham cum patribus suis, sepultúsque est cum eis in Ciuitate Dauid patris sui, & regnauit Achaz filius eius pro eo.

# IN CAP. XV. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

Vers.1. *Anno vigesimo septimo Ieroboam Regis Israël regnauit Azarias.*]

1. SVPRA diximus, hunc Azariam, vocari etiam Oziam, idque in Scriptura sacra frequentiùs, qui fecit quod rectum erat coram Domino, quia videlicet idola non coluit; sicut etiam fecerat pater Amasias, cùm primùm regnum inijt, nam postea, vt vidimus, ad idola defluxit; in eo tamen parùm constans, & religiosus fuit, quòd impura sacraria non euertit, vbi delusus populus, & impius immolabat victimas, & idolis nefario cultu supplicabat.

2. Vers.5. *Percussit autem Dominus Regem, & fuit leprosus vsque in diem mortis suæ.*] Breui hîc Oziæ totius vitæ cursus absoluitur, cùm tamen plurima egerit regio animo, atque spiritu digna; qualia ex Regibus Israël & Iuda admodum pauci. Post res autem plurimas, atque præclarè gestas lepra percussus est, quæ quia toto vitæ tempore durauit, ad vltimum vsque vitæ diem separatus vixit ab hominum congressu: quemadmodum Leuit. ca.3. v.44. cautum est lege; *Quicunque*, inquit, *maculatus est lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis*, &c. *omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.* Quod ita seuerè sacerdotes curarunt, vt neque leprosum Regem, támque præclarè de regno meritum eximendum putauerint à communi lege. Hæc porrò separata domus libera vocatur, quia in ea Rex liberam agebat vitam, & solutam à regni molestiis, vbi liberè, quantum grauis illa, ac fœda ægritudo permisit, priuatæ potius vacabat saluti, quàm seruiebat publicæ. Hæc de Ozia, seu Azaria in hoc libro. Plura de illo, eáque admodum illustria legimus lib.2. Paralipomenôn cap. 26. quæ in hunc locum à nobis conferenda sunt, ne quid de Ozia curiosus lector desideret, quæ sanè eiusmodi non sunt vt à nobis prætermitti debeant. Neque tamen in eorum explicatione multi erimus, quia ipsa per se impeditum nihil habent, aut quod lucem desiderent interpretis.

*Leprosi seorsum ab aliis habitant.*

3. Ex lib.2. Paralipomenôn cap.26. vers.5. id primùm habemus de Azaria, siue Ozia, nempe quandiu vixit Zacharias Propheta, qui iuxta illius temporis consuetudinem, Videns dicebatur, & Intelligens, omnia illi ex voto contigisse, & ex vsu priuato, ac publico. Sicut etiam suprà cap.12. diximus de Ioas, qui quandiu vixit Ioiada sacerdos, cuius se consiliis regendum, & formandum præbuit, & vixit piè, & res administrauit feliciter. Cùm autem in viuis esse desiit, & viuendi liberior fuit potestas, sic à seipso degenerauit, vt ex optimo Rege factus videretur iniustus, crudelísque tyrannus; & vsque adeò omnibus odiosus, vt à seruis fuerit interfectus. Eodem modo cùm Zacharias vixit, Regíque assiduus, atque familiaris fuit, assuefecítque illum, vt tentaret nihil, nisi consulto priùs, & propitiato Deo, nihil aggressus est, quod non felices exitus habuerit. Hinc frequentes è gente Philistina victoriæ; hinc illarum vrbium excisi muri, quarum apud Philistinos primus erat locus, & gloria; hinc in eadem prouincia excitatæ turres, quæ rei Israëliticæ magno vsui futuræ putabantur; hinc subacti Amonitæ, & Arabes, & vectigalia quotannis pendere coacti; hinc tandem nomen inclytum ex continenti victoriarum cursu ad Ægyptum vsque diffusum consecutus est. Iosephus lib. 9. cap. 12. conditam esse dicit vrbem ad mare Rubrum, & in ea præsidium militare dispositum.

4. Quis fuerit iste Zacharias videns, & intelligens, id est, Propheta, incertum est. Quidam ex Hebræis, vt refert hîc Lyra, illum Zachariam esse dicunt, quem occidit Ioas. Quod miror in cuiusquam mentem venire potuisse, cùm multis annis ante Azariæ regnum Zacharias ille occisus fuerit. Minus quidem abs re, incertum tamen, alij illius Zachariæ natum arbitrantur; sed huic cogitationi nihil præter nomen fauet, & in his sunt Caietanus, & Dionysius.

*Zacharias videns & intelligens quis.*

5. Eodem lib. & cap. Paralipomenôn vers.9. ea recensentur, quæ in Hierosolyma ornanda, & munienda præstitit Azarias; quemadmodum mœnia aut instaurarit, solidarítque ruinosa, & si qua parte viderentur infirma, aut excitarit noua, aut tandem, vt reor, nouis substructionibus impleuerit illa, quæ cap. præcedenti vers.13. demolitus dicitur Ioas Rex Israël, neque tantùm res vrbanas curauit, & instruxit, sed res etiam rusticas, & pecuarias, quarum erat studiosus, & diues. Quare in solitudine locísque campestribus, vbi pecorum plerumque sunt stabulationes, & pascua, turres excitauit, quæ futuræ essent rei armentariæ, ac pecuariæ curatoribus commoda diuerticula. Sanè villæ, id est, domus rusticæ, vbi conduntur agrorum fructus, & qui illis aut percipiendis, aut quouis modo curandis dant operam, morantur, turres dicuntur, & castella. Sic Deus discurrisse dicitur per vicos, & castella, id est, per rusticorum villas, pastorúmque mapalia. Sic bonus paterfamilias ædificasse in vinea dicitur turrem, Isai.c.5. & Matth.c.21. Certè alicubi in Hispania rusticæ

*Turres, & castella sunt villa, & rusticanæ domus.*

rusticæ domus turres appellantur. Cùm autem multis in locis terra promissionis arida sit,de cœlo spectans pluuiam,necessitas cogit multis in locis effodi cisternas,quæ si absint,necesse est,vt regio sitiens inculta sit,& ab habitatoribus vacua, quod incommodum ne paterentur pastores, & agricolæ,Rex prudens,& attentus quàm potuit diligentissimè prouidit. Cùm autem rei rusticæ peritus esset,& amans,vineas etiam plantauit illis in locis, ex quibus vberior meliórque sperari prouentus poterat.Ex rei enim rusticæ disciplina pro vinearum satu locus eligitur sublimis, qualem Deus elegisse traditur Isai.c.5. *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei*, id est, in monte pingui; quod etiam Virgilius docuit lib.2.Georgicor.

*Fluminibus salices,crassisque paludibus alni*
*Nascuntur:steriles saxosis montibus orni,*
*Littora myrtetis lætissima:denique apertos*
*Bacchus amat colles.*

Et ipsa quotidiana docet experientia, ex collibus, locísque patentibus nobiliorem esse vindemiam, quàm ex vallibus depressis.

6. Deindè versu vndecimo,quàm voluerit rei militari strenuè esse prouisum,ostenditur,vbi pugnatorum numerus & ordo proponetur, & quemadmodum omnium generum arma, ad omnem euentum, & subitos inimicorum assultus comparauerit, quæ gestarent milites, vt clypeos, arcus, gladios,loricas,& galeas, & reliqua, quæ siue ad inferenda, siue ad declinanda vulnera disciplina militaris inuenit. Item alia quæ in turribus, mœnibus disponeret ad arcendum hostem,qualia sunt balistæ, catapultæ, phalaricæ arietes, & aliæ machinæ, quæ vim eminùs propulsarent hostilem, & oppositа inimicorum machinamenta discuterent.

7. Postea à versu 16. proditur quomodo à priori gloria atque fortuna ceciderit. Nam sicut pater illius Amasias post partam ex Idumæa victoriam spiritus assumpsit insolentes, & fatuos, ac tandem Deo hominibúsque odiosus interiit; sic Azarias, seu Ozias cùm sustinere non posset fortunæ semper atridentis afflatus,illius ponderi miserè succubuit. Tunc ergo cùm aliquid sibi deberi existimaret supra regium nomen, sacerdotale sibi temerarius assumpsit. Et contrà nitentibus sacerdotibus aliis, qui nefas esse liberè affirmabant à profanis sacrum illud obiri ministerium, ille tam longè fuit, vt illorum siue monitis, siue precibus acquiesceret, vt minaretur potiùs sacerdotibus, qui immane illud scelus exprobrabant, infortunium & mortem, si odiosi esse pergerent vlteriùs, & sibi ad sacrum illud opus essent impedimento. Quare sumpto thuribulo thymiamatis adoleuit incensum. Non tamen conatum illum sacrilegum,& verbum contra sacerdotes, impiè & temerè prolatum, impunitum Deus abire voluit. Cùm enim sacris indebitis esset operaturus, ad ipsum altare thymiamatis, Deus perstrictam Regis frontem fœda lepra percussit,cui sacerdotes edixerunt illico, vt è templo discederet, quod patere non poterat leprosis. Neque ille renuit, cùm Dei vltricem agnosceret manum, neque tutum putaret, aut decorum eo in loco, & tantorum hominum religioso conuentu, tam iustæ siue admonitioni siue imperio, seu potiùs diuinæ voluntati resistere. Quocirca egressus est è templo, & ad mortem vsque, vt antea diximus, in separata domo à regia cura, & publicis rebus abdicatus. Cuius loco suffectus est filius Ioatham, qui regium interea nomen & pondus sustinuit. Cùm autem Ozias, cùm viueret, sic etiam cùm extremum ageret spiritum, esset leprosus, non est illatus in Regum Iuda commune sepulcrum; sed in agro, vbi pro Regum sepultura destinatus erat locus honestus. Erat autem locus ille, vt opinor, area quædam prope specum, in quem regia inferebantur cadauera, à quo fuit exclusus Azarias; quia lepram etiam in regio cognatóque cadauere mortuorum ossa refugiunt & horrent. Quo exemplo,seu potiùs instituto, docemur, quàm nobis fugienda sit peccatorum,quorum imaginem in leprosis intuemur, periculosa societas. Iosephus ait in horto fuisse sepultum, separatum videlicet post vitam ab hominum habitatione, sicut etiam priùs in vita fuerat. Sed alij plures prope sepulcra Regum communia, extra tamen sepultum opinantur. Vtra harum expositionum verior, non sumitur ex hoc loco Paralipomenôn,qui non magis in hanc, quàm in illam expositionem propendet; veruntamen ex lib.4.Regum non obscurè colligitur prope Regum commune sepulcrum esse tumulatum. Dicitur enim ibi vers.7. *Sepelierunt eum cum maioribus suis in ciuitate Dauid.* Non ergo in agro, vel in horto.

8. *Ozia sepulcrum.*

*Societas malorum fugienda.*

*Multi Reges extra sepulcra Regum tumulati.*

Quod nunc factum dicitur cum Ozia, ne sepeliretur in sepulcris Regum,sed in proprio sepulcro non procul in ciuitate Dauid,aliis quoque Regibus accidit,quos populos iudicauit indignos, quos in aliorum Regum sepulcra conderet. Sic legimus de Rege Ioram 2. Paralipomenôn capite 21.versiculo 20. *Sepelierunt eum in ciuitate Dauid, veruntamen non in sepulcro Regum.* Et de Ioas libro secundo Paralipomenôn capite 24. versiculo 25. eadem omnino iterantur verba de Achaz, capite 23.versiculo 27.*Sepelierunt eum in ciuitate Ierusalem,neque enim receperunt eum in sepulcro Regum Israël.*qui etiam 4.Reg.16. vers.2. sepultus dicitur in ciuitate Dauid.

9.

10. Versu deinde vigesimo secundo legimus reliqua priorum,& posteriorum temporum gesta prodita fuisse monumentis ab Isaia Propheta; qui dicendi modus satis indicat Prophetam de Azaria scripsisse non pauca. Sed illa, sicut alia plura interierunt. Duo ergo tantùm inuenio apud Isaiam, quæ ad hanc historiam nonnihil faciunt. Alterum capite 14. v.18. *Ne læteris Philistæa omnis tu: quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur Regulus.* Affecit, vt vidimus, Philistæos Azarias plurimis incommodis. Quare cùm audiissent illum decessisse, aut, quod idem ferme est, propter lepram à regni administratione fuisse depulsum, exultarunt vehementer, quia nihil iam amplius timendum putabant. Quibus tanto grauiora minatur Isaias ab Ezechia pronepote, quanto grauior est Regulí, quàm colubri,morsus.

*Quædam ab Isaia scripta perierunt.*

*Ozia audacia,& lepra.*

11. Alterum est capite sexto versiculo primo. *In anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super montem excelsum.* quibus verbis ostendit Isaias quid eo tempore, aut sub id tempus, in quo decessit Ozias, seu Azarias, acciderit. Sed adhuc est dubium an spectrum illud nobile oblatum Isaiæ fuerit, quo tempore veram obiit, & naturalem mortem, aut quando lepra percussus fuit,& à regno pulsus, cùm in domo vixit separata, & prorsus ab hominum congressu segregatus. Hoc posterius opinatus est Chaldæus,& Abulens. quæst. 7. vbi hanc communem dicit esse sententiam,

tiam, quia hæc à reliquo populo separatio, & exauthoratio ciuilis quædam mors existimatur. Verùm, sicut nos in nostris commentariis super Isaiam ad illum locum, aliter sentiunt antiqui Patres Hieronymus, Origenes, Cyrillus, Chrysostomus, causamque reddunt cur mortuo Ozia prophetare cœperit Isaias: nam cùm infensus esset Deus Iudæis, quia non omnino impium, atque leprosum Regem exturbassent ex vrbe, licèt in domo viueret separata (addo ego quia non occiderunt, cùm cautum esset lege proposito capitali suplicio, ne quis exceptis sacerdotibus adoleret incensum, Numer. c. 13. & c. 18. Iosephus eiectum dicit extra mœnia) noluit sua consilia per Prophetas aperire populo, quem Regis sacrilegi contaminasset consuetudo.

12. *Terræ motus sub Ozia.* Sub hoc Rege accidit magnus ille terræ motus, de quo Amos capite secundo, vbi dicitur hic Propheta à Domino sermonem accepisse sub Ozia, duobus annis ante terræ motum. Hunc verò motum fuisse vehementem, colligitur ex Zachar. capite 14. versiculo quinto, vbi fugisse dicuntur Solymitani ciues, quod non videbantur esse facturi, nisi terra motu quateretur ingenti. *Fugietis*, inquit, *sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ.* Quoto anno Oziæ Regis acciderit, incertum est. neque ego in re dubia, in qua variè sentiunt interpretes, multus esse volo, cùm nihil existimem inueniri posse certum, in quo mihi ipse satisfaciam. Illud dico rem fuisse notissimam omnibus, neque enim aliter annus ille notaretur illo graui terræ concussu, nisi res esset inter Hebræos notissima, & ex ea annus ille maximè celebris.

13. *Terræ motus quo tempore accidit, & qualis.* Dicunt autem Hebræi, neque abnuit Hieronymus, & Cyrillus, hunc terræ motum tunc contigisse, quando ausus est Ozias Rex Iuda sacerdotale sibi munus assumere; tunc enim Deus graviter ea Regis insolentia commotus, non solùm auctorem ipsum sceleris fœda lepra percussit, sed populum ipsum graui terræ fremitu ac tremore conturbauit, de quo libro secundo Paralipomenon capite vigesimosexto. Qualis autem fuerit, quantúsque motus iste, docuit Iosephus libro nono Ant. capite 11. cùm enim dixisset sacerdotum vocibus à sacerdotali functione non fuisse deterritum audacem illum & insolentem Regem, imò illis si molesti esse pergerent, mortem minaretur, addit statim, *Ecce tibi terra vehementer concutitur, fissoque superne templo radius solis, os Regis improbum ferit, quod è vestigio lepra contactum est. Accessit huic & aliud prodigium, quod eodem terræ motu ad vrbem, in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, & per quatuor stadia volutum obiectu tandem orientalis montis constitit obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis.* Addit autem Cyrillus in capite 14. Zachariæ ex Hebræorum, vt arbitror, sententia, horribiliter Iudæorum regionem, & ipsam quoque Hierosolymam contremuisse: ipsam etiam Sion, ita esse quassatam, vt in duas partes dirumperetur. & opplerentur valles, quæ illius iugis adiacebant.

14. Vers. 8. *Anno trigesimooctauo Azariæ Regis Iuda regnauit Zacharias filius Ieroboam super Israel.*] Regnauit Azarias, qui & Ozias, in Iuda annis duobus supra quinquaginta. quo tempore multi fuerunt Reges in Israël; quos hîc historia sacra acerruatim commemorat, & quod hactenus semper, ne quid obscuritatis habeat historia, illorum gesta, & tempora cum Regum Iuda gestis, temporibúsque componit. Numerantur autem hoc capite Reges sex, quorum regnum in Azariæ tempus, & dominatum incurrit. quorum primus fuit Zacharias filius Ieroboam, cuius imperium fuit semestre, illudque peccatis contaminatum ingentibus; qualia superiores Reges admisere, qui Israëliticum imperium tenuerunt. Fuit autem, vt diximus, eius regnum semestre: coniurauit enim cótra illum Sellum filius Iabes, & eo sublato regnum occupauit, ex quo proximè Zacharias exciderat. Tunc autem impletum est, quod suprà c. 10. dictum est Iehu, vsque ad quartam generationem in ipsius familia futuram Israëlitici regni maiestatem. Et ita planè accidit. nam quarto loco ex Iehu stirpe propagatus est Zacharias, quartus videlicet à Iehu.

Vers. 13. *Sellum filius Iabes regnauit trigesimo nono anno Azariæ.*] Quis fuerit iste Sellum, non constat, coniectat Abulens. q. 15. de huius statu, atque ordine, acutè quidem, sed tantùm coniectat: neque nos cogit, vt sine errore credamus esse coniecturam: sed ille momentaneum habuit, & infelix imperium, quod post vnum mensem eodem quo Zacharias modo interfectus amisit. 15.

Vers. 14. *Ascendit Manahem filius Gadi de Thersa.*] Licèt nihilo esset melior Manahem duobus Regibus, qui præcesserunt proximè in Israël, videtur tamen illis fuisse solertior, cùm decem annos cum potestate fuerit, quod tempus in regno, seu tyrannide potiùs non videtur exiguum, cùm tamen ex illis prior sex menses, posterior vnum in eo dominatu transegisset. De hoc Manahem nihil habemus certum magis, quàm de Sellum. hunc Iosephus libro 9. capite 11. Ant. ducem fuisse tradit eius exercitus, quem tunc Zacharias habebat ad Thersam, qui cùm audiisset occisum in Samaria Zachariam, continuò copias, quas suæ fidei, ac curæ commissas habebat, aduersùs Regis interfectorem corripuit. Quem cùm eadem celeritate sustulisset de medio, quo ille prior Zachariam, regium suo capiti imposuit diadema: & ad Thersam rediit, non iam dux, sed Rex: & quod priuatus inchoarat, Rex iam salutatus persecutus est bellum. Cùm autem Thersa nollet nouum Regem admittere, sic in illos vehementer excanduit, vt & agros illius populatus fuerit, & ciuitatem vsque adeò pertinaciter obsederit, vt tandem subiugarit. Sed cùm in omnes, qui ad Thersam pertinerent, baccharetur hostiliter, multo tamen magis in Thaphsenses, in quos totam furoris vim, & omne virus acerbitatis euomuit. Tam enim acerbè in illorum interitum exarsit, vt non horruerit extrema illa furoris exempla edere, quorum etiam solam cogitationem animus execratur, & horret. dissecuit enim prægnantes, & antequam lucem aspiceret, in maternis visceribus fœtus elisit. Quod fecerunt ante hunc alij quidam, vt proximè Hazael c. 8. v. 12. & Amonitæ, de quibus Amos c. 2. vide quid nos in nostris commentariis ad vtrumque locum. 16. *Manahem quis.* *Manahem inaudita crudelitas.*

Vers. 19. *Veniebat Phul Rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium.*] Iosephus suprà mouisse castra dicit Phul Assyriorum Regem cótra Manahem, & cùm aduersùs tantum Regem infirmæ essent Israëlis vires, muneribus potius, quàm armis Assyrium ab Israëliticis finibus fuisse repulsum. Sed non facile hæc Iosephi cogitatio se cum sacri textus litera conciliat, qui ablata dicit à Manahē Assyrio mille argenti talenta, vt tanti Regis auxilio confirmaretur in ipsius potestate regnum: quod alioqui futurum videbatur infirmum. Timere enim iure optimo poterat, ne parum pacati essent subditorum animi, 17.

animi, cùm dissectis prægnantibus magnum in se potuerit odium conflare. Quid enim non timerét ab illo,qui ferinos expressisset mores, & omnem videretur humanitatem exuisse, præsertim cùm arrepto potius, quàm oblato diademate, speciem aliis non regni,ad quod nulla vocabatur lege, sed meræ tyrannidis obiiceret. Non itaque donis Assyrium,tamquam hostem auertit, sed potiùs tamquam patronum,& amicum aduocauit.Demus tamen Iosepho venisse primùm Phul hostili animo, vt Israëlis popularetur fines, & oblatis muneribus,nullo illato nocumento remigrasse domũ, & eodem temporis articulo initum esse pactum, vt singulis annis mille argenti talenta ab Israële reciperet,ea tamen lege,vt quotiescunque euocaretur,subsidio veniret;& illum sibi arbitraretur hostem,qui aliquid contra Israëlem moliretur hostile.Hoc indicat,quod additur eodem loco, *Reuersúsque est Rex Assyriorum,& non est moratus in terra.* Quasi iam ad prædam in Israëliticos fines foret ingressus. Vt verò soluere posset Manahem Assyrio,quod debebat ex pacto,tributum graue imposuit,in ditiorum præsertim capita, quinquaginta nimirum siclos argenti. Hoc tempore, vt docet Hieronymus ex Hebræorum sententia ad cap. 10. Oseæ in principio, missi sunt ad conciliandũ Assyriorum fauorem,& gratiam aurei vituli,de quibus aliquid ibi refert fabulosum, & merum Hebræorum commentum: dicebant enim ante illud tempus Manahem sublatos esse vitulos à sacerdotibus,& pro illis ex vili metallo alios esse suppositos,ita tamen artificiosè deauratos,vt priores omnino referrent; deprehendisse tamen fraudem illam Assyrium,& de illa cum Rege Israël expostulasse grauiter.

*De aureis vitulis missis ad Assyrios Hebræorum fabula.*

18.

19. Vers.23. *Anno quinquagesimo Azariæ Regis Iudæ regnauit Phaceia filius Manahem.*] De hoc Phaceia nihil habemus aliud quàm regnasse biennio, neque à parentum suorum vestigiis declinasse, & tandem à Phacee filio Romeliæ,quem ducem ipse exercitui præfecerat,fuisse peremptum.

20. Vers.27. *Anno quinquagesimo secundo Azariæ Regis Iuda regnauit Phacee filius Romeliæ.*] Ille idẽ qui Phaceiam occidit,illius sibi regnum vsurpauit.In hoc vno felix,si qua esse potest in Rege peccatore felicitas,quòd diuturnior illi cõtigit vsura,& vitæ & regni. Fuit enim cum potestate annos viginti nihilo superioribus Regibus melior.

21. Vers.29.*In diebus Phacee Regis Israël venit Theglathphalasar Rex Assur.*]Quatuor Assyriorum Reges grauiter afflixerunt Hebræorum gentem. Primus fuit Phul,de quo nuper: Secũdus Theglathphalasar, qui magnum partem Israëlitici regni transtulit ad Assyrios:illam nimirum,quæ propiùs spectat regionem illam,à qua tantam accepit calamitatem,vt non solùm patriam, sed etiam libertatem amitteret,& illorum subiret imperiũ, quorum ingenium durum est,& ferini mores. Tertius fuit Salmanasar,de quo postea,cùm peruentũ fuerit ad tempus Achaz.Quidam vnũ esse putant Regem Assyriorum,tribus tamen significatum nominibus,quod inter Gentiles vsitatum, qui pluribus gaudent nominibus, iisque inflatum aliquid, & grande sonantibus.Sed planè errant,tum quia varia his nominibus attribuantur gesta, & tempora magnis interuallis distincta, vt constat; &, quod caput est,de illis Scriptura eo modo aliquando loquitur,vt personas indicet esse diuersas. De Phul, & Theglathphalasar lib.1. Paralip.c.5.v.26. *Suscitauit Deus Israël spiritum Phul Regis Assyriorum, & spiritum Theglathphalasar Regis Assur.* Quòd verò Salmanasar fuerit ab vtroque diuersus,ex eo probat Abulens.q.25.quòd inter illum, & Theglathphalasar anni interceserint supra triginta:intercesserunt enim duo regna Ioathan, & Achaz, vterque autem annos sedecim regnum obtinuit. De hoc ego valde dubito, neque puto improbabile eũdem esse Salmanasar,& Theglathphalasar, imò & eum qui Isai.c.20.Sargon appellatur. Quod vt mihi persuadeam facit,quod Theglathphalasar ad vltima vsque tempora Achaz vitam, regnúmque traduxit,vt habes lib.2.Paral.cap.27.v.20. Deinde quia, vt paulo antè vidimus, Theglathphalasar cepit, abduxítque captiuum Nephthalim, at Nephthalim cáptum à Salmanasar habemus in lib. Tobiæ c.1. v.1. vbi dicitur de tribu Nephthali. v. 2.*cùm captus esset in diebus Salmanasar Regis Assyriorum.*

Hic porrò Theglathphalasar regiones cepit, & in suam secum ditionem abduxit, quas habuit sibi obuias,magísque propinquas,Galilæam videlicet,quæ magna ex parte ex Zabulon constat, & Nephthalim:& regionem Galaalitidem trans Iordanem,in qua fuerunt duæ tribus,Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, id est, partem ferme imperij Israëlitici dimidiam.Ita lib.1.Paralip. c.5. v.2.*Transtulit*(Theglathphalasar)*Ruben,& Gad, & dimidium tribum Manasse.*De aliis hoc loco,*Galaad & Galilæam,& vniuersam terram Nephthalim.*De vtrisque Isaias c.9.v.1.*Primo tempore alleuiata est terra Zabulõ,& terra Nephthalim,& nouissimè aggrauata est via maris trans Iordanem Galilea Gentium.* quo tempore hanc plagam Israëlitico imperio intulerint Assyrij, dicemus cùm ventum fuerit ad tempus Achaz.Illo etenim regnante hæc acciderunt, de quibus nunc agimus,& alia longè grauiora. 22.

Vers.30.*Coniurauit autem,& tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee.*]Hæc acciderunt ante tempora non solùm Ioatham,sed etiam Achaz. Nam Achaz,vt suo loco videbimus,à Phaceia filio Romeliæ bello tentatus est.Ponitur autem hoc loco per prolepsim, vt tandem Regum omnium Israël absolueretur historia.Hic autem Phacee annis regnauit viginti, quorum duo fuerunt, antequam regnum iniret Ioatham,totidem sumpsit ex regno Achaz, reliquos sedecim habuit cum Ioatham communes. 23.

Vers.32. *Anno secundo Phacee, filij Romeliæ Regis Israël,regnauit Ioatham filius Oziæ Regis Iuda.Viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpisset.*] Cùm primus annus Phacee in vltimum annum incurreret Oziæ, qui quinquaginta duobus regnauit annis,&,vt habes v.27. in illius anno quinquagesimo secundo regnauit Phacee, videdum est,quomodo Ioatham anno Phacee regnare potuerit. Huiusmodi difficultates in his libris Regum, & Paralip.occurrunt frequentes, quæ quomodo dissoluendæ sint,iam antè diximus. Sunt autẽ modi tres,quos maximè notatos esset oportet, aut quia filij non statim atque parentes decessere, regnum adierunt:aut quia interdum filij soli,interdũ cum parentibus simul regnum administrarunt. Atque ideo aliquando omnes illi anni coniuncti numerantur,interdum separati.aut quia anni imperfecti interdum omittuntur,interdum pro integris,perfectíque censentur.Vnde fit vt sesquiannus interdum pro vno, interdum pro duobus vsurpetur. Quibus regulis illa conciliantur, quæ valde inter se dissidere videntur,atque ideo parum huc vsque in componendis numeris,qui non satis consentire videri poterant, immorati sumus, quia iuxta has regulas facilè componi posse putabamus.Hic ego 24.

REGVLA. *Regulæ ad conciliandas tẽpora quæ variè variis in locis numerantur.*

Phacee

Phacee filiũ Romeliæ ſeſquianno ante Oziæ mortem adiiſſe regnum exiſtimo, qui vltimus cenſeri poteſt, id eſt, quinquageſimus ſecundus annus Oziæ. Quia dimidius annus, quia aliquid eſt imperfectum, numeratus non eſt. Et eo modo primus annus Phacee incurrit in vltimũ Oziæ. Sed quando Ioatham ſuſcepiſſe dicitur regnum anno ſecundo Phacee, dimidius annus pro perfecto ſumitur, atque ideo poſtremus annus Oziæ ſecundus cenſeri potuit Phacee.

25. Verſ. 34. *Fecitque quod erat placitum corã Domino iuxta omnia quæ fecerat Ozias.*] Laudatur hîc Ioathã pietas, & religio, & ſimilis eſſe dicitur Oziæ parẽti, illo nimirum tempore, quando nondum perpetuus victoriarum curſus illum inſolenter inflauerat. Nam in eo longè fuit alius à parẽte. Explicuit hoc alius locus, vbi hanc Ioatham legimus hiſtoriam l. 2. Paral. c. 27. v. 2. *Fecitque quod rectum erat corã Domino iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater ſuus, excepto quòd nõ eſt ingreſſus templum Domini.* De quo eſt præclarum Ioſephi elogium lib. 9. Ant. cap. 11. *Huic Regi*, inquit, *nulla virtus defuit, erga Deum pio, iuſto erga homines, & reipublicæ ſtudioſo.* In eo porrò videtur religioſi principis partes non expleuiſſe, quòd cùm populus immolaret in lucis, & montibus, illorum tamen noluit, aut non eſt auſus demoliri ſacraria.

In lib. 2. Paral. c. 27. nonnulla memorantur tanti principis præclara geſta. Quemadmodum inſtauerit, ſolidauerítque quæ in publicis ciuitatis operibus, aut ætas exederat, aut inimicorum iniuria cõcuſſerat, ædificarit alia tam in vrbe egregia propugnacula, quàm in montibus locíſque deſertis caſtella, & turres, ad quæ homines vel dum ruri vacant, vel dum aliquid aduerſum ſtudent declinare, confugerent. Inter alia v. 35. conſtruxiſſe dicitur in templo ſublimiſſimam portam, & lib. 2. Paral. v. 3. *portam excelſam.* quæ porta illa eſſe creditur, quæ Ierem. c. 26. v. 10. & c. 36. v. 10. *vocatur noua.* Hic tandem bellum intulit Ammonitis, eóque adegit, vt quotannis argentum, triticum, hordeum penſitarent, quod fecerunt tertiò, quæ omnia ideo Regi dicuntur euenìſſe feliciter, quîa eò intentos habuit animos, & vires, vt in omnibus diuinæ gloriæ, & patriæ religioni ſeruirent. 26.

Verſ. 37. *In diebus illis cœpit dominus mittere in Iudam Raſim Regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.*] Coniurarunt duo iſti principes contra Iudam, illámque & vexarunt aliquandiu, & attriuerunt vehementer, quo tamen exitu ad extremum, dicemus ſtatim cùm ventum erit ad Achaz. Hoc tantùm hinc habemus, quæ molita eſt duorum Regum tam ardens coniuratio contra Achaz, à diebus Ioatham habuiſſe principium. 27.

# IN CAP. XVI. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*ACHAZ regnat in Iuda vſqueadeo impius, vt præter alia, quæ Gentilium more inuerecundè patrauit, ſuum filium per ignem crudeliſſimè traductum conſecrarit idolis. Principiò Rex Syriæ aliquot ciuitatibus ereptis magno rem Judaicam affecit detrimento; cúmque coniunctis viribus cum filio Romeliæ extremum videretur allaturus exitium, Aſſyrias vires mercede conduxit. Acquieuit Theglathphalaſar votis Achaz, & primo in eam regionem appulſu vaſtauit Damaſcum Syriæ caput, & Raſim interfecit. Rex porrò Achaz, vt gratias ageret Aſſyrio, illúmque eo officio deuinciret magis, profectus eſt Damaſcum, vbi cùm nouam altaris formam aſpiceret, illámque ſpiritu planè Gentilico probaret, altare antiquum ſummouit de templo, & nouum repoſuit ad Damaſceni ſimilitudinem expreſſum: in eóque peregrino ritu immolauit hoſtias: & ne quid ſupereſſet in templo, quod ad antiquam ſacrificandi formam pertineret, quæ ſacrificali ſeruiebant vſui remouit; & meliorem in templo ſibi parauit ſedem, quàm fuerat ab antiqua religione præſcriptum.*

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

1. ANno decimo ſeptimo Phacee filij Romeliæ, regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda.

2. Viginti annorum erat Achaz cùm regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem, non fecit quod erat placitum in conſpectu Domini Dei ſui, ſicut Dauid pater eius.

3. Sed ambulauit in via regum Iſraël: inſuper & filium ſuum conſecrauit, transferẽs per ignem, ſecundùm idola Gentium: quæ diſſipauit Dominus coram filiis Iſraël.

4. Immolabat quoque victimas, & adolebat incenſum in excelſis, & in collibus, & ſub omni ligno frondoſo.

5. Tunc aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Iſraël, in Ieruſalem ad pręliandum: cúmque obſiderent Achaz, non valuerunt ſuperare eum.

6. In tempore illo reſtituit Raſin rex Syriæ, Ailam Syriæ, & eiecit Iudæos de Aila: & Idumæi venerunt in Ailam, & habitauerunt ibi vſque in diem hanc.

7. Miſit autem Achaz nuncios ad Teglathphalaſar regem Aſſyriorum, dicens: Seruus tuus, & filius tuus ego ſum: & aſcende, & ſaluum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Iſraël, qui conſurrexerunt aduerſum me.

8. Et

8. Et cùm collegisset argẽtum & aurum, quod inueniri potuit in domo Domini, & in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera.

9. Qui & acquieuit voluntati eius: ascẽdit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam: & transtulit habitatores eius Cyrenen, Rasin autem interfecit.

10. Perrexítque rex Achaz in occursum Teglathphalasar regi Assyriorum in Damascum. Cúmque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Vriam sacerdotem exemplar eius, & similitudinem iuxta omne opus eius.

11. Extruxítque Vrias sacerdos altare: iuxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Vrias, donec veniret rex Achaz de Damasco.

12. Cúmque venisset rex de Damasco, vidit altare, & veneratus est illud: ascenditque & immolauit holocausta, & sacrificium suum.

13. Et libauit libamina, & fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare.

14. Porrò altare æreum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini: A posuítq; illud ex latere altaris ad Aquilonẽ.

15. Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens: Super altare maius offer holocaustum matutinum, & sacrificium vespertinum, & holocaustum regis, & sacrificium eius, & holocaustum vniuersi populi terræ, & sacrificia eorum, & libamina eorum: & omnem sanguinem holocausti, & vniuersum sanguinem victimæ super illud effundes: altare verò æreum erit paratum ad voluntatem meam.

16. Fecit igitur Vrias sacerdos iuxta omnia quæ præceperat rex Achaz.

B 17. Tulit autem rex Achaz cælatas bases, & luterem, qui erat desuper: & mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, & posuit super pauimentum stratum lapide.

18. Musach quoque Sabbati, quòd ædificauerat in templo, & ingressum regis exteriùs: conuertit in templum Domini, propter regem Assyriorum.

19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Iuda?

20. Dormiuítque Achaz cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Ciuitate Dauid: & regnauit Ezechias filius eius pro eo.

---

# IN CAP. XVI. LIB. IV. REGVM COMMENTARII.

## Vers. 1. *Anno decimo septimo Phacee filij Romeliæ regnauit Achaz.* ]

1. INducitur ex bono ouo, vt aiunt, malus coruus; id est, parentis boni sceleratus filius, qui Regum Israel potius exempla secutus, quàm eorum, quos ex sua familia parentes habuit sanctissimos, vitam egit omni vitiorum genere fœdatam.

2. Vers. 3. *Insuper filium suum consecrauit, transferens per ignem.* ] Grauissimum fuit hoc scelus, de quo Dominus non semel queritur, aut consecratos, aut quodammodo initiatos esse filios idolorum alicui, aut certè in illorum cultum prorsus esse combustos. Vtrumque fieri solitum à Gentibus, & ad illarum exemplum etiam ab Hebræis, ex Scriptura sacra non difficili coniectura colligimus. Sicut enim aliis se modis, ac lustrationibus, si quid existimaretur sordium esse contractum, siue id ad corpus, siue etiam ad animum pertineret, aqua nimirum lustrali, aut quibusdam aliis expiatoriis sacrificiis. Sic etiam, quia nihil tam mundat, aut purificat, quàm ignis, & ideo cùm quid optimè expiatum vellent, ignem adhiberent; ex animo sordes sic exuri posse arbitrabantur, si flammæ admouerentur lustrales: quibus si vel vstulati essent, vel afflati pueri, consecrati existimabantur idolis, & illorum cultui in æternum addicti. Sic Oseas c. 4. v. 7. de populo suo queritur, quia filios genuerunt alienos, id est, qui non tam Deo, veræque religioni, quàm dæmoni, atque impurissimæ superstitioni seruirent. *In Deum*, inquit, *præuaricati sunt, quia filios alienos genuerunt.* Idem, quod Achaz, fecisse etiam dicitur C Manasses, illius nepos, lib. 4. Reg. c. 21. v. 6. *Et traduxit filium suum per ignem.* Hoc autem videtur sub hæc tempora vsitatum Hebræis, quando Iosias lib. 4. Reg. c. 23. seuerè vetuit, ne quis per ignem filios suos consecraret Moloch; sed de hoc statim.

Alio modo per ignem idolo consecrabant filios non iam vstulatos, vel attactos leuiter à flamma, sed vstos omnino, & redactos in cinerem. Sanè immolasse parentes filios suos dæmonibus in sacris literis sæpius audimus. Psalm. 105. v. 37. *Immolauerũt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Et statim, *effuderunt sanguinem innocentium, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaam.* Hos verò filios non solùm subiectos fuisse sacrificali cultro, sed etiam flammis, D quibus viui cremarẽtur prope Hierosolymam in Topheth, & eo modo Moloch Ammonitarũ Deo cõsecrarentur. Quod videtur Iosias vetuisse infrà c. 23. *Contaminauit quoque Topheth, quod est in valle filij Ennom, vt nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch.* Clariùs Ieremias c. 7. v. 31. *Ædificauerunt excelsa Topheth, quæ est in valle filij Ennom, vt incenderent filios suos, & filias suas igne.* Erat hoc tempore sacrarium impium in Topheth, id est, in valle Hierosolymæ proxima, quæ quia hæreditas quondam fuerit Ennom, Gehinaô, siue Gehenna dicebatur, vbi impiæ, ac barbaræ religionis antistites excitarũt arã, consecrarúntque Moloch, cùm filios per summam acerbitatem traductos per ignem immolabant. Topheth, vt pluribus docuimus ad cap. 30. Isaiæ, à radice deducitur

3. *Filij à parẽtibus consecrati dæmoni.*

*Quid Topheth, & quomodo in eo filij consecrati Moloch.*

תפת *taphaph*, quæ ſtrepitum ſonat tympanorum, quia parentes in victima illa crudeli ac barbara, ne filiorum eiulatu commoti ab illo nefario ſacrificio deſiſterent, tympanis ac ſiſtris filiorum clamoribus obſtrepebant, cùm igne cremarentur; aut vt alij putant, cùm in æreo Moloch ſimulacro igne candente tamquam in accenſo clibano torrebantur.

4. Vtro horum modorum filium ſuum per ignem conſecrarit Achaz, incertum eſt. Loquendi modus ad vtrumque patet. Ioſephus lib. 9. Ant. c. 12. Chananæorum ritu holocauſtũ ab Achaz oblatum eſſe filium, id eſt, totum omnino ab igne combuſtum eſſe dicit. Cum Ioſepho ſentiũt Hugo, & Abulenſ. q. 3. & hiſtoria ſcholaſtica. Alij dubij ſunt, ſed eò frequentes inclinant, vt putent traductos fuiſſe filios Achaz per ignem, nõ combuſtos. ita Theodoretus q. 16. *Ego*, inquit, *exiſtimo id quod dicitur tacitè ſignificare genus erroris, quod ad nos vſque peruenit, vidi enim in aliquibus ciuitatibus ſemel in anno accendi rogos, & trans eos ſaltare aliquos, non ſolùm pueros, ſed etiam viros: infantes autem per flammam ferri à matribus, videbatur autem quædam eſſe expiatio, & purgatio: exiſtimo autem hoc fuiſſe Achazi peccatum.* Hæc Theodoretus. Et facit ad hæc quod dicitur lib. 2. Paralip. c. 28. *Luſtrauit filios ſuos in igne iuxta ritus Gentium.* Mihi non diſplicet quod viſum eſt Lyræ, omnes filios Achaz piacularibus flammis fuiſſe purgatos, vt habemus in lib. 2. Paralip. & ex illis vnum immolatum; & conſecratum fuiſſe Moloch Ammonitarum Deo.

*Achaz quomodo filios igne luſtrauit.*

5. Hæc autem expiatio vſitata fuit inter Gentiles, qui ſicut videbant nullo modo melius inolitas ſordes excoqui poſſe, quàm per ignem, ſic etiam ſi quid eſſet peccatum, & quaſi inuſtum animo, igne putabant exuſtum iri potentiſſimè. Quare ſæpe audimus luſtrationes factas per ignẽ. Quare dum per ignem luſtralem filios traducit impius Achaz, Gentilem ſe profitetur, eiurata parentum religione. Expiari à concreto piaculo contaminatas animas cecinit Virgilius lib. Æneid. 6.

*Luſtratio per ignem vſitata Gẽtibus.*

*---Aliæ panduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto*
*Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.*

Ouidius in Faſtis lib. 4.

*Omnia purgat edax ignis, vitiúmque metallis*
*Excoquit, idcirco cum duce purgat oues.*

Et idem eodem loco igne luſtrat oues, & dicit ſe tranſiliiſſe flammas.

*Certè ego tranſiliy poſitas ter in ordine flammas.*

6. Quò auſpicatus eſſet, & felix annus, in eius principio cremabatur laurus, qua bene putabatur initiatus, id eſt, bona ſortitus initia, quæ felices in reliquum exitus portenderent. Tibullus lib. 2. elegia 5.

*Annus ab initio luſtratus igne, vt felix ſit.*

*Et ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis,*
*Omine quo felix, & ſacer annus eat.*

Eo modo fortunatus credebatur futurus filius, ſi illum recèns natum ignis ille luſtralis aut tangeret, aut afflaret. Longum eſſet referre ſingula. Illud addam, quod Abulenſ. q. 3. docet de hac purgatione per ignem, quam etiam dicit familiarem eſſe Tartaris. Nam cùm alios omnes, qui non fuerint ex ſuo genere, immundos eſſe putent, non priùs externos homines Regem ſuum alloqui, aut in eius conſpectum venire permittunt, quàm tranſierint inter duos ignes, quibus purgati digni exiſtimantur, qui regios ſubeant oculos, & illius fruantur vel alloquio, vel aſpectu.

*Reges Tartari nõ admittunt externos niſi igne purgatos.*

*Tunc aſcendit Raſim Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ Rex Iſrael in Ieruſalem.*] Multa paſſus eſt Achaz, tum à finitimis, & cognatis, tum ab externis Regibus, quæ nobis neceſſariò explicanda, & ab aliis petenda locis: quia hîc parciùs, quàm alibi prodita ſunt illa, quæ regnum Achaz & turbarunt ſæpe, & attriuerunt vehementer, illa verò ſuo ordine perſequar. Ex capite præſertim 28. Paralip. vbi hæc fuſiùs ab hiſtorico ſacro tradita ſunt. 7.

Primùm Raſim Rex Syriæ bellum intulit Achaz, qui ſuperauit eum, & ex toto Iſraële optimas exuuias tranſtulit in Damaſcum; quam fortaſſe ſibi vendicarat hoc ipſo tempore, nam, vt vidimus proximè, cap. 14. verſ. 28. caput Syriæ Damaſcum Ieroboam filius Ioas Iudæ reſtituit. Idem recepit Ailam, quam Ozias lib. 2. Paralip. cap. 26. verſ. 2. ad ditionem Iudę poſtliminio reduxerat; & illam Idumæis Iſraëlitici nominis inimicis habitandam tradidit. Illud porrò, *tradidit eum Dominus Deus eius in manu Regis Syriæ*, magnam indicat Syrorum victoriam, & grauem Iudæis inflictam plagam. 8. *Achaz multis modis à Syris afflictus.*

Deinde Phacee filius Romeliæ aggreſſus eſt Achaz Syrorum armis iam antea vexatum, & infirmum. Quàm autem ab illo fuerit acerbè tractatus, habes lib. 2. Paralip. cap. 28. à verſu 6. vbi à Phacee de viris Iuda occiſa dicuntur bellatorum hominum centum viginti millia. Inter quos fuere viri principes, & duces exercitus, & Regis ipſius quidam filius Maaſia nomine. Qui etiam abduxit infinitam multitudinem captiuam in Samariam ex omni ætate, & ſexu; & ingentem præterea prædam, quantam nimirum aut voluit, aut potuit exercitus auidus, & inſolens victoriis. Sic autem ibi verſ. 8. *Ceperunt filij Iſraël de fratribus ſuis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam; pertuleruntque eam in Samariam.* Accidit autem percommodè, vt eo tempore, quo tanta multitudo vincta traducebatur Samariam, vt ſeruilem operam nauaret hoſti victori, adeſſet Prophęta quidam Domini, nomine Oded, qui ſpiritus Iſraëlitarum inſolentes, & truces graui oratione repreſſit, perfecítque vt captiuos non ſolùm intactos, & incolumes, ſed etiam refectos clementer, & honeſtè, commodéque veſtitos ad ciuitatem vſque Ierichuntinam, quæ non procul aberat à Hieroſolymis, deducerent. 9. *Item à Rege Iſrael.*

Tandem cùm duo iſti Reges Iſraëlis, & Syriæ extinctum eſſe cuperent Regem Iuda, & pro illo Regem conſtituere externum virum, qui ipſorum ſtudiis, ac votis adminiſtrandæ reipublicæ formam attemperaret, in Achaz ambo, & Iudæorum exitium coniurarunt, ſibíque perſuaſerant rem totam facilè confici poſſe, cùm ſcirent cum illo coniunctis viribus futurum eſſe congreſſum, qui ſingulorum impetum ſuſtinere nequierit, & exultantes hoſtes à cæde, & prædatione cohibere. Quare dicebant, vt eſt apud Iſaiã cap. 7. verſ. 5. *Aſcendamus ad Iudam, & ſuſcitemus eum, & auellamus eum ad nos, & ponamus Regem in medio eius filium Tabeel.* Quaſi dicerent, vt nos eo loco paraphraſticè, Aſcendamus ad Iudaicum iſtum populum, & nimio ſomno deditum, otióque diſſolutum armorum noſtrorum ſtrepitu, & litui clangore ſuſcitemus. Neque neceſſe erit, vt ad delendam gentem illam totas explicemus bellicas vires: Sat enim erit ſi circundatam funibus ciuitatem, à ſuíſque conuulſam fundamentis ad nos trahamus. 10.

Tunc

Tunc autem depulso Rege è Iudæorum semine, eius loco sufficiemus in regno filium Zaboel. Sic secum duo illi Reges meditabantur, neque malè si quis inter se vtriusque partis vires accuratè componat. Quod optimè considerabat Achaz, quando domestico diffisus ac proprio, externum sibi accersiuit auxilium.

11. Vers. 7. *Misit autem Achaz nuncios ad Theglathphalassar Regem Assyriorum.* ] Quantum attulerit perturbationis ac metus illa duorum Regum cõiuratio, explicuit optima similitudine Isaias c. 7. v. 2. *Et commotum est cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti.* Quæ verba nos ibi sic exposuimus paraphrasticè: Perlatus est autem rumor ad Regem, aliósque proceres de domo Dauid, quæ nunciauit substitisse ad Samariã, Syrorum exercitum, vt inde coniunctis cum Rege Samariæ viribus, moueret contra Ierusalem. Qui nuncius ita perculit animos familiæ, generísque Dauidis, & totius populi, vt non minus turbarentur à metu, quàm à vento arbores commouentur in sylua. Tunc autem Dominus, vt refert eodem cap. v. 3. Isaias, præcepit Isaiæ, vt cum filio suo Sehar Iasub, qui sui nominis notatione fortunatos portẽdebat exitus, ad extremũ aquæductus, qui aquam ad piscinam superiorem deriuat, occurrat Regi Achaz, qui eò tunc egressus fuerat, vt de aduocando Assyriorum auxilio secũ ipse solus deliberaret. Cui Dei nomine iubet bono sit animo, & omnem metum ac desperationem deponat. Neque aliquid putet imminere periculi à Rasim Damasci, & à Phacee Rege Samariæ, non magis quàm ab ambustis titionibus, qui præter fumum euanidum, id est, inanes atque emortuas minas, nihil habent amplius.

12. Neque satis habuit Deus illa promisisse, quæ modò produximus, & alia quæ eodem loco adduxit Isaias, sed etiam versu 7. illustre aliquod pollicetur signum, quod futurum esset testimonium, & pignus obligatæ fidei. Sic ergo Regem Achaz verbis Domini affatur Isaias: Optato, ô Achaz, tibi quod malueris signum, atque portentum, neque moror, siue ex profundo, siue ex excelso petas, quin pro tuo voto quamprimum edã. Achaz porrò non minus simulatè, quàm impiè negat, sibi à Deo petendum esse signum, ne videatur diuinam fidem atque potentiam explorare voluisse. Quod tentationis genus esse obtendit, à quo abesse culpa non potest.

13. Dignus videbatur Achaz, & qui illi aderant, siue ex domo regia, siue è cognatione Dauidis, quíque Regi erant generis communitate cõiuncti, quos Deus abiiceret, qui tantum beneficium, tam illiberali, atque impudenti responso repulissent. Sed Deus adhuc promittit maiora v. 10. Ait enim illis, etiamsi Deo molesti fuerint, dum beneficium tantum, támque liberale contemnunt, tamen concessurum se, etiamsi obligatæ fidei neque petierint, neque acceperint pignus; quidquid antea promisisset; nempe numquam Ierusalem venturam in hostium potestatem, & duo illa regna, à quibus impendere sibi infortunium extremum metuebant, esse breui delenda. Sed etiam voluit eundem illum insperatum euentum altioris cuiusdam beneficij futurum esse pignus. Euentum autem dico incolumitatem attriti populi, qui iam de sua libertate desperabat, & duorum Regum, & regnorum exitium perbreue, sub tertium videlicet annum, quæ nullo modo extingui posse videbantur. Illud autem beneficium fuit, venturum aliquando Deum in mundum assumpta carne, natum ex Virgine, cuius erit nomẽ Emanuel, quia nobiscum conuersabitur, & viuet. Qui non aliter ac alij infantes, qui hominum satu conceptúque nascuntur, lac suget ex maternis vberibus, donec in illam ætatem adoleuerit, in qua infantes alij internoscere plerumque solent bonum, & malum, illud, vt appetant, hoc, vt auersentur & respuant. Butyrũ, & mel comedet, quod in illa regione faciũt infantes, cũ primũ à maternis auelluntur vberibus. Quæ descriptio est eius, qui natus homo ætatem adhuc agit infantilem. Deinde v. 12. explicat magis, quo tempore duo illa regna peritura sint, spatiúmque constituit triẽnale, aut triennali proximum, quantũ scilicet intercedit inter infantis ortum, & illud tempus in quo puer ad illam peruenerit ætatem, vt discernere possit inter bonum & malũ, illúdque siue eligere, siue reprobare. Ante hoc ergo tempus, eò dicit redactum iri terram, quæ nunc minatur omnia regno Iuda, vt & ipsa relinquatur deserta, neque illam ampliùs videant Reges illi, qui nunc eius præclara possessione superbiunt.

Deinde tribui & regno Iuda non longè post hæc tempora durum etiam, & longum minatur exitium. Quod etiam Virginei partus signum esse vult. **quod** à versu 13. ad finem vsque capitis latè describit. Deinde verò c. 8. vt quod per Prophetam Dominus promiserat, certo aliquo, & aspectabili signo demõstraret, iubet Deus Prophetæ, vt in libro grandi hoc ipsum, deinde in filio suo, qui primùm nasceretur, breuem duorum regnorum interitum portenderet. Quare iubet vt primùm in libro quodam grandi, eo stylo & forma, quæ in legitimo iudicio publicam habeat auctoritatem, & fidem, pauca hæc verba scribat, *Velociter spolia detrahe: citò prædare.* Quod vt exactè præstaret Isaias, & humano more, atq; forensi stylo consignatũ relinqueret, testes adhibuit, quorũ magna tunc erat fides & auctoritas, Vriã Sacerdotem summum, & Zachariam Barachiæ filium. Hoc ipsum etiam in suo filio eodem concepto tẽpore notauit. Nam cùm hoc ipso tẽpore ad vxorem coniugali more accederet Isaias, ex illa suscepit filium, cui ex Domini iussu illud idem nomen imposuit, quod in volumine grãdi paulo antea notauerat. *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Quod nomen ipso exponente Domino, qui nomen indiderat, indicabat ruituram breui Syriæ Samariæque potentiam, quæ omni casu superior videbatur. Nã priusquam puer ille tunc natus ad eam ætatem veniret, vt parentes agnoscat, vocétque blæsa, atque informi voce *tatam*, & *mammam*, expugnanda dicitur Damasci fortitudo, & ingens è Samaria deripienda præda à Rege Assyriorum. Et hoc ipsum est, quod scribitur Isai. c. 7. v. 16. *Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonũ, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorũ Regum suorum.* Hic autem puer non est Emanuel, cuius proximè antecesserat nomẽ, sed aut hic Isaiæ filius, aut quicunque alius, qui tunc esset in lucem editus. Nã priusquam puer sciret reprobare malũ, & eligere bonũ, seu cognoscere patrẽ, & matrem, quę eodẽ tẽpore cognoscere incipit puer, derelinquetur terra à duob. dominis, aut auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, quæ eadẽ sunt, aut eodẽ spectãt. Hęc omnia sumpsi paraphrasticè ex cõmentariis Isaiæ in c. 7. & 8. vbi hæc omnia, quæ strictim attigi, probaui plurib. Tu illa vide, neque. n. tractationẽ illã longã huc transferre libuit, cùm ex suo loco à curioso lectore peti possẽt. Sed dubitabit hîc aliquis, quomodo duorũ istorũ Regum

15. 16. 17.

*Alia signa nascituri Christi, nẽpe breui futura Syriæ Samariæque direptio.*

*Signa data Regi Achaz Christi nascituri.*

Regum fracta sit potentia, & regna duo tunc regno Iudæ hostiliter infensa aut euersa, aut attrita vehementer triennali, aut fortasse spatio breuiori, cùm illorum adfuturus dicatur interitus, antequam puer eo tempore conceptus, aut natus in illam ætatem adolescceret, in qua parentes agnoscit suos, aut incipit à bono malum secernere: cùm Samaria (quicquid sit de Syria) non nisi anno nono Osee Regis Israel & anno sexto Ezechiæ expugnata fuerit, vt constabit statim quarto Regum c.18. Quare cùm hæc dicta videãtur in principio regni Achaz, id est, anno illius tertio, aut quarto, vt dicemus statim, consequés est puerum, qui hoc natus est tempore, quando capta est Samaria, annos habuisse octodecim, atque ideo vixisse ad annos sedecim, postquam secernere potuit à malo bonum, & vocare patrem & matrem.

18. Quòd autem hæc ab Isaia prædicta fuerint sub initio regni Achaz, constat; quia Ioatham pater Achaz regnare cœpit anno secundo Phacee filij Romeliæ: Ioatham autem annos regnauit sedecim. Quod si hos sedecim annos duobus aliis adiicias, quos in regno posuerat Phacee, annos constitues decem & octo antequam Achaz pàrẽti Ioatham in regno succederet: cùm autem Phacee viginti tantùm regnarit annos, duos tantùm annos, aut non multo plus sumpsit ex regno Achaz. Qui tamen regnum iniisse traditur anno 17. Phacee hoc ipso c. v.1. quia annus decimus octauus inchoatus tantùm erat: atque ideo iuxta Scripturæ sacræ consuetudinem prætermissus est. Cùm autem Phacee viuo hæc ab Isaia dicta fuerint, consequens est vt initio regni sui audierit Achaz, cùm in ipso ferè initio decesserit Phacee.

19. Sed hæc ratio tametsi videatur alicui vim habere maximam, illi, qui Scripturæ sacræ consuetudinem norit, non ita censetur grauis, vt admodum premat in oppositum. Nam, quemadmodum docuimus ad illud Zachar.c.1. *Iam septuagesimus annus est*, aliquid tunc factum dicimus, aut completum, cùm bona ex parte cœptũ est fieri. Quare Dan.c.9. anno primo Darij completi esse dicũtur septuaginta anni desolationis Ierusalem, cùm tamen septuagesimo illo anno non desolata fuerit, sed desolari cæpta. Et Ieremias c.27 post septuaginta annos, & simul atque deletum esset Chaldæorum imperium, futurum esse dixit Iudæorum reditum in patriam, cùm tamen plurimi in Babylonia relicti fuerint, qui postea, Esdra, atque Nehemia duce, redierunt, quia eo anno inchoata remigratio est. Quo verò tempore ab Assyriis subiugata est Damascus, id est, paulo post natum Isaiæ filium, magnã pars regni Israelis euersa fuit ab iisdem, & eodem victoriarum cursu. Nam, vt 4. Reg c.15. v.29. scribitur, *In diebus Phacee Regis Israel venit Theglathphalasar Rex Assur, & cepit Aion & Abel domum, Maacha, & Ianoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephthali, & transtulit eos in Assyrios.* Quare detrimentum illud magnum, quod accepit Israel ab Assyriis, non potuit contingere post annum tertium regni Achaz, qui regnare cæpit sub finem regni Phacee, id est, anno illius 17. aut 18. vt suprà dicebamus.

20. Adde quòd Propheta non dicit vastandam esse Samariam, sed diripienda esse spolia Samariæ à Rege Assyriorum. Est autem satis notum, & in Scriptura sacra sæpius repetitum, Samariam sumi pro toto regno Israel, quia ibi erat regij nominis prima sedes, & domiciliũ stabile; satis verò opima præda abducta est à Samaria, id est, ab Israel, quando ab ea quinque ferme tribus ablatæ sunt; nempe Nephthali, & magna pars Zabulon, & Galaad. Vbi erat tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, vt explicatiùs dicitur lib.1. Paralip. c.5. v.26. Hæc nobis sumpta sunt ex nostris commentariis in Isaiam, quia non minus hîc quàm illic necessaria sunt. Nũc ad caput 16. redeamus, & ad locum illum vnde facta digressio.

*Misit autem Achaz nuncios ad Theglathphalasar Regem Assyriorum.*] Quo tempore Isaias locutus est ad Achaz, nondum Reges illi duo Ierusalem obsederant, sed tantùm vires, & castra non procul ab illa coniunxerant. Quare cùm subsidio venit ab Achaz euocatus Rex Assyriorum, iam dudum obsederant Ierusalẽ, neque tamen iuxta Domini promissionem per Isaiam quicquam tot expensis, & tanta militione consecuti sunt. De quibus hoc ipso cap. v.5. *Cùmque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum.* Quandiu vrbem obsederint coniurati Reges, non constat ex Scriptura, aut ex alio graui auctore, quod ego viderim. Quo tempore obsessis, aut afflictis subsidio venerit Assyrius, incertum est, mihi visum est Scripturæ sacræ consentaneum magis, quod antea dixeram, accepisse nimirum Achaz plagam magnã à Rege Syriæ, qui opima spolia ex Iudæ finibus retulit in Damascum: deinde aliam longè grauiorem à Rege Israel, quando occisa fuerunt multa Iudæorum millia, multa capta ex omni ætate, ac sexu, deinde duos illos Reges conspirasse, & ciuitatem regiam Hierosolymam obsedisse, ac tãdem cùm profecissent nihil, rediisse in patriam. Eo verò tempore venisse subsidio Assyriorum Regem, qui multo antè fuerat euocatus, & vtrumque Regem in suo regno sic esse mulctatũ, vt perierint, aut periisse omnes existimari potuerint, id mihi colligere posse videor ex lib.2. Paralip.c.28.v.16. & ex hoc loco, vbi post duas illas plagas acceptas, missi ab Achaz dicuntur nuncij ad Regem Assyriorum, *Tempore*, inquit, *illo misit Rex Achaz ad Regem Assyriorum, postulans auxilium.* Iosephus lib.9. c.12. aliter putat. Ait enim obsedisse diu coniuratos Reges Hierosolymã, cúmque viderẽt diutius quàm ipsi cogitarant obsidionem trahi, discessisse Regẽ Syriæ, & malè vexasse ciuitates alias Iuda, & prædas abegisse illas, de quibus suprà v.6. Cùm autem Achaz discessisse ab obsidione cognoscceret Regem Syriæ, non dubitasse extra muros eruptionem facere, & cum Rege Samariæ cõferre signa, quem vtpote à Syro destitutum facilè putaret profligari posse: rem tamen secus accidisse; nam & multa Iudæorum millia fuerũt cæsa, multa capta, &, nisi cuiusdam Prophetæ intercessisset oratio, in seruitutem abducta. Sed huic cogitationi præter alia, illud incommodat nõ leuiter, quòd Dominus per Isaiam c.7.v.4. ante obsidionem proximè dixit Achaz, ne timeret magis à duobus Regibus, quàm à caudis titionum fumigantium; à quibus nihil potest esse periculi. At non leue fuit incõmodum illud quod ab vtroque Rege pertulit, Achaz quocirca ante obsidionem vtramque plagam infligtam oportuit.

Vers.9. *Qui acquieuit voluntati eius: ascẽdit enim Rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eã, & trãstulit habitatores eius Cyrenem.*] Iam, vt apparet, obsidione Hierosolymæ soluta in regiam sedem receserat Rasim, ad quam Assyrias acies admouit Thetglathphalasar, & illa vastata, & Rege eius è medio sublato, habitatores aliò migrare iussit, & Cyrenẽ vsq; traduxit, vbi vulgatus *Cyrene*, Hebraicè

**REGVLA.** *Tunc factũ aliquid, seu completum dicimus, cùm bona ex parte cœptum est fieri.*

*Cyrene duplex.*

Hebraicè est קירה *Kirah.* Est autem duplex Cyrene, altera in Africa à qua prouincia quædam Cyrenaica appellatur, de qua Actor. 2. *& partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem.* Sed alia est Cyrene, ad quam translati dicuntur exules Damasceni: neque enim captiuos suos in alienam prouinciam Assyrij transmitterent. Translati ergo sunt ad aliam Cyrenem, quæ est in Assyria. Ita sanè Iosephus lib. 9. Ant. c. 13. *Vastata*, inquit, *Syria expugnatáque Damasco (Rex Assyriorum) Rasim quoque Regem occidit: Damascenes verò in superiorem Mediam populariter traduxit, & pro illis quasdam Assyriorum gentes in agrum Damascenum reposuit:* de hac Damasci vastitate ciuiúmque translatione non multo antè prædixerat Amos c. 1. v. 5. *Et conteram vestem Damasci, & disperdam habitatorem de campo Idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis, & transferetur populus Syriæ Cyrenem.* Vide quæ nos ad hunc locum in nostris commentariis super Amos.

23. Vers. 10. *Perrexitque Rex Achaz in occursum Theglathphalasar Regi Assyriorum in Damascum.*] Si Rex Assyriorum coniuratos Reges inuasisset, quo tempore obsidione cinxerant Hierosolymam, non ad illum esset profectus Achaz, sed potiùs comitaretur Assyrium, & se illi ad opus illud socium addidisset. Ita putat Iosephus, qui domita ab Assyrio, vastatáque Damasco, venisse dicit eô Regem Achaz cum muneribus, vt pro deuictis hostibus, réque Iudæorum seruata gratias ageret. Inde Rex idem Assyrius progressus est contra Phacee, quem attriuit vehementer, & his spoliauit prouinciis, de quibus nuper, tribu videlicet Nephthali, & magna parte Zabulon regione trans-Iordana Galaabitide, vbi erant duæ tribus Gad, & Ruben, & dimidia tribu manasse.

24. Hîc nobis addendum, quod habemus lib. 2. Paralip. c. 28. v. 20. quod hoc in loco, quia historiam complet Achaz, prætermitti non debet. Quemadmodum enim duo Reges, quos euertit Assyrius, Regem Achaz, rémque Iudæam infectati sunt acriter, sic etiam Theglathphalasar, quem conductum mercede exhausto ærario profano, & sacro socium aduocauit, debellatis Regibus, qui tam Iudaicis rationibus erant infensi contra ipsum Achaz, rémque Iudaicam victrices atque insolentes copias conuertit. Sic autem lib. 2. Paralip. c. 28. v. 20. *Adduxítque (Deus) contra eum (Achaz) Theglatphalasar Regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastauit. Igitur Achaz spoliata domo Domini, & domo Regum, ac principum; dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.* Misit, vt illum prædatorem, & hostem à suis finibus, & iugulis arceret, quem grandi mercede auxiliatorem aduocarat. Sed profecit nihil, quia ille nihilominus obligatæ fidei, & impensæ mercedis immemor magnis rem Iudaicam affecit incommodis. Quid ille abstulerit, quid strauerit, quo denique modo creditam suæ fidei prouinciam attriuerit, non habemus ab historico sacro, fuisse stragem, ac detrimentum tanquam ab auaro, atque crudeli hoste, indicat Isaias c. 7. non obscura metaphora. Vbi grauia Regi Achaz, domuíque Dauidicæ minatur incommoda, si externum ab Assyriis accersant auxilium. Nam cùm dixisset v. 6 *si non credideritis, non permanebitis*, significauit illis fore infortunia subeunda grauissima; quæ à versu 13. latè, grauitérque persequitur. A quibus ego in præsentia explicandis abstineo; quia id feci maiori studio, atque opere

25. in commentariis Isaiæ. Illud dicam, quod ad hunc locum maximè spectat, cum Rege Assyriorum venisse quoque in Iudææ fines labem & interitum, non aliter atque si ventus aspiret ex corrupta regione, qui pestilentem aliis inuehit anhelitum: de quo verè potuit dicere tam Achaz, quàm qui illi hanc cogitationem aut iniecerunt, aut confirmarunt, impenso pretio dominum seuerum, & durum fuisse comparatum, quod de Chiis iactat vulgare prouerbium. Sic autem Isaias v. 13. *Adducet Dominus super te (ô Achaz) & super populum tuum, & super domum patris tui dies, qui non venerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda cum Rege Assyriorum.* Quasi dicat, cum Rege illo exitium potius, & pestem, quàm salutem, & auxilium esse venturum. Et v. 16. Nouaculam vocat conductam Regem Assyriorum, quæ non minus alios lacerabit, quàm eos qui illam mercede conduxerunt. Modus autem dicendi nullam regni Iudaici partem immunem dicit futuram à plaga, quam accommodata Metaphora significanter exponit: *In die illa rodet Dominus in nouacula conducta in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* In vario pilorum situ varij hominum significantur ordines & gradus.

*Achaz mercede hostem sibi, & dominum emit.*

Vers. 10. *Cúmque vidisset altare Damasci, misit Rex Achaz ad vnum Sacerdotem exemplar eius.*] Priùs, vt diximus, aggressus est Syriam Assyriorum Rex: deinde cùm consecutus esset, quod suis votis antè proposuerat, conuertit animum amore prædæ captum, & victrices acies contra Regem Samariæ. Interim tamen illum adiit Achaz vt gratularetur illi pro victoria, & gratias ageret pro beneficio. Cúmque vidisset altare, quod pro Deorum suorum cultu Damasceni construxerant, vt erat homo leuissimo ingenio, quémque patriæ religionis amor, aut obseruantia, aut nullo modo, aut non nisi leuissimè tangebat, statuit illius nouam formam, contra quàm lex, & consuetudo patiebantur, in templum Salomonis inducere. Quare illius formam accuratè descriptam ad Vriam misit, qui tunc Hierosolymæ Sacerdotis summi munere fungebatur, iussítque vt ad illius similitudinem altare aliud faciendum curaret, vt cùm ipse rediret è Damasco, de illo statueret, quod ipsi ex vsu religionéque futurum videretur. Præstitit Vrias, quod ipsi fuerat imperatum à Rege. Probauit Rex, & quasi nouæ illius; atque Gentilicæ religionis antistes, in eo immolauit victimas, peregítque omnia quæ in æreo altari, nempe holocausti, lex & religio facienda præscripserat.

26. *Achaz more gentilico excitat altare.*

Vers. 14. *Porrò altare æreum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi.*] De hoc altari æreo satis à nobis dictum est lib. 3. Reg. c. 8. & super Ezechielem c. 43. Quare hîc de illo non est nobis longa instituenda commentatio. Illud vnum obseruatum oportet, altare illud æreum fuisse in atrio Sacerdotum meliori loco, id est, ante faciem domus Domini; vnde ab Achaz in angulum eiusdem atrij reiectum fuit, vt eius loco Damascenum alterum altare supponeret.

27.

Vers. 15. *Præcepit quoque Rex Achaz Vriæ Sacerdoti, dicens: Super altare maius offer holocaustum, &c. altare verò æreum erit paratum ad voluntatem meam.*] Altare maius illud appellat, quod ad Damasceni formam proximè extructum fuerat, in quo offerri voluit omne victimarum & libationũ genus, quod ad altare æreum, seu holocausti destinatum fuerat. Illud autem seruari voluit, paratíque ad voluntatẽ suam; vt illud ad quemcũque

28.

vellet vsum pro suo arbitratu conuerteret. de his autem sacrificiis nihil hîc agendum, quia opus impeditum, & longum, & quia à nobis satis luculenter de illis in commentariis Ezechielis ad caput 45. & 46. disputatum est.

29. Vers. 17. *Tulit autem Rex Achaz calatas bases, & luterem, qui erat desuper*, &c.] De his nos pluribus lib.3.Reg.c. 7. vbi illorum formam, & artem, situmque descripsimus. Rex tamen ille fatuus, & impius deformauit, & abiecit omnia, vt nouam religionem,& instrumenta illi accommodata in illustre illud Israëliticæ gentis sacrariũ induceret. Neque hîc prætereundum est, quod lib.2.Paralip.c.28.v. 22. proditum habemus: vbi quo tempore angustiis premebatur Achaz, siue priùs à duobus Regibus coniuratis, siue postea ab Assyriorum Rege,contempsisse dicitur Deum multo magis, suámque spem in Syrorum deis collocasse, à quibus putabat suis hostibus datam esse, & ab illis tantùm sperari posse victoriam. Quare diripuit, confregitque sacra vasa, obstructisque templi foribus,ne quis eô religionis causa ingrederetur, aliis in locis ad Gentilicum ritum excitauit aras, non solùm variis in locis Hierosolymæ, sed etiam in omnibus vrbibus, in quibus ipse latè dominabatur.

30. *Musach quid.* Vers. 18. *Musach quoque Sabbati, quod ædificauerat in templo, & ingressum Regis exteriùs, conuertit in templum Domini, propter Regem Assyriorum.*] Mirum est quàm inter se in vocis Musach significatione dissentiant auctores. Quidam tentorium esse dicunt, & reuera illud propriè valet vox hebraica מוסך *Musach*, quod tamen tentorium sit,aut cur dicatur Sabbati,omnino incertum est. Glossa ædificium esse putat in templi vestibulo, in quod Reges cùm diebus Sabbati templum obirent, eleemosynas iacerent. Et ita, inquit, Musach Sabbati gazophylacum est Regum, sicut Corbonam sacerdotum,quod etiam probant Lyra, Dionysius, & Hugo, & historia scholastica. Alij Musach Sabbati vocari putant, quia in eo sacerdotes aliquantisper morabantur, cùm perfuncti suo munere Sabbatis excederent è templo. Ita Vatablus, & Isidorus,neq; longè hinc abeunt Chaldæus & Pagninus in radice סכך *Sachah*.Rab. Salomon,vt refert Lyra,putat locum esse in porticu templi splendidè coopertum, in quo sedebat Rex in Sabbatis, diebúsque aliis solemnioribus. Quæ explicatio non displicet Abulensi; addit tamen aliam, quam videtur probare minus, quàm superiorẽ. Ait enim è domo regia ad templum viam quamdam esse opertam,& cæcam,per quam Rex, cùm vellet, sine testibus in templum descenderet; quod faciunt sæpe viri nobiles, qui domos suas interposito occulto traiectu cum templo coniungunt, quasi aut domus pars esset templi, aut templum regiæ domus membrum adiunctum.

31. Ego ex omnibus illam magis explicationem approbo, quam Rab. Salomon probat, neque Abulensis improbat. Ita vt Musach sit Regia sedes, non in templi porticu, vt dicebat Rab.Salomon, sed in aditu Sacerdotalis atrij. Quod mihi persuadet,quia apud Ezechielem lego, c.46. v.1. *Porta atrij interioris* (hoc est, atrium Sacerdotale) *quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur. sed & in die Calendarum aperietur, & intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, & stabit in limine portæ,& facient Sacerdotes holocaustum eius, & pacifica eius,& adorabit super limen portæ,& egredietur.* Hinc habes cur istud Musach dici potuerit *Sabbati*. Quòd verò tectum esse aliqua ratione debuerit, ne in mediam turbam coniectus esse videatur, ipsa ratio docet: neque enim decet,vt regia persona communem habeat locum aut ordinẽ cum populari turba. Atque ideo locus erat clausus,distinctúsque cancellis,aut supra caput regium oppansum erat velum; quod vulgus hominum *dosselum* appellat. Quocunque horum modorum accipias, vocari Musach potest, id est, clausum, tectum; aut tentorium, quia instar habet tabernaculi. Accedit quòd in templo locus est pro Regibus certus honestiori loco, in quo præter Reges, aut eos, qui summam habent potestatem, sedere nemini concessum est. In eo loco sedisse arbitror Ioas, cùm Rex à Pontifice Ioiada declaratus est lib.4.Reg.c.11.v.13. *Audiuit autem Athalia vocem populi currentis, & ingressa ad turbas in templum Domini vidit Regem stantem super tribunal iuxta morem.* Quod verbum extremum sic interpretor, vt sederit in templo eo in loco, & modo, quo sedere solent communiter Reges. Neque aliud fortasse sibi vult illud c.23. infrà v. 3. de Iosia, *Stetitque Rex super gradum, & fœdus percussit coram Domino.*

32. Sed roget quis,quid mouere potuit Achaz, vt Musach, id est, solium suum, eo modo,quo diximus, clausum, de templo sustulerit? Sanè non aliud, quàm quo adductus fuit, vt altare holocausti, & luteres & phialas, & aliam sacram supellectilem, aut deformauerit,aut abstulerit. Sed est in Musach præcipua quædam ratio, quæ Regem illum vesanum, & impium in illam cogitationem induxit. Cùm enim esset impius, & patriam horreret religionem, expeteret,& laudaret alienam, noluit locum aliquem habere in templo, in quod religionis gratia non iam ampliùs erat ingressurus, quo sibi religionem illam esse sanctam aut gratam profiteretur. Deinde cùm superbus esset, ferebat molestè ad atrium interius aditum sibi non patere, atque ideo sedem,quæ in atrij vestibulo pro Regibus erat constituta, longè summouit, & intra Sacerdotale atrium introduxit, vt ibi magis à turba separatus sederet honestus: & eodem consilio exteriorem ingressum, de quo statim, in templum conuertit,id est, fecit vt per interius atrium accederet ad Musach, quod iam in atrium Sacerdotale transtulerat.

33. *Et ingressum Regis exteriùs, conuertit in templum propter Regem Assyriorum.*] Hîc etiam interpretes, sicut suprà, diuinant, quod etiam mihi nunc necessariò faciendum est. Quidam existimant è regia domo in templum aditus esse duos,alterum exteriorem,per quem spectante populo religionis ergò, quo alios suo exemplo ad pietatẽ prouocaret, ingrediebatur Rex in templum; alterum cæcum & clausum vni Regi,domesticísque peruiũ, per quem Rex poterat,sine vllo apparatu & strepitu obire templum,& interesse sacris. Illũ sustulit,hunc seruauit, ne templum publicè ingressus, suæ præberet fidei documentum. Occultè si in tẽplum penetraret spectante nemine, nemo illum putaret studiosum patriæ religionis, aut alienæ violatæ reũ argueret. Et facit ad hoc quod lib.2. Paral.c.28.v.24. clausisse dicitur tẽpli fores. Quare ille nollet videri, cùm obiret templum, quasi religiosus esset,cùm occlusis foribus alios intrare templum prohibuisset. Hoc autem videri potuit propter Regẽ Assyriorũ feciſſe,vt illius sibi conciliaret gratiam,quod consecuturus videbatur, si nunquam, aut rarò postea templum inuiseret, quod abiuratæ religionis argumentum est.

Alij

Alij vnum agnoſcunt ingreſſum, ita vt ab exteriori porta inciperet templi: fecit tamen Rex vt aditus ille totus eſſet internus, & occultus, à domo nempe regia, ad templi interiora clauſtra. Hoc ego neque reprobare audeo, neque omnino probo, quia neſcio quomodo minus ad vtramlibet expoſitionem afficior. ſicut neque ad alias, quia nihil ex textu certum apparet, quod nos cogat in hanc, vel illam ſine aliqua dubitatione diſcedere. Sed neque mihi ipſi placeo in ea quam adduco, quia in illa aliquid deprehendo, quod me aliquantulum dubitare cogat. Indicat Ezechiel cap. 46. verſ. 2. *Intrabit*; inquit, *princeps per viam veſtibuli portæ deforis, & ſtabit in limine portæ.* Quare cùm per exteriorem illam viam ingreſſurus ſit, & egreſſurus princeps, non poterat ad vlteriorem locum, qui tantùm Sacerdotibus patebat, penetrare. quod durum videbatur A inſolenti Regi. Quare ingreſſum fecit per ſacerdotale atrium contra templum, id eſt, contra domum Dei, quam illa pars ſacerdotalis mediam amplectebatur. nam prius contra ſacerdotum atrium potius quàm contra templum, ſeu ſanctuarium ſpectabat. Quòd ſi Muſach ad atrium tranſtulit interius, conſequens erat, vt ingreſſum quoque exteriorem haberet; id verò fecit propter Regem Aſſyriorum, ne ſi ille per exteriorem viam ingrederetur, & in Muſach ſederet, contemptus videretur. Maluit itaque violare diuinam legem, quæ Gentilem hominem à templo prohibebat, neque Iſraëlitam, qui non eſſet à Leuitico genere, in illam interiorem templi partem admittebat, quàm auertere ab amicitia offenſum Regem, cuius virtutem & gratiam præferebat diuinæ. ita ego cogitabam. alij ſine dubio meliùs.

# IN CAP. XVII. LIB. IV. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*POSTQVAM Thethglathphalaſar magnam Iſraëlitici regni partem ad Aſſyrios ablegarat, venit Salmanaſar, vt quod priùs Aſſyriorum appulſus fecerat reliquum, ſuo ſibi ſubiugaret imperio. Et primùm Oſee Regi annuum indixit tributum; deinde rebellantem oppreſſit, duxitque captiuum in Aſſyriam, quicquid ex decem tribubus ſuperfuerat. Deinde ratio redditur, cur Deus de populo ſibi antea dilecto tam durum videatur ſumpſiſſe ſupplicium, enumerantúrque peccata quæ ingratus ille, atque rebellis populus à temporibus vſque Ægyptiis ad illum vſque rerum articulum admiſit. Ad extremum ne terra pingui ſolo, & vbere prouentu fortunata, ſylueſceret, pro antiquis cultoribus procul ablegatis, nouos induxit, qui cùm Dei legem ignorarent, & patriam, id eſt, impiam Religionem ſtudiosè colerent, à leonibus paſſim occidebantur, cui malo vt aliqua ratione ſubueniret, è captiuorum numero idoneum quemdam Sacerdotem miſit Salmanaſar, qui legem doceret aduenas illos, & ad meliorem viuendi formam inſtitueret. Sedatus eſt igitur leonum furor, & compreſſa ſæuitia; nihilominus pro conuenarum varietate varij etiam in terra Iſraëlitide colebantur dij, & varia vbique delubra, atque aræ excitabantur. Ita vt noui illi habitatores dum omnem retinere volunt religionem, omnem abieciſſe atque abiuraſſe viderentur.*

## CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

1. ANno duodecimo Achaz regis Iuda, regnauit Oſee filius Ela in Samaria ſuper Iſraël nouem annis.

2. Fecítque malum coram Domino: ſed non ſicut reges Iſraël, qui ante eum fuerant.

3. Contra hunc aſcendit Salmanaſar rex Aſſyriorum, & factus eſt ei Oſee ſeruus, reddebátque illi tributa.

4. Cúmque deprehendiſſet rex Aſſyriorum Oſee, quòd rebellare nitens miſiſſet nuncios ad Sua regem Ægypti, ne præſtaret tributa regi Aſſyriorum, ſicut ſingulis annis ſolitus erat, obſedit eum, & vinctum miſit in carcerem.

B 5. Peruagatusque eſt omnem terram: & aſcendens Samariam, obſedit eam tribus annis.

6. Anno autem nono Oſee, cepit rex Aſſyriorum Samariam, & tranſtulit Iſraël in Aſſyrios: poſuítque eos in Hala, & in Habor iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum.

7. Factum eſt enim, cùm peccaſſent filij Iſraël Domino Deo ſuo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos.

8. Et ambulauerunt iuxta ritum Gentium quas conſumpſerat Dominus in conſpectu filiorum Iſrael, & regum Iſrael; quia ſimiliter fecerant.

9. Et offenderunt filij Iſraël verbis non

rectis Dominum Deum ſuum: & ædificauerunt ſibi excelſa in cunctis vrbibus ſuis, à Turre cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.

10. Fecerúntque ſibi ſtatuas, & lucos in omni colle ſublimi, & ſubter omne lignum nemoroſum:

11. Et adolebant ibi incenſum ſuper aras in morem Gentium, quas tranſtulerat Dominus à facie eorum: fecerúntque verba peſſima irritantes Dominum.

12. Et coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc.

13. Et teſtificatus eſt Dominus in Iſraël & in Iuda, per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens: Reuertimini à viis veſtris peſſimis, & cuſtodite præcepta mea, & ceremonias, iuxta omnem legem quam præcepi patribus veſtris: & ſicut miſi ad vos in manu ſeruorum meorum Prophetarum.

14. Qui non audierunt, ſed indurauerunt ceruicem ſuam iuxta ceruicem patrum ſuorum, qui noluerunt obedire Domino Deo ſuo.

15. Et abiecerunt legitima eius, & pactum quod pepigit cum patribus eorum, & teſtificationes, quibus conteſtatus eſt eos: ſecutíque ſunt vanitates, & vanè egerunt: & ſecuti ſunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, ſuper quibus præceperat Dominus eis, vt non facerent ſicut & illæ faciebant.

16. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei ſui: fecerúntque ſibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuerſam militiam cæli: ſeruierúntque Baal,

17. Et conſecrauerunt filios ſuos, & filias ſuas per ignem: & diuinationibus inſeruiebant & auguriis: & tradiderunt ſe vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum.

18. Irátúſque eſt Dominus vehementer Iſraëli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit niſi tribus Iuda tantummodo.

19. Sed nec ipſe Iuda cuſtodiuit mandata Domini Dei ſui: verùm ambulauit in erroribus Iſraël, quos operatus fuerat.

20. Proiecítque Dominus omne ſemen Iſraël, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proiiceret eos à facie ſua:

21. Ex eo iam tempore, quo ſciſſus eſt Iſraël à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi regem Ieroboam filium Nabat: ſeparauit enim Ieroboam Iſraël à Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum.

22. Et ambulauerunt filij Iſraël in vniuerſis peccatis Ieroboam quæ fecerat: & non receſſerunt ab eis,

23. Vſquequò Dominus auferret Iſraël à facie ſua, ſicut locutus fuerat in manu omnium ſeruorum ſuorum Prophetarum: tranſlatúſque eſt Iſraël de terra ſua in Aſſyrios, vſque in diem hanc.

24. Adduxit autem rex Aſſyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Auah, & de Emath, & de Sepharuiam, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Iſraël: qui poſſederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius.

25. Cúmque ibi habitare cœpiſſent, non timebant Dominum: & immiſit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.

26. Nunciatúmque eſt regi Aſſyriorum, & dictum: Gentes, quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quòd ignorent ritum Dei terræ.

27. Præcepit autem rex Aſſyriorum, dicens: Ducite illuc vnum de ſacerdotibus, quos inde captiuos adduxiſtis, & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ.

28. Igitur cùm veniſſet vnus de ſacerdotibus his, qui captiui ducti fuerant de Samaria, habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum.

29. Et vnaquæque Gens fabricata eſt Deum ſuum: poſuerúntque eos in fanis excelſis, quæ fecerant Samaritæ, Gens & Gens in vrbibus ſuis, in quibus habitabat.

30. Viri enim Babylonij fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Aſima.

31. Porrò Heuæi fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharuaim, comburebant filios ſuos igni, Adramelech & Anamelech diis Sepharuaim,

32. Et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem ſibi de nouiſſimis ſacerdotes excelſorum, & ponebant eos in fanis ſublimibus.

33. Et cùm Dominum colerent, diis quoque ſuis ſeruiebant iuxta conſuetudinem Gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam:

34. Vſque in præſentem diem, morem ſequuntur antiquum: non timent Dominum, neque cuſtodiunt ceremonias eius, iudicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Iacob, quem cognominauit Iſraël:

35. Et percuſſerat cum eis pactum, & manda

mandauerat eis, dicens : Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis:

36. Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de Terra Ægypti in fortitudine magna,& in bracchio extento, ipsum timete, & illum adorate, & ipsi immolate.

37. Ceremonias quoque, & iudicia, & legem, & mandatum, quod scripsit vobis, custodite vt faciatis cunctis diebus, & non timeatis deos alienos.

38. Et pactum,quod percussit vobiscum A nolite obliuisci:nec colatis deos alienos,

39. Sed Dominum Deum vestrum timete, & ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum.

40. Illi verò non audierunt, sed iuxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant.

41. Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis seruientes : nam & filij eorum, & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt vsque in præsentem diem.

# IN CAP. XVII. LIB. IV. REGVM

## COMMENTARII.

Vers. 1. *Anno duodecimo Achaz Regis Iuda, regnauit Osee filius Ela in Samaria.* ]

1. VENTVM est ad vltimum Regem Israël, quo sublato regnum antè florentissimum extinctum est. Sed in principio difficilis quidam incidit nodus,quem expeditum oportet : nam cap. 15. vers. 30. iniisse regnum dicitur Osee anno vigesimo Ioatham, qui tamen cap. 15. vers.33. sedecim annis regnasse dicitur, nunc verò anno duodecimo Achaz, quæ sanè tempora in vnum annum conuenire non possunt. Deinde quia Phacee, quo primùm extincto successit Osee, mortuus est anno secundo, aut tertio Achaz, quando iam decesserat Ioatham, quare non potuit Osee regnum inire Israël, aut anno vigesimo Ioatham, qui non erat in viuis, aut duodecimo Achaz. Hic nodus variè à variis aut soluitur, aut eluditur; vide Abulens. q. 2. Mihi ille videtur non omnino impeditus, qui in Regibus duo distinguit tempora,alterum in quo quis cum patre simul, alterum in quo solus sine patre regnauit, vnde necessarium est, vt varia constituamus regnorum exordia. Iniit Osee regnum anno duodecimo, ex quo Achaz regnare cœpit simul cum parente, designatus autem videtur Achaz in regno socius, cùm solus in regno annum ageret septimum pater Ioatham. Quòd si octo, aut nouem annis, quibus cum parente regnum obtinuit, tres alios, quatuórve addas, quibus regnauit solus, nam anno tertio, aut quarto, cecidit Phacee, verè Osee anno Achaz duodecimo dicitur regnum occupasse : dici autem potest anno tertio, aut quarto Achaz mortuus esse Phacee, iuxta Scripturæ consuetudinem, quæ imperfectos numeros interdum omittit, interdum pro perfectis,& integris vsurpat. Sed magis videtur soluta responsio, quæ dicit non statim, atque occisus fuit Phacee, regnasse illius interfectorem Osee, quia sedare non potuit excitatas turbas, & conflatam inuidiam sedare, vsque ad duodecimum annum regni Achaz,& quia tunc pacificam habuit regni possessionem, tunc omnino dicitur regnum adiisse. Ita Abulens. hîc q. 2. & cap. 18.

2. Illud difficilius, quòd, cùm Osee regnum obtinuit, non esset in viuis Ioatham, anno illius B vigesimo dicatur Osee regnum tenuisse. Multi modi adhibentur ad extricandum hunc nodum, quos vide apud Abulens. in cap. 15. quæst. 34. quos ille acutè, vt solet, & optimè refutat: ac tandem censet quosdam annos Achaz annumerandos annis Ioatham, qui cùm sedecim regnarit annis, si illis ex regno Achaz tres quatuórve addas (nam tertio, vel quarto anno illius, vt nuper dicebamus, occisus est Phacee) anno vigesimo Ioatham : cepisse dicetur Osee regnum. Mihi non displicet, quod Abulensi placuit, sed est aliquid in ea cogitatione durum, & nouum, quod noua ratio leniat, necesse est. Illam autem sumendam esse puto ex eodem loco, vbi Osee exorsus esse dicitur regnare anno vigesimo Ioatham, nempe cap. 15. vers. 30. vbi multa per prolepsim ante sua tempora narrantur, vt vides, quæ deinde pluribus explicantur verbis, vt est historia Phacee & Osee, quæ hoc cap. 17. primùm explicari cœpta est. Cùm ergo cap. hoc 15. nihil dictum esset de Achaz,& sub illud tempus regnum inciperet Ioatham, ab illius regni exordio, regni quoque Osee sumi commodè potuit certa mensura. sic igitur hunc locum interpretor. Regnum Osee incepit anno, ex quo regnare incepit Ioatham, vigesimo, qui fuit tertius, vel quartus Achaz. Aliam rationem adducit Genebrardus in Chronico, cur mortuo Ioatham potius, quàm viuentis Achaz sacer historicus meminerit. *Quia dedignata*, inquit, *Scriptura nominare impium Achaz, patris sui iam defuncti nomen proferre maluit.*

Vers. 2. *Fecitque malum coram Domino, sed non sicut Reges Israël, qui ante eum fuerunt.* ] Cùm superiorum Regum, quorum solium occupauit, vestigia secutus fuerit, non tamen sic se in eorum scelera intemperanter proiecit, vt illorum impietatem adæquarit. Nam cùm alij Reges Israël Ieroboami secuti consilia, qui non solùm coluisset ipse, aliisque colendos vitulos proposuisset : sed etiam custodes statuisset in viis, ne quis auderet religionis gratia adire Hierosolymam, ipsi quoque ad vrbem, & templum aditum præclusissent, Osee tamen omnibus copiam 3

fecit

fecit adeundæ ciuitatis, & templi, & obire sacra, quæ iamdudum intermissa fuerant. Ita Hebræi in Seder Olam c.22. Contra hunc sicut antè fecerant Assyriorum Reges, instruxit exercitum copiosum Salmanasar, qui eô adduxit Regem nouum, & non satis ad irruptiones illas comparatum, maximè cùm imperij vires sublatis tot tribubus à Theglathphalasar essent imminutæ, & tot Assyriorum victoriis vehementer afflictæ, vt facilè illum subiugare potuerit, & regnum sibi reddere vectigale. Hoc facilè constat ex litera. Sed illud dubium, an qui hoc loco nominatur Salmanasar, idem sit, qui nuper Theglathphalasar vocatus est, qua de re egimus suprà cap. 15. vers. 29. vbi ostendimus non videri improbabile, hunc Assyriorum Regem esse binominem, & vocari Salmanasar, & Theglathphalasar.

4. Vers. 4. *Cúmque deprehendisset Rex Assyriorum Osee, quòd rebellare nitens misisset nuncios ad Sua Regem Ægypti*, &c.] Pensitauit Osee aliquot annis tributum, quod ex pacto debuit Assyriorum Regi. quod cùm graue existimaret sibi, & populo, id tacitè meditabatur, vt seruitutem illam ignominiosam, & duram quamprimum excuteret, quod cùm suis viribus perficere se posse desperaret, asciuit alienas, egítque cum Ægyptio Rege Sua sibi vt ad rem vtrique gloriosam, & vtilem, quàm maximum posset præberet auxilium. Quod Assyriorum Regem latere non potuit. Quare ab illo temeratæ fidei, & violati fœderis pœnas exigere constituit. Quod ita fecit obstinato animo, & euentu felici, vt peruagatus fuerit Israëliticos fines prædabundus, illósque non tam passibus, quàm victoriis lustrauerit. Tandem cùm regni caput Samariam obsedisset, triennio obsidionis exacto, ciuitatem cepit, & quotquot supererant Israëlitici nominis reliquias ad Assyrios transtulit, & hîc finitum est regnum tam antè numerosum, & nobile: quod non nisi sub alieno capite, & nomine ab exilio rediit. Quod cùm audiisset ab aliis antea Prophetis, & grauiter, ac latè ab Osea proximè cap. 10. vbi nos ea de re pluribus, tamen neque resipuit, neque de meliori consilio, ac via cogitauit. Postquam exacto triennio capta est ciuitas, Rex etiam ipse captus fuit, & vinculis addictus, nam licet paulo antè vers. 4. in vincula dicatur esse coniectus, id tamen dictum est per prolepsim, quæ sæpe ante suum tempus narrationem anticipat. Abulens. quæst. 3. illum qui eo versu 4. vinctus dicitur in carcerem missus, Regem Ægypti fuisse credit, quo cum bellum gessit Assyrius, quia opem Israëlitis afferre voluit. Sed superior explicatio magis est obuia, & minùs impedita.

*Regnum Israël omnino sublatum.*

5. Vers. 7. *Factum est enim cùm peccassent filij Israël Domino.*] Tam grauem, miserandámque ruinam necesse fuit, vt causa etiam grauis antecesserit, quæ tam firmam rempublicam concutere, ac tandem conuellere, & labefactare potuit. Illam nunc adducit sacer historicus ab hoc vers. 7. vsque ad versum 24. Recensentur autem toto hoc tractu peccata grauissima, quæ populus ille, ex quo Dei populus esse cœpit, certo, notóque charactere consignatus, officiis cumulatus innumeris admisit. Quæ licèt ex suo genere grauia non forent, tamen cùm tot antecessissent beneficia, tam illustria paternæ humanitatis argumenta, quorum obliuisci non debuissent, digna videbantur, quæ Dominus tam acerbo casu, ac vulnere mulctatet. Hæc porrò, quæ hîc commemorantur scelera, obscura non sunt, & in Scriptura sacra sæpius repetita: quare interpretis opera non egent, neque ego in illis immorabor diu, sed tantum adducam quæ minus videri possunt aliis explorata.

*Coluerunt deos alienos.*] Hoc præcipuè Dominus reprehendit tum hoc capite, tum alibi sæpe per Prophetas dolenter, & durè. Quàm facilè in hanc, & illam religionem deflectat versatile Hebræorum ingenium, quàm leuiter in accepta religione nutet, ab eo tempore, quo durum Ægyptiorum iugum ex suis ceruicibus excussit, nemo nescit. 6.

Vers. 8. *Et Regum Israël, quia similiter fecerant.*] In numero Gentilium ipsi quoque censentur Reges Israël, qui aureos conflarunt, coluerúntque vitulos, & alias idolorum sordes, & ritus sacrificiorum peregrinos induxerunt: Quos imitati sunt populares alij, qui Regum illorum imperio suberant, qui non minùs peccauere grauiter, Reges suos, quàm alienos, & barbaros imitati. Atque ideo similiter fecisse dicuntur, id est, non minus à vero Dei cultu, quàm alios recessisse. Quorum vestigia sunt secuti ex Regibus Iuda non pauci, qui eam ob rem, vt dicemus postea, & seipsos, & suam rempublicam perdiderint. 7.

Vers. 9. *Ædificauerunt sibi excelsa in cunctis vrbibus suis à turre custodum vsque ad ciuitatem munitam.*] Quid sit turris & castellum in re syluestri, ac rustica, diximus cap. 16. vbi ex lib. 2. Paral. cap. 26. vers. 10. dicitur Ozias extruxisse turres in solitudine, ad quas pastores, & agricolæ haberent paratum, & familiare perfugium. Sunt itaque turres & castella rusticanæ villæ inornatæ, vt exigit illarum vsus, & ab omni munitione nudæ. Quare ciuitatibus munitis atque frequentibus opponuntur. Quidam turres custodum illas esse putant, in quibus excubare solent homines, qui latè circuniectas regiones speculantur, quæ speculæ dicuntur, aut turres speculatoriæ; sed placet magis quod diximus. Ex quo prouerbiali specie, cùm omne habitationum genus complecti volumus, turres custodum cum ciuitatibus munitis coniungimus, vt statim cap. 18. v. 8. Erit ergo sensus, vbique locorum inueniri simulacrorum aras, impura sacrificia, neque vllum esse locum, tam solitarium & apertum, aut tam frequentem, aut clausum, quem non oppleuerit idolorum fœda, & execranda proluuies. 8.

Vers. 13. *Et testificatus est Dominus in Israël, & in Iuda, per manus omnium Prophetarum.*] Testificari non est quocunque modo denunciare, aut edicere alteri, quid factum esse velis; sed publica forma, adhibitis testibus, quos postea aduocare posset, qui legem scripsit contra eos, quos violatæ legis aut fœderis reos accusare voluerit. Quomodo fecit Deus Isai. cap. 8. & cap. 1. Deut. cap. 32. Denique Propheræ publicè loquebantur spectante populo, qui Dei nomine aut minabantur dura, aut iucunda, & grandia promittebant. Hæ autem testificationes vocari potuerunt, & illæ præcipuè, quæ sunt Leuitici cap. 26. & Deut. cap. 28. vbi postquam proposita fuerunt à Domino mandata, commoda promittuntur ingentia, & dira supplicia. 9. *Testificari in Scriptura quid.*

Vers. 18. *Et non remansit nisi tribus Iuda tantummodo.*] Ex decem tribus nulla reliqua fuit in terra promissionis: omnes enim variis Assyriorum irruptionibus in alienum solum abactæ sunt. Illud videtur hîc difficile, cur tribus etiam Benjamin relicta fuerit, quæ semper adhæserat familiæ Dauidicæ; 10.

uidicæ; cur modò tribus Iuda tantummodo relicta dicitur ab Assyriis. Huic difficultati satis, opinor, fecimus lib.3. cap. 12. vers. 18. ad illud, *Tribum vnam dabo filio tuo*, inde pete.

11. *Samaritani qui, & cur malè apud Iudæos audiant.*

Vers. 24. *Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha.*] Non passus est Salmanasar regionem illam spaciosam,& vberem ablato procul cultore syluescere, vnde sperabat vberrima posse emolumenta colligi. Quare cùm antiquos abstulisset incolas, qui terram illam exercebant, ex Assyriis finibus nouos induxit agricolas, qui versandis agris alendóque pecore, regio fisco, commodisque seruirent. Quænam sint ciuitates istæ, obscurum est: neque admodum refert illud hîc explorari diligentiùs. Satis sit nosse ex illis esse regionibus, quæ Assyrio aut antea dudum, aut nunc recèns subactæ, parebant imperio. Quales sunt Emath,Aua,& Sepharuaim,quæ non multo antea in Assyriorum potestatem venerunt, de quibus statim c.18.v.34. quid enim Rex non omnino stolidus regiones illas his committeret inquilinis,aut ciuibus,à quibus,vtpote alienis,sperare non posset fidele seruitium.

12. *Deus consecratum sibi locum nefario cultu violari non patitur.*

Vers. 25. *Cúmque ibi habitare capissent, non timebant Dominum: & immisit in eos Dominus leones.*] Cùm ex variis locis noui aduenissent accolæ, suósque secum Deos attulissent, nouas quoque in fines, quos sibi Dominus elegerat, religiones inuexerunt:nouos ritus,noua sacrificia, quæ Dominus eo in loco quodã modo sibi destinatò fieri non permisit. Atque ideo suæ hæreditatis vindices leones immisit, qui punirent scelus illud sacrilegum, & possessionem illam antiquam in diuina potestate retinerent. Quod vbi primùm cognouit Rex ille, à quo alieni illi viri, qui Israëlitarum domos occuparãt,missi fuerant,didicítque illorum cædem ideo contigisse,quia illi noui habitatores ignorabant, quid ab illis exigeret illius regionis antiqua religio, misit sacerdotes, è captiuorum grege, qui illos docerent, & sacrorum ritus,& leges, quas Dominus illius regionis incolis iam antè præscripserat.Missus est ergo sacerdos, è captiuorum numero, qui licèt, vt non improbabiliter opinatur Lyra,& Abulens.q.16.& 17. ex eorum esset numero,atque ordine,qui electi priùs fuerunt à Ieroboam,vt sacrificalem operam vitulis impenderent,verum tamẽ,& religiosum ritum docuit, quo sanctè Hebræorum Deus colebatur. A quo licèt ille toto vitæ tempore abstinuisset, quia neque erat è sacerdotali familia, neque tali vitulis ritu operatus fuerat,quali Deo vero sacerdotes religioso ritu operari docentur; tamen quia legẽ nouerat,& ex ea didicerat, quonam modo colendus esset Deus, & tractanda sacra,facilè quod numquam ipse fecisset antea,alios docere potuit. Sed, vt opinor, imperfectè, quod apparet ex eo,quod statim in sacris operando neque rarò, neque leuiter habitatores illi noui peccarunt.

13. Vers. 29. *Vna quæque gens fabricata est Deum suum:posuerúntque eos in fanis excelsis.*] Dedicarunt, opinor, sacrificandi ritum, peregrini illi populi, non tamen Deum,cui impendi debuit, aut agnouere, aut cùm agnouissent amplexi sunt ex animo,ac seriò.Sed quilibet suos in Israëlitarum solum intulit Deos. Et licèt eo vteretur quisque adorandi,aut sacrificandi genere,quod sacerdos à Rege missus docuisset; tamen in eo peccabatur, quia diis cultus ille impendebatur alienis,& cum vero Deo alij etiam colebantur falsi,quibus gens illa à teneris annis assueuerat. Quare multarum religionum voluerunt esse participes, aut si rectè rem mediteris,omnium expertes.

Vers. 32. *Fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in fanis sublimibus.*] Quemadmodum Ieroboam lib.3.Reg. c.12.v.31. *fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi de filiis Leui*; sic populi illi externi in regione illa, quam recenter audierant,*fecerunt sibi de nouissimis sacerdotes.* Qui cùm vilia putarent esse ministeria, neque suos Deos pro illorum meritis, magnum aliquid, & venerabile iudicarent, & verum Deum,aut ignorarent,aut diis patriis putarent esse similem,de sacerdotum splendore,ac nobilitate non censebant esse laborandum. Quare de fæce populi sacerdotes assumunt,præponúntque fanis, locísque sublimibus, vbi more gentilico delubra visebantur, & frequentes aræ. 14. *Gentilium sacerdotes vilet.*

Vers. 34. *Vsque in præsentem diem morem sequuntur antiquum, non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias eius.*] Coniunxerunt noui hi Samaritæ lucem cum tenebris,verum Deum cum falsis; & cùm aliis legibus,ac cæremoniis à parentibus essent instituti, & à primis annis assuefacti, quid verus præcepisset Deus non curabant, neque illum timebant, neque cæremoniis eius,atque iudiciis,tantum arbitrabantur esse ponderis, vt de illorum obseruatione laborarent. 15.

Vers.35. *Nolite timere deos alienos.*] Ex hoc versu vsque ad 40. ostenditur, quæ Dominus præceperit suis, idque voluerit obseruari diligenter. Quorum hæc est summa quædam complexio, vt neque Deos timeant, aut venerentur alienos, sed vnum Deum colant, ament, obseruent,quæ cùm obscura non sint,ea prudens,lubénsque prætereo. Hæc igitur contempserunt noui isti Samaritæ, cùm eosdem in terra Israëlitide coluerint Deos, quos antè in patria,& quod antè soliti,hoc etiam modo diis sibi à prima ætate familiaribus impendebant obsequium. 16.

Vers. 41. *Filij eorum & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt vsque in præsentem diem.*] Adhæsere posteri parentum vestigiis ad tempus vsque, in quo hæc scripta sunt, & ita verum Hebræorum Deum susceperе, vt patrios non abiecerint. quod seruauerunt, opinor, vsque ad Euangelij tempus, quando cælesti illustrati lumine saniora cogitarunt. Hæc de toto capite; sed quia ex illo multa deducuntur,quæ valde ad Samaritanorum mores & instituta pertinent, quorum nomen in nouo Testamento frequens; ideo de illis aliquid explicatiùs afferamus necesse est. Ad quam rem non parum nobis lucis, atque materiæ præbebit Epiphanius in hæresi Samaritanorum, quæ est 9.Abulens. hîc q.24. Toletus & Pereira, vterque in cap.4. Ioannis. 17.

Qui sint Samaritani, quæ illorum conditio,& institutum,vnde translati fuerint,qui in Euangelio sæpe dicuntur Samaritani,vidimus nuper,qui à Cutha ciuitate,ex quo plures aut fortasse nobiliores in desertam illam ciuitatem confluxerunt, Cuthæi vocati sunt;quæ compellatio ad longum postea tempus producta est. Sic sanè sæpè vocat Iosephus. Acceperunt,vt vidimus,ab Israëlite sacerdote, ritus, & leges, quas in sacrificiis, legitimóque cultu seruare deberent, & ab aliis multis, vt opinor, qui latuerunt in montium latebris, quæ in ea regione occurrunt frequentissimæ. Qui vbi deferbuit Assyriorum furor, in vrbem redierunt,in quam à nouis incolis admissos existimo non grauatè. Tunc autem illi & amore, & studio eorum deorum, in quorum sacris à primis 18. *Samaritani dicti, Cuthæi, & quod illorum institutum.*

incuna

incunabulis parentum disciplina, atque exemplo fuerant instituti, illos non abiecere ; & quia leonum adhuc & horrebant fremitum,& mordebant vngues, quorũ vim magno suo malo toties erant experti, Hebræorum Deum amplexi sunt , à quo liberatum iri se crediderant. Ex qua sacrorum, deorúmque confusione id consecuti sunt , vt neque omnino essent Israëlitæ,neque Gentiles prorsus, sed monstrum quoddam ex varia religionum admixtione concretum. Ex quo fiebat, vt eodem censerentur ordine, in quo Gentiles. Sanè Christus eodem numerabat loco,cùm dicebat Apostolis Matth.10. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*

*Samaritani neque Gentiles, neque Iudæi , sed ex vtroque mixti.*

19. Ex Scriptura tota quinque tantùm libros legis amplectuntur,quia illos tantùm agnouerant, illi, à quibus primùm instituti sunt. Libros, namque, Regum,& qui scripti sunt à Dauide, & Salomone filio , neque ipsæ decem tribus , quæ ab vrbe, templóque recesserunt , admiserant , tum quia paulo ante discessionẽ scripti fuerant,neque dum omnino euulgati,tum quia in Dauidem, & Salomonem filium duriùs animati , propter assidua bella,& à tempore discessionis intestinũ odium. Prophetæ verò omnes aut scripserunt post captiuitatem Israëlis,aut non multo antea. Quæ verò sacra prodit historia de Iosue,& Iudicibus Israël, ea aut non tradiderunt illi , qui nouos colonos informarunt , aut quia ad leges , ritúsque sacrorum non pertinebant, non putarunt referre multùm ad illud quod optabant , nempe vt exitium euitarent , quod à leonibus quotidie durum patiebantur. Et si verum est , quod Iosephus docet lib.9. cap. 14. vt pestem effugerent, quæ in ea regione,ex qua illam incoluerunt externi,durè grassabatur.Admisisse porrò hos Cuthæos,seu Samaritanos,tantùm libros legis,tenent Orig.tom.4.in Ioannem,Epiphanius suprà, Ambrosius in cap.9. 1.Corinth.

*Samaritani quinque libros tantùm legis admittunt.*

Fuerunt autem hi Samaritani Iudæorum rationibus semper infensi , neque minùs Iudæi Samaritanos insectabantur hostiliter, quia vix consentiebant in aliquo,& in plurimis omnino dissidebant. Quod vsque adeò illis erat vsitatum , & frequens, vt prouerbiali forma , qui maximè alicui foret odiosus , Samaritanus vocaretur, sic à Iudæis Christus Samaritanus dictus.Ex hoc odio ortum est , vt Iudæi non coüterentur Samaritanis,vt dixit Samaritana mulier, Ioan.cap.4. Hinc Samaritani quàm maximè potuerunt ardenter instaurationem ciuitatis , & templi impedire conati sunt,cùm ab exilio remigrarunt Iudæi captiuitate soluta,Esdr. lib.2.c.4. Hinc cùm se simulatè, vt opinor , & fraudulenter socios adderent ad templi rediuiuam fabricam,repulsi sunt, Esdr.lib. 2.c.6.Quantum fuerit Samaritanorum in Iudæos odium,docet Hieron. tom.3.ep.ad Algasium q.5.

*Inter Samaritanos & Iudæos odium hostile.*

Cùm autem in aliquo Samaritani cum Iudæis conuenirent,in aliis ab illis dissiderent,prout ipsis vsui fore putabãt,modò se Iudæos, modò alienos se à Iudæorum religione,& genere dicebant : vsi eo artificio, quod apud Æsopum vespertilio, qui cùm alas haberet à volucri,cæteram formam haberet à mure, modò se murem , modò volucrem nominans, bis mortis periculum effugit. Didicerunt Iudæis amicum fuisse magnum Alexandrum , & eos beneficiis persecutum amplissimis, & vt illius gratiam sibi demererentur, & beneficia ab eo acciperent similia , è Iudæorum genere ortos se esse dicunt , & iisdem cum Iudæis institutis teneri. Ita Iosephus lib.11. cap.8. ad finem cùm verò, vt idem Iosephus refert lib.12. c.7.accepissent Antiochum Epiphanem infensum esse Iudæis, & aduersùm illos durius aliquid moliri, Iudæos se esse negauerunt. 21. *Samaritani, prout sibi vsui est, modò se Iudæos esse affirmant, modò negant.*

Ex quinque libris legis aliqua obseruant,nam, vt dixi, alia Scripturæ volumina non admittunt. Primùm parentes suos vocant Abraham , Isaac, & Iacob,vt probat Samaritana mulier,quæ Ioan. c.4. sic ad Christum,*Numquid tu maior es patre nostro Iacob,qui dedit nobis puteum,& ipse ex eo bibit,& filij eius.* Admisere præterea circuncisionem , de qua in Pentateucho multus sermo ex Epiphanio, hæresi 10. de Essenis.deinde purificationes quasdam , quas familiares habuerunt Hebræi. Sanè Epiphanius suprà hæresi 9. ad medium. *Habent*, inquit , *alias quasdam dementiæ consuetudines antiquas, quòd videlicet vrina se proluunt, vbi ab externis venerint,polluti nimirum. Et quòd in aquam se vnà cum vestibus immergunt,vbi contigerint alium ex alia gente.* De aliis Samaritanorum erroribus vide Epiphanium hæresi 10. 11. 12. 13. 22. *Samaritani quid seruẽt de lege.*

# IN CAP. XVIII. LIB. IV. REGVM

## *ARGVMENTVM.*

*IENIERAT Iudæ regnum Ezechias,cùm regni sui Osee annum ageret tertium in Israël. Neque quicquam illi antiquius fuit, quàm vt religioni ac pietati seruiret , quam pater euerterat. atque ideo impura euertit idolorum sacraria , lucos excidit , excelsa, & ipsum quoque serpentem æneum suo quondam populo salutarem confregit; quem quasi in eo aliquid lateret diuinum nonnulli religioso cultu venerabantur. Cuius Deus pietatem multis compensauit modis. Excussit enim Assyriorum iugum, quod pater subierat,& subactis Palæstinis eorum plurimas ciuitates in suam sibi prouinciam redegit. Anno tamen Ezechiæ decimoquarto Senacherib,qui iam in Assyriorum Imperio Salmanasari parenti successerat , Iudæam inuasit. Quem Ezechias vt à sui regni finibus auerteret , munera misit quàm potuit maxima. Neque tamen ab infideli Principe obtinere potuit quod optabat , & debuit. Egit enim adhuc per legatos Senacherib, vt populum, Ezechia duce, resistere paratum ad deditionem impelleret. Legationis porrò hæc erat summa , vt omne auxilium tam humanum,*

*id est,*

*id est, Ægyptium, quàm diuinum à Iudæorum salute & cogitatione remoueat: Ægyptium quidem, quia non magis firmum, quàm baculus ex futili, atque quassato calamo; diuinum verò, quia Deus minimè pacatus est Ezechiæ, quia illius euertit altaria, & peregrinam religionem inuexit. In quo egregiè deceptus est Rabsaces, qui, quod impius ausus est Achaz, id pio ascribit Ezechiæ. Deinde nihil esse Ezechiæ virium ad resistendum affirmat: cùm suis sumptibus duo equorum millia, & eorum sessores alere non possit. Quæ tamẽ Regio nomine Ezechiæ promittit, si se suámque rẽpublicam Assyrio dedat. Ad extremum sermone vsus Hebraico ad populum, qui spectabat è muro, illum hortatur, vt auspicia sequatur Assyriorum: neque à Deo auxilium aut salutem speret: cui contra Assyriam potentiam nihil esse virtutis clamat. quod aliorum Deorum exemplo confirmat.*

## CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

1. ANno tertio Osee filij Ela regis Israël, regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda.

2. Viginti quinque annorum erat, cùm regnare cœpisset: & viginti nouem annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Abi filia Zachariæ.

3. Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius.

4. Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum: vocauitque nomen eius Nohestan.

5. In Domino Deo Israël sperauit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt:

6. Et adhæsit Domino, & non recessit à vestigiis eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi.

7. Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapiẽter se agebat. Rebellauit quoque contra regem Assyriorum, & non seruiuit ei.

8. Ipse percussit Philisthæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum, à Turre custodum vsque ad Ciuitatem munitam.

9. Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filij Ela regis Israël, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, & oppugnauit eam,

10. Et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osee regis Israël, capta est Samaria.

11. Et transtulit rex Assyriorum Israël in Assyrios, collocauitque eos in Hala & in Habor fluuiis Gozan in ciuitatibus Medorum:

12. Quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prętergressi sunt pactum eius: omnia, quæ præceperat Moyses seruus Domini, non audierunt, neque fecerunt.

13. Anno quartodecimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad vniuersas ciuitates Iuda munitas: & cepit eas.

14. Tunc misit Ezechias rex Iuda nuncios ad regem Assyriorũ in Lachis, dicens: Peccaui, recede à me: & omne quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.

15. Dedítque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis.

16. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum.

17. Misit autem rex Assyriorum Thartham, & Rabsaris, & Rabsacen, de Lachis, ad regem Ezechiam, cum manu valida, Ierusalem: qui cùm ascendissent, venerunt Ierusalem, & steterunt iuxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agrifullonis.

18. Vocauerúntque regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpositus domus, & Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentariis.

19. Dixítque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorũ: Quę est ista fiducia, qua niteris?

20. Forsitan inisti consilium, vt præpares te ad prælium. In quo confidis, vt audeas rebellare?

21. An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, & perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se.

22. Quod si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nónne iste est, cuius abstulit Ezechias excelsa & altaria: & præcepit Iudæ & Ierusalem: Ante altare hoc adorabitis in Ierusalem?

23. Nunc igitur transite ad Dominum meum regem Assyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis ascensores eorum.

24. Et quo modo poteſtis reſiſtere ante A vnum ſatrapam de ſeruis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus & equites?

25. Numquid ſine Domini voluntate aſcendi ad locum iſtum, vt demolirer eum? Dominus dixit mihi: Aſcende ad terram hanc,& demolire eam.

26. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ,& Sobna, & Ioahe Rabſaci: Precamur vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriacè: ſiquidem intelligimus hanc linguam:& non loquaris nobis Iudaicè, audiente populo, qui eſt ſuper murum.

27. Reſpondítque eis Rabſaces, dicens: B Numquid ad dominum tuum,& ad te miſit me dominus meus, vt loquerer ſermones hos,& non potiùs ad viros,qui ſedent ſuper murum,vt comedant ſtercora ſua,& bibant vrinam ſuam vobiſcum?

28. Sterit itaque Rabſaces, & exclamauit voce magna Iudaicè,& ait: Audite verba regis magni,regis Aſſyriorum.

29. Hæc dicit rex:Non vos ſeducat Ezechias:non enim poterit eruere vos de manu mea.

30. Neque fiduciam vobis tribuat ſuper Dominum, dicens:Eruẽs liberabit nos Dominus,& non tradetur ciuitas hæc in manu regis Aſſyriorum.

31. Nolite audire Ezechiam:Hæc enim dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum quod vobis eſt vtile,& egredimini ad me: & comedet vnuſquiſque de vinea ſua, & de ficu ſua,& bibetis aquas de ciſternis veſtris:

32. Donec veniam, & transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, in terram fructiferam, & fertilem vini,terram panis & vinearum,terram oliuarum, & olei ac mellis,& viuetis,& non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens:Dominus liberabit nos.

33. Numquid liberauerunt dij Gentium terram ſuam de manu regis Aſſyriorum?

34. Vbi eſt Deus Emath,& Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim, Ana, & Aua? numquid liberauerunt Samariam de manu mea?

35. Quinam illi ſunt in vniuerſis diis terrarum, qui eruerunt regionem ſuam de manu mea, vt poſſit eruere Dominus Ieruſalem de manu mea?

36. Tacuit itaque populus, & non reſpondit ei quidquam:ſiquidem præceptum regis acceperant,vt non reſponderent ei.

37. Venítque Eliacim filius Helciæ, præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à commentariis ad Ezechiam, ſciſſis veſtibus, & nunciauerunt ei verba Rabſacis.

---

# IN CAP. XVIII. LIB. IV. REGVM COMMENTARII.

Verſ. 1. *Anno tertio Oſeę filij Ela Regis Iſraël regnauit Ezechias filius Achaz Regis Iuda.*]

1. PARENTE peſſimo natus eſt optimus C filius, anno tertio Regis Oſee. Quoties Regum Iuda,& Iſraël anni numerantur, componuntúrque,aliquid ſe nobis offert impeditum.Quomodo anno tertio,vel quarto Achaz regnum inierit Oſee,diximus c.17. vbi etiam explicuimus,quomodo Oſee dici potuerit anno Achaz duodecimo obtinuiſſe regnum. Quòd ſi Oſee regnare cœpit anno tertio,vel quarto Achaz, quod videtur omnino eſſe dicendum,cùm Achaz annis ſedecim cum regia poteſtate fuerit,videndum eſt, quomodo primus Ezechiæ annus,in tertium Oſee incurrere potuerit.Ego hîc multa video ab auctoribus afferri, quæ ego ideo fortaſſe omnino non D probo,quia non intelligo. Illud mihi videtur ſolutum magis,ſi dicamus bis Ezechiam cœpiſſe regnare.Primùm cum patre ſimul anno tertio Oſee, qui incidit in ſeptimum Achaz, cùm annos eſſet natus Ezechias viginti quinque, vt ſtatim magis exponemus: deinde cùm ſolus regnum obtinuit, de quo tempore aliter iudicandum eſt.

2. Alij verè ac propriè dicunt iniiſſe regnum Oſee (licèt quatuor annis antè occiſus eſſet Phacee Romeliæ filius) anno duodecimo Regis Achaz, quia rem indignam aggreſſus fuit Oſee, cùm Regem ſuum & Dominum occidit, quæ res magnam illi apud omnes conflauit inuidiam. Quare cùm quatuor annos in ſedandis turbis conſumpſiſſet, duodecimo anno Regis Achaz pacificum cœpit regnũ obtinere. Quòd ſi quis obſtrepat,dicátque, à duodecimo anno Achaz ad decimum ſextum eiuſdem, in quo parente mortuo regnare cœpit Ezechias,quatuor ſupereſſe,atque ideo dicendum eſſe Ezechiam adiiſſe regnum non tertio anno Oſee,ſed quarto,reſponſio ex dictis difficilis non eſt: potuit enim annus ille quartus imperfectus eſſe,atque ideo vel omitti potuit, vel pro integro atque perfecto numerari,ac perinde quartus eſſe, vel tertius. Et huc magis inclinat Abulenſ.c.17. q.2.& hoc cap,q.item 2.cui ego lubens ſubſcribo.

Verſ.2. *Viginti quinque annorum erat,cum regnare* 3. *cœpiſſet.*] Hîc grauis oritur difficultas,ſi poſteriorem amplectamur ſententiã,quã probauimus magis,nã ſi pater Achaz, cùm viginti annos haberet, regnũ ſuſcepit, quod ſedecim tantùm annis obtinuit,neceſſe eſt, vt triginta ſex annos tantùm habuerit,cùm vita functus eſt;eo verò tẽpore viginti quinque annorum fuiſſe dicitur filius Ezechias. Quare vndecim annis erat parente minor, atque ideo,ab vndenni parẽte genitus eſt Ezechias,imò & decenni: nam nouẽ menſibus genitus eſt,antequã natus.Mihi videtur ita omninò eſſe dicẽdum, quod communiter ſequũtur interpretes. Abulenſ. q.4. putat inchoatos annos Achaz omiſſos ab hiſtorico,ita vt cùm fuerit Achaz, cùm regnũ iniit, viginti & vnius annorum, quia tamen annus extremus

*Ezechias à decenni parente genitus exiſtimatur.*

tremus completus non erat, omissus fuit. Regnauit item annos septemdecim, quorum vltimum, vtpote imperfectũ, prætermisit historicus. Quare tẽpus quo vixit Achaz, triginta & octo annorum fuit. Deinde ex viginti quinque annis Ezechiæ vnum detrahit, quia postremus imperfectus, qui cùm omitti posset, pro integro tamen numeratus. Quare viginti quatuor annorum erat Ezechias, cùm in regnum assumitur, quos si ex triginta octo detrahas, quatuordecim supersunt: non est autem contra naturalem ætatis modum à quatuordenni patre suscipi prolem. Alij cõmuniter ab vndenni, vel etiam decenni Achaz, susceptum putant Ezechiam. Ita Hieronymus epist. 132. ad Vitalem, qui aliis exemplis probat id fieri potuisse. qua de re nos pluribus l. 3. Reg. c. 3. vbi de Salomone quæstio, qui decennis existimatur genuisse Roboam.

4. Vers. 3. *Fecítque quod erat bonum coram Domino.*] Magnum Ezechiæ encomiũ sermone breui comprehensum, quod pluribus explicatur lib. 2. Paralip. c. 28. & 29. & Eccli. c. 48. à versu 19. Qui nihil habuit antiquius, nihil in votis magis, quàm vt collapsam religionem restitueret, & quæ superiorum Regũ, & parẽtis proximè concussit impietas, instauraret, solidarétque. Quare quicquid fouere poterat impietatem, & ad impium cultum incautos, aut ignaros allicere, illud vndecumque locorum remouendum, & perdendum curauit.

5. Vers. 4. *Confregítque serpentem æneum, quem fecerat Moyses, si quidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum, vocauítque nomen eius Nohestan.*] De hoc æneo serpente multa habes & suo loco Numer. c. 21. vbi eo cõsilio conflatus esse traditur, vt intuentes in eum ab ignitorũ serpentum morsu curarentur; & Ioan. c. 3. vbi quid æneũ illud simulacrum portenderet, Christus explicuit. *Sicut exultauit*, inquit, *Moyses serpentẽ in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat.* Historia nota est, cùm filij Israël accepisse se ab æneo serpente admirabilem medicinam, & singulare beneficiũ meminissent, primùm in honore habuerũt maximo, acceperúntque, seruarúntque diu: non quasi in eo aliquid existimarent esse diuinũ, sed tanquam beneficij cuiusdam eximij illustre monumentũ. Sensim tamen, vt erat populus ille leuis, & ad omnem religionem pronus, ac lubricus, sicut alia Gentilium simulacra ex ære, & marmore, sic etiam hoc ex ære conflatum simulacrum, tanquam diuinum aliquid amplexus est, illíque honores impendit diuinos. Quod scandalum, vt ex sua gente penitus aboleret Ezechias, cõfringi iussit, atque comminui, ita vt nullũ prioris formæ appareret vestigium. Et ne quid in illius simulacri nomine quicquam sonaret sacrũ, aut antiquum, quod superiorem memoriã, ad nefarium illud, & sacrilegum cultum renouaret, nomen mutauit antiquum. Quod fortasse sumpsit ex depulso dolore, & sanato ex serpẽtium morsu lethali vulnere, & vocauit Nohestam. Quasi diceret, in illo serpente nihil esse magnum, nihil viuum, quod ab homine prudẽti coli, atque obseruari debeat: cùm nihil aliud sit, quàm vile quoddam æs. Id enim valet Nohestam, quod idem significat, quod *æs*. Et quia Nohestam, siue, vt est in Hebræo, נחשתן *Nechustan*, formam habet diminutiuam, aliquid etiam indicat vilius, quasi dicas merum æs, aut ærulum, liceat vocem nouam fingere, seu metallulum, vile nempe, ac nihili.

7. Hîc tu dæmonis calliditatem agnosce, qui ea, quæ ad hominum salutem excogitauit Deus, ita detorquet, atque trahit in alienos sensus, atque vsus, vt in iisdem laqueum, & mortem paret. De quo illud exponi potest Ierem. c. 17. v. 11. *Perdix fouet, quæ non peperit.* Qui diuinis consiliis, atque doctrinis sic incubat, vt homines deludat, & quasi ex viperinis ouis Regulum excludat. Quod cum hæreticis nostris experimur quotidie, quibus persuasit ad salutem non esse necessarium pœnitentiæ, ac pietati vacare, quia Christus nobis vita & salus fuit. Vide ex quibus ouis, quos fœtus excludat: vt diuina consilia callidè interpretetur, atque peruertat. Sic hoc loco æneum illud serpentis simulacrum, monumentum esse debuit, quo excitati homines parentum suorum cognoscerẽt peccatum, & impositum illis à Domino supplicium, ac tandem oblatam medicinam, & singulare in ea beneficium, vt peccatum horrerent, Deum diligerent, & magis essent in via Domini constantes, quàm parentes fuissent. Sed diabolus, qui serpentis in modum in hominum animos sensim illabitur, in eo serpente aliquid persuasit esse diuinum, à quo percussi quondam parentes salutem essent consecuti. Atque adeò illi adolebant incensum, & diuinis prosequebantur honoribus. Addit Eusebius, citatus ab Anastasio Niceno, sublatos esse Salomonis libros ab Ezechia, ne quid hominum pietati nocerẽt. *Libros*, inquit, *Salomonis, qui scripti erant de Prouerbiis, & odis, in quibus tractabatur de natura plantarum, & omni genere animalium, & de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias: propterea quòd morborum medelas inde acciperet populus, & nihil facerent, à Deo petere curationes.* Graue damnum putabat religiosus princeps, si homines spem salutis, in plantarum, animaliúmque naturali virtute collocarent, & nõ potiùs à Deo sperandum esse remedium. Atque ideo carere maluit homines naturali medicina, quantumcumque ea contra vim morborum, potestatem haberet, quam infirmam esse spem, quæ medicorum arte, & herbarum virtute niteretur. Eo nomine lib. 2. Paralip. c. 16. v. 12. reprehenditur Asa, *Quia neque in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.* Sanè S. Franciscus Xauerius è nostra Societate, cùm Euangelij gratia, in regionem barbaram esset ingressurus, vbi frequens erat venenorum vsus, & quotidianæ cædes, noluit admittere antidota quædam ab amicis oblata, ne quid de spe, quam in Deo semper collocarat, ea ratione remitteret. Chronicon Alexandrinum librum illum ex Hebræorum sententia in muro templi insculptum esse dicit. Sic autem ad Olympiad. 9. de Ezechia. *Quin & volumen Salomonis, vt tradunt Hebræi, de omni genere morborum curando muro templi insculptum reperit, & expunxit.*

Vers. 5. *In Domino Deo Israël sperauit.*] In hoc verbo multa continentur, quæ religiosum ostendunt, & commendant Ezechiæ pectus. Qui enim in aliquo sperat, eidem seruit diligenter, illum amat, & colit, illum consulit, neque ab eo diuertit animum, aut oculos, qui sperat in diuitiis, ad illas inhiat, illis indormit, & inuigilat, & vt illas sibi congerat, nihil non tentat, nihil non subit, de quo est illud Horatij Satyra 1.

---- *Cùm te neque feruidus æstus*
*Demoueat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum.*

Idem fecit Ezechias, dum à Domino sperat omnia, ad quem animum attentum habet, & ad eius voluntatem rationes suas, & consilia confert; neque tam suæ seruit commoditati, ac studiis, quàm illis, quæ Deo in votis esse videt.

10. *Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt.*] Grae

*Serpens æneus cur ab Ezechia confractus.*

*Ex peccandi occasione nihil relinquendum, neque nomẽ quidem.*

*Hîc tu dæmonis calliditatem agnosce, qui ea, quæ ad hominum salutem excogitauit Deus, ita detorquet, atque trahit in alienos sensus, atque*

*Damon ea, quæ Deus ad nostram salutem inuenit, ad nostram perniciem detorquet.*

*Libri Salomonis de morborum medicina ab Ezechia aboliti.*

*S. Francisci Xauerij spes in Deo.*

*Humana subsidia spẽ in Domino collocandam infirmant.*

*Spei vera indicia.*

ue est hoc de Ezechię sanctitate testimonium, qui non confertur solùm, sed etiam præfertur his Regibus, quorum sanctitas omnium præconio commendatur. Quærit hîc Abulensis, q. 17. an Ezechias sanctior fuerit Dauide, & Iosia, qui Eccl. c. 49. v. 5. coniungũtur, dicuntúrque ex omnib. Regibus tres illi non peccasse. *Præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt.* Nam de Regibus aliis nemo dubitat. Et primùm docet ex genere loquendi non significari excellẽtiam omnimodam, nam infrà c. 23. eadem de Iosia dicũtur, quæ nunc audimus de Ezechia. Sic enim ibi, v. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi, neque post eum surexit similis illi.* Ego ita existimo sicut etiam Abulens. q. 17. & alij deinceps plures, in hoc dicendi modo aliquid hyperbolicum videri, quod in Scriptura sacra insolitum non est, quod & in profana literatura non est infrequens, à cuius sermone Scriptura sacra recedere nõ solet. Quid in vulgari sermone vsitatum magis, quàm comparatione explicare id quod glorioſum, & magnũ significare volumus? Sic dicimus, *Quis illo sapientior? quis doctior? nemo illo melius de patria meritus, nemo dignior regno.* Quo nil significamus aliud, quàm illum esse valde sapiẽtem, doctum, bene de patria meritum, & regno omnino dignum. Neque cùm ego modò casu dixi, *Quid in vulgari sermone vsitatum magis?* nihil aliud significare volui, quàm illud esse vsitatum valde: alia enim sunt vsitata magis. Sed illud credo verius quod idem putat, & cum eo frequẽtes alij, non hîc aliis æqualitatẽ cum Ezechia, sed similitudinem negari. Dissimilitudo autem in his, qui in aliquo ordine sunt æquales, non semper inuenitur. Æquales dicimus leonibus aquilas, quia in suo quique genere principatum tenent, sed instituto ac modo longè dissimili. Æquè vtiles reipublicæ sunt, dux, qui manu, & sapiens, qui consilio iuuat. Æquè nobiles dicuntur Poëtæ, v. g. licèt alij epicis, alij lyricis dederint nobilem illã operam. Æqualem gloriam assecuti dicuntur pictores aliqui, in dissimili tamen argumento, alij in homine, & bellua, alij in sylua, ac prato depingendis; in quibus licèt sit æqualitas in arte, & gloria; est tamen in materia gloriæ magna dissimilitudo. Sic etiam in sanctitate ac doctrina eiusmodi audimus virorum elogia: dicimus enim aliquos in sanctitate æquales, cùm tamen alij vitam egerint solitariam, alij in cœtu hominum vixerint, vbi necesse est, fuerit vitæ ratio longè dissimilis. Quare ex illo dicendi modo, nullus in sanctitate colligitur excessus, sed in modo illius acquirendi dissimilitudo. Fuit, opinor, Dauidis non minus quàm Ezechiæ nobilitata sanctitas; nihilominus Dauid non fuit Ezechiæ similis. Sicut etiam neque Dauidi Ezechias; quia dissimiles inciderunt occasiones, & tempora, in quibus illorum patientia, aut fortitudo exerceri potuit. Hoc modo de confessoribus & Pontificibus canit Ecclesia. *Non est inuentus similis illi, qui custodiret legem Excelsi.* Quia illi aliquid habuerunt peculiare, quod non inueniretur in aliis: neque enim fieri potest vt omnes aliis omnibus superiores sint.

*Ezechias an Regibus omnibus sanctior.*

*Hic dicendi modus, nullus huic similis, & alia huiusmodi hyperbolem continent.*

*In magna æqualitate sanctitatis, atque artis, ac scientiæ maxima esse potest dissimilitudo.*

12. Vers. 7. *Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* ] Ex eo studio, quo diuinam voluntatem intuebatur Ezechias, aliis longè posthabitis, quæ captat vulgarium animorum, aut ineffrænata cupiditas, aut præceps ambitio, id assecutus est religiosus princeps, vt sapienter, publicas, priuatásque rationes moderaretur, & in illis adiutorem, & auspicem dominum haberet.

13. Quia valde hîc commendatur Ezechiæ sanctitas, neque in quo illa spectari possit, nisi strictim hoc loco proponitur, visum est, vt quod hîc desiderare posset lector studiosus & pius, ex lib. 2. Paralip. sumere, & illud Paraphrastico stylo in hunc locum conferre. Ibi enim multa de Ezechiæ religione notantur, quæ valdè sanctissimi principis & pium animum, & præclara cogitata commẽdant. Quæ habemus c. 29. 30. 31. Primùm igitur, vt habes c. 29. v. 3. statim atque in regni possessionem venit, anno primo, primo item mense, quamprimum videlicet potuit, valuas aperuit templi, quas religionis piæ inimicus, & prædo impius pater occluserat. 2. Paralip. c. 28. v. 14. etiam ea, quæ pater abstulerat, aut concusserat malè, restituit, & refecit. Deinde cùm Sacerdotes, & Leuitas, quorum tutelæ ac fidei res sacræ, & sacra ministeria fuerant à lege permissa, ad orientalem portam congregaret, grauem ad illos orationem habuit, plenam doloris, pietatis, & spiritus. Monet vt seipsos primùm de more sanctificent: deinde templum, quod Gentilium sacrorum spurcitiæ contaminarunt, emũdent, & lustrent; ac tandem videant & quod ab illis exigit pietas, doleant, tã grauiter à parentibus esse peccatum, vt antiquæ religionis immemores alienæ se tradiderint, & ad hanc, faciem, ad illam dorsum inuerecundè conuerterint. Quorum eô se proiecit impietas, vt clauserint valuas, ne cui ad templum aditus pateret, extinxerint lucernas, & libationes, & victimas, ac omne sacrificiorum genus relegarint; quæ res ad interitum penè redegit populum ab antiquissimis vsque temporibus florentissimum. Quare sibi visum esse faciendũ omnino vt fœdus, quod cum Deo olim percusserunt parentes, quódque proximè posterorum perfidia videbatur dissolutum, instauraretur denuò. Nempe vt dominũ amplecterentur Deum, vt ille ipsos in populum, & suam sibi familiam admitteret; vt hostilem exuat animũ, & paternum induat. Hortatur igitur, vt quando ad ipsos pertinet sacrum obire ministerium, ad opus se quamprimum accingant. Quod illi vt susceperunt auidè, sic etiam consentientibus studiis præstiterunt breui. Purgarunt etenim templum, suóque loco reposuerunt, quæ sublata fuerant, sanctificarunt sacram supellectilẽ, & quicquid erat sordidum, aut ritus redoleret gẽtilicos, in Cedronẽ vallem profundissimã, templóque vicinam comportauerunt.

*Ezechiæ præclara pietatis opera.*

14. Tunc verò Rex cùm Sacerdotum, & Leuitarũ sedulitate omnia esse instaurata, & sanctificata cognosceret, idonea tandem quæ rursus ad opera consueta redirent, offerri iussit omnium generum holocausta, & victimas, tam pacificas, quàm pro peccato, in eo altari quod pater ipsius Achaz à suo loco remouerat, illúdque reposuerat, quod pro suis victimis nefario cultu fecerũt Damasceni. Et ne quid ad antiquam celebritatẽ deesset, instrumenta concinnauit musica, quę statis in tẽplo temporibus resonarent: cantores aduocauit, & instruxit, vt Dauidicos Psalmos de more cantarent. Quod cùm factum esset diligenter, & splendidè, obtulit mente deuota & supplici alia rursus sacrificia eo numero, vt cùm illis exornãdis, & ad aram disponendis, Sacerdotes, qui tunc aderant, non sufficerent, necesse fuerit consecrare alios plurimos, qui instituta à Rege sacrificia peragerent. Hæc strictim ex cap. 29. lib. 2. Paralipom.

15. In cap. deinde 30. illa fecit religiosus princeps, quæ satis produnt quanto ardore rem curaret diuinam,

uinam,& quàm cuperet Deum ab illis etiam coli, qui iam dudum à templo, patriáque religione defecerant. Quare cùm iam dudum decem tribus, ex quo ad vitulos aureos hortatore & duce Ieroboamo defluxerunt, azymorum sacra non obiissent, neque meminissent Phase quod illis diebus immolari solebat;& duæ tribus,quæ domui adhæserant Dauidicæ, postquam clausæ fuerant templi fores ab Achaz, illud etiam sacrificium intermisissent, misit Ezechias non ad Iudam solùm, in qua ipse tũc dominabatur, sed etiam ad Ephraim, & Manassem,imò ad alias etiam tribus, quæ reliquæ fuerant ex captiuitate Theglathphalasar, vt omnes ad intermissum illud opus conuenirent. Quod in mensem secundum ideo distulerunt,cùm peragi deberet decimaquarta luna mensis primi, quia pro victimarum numero sacerdotes pauci sanctificati fuerant, neque dum populus ad celebritatem illam congregatus fuerat in Ierusalem, ideo fortasse,quia illorum annorum interuallum, in quo cum potestate vixit Achaz, aut illius sacrificij obliuionem induxerat,aut segnes reddiderat promptos antea, atque alacres Hebræorum animos. 16. Cùm autem aliquod inciderit impedimentum, quo minùs mense primo ad decimam quartam lunam immolari potuerit Phase, cautum est lege, vt illud in mensem secundum ad eandem lunam decimam quartam transferatur. Sic Numer.cap.9.vers.10. *Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul,in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo,quarta decima die in vespere.* Cùm ergo mense primo, tempore nimirum à lege constituto, plurimi essent immundi, plurimi in via, quia nondum in loco congregati legitimo, licuit Phase in mensem transmittere secundum. Quare cùm nullum esset impedimentum à lege,& ad celebritatem illam destinatum à Rege tempus, religio, consuetudóque permitterent, visum est Regi, & illis, quos de re tanta socios ad deliberandum adhibuerat, è re futurum sacra & publica,si dimissis huc illúcque cursoribus, cum literis regiis,ac publicis Israëlem totum,quàm latè tunc pateret, ad religiosum illud opus iam dudum intermissum,inuitarent,quod fecerunt cursores non minus diligenter, quàm à Rege populíque principibus fuerat imperatum. Summa verò Regis, principúmque mandati hæc erat, vt etiam atque etiam considerarent, quam legem olim antiquissimi Israëlitici populi parentes accepissent à Domino; quam dum posterioribus sæculis ipsorum maiores abiecerũt, sic sunt crudeliter ab hoste iactati,vt ad interitũ penè redacti fuerint. Quare ex parentum infortuniis discant,si patẽtum vestigiis obstinatò hæserint,quid suo capiti timere debeãt. Quocirca bene suis rationibus consultum iri putent,si religionem illam seriò,ac ex animo amplectantur, & colant, quam eorum parentes pessimo consilio prodiderunt.Quare veniãt omnes ad sanctuarium, quod sibi vnũ ex omnibus elegit Deus, vt eum habeant patronum, & mitem, quem priùs hostẽ,& durum experti sunt.neque dubitẽt si hoc officio à lege religionéque,præscripto,placare sibi Deum voluerint,futurum esse,vt filij,& parentes, quos Assyrij hostes captiuos abegerunt,mitiorem apud illos seruitutem habeant,& tandem reduces patriam videant, ex qua extorres, & miseri nuper excesserunt: A domino autem si facti intercedat pœnitentia,quiduis sperari posse, cùm ingenio sit miti,& ad miserendum,& ignoscendum prono.

17. Cum his mandatis cursores, ac veredarij regioné totam Israëlitidem, quàm potuere maxima velocitate lustrarunt,qui non eodem ab omnibus animo, ac sensu suscepti sunt, quidam subsannabãt,irridebántque quasi inepta forent Regis consilia, & nullum successum habitura. Addit hist. Schol.c.37.in lib.4. Reg. quosdam ex his cursoribus ab Israëlitis occisos,vnde in exilium ipsi quoque abduci meruerunt.Meliori mente alij, & in suum vsum fore meditati,vt diem illum, & celebritatem obirent,Hierosolymam profecti sunt.Hi autem fuere ex tribu Aser, Manasse, & Zabulon; ideo fortasse,quia propiores erant Assyriis, & eorum cognati apud illos extorres,seruilẽ conditionem nacti fuerant. Duarum verò tribuum,agente Deo, mira fuit ad religiosum illud opus animorum, studiorúmque consensio:cùm autẽ regiis literis euocati, quamplurimi in Hierosolymam populi confluerẽt, interim dum condictus expectatur dies,qui erat decimusquartus illius Lunę,quæ secũdum inchoat mensem,vno spiritu, atque impetu eruperunt omnes, & quotquot erant altaria in vrbe, quicquid impiæ superstitioni seruiebat, quicquid aliquid aut præ se ferebat aut redolebat gentilicum,id totum dissiparũt, & in profundam Cedronis vallem proiecerũt.Immolato verò Phase decimaquarta Luna mensis secundi, immolatæ deinde sunt complures aliæ victimæ, quæ à nobilissima victima, agno nempe Paschali, ac typico, Phase quoque dicuntur; quæ septem azymorum diebus magno mactantur numero. Cùm verò plurimi ex his, qui longè venerant, sanctificati non essent,& immolandis victimis idonei, opus illud sacrificale peregerunt Leuitæ eorũ loco, & agnorum sanguinem per sacerdotum manus effuderunt. Nihilominus ex illis nonnulli, qui è decem tribubus ea religionis gratia conuenerãt,cùm desuetudine lõga, quid ab illis sacrificij illius sanctitas exigeret,ignorarent,nondum ritè expiati,cùm multis antea modis censerentur immundi, Phase cum aliis comederunt. Pro quibus orauit Ezechias, & facilè à Domino exorauit veniam; quia si quid in eo sacrificio peccauerunt, qui tunc primùm illud obierant, non audacia & scelere, sed errore, & ignoratione lapsi sunt.

Eodem animo,quo populus ille ex toto Israëlitico tractu congregatus celebrauit Phase, eò etiã incubuit, vt septem diebus azymorum alia etiam offerret sacrificia,quæ varia sunt, &, vt nuper dixeram, à prima nobilissimáque hostia Phase dicebantur. Quæ res vsqueadeo populo molesta non fuit, vt septem alios dies insuper addiderit, in quibus aliæ plurimæ mactarentur victimæ, sicut septemdiali spatio proximè fecerat. Fuit autem populo,tã Iudaico,quàm Israëlitico, qui ad illud vsque tempus censebatur alienus,iucunda illa genialísque solemnitas, tum propter incitatum studium,quo interruptum illud opus regustauit:tum quia Rex ipse Ezechias, & illius exemplo reliqui populi principes ad sumptus illos sacros necessaria liberali manu contulerunt. Cùm autẽ à Rege, populíque principibus duo taurorũ millia, & septemdecim arietum millia forẽt,quæ septemdiali solemnitate mactarentur,necessum fuit,vt magna sanctificaretur Sacerdotum turba,quæ ritè posset tot hostiarum sacrificia peragere. Fuit autem tãta támque iucunda eo tempore celebritas, quanta à Salomonis tempore nulla maior.Benedixerunt ad extremum Sacerdotes & Leuitæ populum cùm ad suas sedes esset dimittendus, quæ ad cœlum vsque peruenit, neque difficiles habuit aut surdas diuinas aures.hæc ex cap.30.lib.2.Paralipom. 18.

Ex cap. 31. lib.2. Paralip. hæc desumpta sunt 19. quæ

*Phase cùm aliquod interueniret impedimentum, extra suũ tempus differri poterat.*

quæ maximè etiam faciunt ad sanctitatem tanti Regis commendandam. Primùm, vbi ritè celebratum fuit Phase, & septemdiali azymorum spatio immolatæ victimæ; populus iam alius à seipso mutato animo, & damnato illorum consilio, qui in terram Israëlitidem nefarium idolorum cultum inuexerunt, conspirantibus studiis, quicquid erat idolorum confregit, succidit lucos, euertit altaria, excelsa destruxit, reliquit denique nihil, quod idolorum cultui antè seruierat: idque non solùm in Iuda, & Beniamin, sed in aliis tribubus, quæ Ezechiæ dominatui non suberant, quales fuerunt Beniamin, & Manasse. Quod autem Ezechias in præsentia fecerat, voluit & in posterum esse perpetuum; distribuit enim constituítque suis quosque locis, & ordinibus sacerdotes, & Leuitas, vt sacrificarent, & canerent, exercerentque omnia templi ministeria, ad quæ illos & consuetudo vetus, & indicta religio destinarat.

20. Ne verò ad sacrificia, reliquósque sumptus necessaria deessent, omnia in reliquum regia sollicitudo, & prolixa liberalitas abundè prouidit. Ad sacrificium enim, quod, quia manè ac vespere quotidie offertur, iuge nominatur, ad alia item quæ iuxta legem Moysis, Calendis, & Sabbatis, & solemnitatibus aliis offerri solent, ex sua substantia & fisco, quantum necesse foret, impendi voluit. Præcepit etiam populo, vt in sacerdotum, & Leuitarum alimenta, primitias decimásque conferrent, vt ab ea cura ministri templi vacui, liberiùs sacro ministerio vacarent. Quod fecerunt omnes vsqueadeo libenter, atque profusè, vt non solùm ad saturitatem sacerdotum, Leuitarúmque familiam explerét, sed etiam vbi illorum sumptibus satis esset à populo prouisum, plurima ex communi bonorum aceruo redúdarint. Pro quibus asseruandis, in templo horrea præparari iussit, quibus quasi quæstores, curatoréque præposuit, qui custodirent omnia, eáque pro cuiuscumque meritis muneribúsque attemperatè fideli dispensatione diuiderét. Prouidit præterea diligenter, ne quid Leuitis sacerdotibúsque aliis, qui extra templum, vrbémque degebant, eorúmque familiis quicquam ad sumptus necessarium deesset. Tandem cùm totis corporis animíque neruis in Dei causam, & cultum incumberet, omnes illius conatus atque consilia, qualem optare potuit, exitus consecutus est. Hæc est breuis quædam complexio c. 31. lib. 2. Paralipomenôn. Nunc redeo ad caput ex quarto lib. Regum interruptum.

21. *Rebellauit quoque contra Regem Assyriorum, & non seruiuit ei* ] Verbum *rebello* violatum indicat fœdus, & proditam fidem, quare de illo plerumque dicitur, qui cùm alteri fidem haberet obligatam, aut aliquid deberet ex seruitute, & pacto, illud abiurauit: Hîc autem non apparet, quid negauerit Ezechias Assyrio, quod antè ex seruitute, & pacto pendere debuerit; cùm neque parentem Achaz, neque aliquem ex superioribus Regibus Iuda vectigalem habuerit. Placet quod visum est Lyræ, ideo Ezechiam contra Regem Assyriorum rebellasse, non quia illi subiectus fuerit, aut tributarius, sed quia non receperat eum tamquam dominum, sicut fecerunt complures alij Reges. Et ideo subditur, *& non seruiuit ei.* Quòd verò *rebellare* idem sit, quod resistere, docent illi Senacherib legati, qui infrà versu 20. sic ad Ezechiam, *Forsitan inisti consilium, vt præpares te ad prælium, in quo confidis, vt audeas rebellare?* id est, non cedere potentiori Regi.

Rebello idē quod resisto.

22. Vers. 8. *Ipse percussit Philistæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum.* ] Hîc iam apparere incipit, quod proximè dicebamus; quicquid tentasset Ezechias felices, fauente domino, habuisse successus. Nam cùm Philistæis vicinis atque importunis hostibus bellum intulisset, ad Gazam vsque graui plaga percussit, & eorum terminos à munitis, & frequentibus vrbibus, vsque ad ignobiles vicos, & rusticanas villas deprædatus est. Quæ dicantur custodum turres, diximus supra c. 27. ver. 9.

23. Vers. 9. *Anno quarto Regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filij Ela, ascendit Salmanasar Rex Assyriorum in Samariam.* ] Regnum iniit Ezechias, vt vidimus in principio capitis, anno tertio Osee, atque ideo annus quartus Ezechiæ cum Osee septimo concurrit, in quo cæpta est oppugnari Samaria. Quæ tandem post triennalem obsidionem in hostium potestatem venit, & solum vertere coacta, eóque abduci, vbi non multo antea cognatæ tribus captiuæ constiterant. Dicitur autem capta Samaria anno sexto Ezechiæ, & Osee nono; cùm tamen, si vtriusque regno tres annos adiicias obsidionis, illius septimus, huius decimus esse debuerit. Sed est solutio vsitata, & facilis, quia aut in obsidione, aut in regno annus aliquis imperfectus fuit, qui alibi omissus, alibi pro perfecto atque integro numeratus est.

24. Vers. 13. *Anno quarto decimo Regis Ezechiæ ascendit Senacherib Rex Assyriorum ad vniuersas ciuitates Iuda munitas, & cepit eas.* ] Quæ hîc habes de ascensu Senacherib, de ciuitatum vastitate, de intolerabili superbia, de horribili exitio, eisdem penè verbis tradita sunt ab Isaia c. 36. 37. 38. & antea prædicta cap. 10. & carptim aliis in locis non pauca, hîc quidem prophetícè, illic historícè. Sicut etiam lib. 2. Paralipomenôn c. 32. & nonnulla Eccl. 48. quare cùm idem omnino argumentum sit, eadem penè verba, eadem omnino sit commentatio necesse est. Quamobrem quæ in nostris commentariis in Isaiam diximus, illa in hunc etiam locum transferémus, cùm non minus hîc, quàm illic locum habeant: illa tantùm addemus, quæ ab Isaia prætermissa sunt, & alibi notata ab auctore sacro.

25. Nihil hîc neque apud Isaiam habemus de illorum præparatione, quæ ad arcendum hostilem impetum curauit Ezechias, quæ habemus libro 2. Paralip. cap. 32. & Eccl. c. 48. Priori loco habemus eo tempore, quo in Iudææ finibus insolens grassabatur, & victor Assyriorum exercitus, & munitissimas quasque ciuitates in eorum potestatem venisse, obturata fontium capita, & riuum illũ præcipuè, qui per mediam terram interfluebat. Quod maximè putant rebus angustis opportunum, quibus aliquid inest prudentiæ militaris. Et vsus ipse docuit hoc vno consilio aut fractas fuisse inimicorum vires, aut ab vlteriori progressu hostem impeditum, cùm obturantur, aut inficiuntur aquæ, aut tam equorum, quàm hominum cibi corrumpuntur. Quis autem fuerit riuus ille, qui mediam intersecat terram obscurum est. Sed est, vt opinor, 26. aut fons Rogel, aut aqua Siloë, qui, vt reor, etiam dicitur Gihon, de quo plura lib. 3. Regum c. 1. v. 33. Et quidem obturatum esse Gihon ab Ezechia sub hoc tempus, habemus lib. 2. Paralip. cap. 22. vers. 30. *Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem portam aquarum Gihon, & auertit eas subter ab occidente vrbis Dauid.* Qui fons cùm rupem aluat, in qua sita est Ierusalem, deinde latè per terram extra mœnia discurrit, quæ varios præbet vsus his, qui non longè ab vrbe consedere.

Puto

Puto autem Ezechiam ad rupis illius fundamenta A
construxisse piscinam, quæ præter fluentem aquã
contineret, eo loco vt ex illa nihil haurire posset
Assyrius. Præterea perfodisse rupem, per quam de-
clivi lapsu aquam deriuaret in puteos, quos ad ob-
sessorum vsum intra muros effoderat, id totum
habemus ex hoc loco Paral. & clariùs Eccl. c. 48.
v. 19. *Ezechias munuit ciuitatem suam, & induxit in
medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & adifica-
uit ad aquam puteum.* Et adhuc clariùs lib. 4. c. 20.
v. 20. *Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & omnis for-
titudo eius, & quomodo fecerit piscinam & aquæduc-
tum, & introduxerit aquas in ciuitatem, nonne hæc
scripta sunt*, &c. Hæc mihi videntur neque im-
probabilia, neque obscura. B

27. Cùm autem ciuitatis muri, aut vetustate, quæ
labefacit, & consumit omnia, aut hominum in-
iuria multis in locis parum haberent firmitatis,
illos instauravit, solidauitque, & alios etiam ad-
didit extrarios, comparauitque multiplex armo-
rum, machinarumque genus, quibus aut propul-
saret, aut inferret vulnera. Cùm autem consti-
tuisset bellatorum principes, atque inter eos bel-
licas curas esset partitus, orationem habuit ple-
nam dignitatis, quæ omnium animos ad omnem
belloruni contentionem armauit, cuius hæc erat
summa, non esse metuendas copias Assyriorum
innumeras, quarum in brachio carneo futilis est
impetus, & imbelle robur, cùm contrà steti Deus, C
cuius potentiæ nil est non superabile. quæ verba
populo tumultuanti ac timido incredibilem in-
generarunt audaciam.

28. Vers. 14. *Tunc misit Ezechias Rex Iuda nuncios
ad Regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccaui*,
&c.] Cùm prædabundus Senacherib ad ciuitatem
Lachis accederet, quæ non procul à Hierosoly-
mis aberat, & omnia omnibus minaretur, statuit
Ezechias, vt quem armis non poterat, illum sup-
plicibus votis, & oblatis muneribus arceret. Qua-
re fatetur ingenuè se peccasse, neque recusaturum
se, quodcumque voluerit pro suo errato impone-
re supplicium. Ille mulctæ nomine postulat tre-
centa argenti, & auri triginta talenta numerari.
Quod vt Regi porrigeret, thesauros templi, & re-
giæ domus funditus exhaurit; quin etiam valuas
templi confregit, & aureas laminas refixit, qui- D
bus portas ipse priùs incluserat. Sed nihil ab As-
syrio illo artificio consecutus est; nam acceptis
muneribus obligatæ fidei prorsus oblitus, nihilo
se gessit moderatius, ac mitius, quam si repudiatus
esset, & repulsus. Quare ex eodem loco, & eodem,
opinor, temporis vestigio, legatos misit, per quos
obtinere ab Ezechia voluit, quod ante oblata mu-
nera cupiebat, neque contentione quàm antea
minori.

29. Vers. 17. *Misit autem Rex Assyriorum Tharthan
& Rabsaris, & Rabsacen, de Lachis ad Regem Eze-
chiam cum manu valida.*] In Isaia c. 36. vnus tantùm
numeratur Rabsaces, quia hic fortasse fuerat in ea
legatione princeps, vbi etiam pro manu *valida*,
manus ponitur grauis. Hebræorum magistri, vt
sunt nouitatis amantes, & rerum leuissimis mo- E
mentis impelluntur, existimant hunc Rabsacen
filium fuisse Isaiæ: vt refert super Isaiam Hie-
ronymus, & Augustinus de mirabilibus Scriptu-
ræ lib. 2. cap. 27. & Rabbanus hoc loco. at quo
argumento persuasi? quia, inquiunt, locutus est
Hebraicè. quasi vnus Isaiæ filius Hebraicè lo-
qui didicisset, & quia c. 6. Isaiæ, quidam Isaiæ fi-
lius relictus Iasub vocatur, quasi alius filius ad
Assyrios transfugisset. Nos pueriles hasce nugas

*Hebræorum fabula de filio Isaiæ.*

*Nugæ Rabbinorum de filio Isaiæ.*

suis autoribus relinquamus. Grauis manus exer-
citum validum significat, nam quæ hìc dicitur
*valida*, 4. Reg. 18. appellatur *grauis*: cui cùm occur-
rere non auderet Ezechias, intra ciuitatis mœnia
se continebat. Ita communiter interpretes. Sed
nescio an veriùs, hic *grauis manus* sit *grauis legatio*,
id est, minarum, & contumeliarum plena, seu po-
testas, quam summam permisit Rabsaci Rex Assy-
riorum, vt promitteret, ac pacisceretur cum Eze-
chia regio nomine, ac fide, quod ex vsu publico
fore existimaret. Agebat autem, vt est verisimile,
Rabsaces munus legati potius quàm ducis. Quare
peracta legatione statim ad Dominum rediit; ne-
que exercitum secum habuisse ex eo videtur cer-
tum, quia 2. Par. c. 32. totum exercitum apud se re-
tinebat Senacherib; neque statim ad Dominum
suum rediisset Rabsaces si copiosum secum habe-
ret exercitum, aduersum quem nihil esset ausus
Ezechias. Porrò *manus* pro potestate sumitur, qua- *Manus pro potestate.*
re missus est cum *graui*, aut *valida manu*, id est, cũ
graui potestate statuendi vt vellet, quod ex vsu
foret. quo sensu dicit Hispanus, *Dioke mucha mana
para hacer y deshacer.*

Vers. 18. *Egressus est autem ad eos Eliacim filius* 39.
*Helciæ præpositus domus, & Sobna scriba, & Ioahe fi-
lius Asaph à commentariis.*] De his duobus agit pri-
mùm Isaias prophetice cap. 22. vbi Sobna, qui hoc
loco vocatur Scriba, præpositus appellatur tem-
pli, qui idem omnino est, atque præpositus domus,
qualis hoc loco dicitur Eliacim, ad quem ibi
transferendum esse dicitur munus illud sine du-
bio sacrum & illustre, quò eo tempore fungeba-
tur Sobna. Deinde idem Isaias c. 36. de iisdem agit
historicè, & adducit illa omnia, quæ nos in hoc ca-
pite commentatione illustrare contendimus. Quis *Sobna quis.*
fuerit iste Sobna obscurum est, de quo nos pluri-
bus ad cap. Isaiæ 22. vnde in hunc locum pauca
transferemus. Hieronymus sacerdotem summum
esse censet, quia super *domum* esse dicitur: *domus*
autem antonomasticè appellatur *templum*, & ita
putat S. Thomas, Dionysius, & alij plures super Isa-
iam. Adamus negat qui etiam paulo audaciùs
loquitur de translatione Hieronymi. Forerius *the-
saurarium* putat, & qui curaret, quæ ad templi cul-
tus essent necessaria, consentaneè ad translationem
LXX. qui vertunt ταμίαν, id est, *quæstorem*, seu *di-
spensatorem*. De huius munere nihil hìc habemus
nisi quod sit על הבית *hhal habeth* id est, *super domũ*,
siue, vt vertit Hieronymus, *præpositus templi*: sed in-
frà c. 36. & c. 37. vocatur סופר *sopher*, id est, *scriba*,
seu, vt aliis placet, *thesaurarius*. & ibidem *Eliacim*,
ad quem deuoluendum esse dicitur Sobnę munus,
vocatur על הבית *hhal habeth*, sicut hic *Sobna*. quasi iã
ante aduentum Senacherib à suo gradu deiectus,
expertus fuerit minas quas in ipsum Isaias intor-
serat. De munere Sobnæ nihil arbitror definiri
posse magis certum. Neque magis compertum est
propter quod scelus tantum suppliciũ illi ab Isaia
denuntiatum sit. Quidam ex Hebræis, vt refert 31.
Hieronymus, tradunt Assyriis à Sobna proditam
esse inferiorem partem ciuitatis, & sequitur Hay-
mo, neque id improbat S. Thom. qua de re plu-
ribus infrà c. 37. vbi ex multorum sententia dicitur,
cùm timeret ciuitatem ab Assyriis expugnatum
iri, profugisse ad Assyrios. Sed ab aliis communiter
non probatur, & magno sanè merito. Tum quia
ante aduentum Assyriorum iam passus fuerat ha-
rum minarum non exiguã partem, quia super do-
mum esse desierat, in cuius locum suffectus fuerat
Eliacim, tum etiam, quia nulla pars ciuitatis venit
in potestatem Senacherib, vt c. 37. prædixit Isaias.

*Propterea hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & nō mittet in circuitu eius aggerem.* Quare verisimilius est *Sobnam* fuisse hominem insolentis animi, vt liquet ex ambitioso consilio extruendi sibi magnificum sepulcrum; ex quo etiam sequebatur, vt alios despiceret, conculcarétque, quod & textus ipse declarat. Nā cùm de successore Eliacim ageret Deus, quasi eius mitissimos mores opponeret superbo Sobnæ atque inclementi ingenio, dixit, *Potestatem tuam dabo in manus eius, & erit quasi pater.* in quem sensum accipiunt hæc communiter Patres.

33. *Scriba quis.* Scriba apud Hebræos est doctor in lege, & nomen honestum valde, sed fortasse hîc forense nomen est, & in regia domo non ignobile, vt nobilis certè scriba Sobna inter alios principes legationem istam obiit. A *commentariis*, ille est, qui res gestas publicis monumentis consignat, eáque, cùm res & tempus exigit, in principis memoriam reuocat; qualis erat qui Esther c. 6. factum Mardochæi in publicos annales retulit, qui, vt putat Lyra, is est, qui à nobis *Cancellarius* nominatur.

34. *Prouerbiū, Baculus arūdineus pro infirmo auxilio.* Vers. 22. *An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto.*] Prouerbiali specie baculus *Arundineus fractus*, pro infirmo auxilio ponitur, quo tā longè est, vt imbecillum sustentet, vt potiùs manū apprehendentem, violet, compungat, & perforet. Accommodatè verò Ægyptus *arundo* dicitur, quia ad ripam nisi arundo est, & multa, & nobilis, ita vt ad alias prouincias ad varios vsus comportetur, & eius prouinciæ symbolum & stemma sit, vt in antiquis nummis spectare licet, qua de re nos plura diximus ad illud Psalm. 67. *Increpa feras arundinis.* eodem genere sermonis vsus est Ezechiel c. 29. v. 6. ad Pharaonem, *pro eo quòd fuisti baculus arundineus domui Israel.*

35. Vers. 23. *Dabo vobis duo millia equorum, videte an habere valeatis ascensores eorum.*] Proponit Rabsaces quid commoditatis habiturus sit populus Iudaicus, si iugum velit Assyrium subire. Accipiet enim duo equorum millia, quæ honestorum, atque nobilium hominum, non adiumenta solùm, sed ornamenta sunt. Addit verò Rabsaces non tot futuros viros in Ierusalem, quot equos dabit Rex liberalis, & potens Assyriorum. Quod dixit aut hyperbolicè, quod sæpe faciunt homines vanissimi, quos vana de se cogitatio insolenter inflat, aut aliorum vires præ se nihili habendas putant: aut certè, quia reuerà duo virorum millia in ciuitate non erant, qui essent exercitati in arte, atque studio equestri. Cuius rei duæ possunt assignari causæ, vel quia Deut. c. 17. Dominus voluit ne Rex Israel equos multiplicaret, vel quia regio aspera silicibus, & salebris passim interciſa, non erat opportuna equestribus concursionibus. Quocirca ea loci natura tutos se putabant Solymitani ciues ab equorum irruptionibus.

Vers. 24. *Et quomodo potestis resistere ante vnum satrapam de seruis Domini mei?*] Qui hîc vocatur *Satrapa*, Isai. cap. 36. dicitur *Iudex*. Est autem Satrapa qui alicui prouinciæ præest, vt ex hoc loco constat. Quocirca *satrapiæ* dicuntur, quas nos *iurisdictiones*, seu *diœceses* vocamus. Satrapæ autem non solùm legibus rem moderantur communem, & publicam in pace, sed etiam cùm res poscit, res administrant bellicas. quod munus obierunt olim inter Hebræos, qui vocati sunt *Iudices*, vt Gedeon, Iepthe, Samson, Samuel, quorum in libro Iudicum gesta tractantur. 36. *Satrapa quis.*

Vers. 27. *Vt comedant stercora sua, & bibant vrinam suam vobiscum.*] Isaias cap. 36. *Vt bibant vrinam pedum suorum.* quod idem prorsus est. Quomodo obscœna pedum nomine significentur, docuimus supra Isaiam c. 6. ad illud, *duabus velabant pedes.* Est autem aqua, quæ à pedibus fluit, *vrina*, sicut aqua capitis *lachrymæ* sunt. Ierem. c. 9. v. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* res verò ad extremam conditionem, & angustias adducta his modis prouerbialiter explicari videtur, *vt comedant stercora sua, & bibant vrinam pedum suorum*, & similibus. 37. *Aqua pedū, & capitis.*

Vers. 31. *Facite mecum quod vobis est vtile, & egredimini ad me.*] Isaias cap. 36. v. 16. *Facite mecum benedictionem.* Vbi non petit homo superbissimus Rabsaces à Iudæis, secum vt liberales sint, sed potiùs vt ita se gerant, vt à seipso vel ab Assyrio Rege benedictionem obtinere, id est, honestè accipi, & liberali atque benigna manu tractari mereantur. Quod ex hoc capite non obscurè liquet, quem locum ita Septuaginta vertunt. *Si vultis benedici.* Benedictio itaque eo loco apud Isaiā passiuè sumitur. Hoc sensu: ita accipite oblatam à Rege conditionem, & fidem, vt ab eo gratiam ineatis, propter quam in vos possit esse beneficus. 38. *Prouerbium ad explicādam extremam famē.*

Vers. 37. *Venitque Eliacim filius Helciæ*, &c. *sciissis vestibus.*] Cùm Iudæi blasphemiam contra Deum audirent, conceptum ex ea dolorem vestium laceratione significabant: vt fecit Pontifex Matthæi 26. vt ostenderet se à Christo audiisse blasphemiam. & Ierem. cap. 36. grauiter notantur, qui cùm viderent legis volumen lacerari, & comburi, non sciderunt vestimenta sua. Quod etiam in graui aliquo dolore & luctu faciebant Hebræi. Sic Dauid 2. Reg. 1. audita Saul, & Ionathæ cæde; & cap. 3. in exequiis Abner; sic Iacob Genes. 37. cùm existimauit mortuum esse Ioseph. Fuit ergo Ezechiæ legatis duplex causa cur ad Dominum suum sciſſis redirent vestibus, vt & populo ostenderent impium Rabsacen blasphemam in Deum exeruisse linguam, & ea specie, atque habitu, quem accepissent dolorem ex legatione infeliciter obita, significarent. 39. *Vestes in dolore lacerata.*

# IN CAP. XIX. LIB. IV. REGVM

## ARGVMENTVM.

*CVM accepisset Rex Ezechias à legatis qualiter esset res cum Assyrio transacta, misit ad Isaiam legatos, qui & illum de legationis euentu certiorem facerent, regióque nomine contenderent, vt rem totam per orationem Domino commendaret. per quos Isaias securo esse animo Ezechiam iubet, nihilque periculi ab Assyrio timere. Cùm autem iuxta verbum Domini accepisset Senacherib, Tharacam Æthiopum Regem bellum*